DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

CHRONICON
CARIONIS.

EXPOSITVM ET AVCTVM,

multis & veteribus, & recentibus hiſtoriis, in deſcriptionibus regnorum & gentium antiquorum, & narrationibus rerum Eccleſiaſticarum & Politicarum, Græcarum, Romanarum, Germanicarum & aliarum, ab exordio mundi, vſque ad annum Salutis per Chriſtum natæ 1612. nempe Rudolphi II. exceſſum.

A PHILIPPO MELANCTHONE, & CASPARO PEVCERO.

Extrema editio, prioribus omnibus longè caſtigatior: cui acceſſerunt Capitum & Rerum INDICES locupletiſſimi.



Sumptibus SAMVELIS CRISPINI.

M. DC. XVII.

Th. R.
D1152
C277C

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO Auguſto, Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Electori, & Archimarſchallo, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggrauio Magdeburgenſi, Domino ſuo Clementiſſimo, S. D.

VT hæ gratiſs. vices temporum, diei, & noctis, æſtatis, & hyemis, & leges motuũ cœleſtiũ, verè ſunt à Deo conditæ: ſic dubium non eſt, verè Deum authorem eſſe totius ſocietatis humanæ, quæ deuincta eſt inter ſe, coniugiis, procreatione, & educatione liberorum, mutuis contractibus, & officiis, imperiis, & multiplicibus diſtinctarum gubernationum gradibus; & regit, atque continet hæc vincula, inſita animis humanis notitia legis diuinæ, tanquam munimentum ſocietatis vniuerſæ. Nec tamen aut conſtitui, aut durare Imperia: neque exequi legem Dei homines, ſine ope diuina, poſſent. Ideò Deus non tantum, ceu vigilans paſtor, agmen ouium circumiens, arcet, ac depellit lupos: ità elidit, ac peſſundat conſilia, molitiones, & conatus Diabolorum, Tyrannorum, & ſeditioſorum hominum: ſed ipſe excitat, & adiuuat gubernatores; & ſuam ipſe legem exequitur, armat, & gubernat manus magiſtratuum, in puniendis iniuſtis cædibus, flagitioſis libidinibus, rapinis, furtis, graſſationibus, vt conſeruari ſocietas poſſit. Cúmque hanc ipſi magiſtratus turbant aut diſſipant, vt cùm Tyranni fœdis ſeſe polluunt libidinibus, rapiunt aliorum coniuges, aut liberos, exercent iniuſtam crudelitatem, defendunt, & ſtabiliunt manifeſtam idololatriam, aut impia, & blaſphema dogmata, mutat Deus ipſe Imperia, & vicinos reges, aut populos excitat, qui Tyrannos puniant, Eccleſiam vindicent, leges, & honeſtam diſciplinam, reſtituant.

Harũ rerũ exẽpla, & documẽta ſuppeditãt hiſtoriæ. Oppreſſo Sardanapalo, diſcerpitur Babylonica Monarchia:

Excuſſis Chaldæis, & Aſſyriis, ſumma potẽtia trãsfertur ad Cyrum, qui punit Tyrãnos, defendit Eccleſiã, ſancit labefactatas leges, iudicia, diſciplinam. Nobilitate Romana, in qua ſcelera creuerant, ac turpitudines, in immenſum, ac tandem Antonio deleto, traduntur habenæ Imperij Auguſto, qui mutat reipublic. formam. Deus euexit Conſtantinum, extinctis Tyrãnis Diocletiano, Maximiano, & Maxentio, qui, immanis ſęuitię ſupremo conatu, propugnabant idolomaniam Ethnicam, & oppugnabãt, ac perſequebãtur Eccleſiam Chriſti, & attulit victoria Conſtãtini, mutationem vniuerſalem orbi terrarum, deletis idolis Ethnicis, robore veritatis Euangelicæ. Cum autem ordo ipſe aſpicitur, & conſideratur, ſine perſonis, ſcilicet, ipſa cõſociatio hominũ, cõiugium, ciuiles cœtus, imperia, iudicia, leges, diſciplina, magis apparet, & ordinis pulchritudo, in quo lucet ſapientia, & iuſtitia Dei architecti, & vtilitas, in qua ſeſe oſtendit mirifica Dei, erga nos, bonitas, & beneficẽtia. Quod poteſt cogitari pulchrius ſpectaculum, hoc ordine, ſi animo ſecernamus vitia, quæ Diabolus, & hominum improbitas, aut infirmitas, ordini aſpergunt? Quam eſt, in bene conſtituta œconomia, honeſta ſocietas mariti, vxoris, liberorum, cùm ſe inter ſe amant, iuuant, certant officiis, colloquuntur de Deo, deque eius beneficiis inuocant vna voce Deum, curant propagari, & cõſeruari Dei notitiam, & veros cultus, cæteri & ſimul Deum rectè inuocant, & ſedulo, ac fideliter faciunt operas ſuæ vocationis? Quid eſt auguſtiꝰ, ea vel ciuitatis, vel prouinciæ forma, in qua rectè conſtitutę ſunt Eccleſię principes, & magiſtratus cæteri, ſuo quiſque loco, tuentur diſciplinam, ſubditi ſunt concordes, congrediuntur ſtatutis temporibus, exercendæ religionis, & celebrandorum iudiciorum cauſſa, in templis, ſcholis, curia: iuuẽtus excolitur ſtudiis doctrinarũ, & aſſueſit ad pietatis, & virtutum omniũ exercitia, quęrũt victum ſinguli, honeſtis artibus, quibus vitæ opus eſt, cultura agrorum, mercatura, opificiis: ædificant ad neceſſitatem, & ad elegãtiam, muniunt vrbes aduerſus latrocinia. Et ſubditorum omnium voluntates ſpectant ad hunc finem, vt, in hac ſocietate, rectè colatur Deus, & vt Deo obedientia præſtetur, propter hanc cauſſam defendunt patriam, communi animo, & conſilio. Quod ſpectaculum vel auguſtius, vel iucundius hoc ordine, animo concipi poteſt?

Sed incurrunt in oculos vitia, & confuſiones œconomiarum,

miarum & politiarum, contumacia liberorum aduerſus parentes, coniugum diſcordiæ. In Imperiis, Tyrannides ſuperiorum, negociatorum fraudes, libidines, principum, & vulgi, doctorum diffidia, ſeditiones, latrocinia, bella, cædes, parricidia, excidia regnorũ, vaſtationes, triſtes, & tragici exitus, non tantùm ſceleratorum, ſed inſontum & immeritorum, & innumera alia. Hæc triſtiſſima ſpectacula, & tetra ſpecie deformant ordinem diuinum, ne verè conſpiciatur, néve iudicetur opus, & munus Dei eſſe & vehemẽter percellunt animos ſapientum etiam, ac labefactant aſſenſionem de prouidentia.

Ideò quæſitum eſt à ſapientibus, omni tempore: An ſit aliqua prouidentia diuina, in rebus humanis? An ſint certæ aliquæ Imperiorum periodi? Et quæ ſint tantarum, ac tam ſubitarum mutationum, vt ruinę, & interitus florẽtiſſimorum regnorum, prouinciarum, & vrbium, diſſipationis totarum gẽtium, cauſſæ? Illuſtria ſunt teſtimonia prouidentiæ diuinæ, quæ in rerum natura conſpiciuntur, vt certa corporum cœleſtium, & elementorum ſeries, rati, ſtatíque ſiderum curſus, ac reditus, diſtinctæ temporum vices, ſpecierum conſeruatio, & mentis humanæ notitiæ, quæ ſunt artium fontes.

Hæc cùm intuentur homines, fateri coguntur eſſe aliquam primam cauſsam, mundi architectatricem, à qua cõdita ſint vniuerſa, & cuius nutu, eadem adminiſtrentur, ac ſuſtententur. Sed cùm aſpiciunt deformitatem Imperiorũ, infinitas, in omnibus ordinibus hominum, fraudum, vitiorum, ſcelerum, & flagitiorum confuſiones, inſtabilitatem, & iniquitatem variantis ſeſe in momẽta fortunæ, ignauiã, ſtoliditatem, aut crudelitatem gubernatorum, in eo faſtigio, in quo eminere, ac conſpici debebant ſapientia, & virtus, triſtes, & tragicos horum interitus, excidia totarũ gentium, aut diſsipationes, attoniti admiratione ſtupent, conturbatíque, & in ancipites diſtracti cogitationes, hærent, dubitantes: An caſu coëant Imperia, ac rurſus caſu diſsiliant, ac dilabantur, vt formicarum agmina: An non ſolis humanis conſiliis, aut viribus, cogantur, atque conſtituantur, defenſionis cauſſa, & iiſdem, alias aliis de cauſsis, & ex aliis occaſionibus, an conuellantur, & euertantur: vel an hæc omnia ab occultis, & nulli ſatis perueſtigatis cauſsis, gubernentur hoc modo, præter omnium hominum opinionem, & ſpem.

Extant multæ querelæ, de incõſtãtia fortunæ in Impe-

ziis: noti ſunt Lucani verſus: -- *Summiſque negatum*
Stare diu, nimióque graues ſub pondere lapſus.

Et Seneca:

Non ſic Libycis Syrtibus æquor
Furit, alternos voluere fluctus,
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda, niuali
Vicina polo, vbi cæruleis,
Immunis aquis, lucida verſat
Plauſtra Bootes:
Vt præcipites regum caſus,
Fortuna rotat.

Nec profectò triſtius vllum ſpectaculum eſt, quàm vel oculis, vel animo intueri tot florentiſſimorum regnorum interitus, de quibus, ne quidē ἐρείπια reliqua ſunt. Propter hanc euentuum varietatem, de iis, quæ dixi, multa quęſiuerunt Philoſophi: ſed explicari res, niſi ex doctrina Eccleſiæ, nequit.

Omitto Democratica, Epicurea, & Pyrrhonia. Pōpeius prælio Pharſalico victus, multa apud Cratippum Philoſophum diſputat, contra prouidentiam, quòd, in cauſſa iuſtiore, vt ipſe contendebat, à Deo deſertus eſſet. Et ſimiles cogitationes, in rebus aduerſis, tentant, & exercent non Ethnicos tantùm, ſed eos etiam, quos Eccleſia genuit, & inſtituit, nec rarò eoſdem, ſi his indulgeant, in horrendos fluctus dubitationum coniiciunt, aut perturbatos extra ſeſe conſtituunt, aut præcipites agunt, in exitium adactos, ad deſperationem.

Aduerſus hæc ſcādala, quomodo ſint muniendi animi, ne deperatione deficiant, inquirendum eſt. Ac primò euentuū diſſimilitudini turbanti, aut languefacienti aſſenſionem de prouidentia, opponātur nota, & expreſſa teſtimonia ſcripturæ ſacræ, quæ oſtendunt, cùm ordinem politicum eſſe opus Dei, & conſeruari, ac defendi à Deo, tum ab eodem & excitari, atque adiuuari ſalutares gubernatores; & cùm degeneres magiſtratus, ordinem diuinitùs ſanctum, turbant, aut diſſipant, mutari Imperia, excitis vicinis regibus, aut commotis populis, qui Tyrannos puniunt, ac leges, & honeſtam diſciplinam reſtituunt Id docet expreſſè dictum Danielis: Deus cōſtituit, & transfert regna. Hoc dictum, velut epigraphe, præfigatur voluminibus omniū hiſtoriarum, & noſtras, de Imperiorum motibus, cogitationes dirigat, ac moderetur.

Rectè & Plato gubernationem rerum humanarum Deo attribuit;cui,ſuo cōſilio,tanquam inſtrumenta, & media, adiungit τύχην, καὶ καιρὸν, quibus vult obſequi τέχνην, id eſt,cōſilia, & conatus prudentiæ humanæ. Sed Deo tribuatur, quod docent ſacræ literæ, Deum non eſſe adſtrictum ad ſecundas cauſsas,& multa agere, atque perficere, abſque his:imò ſæpè contra ordinem ſecundarum cauſsarum.

Secernantur autem ab ordine politico, vitia deformantia opus Dei,& confuſiones, quæ non ſunt à Deo,qui non eſt author ἀκαταστασίας, ſed oriuntur à furoribus Diabolorum,& malorum hominum,vel ab humana imbecillitate. Non itaque,vt multi prophani arbitrantur,exiſtimetur temerè,ac fortuitò, ſine Dei conſilio, homines concurriſse, vt ſe iunctis viribus, tuerentur aduerſus beſtias,aut latrocinia:nec Imperia caſu oriri, aut ruere, & deuolui caſu in eas gentes, quarum extollitur potentia: nec eas,quę accidunt in Imperiis florentibus, mutationes,caſu euenire:ſed certum hoc,ac firmum ſit, Deum architectum eſse ordinis in Imperiis, & hunc tueri,ac prohibere, ne à Diabolis,& malis hominibus prorſus dilaceretur, vaſtationibus infinitis.

De Periodis autem Imperiorum, an ſint aliquæ, & ſi ſint, certæne, ac definitæ ſint, & perpetuæ, an verò ſuæ ſingulis ſint politiis propriæ, cùm ſpecies politiarum plures reperiantur, ac diuerſæ: & mutationum quæ ſint cauſsę,maior quæſtio eſt, & perplexior,in qua explicanda, cùm hæſerit Plato, introducit Socratem, ſententiam de hac quæſtione ſuam Muſis tribuentem, quam illæ, vt in re obſcura, & inextricabili, velut vaticinantes, arithmetico ænigmate inuoluunt. Politias,inquit Plato, mutari, cùm fundus ſeſquitertius, quinario iunctus,duas exhibet harmonias,ter auctus. Hæc quo tendant, ne Ariſtoteles quidem explicauit, qui locum hunc interpretans, initia mutationum collocat in momentum tale,quo diagrammatis,à Platone expreſſi,numerus ſit perfectus. Etſi autē,Sibyllæ foliis,obſcuriores ſunt hi Platonis numeri,in quibus, vt in aliis eiuſdem authoris euoluendis, & extricandis plurimi fruſtra laborarunt: tamē hoc videtur velle, Imperia ad ſummam ſeu perfectionē, ſeu potentiā euecta, cùm vltra hanc natura nihil inſtituat,poſtea facta conuerſione, vt compleatur periodus, & fiat reditus ad principium, degenerare rurſùs, ac ruere, ſuccedentibus gubernatoribus, qui nullis, à natura deficiente,adiumentis,aut

præſidiis inſtructi, ne diſciplina quidem excoli, aut cicurari poſſunt.

Etſi itaque, quanta Plato circũſcribat periodo, politias, diuinare difficile eſt: tamen mutationum cauſſas, quas cõſtituat, minus obſcurum eſt, nimirum certis vicibus temporum; vi, ac robore naturæ, gigni gubernatores bonos, ac præſtantes, quorum virtute Imperia tenentur; poſtea languefacta, vel extincta ea naturæ vi, naſci aut languidiores, aut deteriores, qui, ſuis ipſi furoribus, euertunt Imperia. Nec Pompeio, ex prouidentia, cauſſam ſui caſus, quem iniquum eſſe cenſebat, quærenti, inconcinnè reſpondet Cratippus: Vitioſum reip. ſtatum exigere Monarchiam: cúmque viciſſim interrogaret Pompeium: Quo nobis argumento perſuadebis, te melius, quàm Cæſarem, ſi viciſſes, fortuna vſurum fuiſſe? Illo tacente, ſubiicit: ſed in Dei arbitrio, ac poteſtate poſita, relinquamus. Coniungit itaq; Cratippus, cum moralibus, fatales cauſſas: ſed neutras explicat, & fatales, etſi mentione numinis diuini attingit, quales ſint illæ tamen, ignorat.

Ariſtoteles, omiſſa prouidentia, & cauſſis fatalibus, ac phyſicis, tanquam remotioribus, & obſcurioribus, prætermiſſis, ſolas intuetur cauſſas propinquas, ac morales: nam & motus cieri, efficíque mutationes, & quaſi metas conſtitui, ac definiri circuitus durationum, oſtendit, vitiis politiarum, & hominum cupiditatibus: qui, ſeu communibus, ac publicis vitiis, & morbis politiarum, ſeu aliis cauſſis irritati, atque accenſi, ſi moliantur res nouas, præſentem rerumpubl. ſtatum perturbant.

Sæpè vitia tam ſunt enormia, vt emendationem neceſſariam deſiderent. Sed conatus etiam optimo conſilio ſuſcepti, vel hoc fine, vt è ſtatu deteriore reſpubl. transferãtur in meliorem, non in eum tamen, qui ſpectatur, & quæritur, exitum deſinunt, ſæpè ingentem ruinam trahunt: tum res motæ, non ab authoribus reguntur amplius, ſed ſemetipſas incitant, & authores impellunt, vrgent, & implicant, non præuiſis difficultatibus. Et effert ſeſe audacia ſceleratorum hominum, ſicut veteri verſu dicitur: Ἐν δ' διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς. Non enim, vt mouere res nouas, ſic euentum præſtare, in noſtra poteſtate eſt. Et πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι, inquit Xenophon. Et ſecundum Pindarum: ῥάδιον μὲν πόλιν σεῖσαι, ἀλλ' ἐπὶ χώρας ἕσαι αὖθις μόνον ἐστὶν θεοῦ. Idcirco iubent viri politici, aliqua parua incommoda condonare conſuetudini, ne mo-

ta republic.velut ęgro corpore, maiora mala accidant. Et Plato, vt deliri parentis, ſic ſeneſcentis, ac morbidæ reipublic vitia ferenda, regendáque cenſet: ne, intempeſtiuis remediis, exacerbata, gangręnarum inſtar, aut cancrorum, ſerpant, & depaſcantur, ac conſumant corpus vniuerſum. Polybius, duabus potentiſſimis ciuitatibus, Carthagine, & Roma, multorum annorum bello, de Imperio decertantibus, ad extremum ſuccubuiſſe Carthaginem, & victam, conditiones accepiſſe, ob eam maximè cauſſam putat: quòd, quo tempore, inter eas incidit contentio, tum & Carthagini, multò quàm ante, negligentius, & Romę multò quàm ante diligentiùs mores, inſtitutáque maiorum colerentur; ſicut de Romanis poëta cecinit: *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſq;* Sed frequentius non tam Reip. quàm rerum priuatarum reſpectus, incitat homines, ad innouandum aliquid, aut turbandum in bene conſtitutis ac quietis politiis.

Ariſtoteles, publica morbidarum politiarum vitia, vno τῦ ἀνίσυ nomine, complectitur: quod latè patet, ac dominatur, maximè in Democratiis, & Tyrannide, quæ, cæteris etiam omnibus, minus diu durant, & mutationibus maximè ſunt obnoxiæ. Vt enim ἰσότης, æquatione quadam diſſimilium, κατ' ἀξίαν, copulat animos hominum: ſic, τὸ ἄνισον eoſdem diſiungit, neque vnquam vera, inter ſe, firmáque beneuolentia, coaleſcere patitur. Sed occaſiones, ἀφορμαὶ, à quibus initia, & cauſſæ motuum, ac mutationum exiſtunt, in hominum moribus ſunt, & cupiditatibus, nec ſunt vniuſmodi. Nec eodem modo mouentur, aut turbantur politiæ.

Ac plerunque alia ſunt αἴτια, aliæ προφάσεις, ſeu prætextus. Alios impellit φιλοκερδία. & vniuerſim omnis πλεονεξία, quæ eſt νόσημα σύμφυτον ταῖς ψυχαῖς ſecundum Plutarchũ, & eouſque ſeſe effert, vt nec profundi maris gurgitibus, nec excelſorum montium cacuminibus, nec vaſtis ſolitudinibus, nec Europæ, Aſiæ, aut Africæ limitibus, nec cognati ſanguinis legibus, & vinculis definiri, atque coërceri poſſit. Sed regnat ea cupiditas non minus in priuatorum animis. Ac veriſſimum eſt Pauſaniæ dictum: ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσῃ ἡ ἄλλων ἐνόντων ἐφ' οἷς βιαζόμεθα ἄδικοι γίνεσθαι, τὸ κέρδος μέγιστον ἀναγκαῖον. Hominum animis, cùm alia, quæ inſunt, tum maximè lucri cupiditas, quaſi vim affert, incitans ad iniuſtè faciendum. Nec ignoti ſunt Euripidei verſus, qui Julio Cæſari in ore fuerunt.

Plurimos vexat, & exagitat φιλοτιμία, δεινὸν κακόν, ſecundùm Tragicum, quæ eorũ animos, quos occupauit, occulta inuidentia, ſeu face quadã, aſſiduè perurẽs, quieſcere nõ ſinit; & ad ciuilia certamina extruſas, nihil ſani, aut moderati experiri facit. Deſiderio enim creſcendi nec ſuperiorem ferre, nec parem poteſt. Vnde de ambitioſis dictum: ὄφις εἰ μὴ φάγοι ὄφιν, μή ποτε γένηται δράκων. Contra, τὸ ἀφιλότιμον οὐ μικρὸν εἰς πραότητα πολιτικὴν ἐφόδιον.

Nec parua detrimẽta affert rebuſpub. φιλονεικία & contendendi, vincendíq; libido, quæ in pugnacibus, & pertinacibus naturis, ferè, non niſi interitu ipſorum, aut rerũpublicarum cineribus, extinguitur. Ac rectè reprehenditur Lycurgus, quòd τὸ φιλότιμον καὶ τὸ φιλονεικὸν οἷον ὑπέκκαυμα τῆς ἀρετῆς, ceu fomitem virtutis, lege iniecerit Spartanis. Vtramque enim protinus comitantur alia cognata, nec minus reipub. pernicioſa vitia. E quorum ſunt numero, πολυπραγμοσύνη, quauis occaſione mouẽs non neceſſaria, & aliena vocatione: ὑπεροψία, deſpiciens, & quaſi conculcans alios: ὕβρις, cõtumeliis afficiẽs, aut iniuriis, pares, aut inferiores: κακοζηλία, fingens, & ſomnians ex ſua, vel aliorum fortuna, perſuaſione, aut perpetuo duraturę felicitatis; aut ſimilis vel ſapiẽtiæ, vel virtutis, ſimiles ſucceſſus, qualis erat in Demoſthene, & Cicerone, ἰδιογνωμοσύνη καὶ αὐθάδεια, ex admiratione ſui: & contemptu aliorum, ſuas cogitationes anteferens melioribus, ac ſanioribus aliorũ iudiciis; aut pertinaciter retinẽs, & vrgens ſemel cœpta, qualis erat in Pericle, & Catone: ἀπιστία, diffidens aliis, & muniens ſeſe amicitiis, ſocietatibus, fœderibus, attractis ſociis diſſimilibus, aut potentioribus, aut clam ſtruens inſidias æmulis. Sunt enim πλεονεκτικοὶ, & φιλότιμοι, καὶ φιλόνεικοι φύσει omnes infidæ, & inſidioſæ.

Sed cuncta perſequi, & hæc, quæ commemorata ſunt, exẽplis illuſtrare, nimis foret longũ. Verè hæc autem, & rectè dicuntur. Certum enim eſt, ſæpè maximos motus, in politiis, ab his cauſſis extitiſſe. Sed ἀφορμαὶ tantùm ſunt, καὶ ἀρχαὶ κινήσεων. Hoc, quod quæritur, nondũ explicatur, nimirum; an ſint certæ, & fatales periodi Imperiorum? &, ſi ſunt, quæ ſint vltimæ earundem ceu metæ: & ad eas metas, an cuncta perueniant Imperia? aut, ſi non attingant: cur ante tẽpus deficiãt, atq; cõcidant? & quib. de cauſſis tota regna, & reſpub. deleantur, totæ gentes diſſipentur? Aſſentior minus obnoxias eſſe motibus, atque ideo durare diutius politias, quas cõſociat, & cõtinet æqualitas:

τὰ γὰρ ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ. Contrà, reliquas æqualitatis expertes, faciliùs turbari, ac diſſolui, & diſſilire citiùs. Sed hanc æqualitatem Ariſtoteles metitur tantùm gradibus honorum, & dignitatum, & lucris, atque acceſſionibus, non virtute, cùm hac pauci præditi ſint: ac minus religioſa pietate, qua Deo tribuitur, ſibi quod dari, exhiberíque præcipit. Denique hoc ſolum monſtrat, quod in præſentia homines mouet, ad moliendum aliquid, aut turbandum; non oſtendit cauſſas fatalium, & vniuerſalium mutationum, quas fortaſſe nullas credidit eſſe.

Quod ergo neutiquam ſatisfaciunt hęc Sapiētibus; nec tamen, alia mente, percurrentibus hāc totam propiorem, & oculis obuiam rerum naturam, ſeſe offerunt: ideo ad cœlum, & ad aſtra, tanquam fati tabulam, conſcendunt aliqui, vt inde cauſſas deducant. Partiuntur Imperium orbis terrarum, in Zodiaci trigona, ac dodecatemoria, & in ſtellati orbis diſtincta ſydera, ac τεταρτημόρια cœli, atque inerrantium inſignes Synodos, & luminum deliquia. Singulis regnis etiam, & regionibus ſingulas errantes, itidémque inſigniores inerrantes ſtellas, præficiunt, quaſi opifices, & architectos publicorum fatorum, quæ ad decurſus eorum ſiderū, vi luminis, ſeſe commouētes, quaſi exſūdent in ſubiectas terras, ínq; his naturis, & ingeniis hominum, noua quadam affectione, in melius, aut deterius perculſis, atque imbutis, & ad conſilia, conatus, molitiones, aut ſalutares, aut pernicioſas impulſis, efficiant mutationes ad alterutram fortunam, proſperam, vel aduerſam, aliàs extollendo proſtratam, ac iacentem, aliàs deprimendo florētem rerumpub. conditionem, pro ratione habitudinis ſuæ, ad eas terras, vibratíque luminis, & poſitus in cœlo.

Romæ, cùm ea cōderetur, ex propinquo, radiis verticalibus, affulſiſſe tradunt vltimā ſtellam, in cauda Vrſæ maioris, atque hoc poſitu, ei deſpondiſſe Imperium orbis terrarum. Inde digredienti, ſucceſſiſſe latus Perſei, & caput ſerpentis, quæ hoſtilibus radiis, idem Imperium deſtruxerint. Eandem ſtellam, cùm ſupra Byzantium cōſtitiſſet, ex vrbe Romana ſedem Imperij traduxiſſe, & poſtea Francis, tandem Germanis idem axioma attuliſſe. Aſiam, & Gręciā, quādo Saracenis, & Turcicis armis deuaſtatæ, ac ſub iugum redactę ſunt, tradūt, infeſtis è vertice radiis capitis Meduſæ, quod ſiniſtra manu tenet Perſeus, pulſatas eſſe: & ex eiuſdem ſideris affulſione ſimili, in eaſdem calamitates præcipitatam eſſe vlteriorem Italiam, qua hodie latè

patet regnum Neapolitanum.

Etſi autem hæc,& ſimilia alia, ſagacibus ingeniis,ex euentu, animaduerſa, & coniecturis eruditis, ad decurſus, viréſque ſyderum accommodata, nequaquam repudio, neque inficior, magnam, & admirandam(ſed neutiquam ſatis perueſtigatam)eſſe vim, & efficaciam luminis cœleſtis in totum orbem elementarem; quem, vt circumflexu ſuo cœlum complectitur:Ita cœlo affixa ſidera,alias aliter vibratu radiorum feriunt, atque afficiunt: denique multas concurrere, & quaſi conſpirare, cauſſas fatales, phyſicas,& morales,de quibus ſupra dixi,non ignoro:cũ quaſi à fundamentis euulſa,corruunt Imperia. Tamẽ quantum de cœli viribus exploratum eſt, hoc omne vim tantùm particularem habet. Propterea ratæ, & immotæ non ſunt periodi Imperiorum,ex circuitibus cœli, aut ſyderum deductæ,& ex his, quicquid de periodis,& cauſſis mutationum eruitur, atque extruitur, hoc mutilum,& imperfectum eſt,nec,eo cognito, mens humana acquieſcit. Niſi ergo, coniecturis philoſophorum, adiungantur teſtimonia,& exempla Eccleſiæ, neceſſe eſt eas,hac in parte,hærere,ac deficere.

Vt expleamus autem, quod deeſt,præſidia doctrinæ ſacræ aſſumemus, quæ ſola, vt ad authorem, cuſtodémque, ac vindicem ordinis politici, ſic ad primam, & vniuerſalem mutationum cauſſam, nos deducit, & periodis conſtitutis,metas deſignat,quas rariſſimè,aut nunquam excedunt,non ſæpè aſſequuntur Imperia.

Periodus vniuerſalis definitur in Daniele, ſeptuaginta hebdomadum mẽtione; quibus tempus exprimitur,& ab inſtauratione templi,politiæ,poſt captiuitatem Babylonicam,vſque ad Chriſtum.Complectũtur illæ autem annos circiter quingentos. Hanc periodum,lege quadam ſancita diuinitùs, magnis Imperiis fatalem eſſe, & vniuerſales mutationes afferre,oſtendunt omniũ temporum hiſtoriæ, ſi à prima antiquitate repetantur. Compertum eſt enim, magno exemplorum cõſenſu, ea circumacta,in ipſo quaſi articulo anni quingenteſimi, vel paulò ante, mutationes incidere, quibus vel euerſa regna, vel tranſlata aliò, eſſe deſinunt,vel in nouam commutantur formam.

Ac ſeruauit eandem Deus ipſe,in ſuo populo. Tot enim ſunt anni ab exitu populi, ex Ægypto,vſq; ad ædificationem primi templi. Totidem annos ſtetit vtrumque templũ,& durauit principatus ducum:ac poſt hos, regum ſucceſſio,

ceſſio, & à captiuitate, reſtituta, gentis Judaicę politia. Totidẽ annos Aſſyrij tenuerunt Aſiam; imperarunt Athenis reges: ſtetit reſpub. Laconica: rexerũt rempub. Romanam cõſules: ſedes Monarchiæ fuit vrbs Romana, ab Auguſto, vſque ad Valentinianum vltimum, Conſtantij, & Placidiæ filium. Vertitur & nunc quingenteſimus annus, quo rerum, in orbe Chriſtiano, potiuntur Germani: & regna ſunt, Gallia, Polonia, Vngaria. Nec, ſi pauci anni deſint, non abſolutã eſſe periodũ, putandum eſt. Sæpe enim magnitudo cõfirmatorũ ſcelerũ vrget, & præcipitat fata.

Sed non eſt, inquies, hæc periodus perpetua, & catholica. Conſtat enim regna non pauca, vix dimidium eius exegiſſe. Monarchia Perſica vix annos ducentos triginta, Gręca non multò plures cõpleuit: Romani, reges expulerunt, anno ab vrbe condita ducenteſimo, quadrageſimo quinto. Huius diſſimilitudinis quæ ſunt cauſſæ? Explicat & has cauſſas vox doctrinæ cæleſtis, quas ordine percẽſebo. Oſtendi Jmperia nõ eſſe opera humanæ induſtriæ, aut calliditatis; ſed à Deo ea condi, euehi, & ſuſtineri; ac viciſſim ab eodem deiici ex alto, ac diſſipari. Nec eas viciſſitudines mutationum, quæ accidunt Imperiis effloreſcentibus, aut fatiſcentibus, caſu euenire, ſed diuina diſpenſatione, propter antecedẽtes cauſſas. Ita autẽ extollit Imperia, ſi quos in hoc ſummo faſtigio collocat, ad gubernacula, eoſdem ornat etiam, armat, & punit potentia, & authoritate, ſicut dicitur in Pſalmo: Qui das ſalutem regibus.

Authoritas enim, ſeu maieſtas in principe, ſingulare donum Dei eſt, & comparatur quatuor rebus præcipuè, quæ & ipſę ſunt ſingularia dona Dei, ſapientia, virtute, felicitate, & beneuolentia, ſeu inclinatione animorum in populo. Ac virtutes quidem, maximè dignæ principe, ſunt: vera, & religioſa pietas erga Deum, quam præire, ac prælucere oportet cęteris: deinde iuſtitia, clemẽtia, ſedulitas in officiis vocationis, fortitudo, temperãtia, caſtitas, munificentia, veritas ἀρχὴ μεγάλων ἀρετῶν, de qua Salomon inquit: Miſericordia, & veritas cuſtodiunt regem, & clementia fulcitur thronus eius: At, ſecundum eundẽ, Principis mẽdacis, omnes ſunt miniſtri mendaces.

In Scipione, quanquã adoleſcente, authoritas tamen, & maieſtas tanta erat, vt in ſententiam pertraheret ſuam, maximam Senatus, & Nobilitatis Romanæ partem, periculoſiſſimo rerum ſtatu. Lucebant in eo ſapientia excellẽs, & virtus eximia, & felix erat vtraque: illa, in cõſulen-

do rebus deſperatis: hæc, in patria defendenda. Vndè apparebat, eum adiuuari diuinitùs. Incenduntur autem animi hominum, admiratione ſapientiæ, ac virtutis, & opinione præſentiæ Dei, ſeu auxilij diuini. Hæc, quanquam multum conducant ad authoritatem parandam, ac tuendam: tamen accedere oportet, & quartum Dei munus, nimirum inclinationem animorum diuinitùs factam, in populo; de qua dicitur in hiſtoria regum: Et abiit cum eo pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda. Item, Vt oculus videat, & auris audiat, Deus facit vtrumque.

Hæc eadẽ illuſtriora ſunt, & cõſpectiora in Dauide, qui cùm eſſet humili, & obſcuro loco natus, & puſilli corporis ſpecie, contemtus, atque inter greges ouium educatus, neque à ſe quicquam afferret tanto dignum faſtigio, regno tamen, magno populi ſtudio, potitus eſt. Tales ergo principes, ſi gubernacula teneãt, quib. authoritatem circumdat Deus ipſe; his, quibus dixi, nitentem fulcris, florent, & cõſiſtunt Imperia. Mediocritas etiam, in iiſdem, retinet, & tuetur Imperia, cum authoritate. Si contrà rerum potiãtur principes impij, ſtolidi, ignaui, iniuſti, rapaces, ſæui, mendaces, polluti ſceleribus, flagitiis, & libidinibus: aut, ſi cõmutata vitæ ratione, degenerent à ſemetipſis: &, ſi hęc vitia regnent etiam in ſubditis impunè, qui ferè ad exempla principum ſeſe componunt, præſertim ſi ita radices egerint, vt extirpari nequeant, amittitur authoritas, & ſequuntur pœnæ, quæ, mutationes accelerando, conſtitutos terminos, multis ſeculis, anteuertunt. Hęc ſcelera, vt dixi, non ſunt à Deo, ſed ab hoſte generis humani Diabolo, qui, vt teſtantur literę ſacrę, ſummis ordinibus infeſtius, aſtutiúſque inſidiatur, quàm aliis, quòd horum ſaluti, publicã vniuerſorum ſalutem incluſam eſſe, intelligit, & accedunt furores malorum hominum, quos occupat, & exagitat Diabolus.

Etſi autem magna Diaboli potentia eſt, apud impios præſertim, non mutantur tamen politiæ; niſi Deo volẽte; & ordinante: ac punit Deus omnium gentium peccata, mutationibus imperiorum, & vaſtationibus. Idem, cùm ſit agens liberrimum, vt ſe ad cauſſas ſecundas non alligat, ſic neque iis periodorum metis vincitur, aut aſtringitur, quas cõſtituit, ſed abrumpit aut prorogat, vel etiam variis mutationum vicib. interrumpit, cœptos curſus liberrimè, propter cauſſas poſitas, in poteſtate noſtra, quib. ipſi fata nobis cudimus, & accerſimus. Demõſtrat hoc Salomõ, cùm

inquit:

inquit: Propter iniuſtitiam transferuntur regna, de gente, ad gentem. Item, Propter delicta terræ, citò alij, poſt alios fiunt principes: Et propter virum prudentem, & intelligẽtem, durabilius eſt Imperium: Propter peccata ergo principum, & populi, nulli diu regnant, aut multi diſcordes regnant, quorum alij pellunt alios: aut prorſus deſtituuntur Imperia, & traduntur alienis, totis ſtirpibus exciſis, & gẽtib. deletis, regionibus deuaſtatis. Et de Tyrannis, quibus Deus metas conſtituit, vltra quas progredi nequeũt, Pſalmus inquit: Fient dies eius pauci. Ac ſæpe prædicitur: Ideo non dari ſalutares principes, vt puniantur peccata populi, cùm ingraueſcunt. Vt Eſaiæ tertio: Auferet Dominus bellatorem, & iudicem, & prophetam.

Iſt autem ferè initium mutationũ, & ruinæ, ab imprudẽtia principum, aut eorum, qui præſunt; cùm ſcilicet, aut per ſe ſtolidi, & amentes, non intelligunt gubernationem: aut recta, & ſalutaria monentibus, non obtemperant: ſed mordicus conceptas ſententias retinent, & exequuntur: aut pluris faciunt inſana, & exitioſa furioſorum hominũ, quàm prudentium recta, & moderata cõſilia. De his Pſalmus inquit: Fecit eos errare in inuio, & nõ in via. Et Eſaias Propheta ait: Dabo pueros principes eorũ. Semel turbatis conſiliis, multi deinceps ſequuntur errores, ſicut dicitur: Æger animus ſemper errat. Paulatim & virtus ipſa lãgueſit, & accedunt infelices impetus animorum, & actiones infelices, vt moueantur res non neceſſariæ, & attrahantur certamina maiora viribus, quibus authores ſuccumbunt. Extant, in hanc ſententiam dulces, & elegantes verſus, in oratione Lycurgi, contra Leocratem:

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά,
Τούτῳ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει.
Γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει. id eſt,
Iratus ad pœnam Deus ſi quos trahit,
Auferre mentem talibus primùm ſolet,
Caliginémq; offundit, vt ruant ſuas
Furenter in clades, ſibi quas noxiis
Accerſiuerunt vltro conſiliis malis.

Et Lucani verſus noti ſunt:
Hoc placet, ô ſuperi, cùm vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen:
Cladibus irruimus, nociturá que poſcimus arma.
alia cùm fiunt, labefactatur autoritas, aliter iudicat.

conſenſus bonorum, aliò inclinant animi, quàm antea. Mutatur verò, & cum aduerſitate fortunæ beneuolentia populi, & creſcit contemtus, ac per ſe regum, atque gubernatorum degenerum, quando tendunt ad interitum, prima pœna eſt authoritatis amiſsio, de qua dicitur in Pſalmo: Effuſus eſt & contemtus ſuper principes. Ingraueſcentibus his, ruina propinqua eſt. Nec de ſingulis tantùm regibus, aut principibus, ſed de totis etiam, hæc intelligantur regnis, rebuſpub. & politiis.

Peccata verò, propter quæ mutantur imperia pœnis, & cladibus publicis, tria, in doctrina ſacra, indicantur maximè inſignia, quæ magna ex parte concurrunt, atque coniunguntur: Nimirum ἀσέβεια, ἀδικία, & ἀσέλγεια. Impietas, Eccleſiam: Iniuſtitia, politias, & communem generis humani ſocietatem: Luxuria, œconomias turbat, aut vaſtat, corrupta propagatione familiarum, adulterino ſemine. Sed & ſingulorum detrimenta redũdant in vniuerſas. Domeſticæ diſciplinæ vitia, penetrant in rempub. reipub. vitia viciſſim in domos ſingulorum: Et contagia vtriuſque corripiunt Eccleſiam. Sicut è conuerſo, labaſcente Eccleſiaſtica diſciplina, collabũtur cæteræ. Pietate enim extincta, frigeſcit ſtudium honeſtatis, & virtutum. Ac ferè perpetuò idololatriam omnem, comitantur fœdæ commixtiones libidinum, vel Pauli Apoſtoli teſtimonio, ad Romanos. Et viciſſim commixtiones, aut illegitimæ, aut promiſcuæ, & libidinoſæ gentium, quæ religionibus diſcrepant, pariunt earundem confuſiones.

De Heliaca vrbe noti ſunt verſus:

Ἦλις καὶ μεθύει καὶ ψεύδεται· οἷος ἑκάστου
Οἶκος, τοίη μὲν καὶ ξυνάπασα πόλις.

Heliaca vrbs ſimul eſt mendax atque ebria: talis
Tota vrbs eſt, domus vt qualibet eſſe ſolet.

Et in politiis vſitatum eſt, vt gubernatorum mores imitentur, & effingant ſubditi: πέφυκε γὰρ ὡς ἀεὶ πρὸς τὰς γνώμας τῶν ἀρχόντων ἐκτυποῦσθαι τὸ ὑποχείριον. Ἀσεβείας nomine vtrumque complector extremum: Cùm δεισιδαιμονίαν, quæ, ſuperſtitione ſua, ſibi comminiſcitur, ac fabricat numina, ac ſuos inſtituit cultus, contra interdicta diuina, vnde εἰδωλομανίαι exiſtunt: & ὑπόκρισιν, ſimulato religionis zelo, corrumpentem rectè tradita malitioſè. Tum βεβηλότητα, Epicureo contemptu, ridentem Deum, atque aſpernantem religiones omnes pariter, tanquam fabellas aniles, aut commenta inania, otioſorum hominum, excogitata ad terren-

terrendos homines.

Ἀδικίαν cum nomino, vniuerſalem iniuſtitiam ſignifico, qua non tantùm tyrannidem & rapacitatem ſuperiorum, ac cæterorum ordinum inter ſe fraudes, ſycophantias, cōtumelias, iniurias, latrocinia, direptiones, deniq; ὕβριν omnem, ſed & negligentiam magiſtratuum ac ſingulorū intelligo, in tuenda diſciplina, colendíſque officiis, pertinentibus ad conſeruationem publicæ tranquillitatis, & in operibus vocationis.

Ἀσελγείας nomen ex ἄγαν καὶ ἄλγος factum, abuſum ſignificat voluptatum omnis generis, non tantùm ad tædiū, nauſeam & faſtidium, ſed & vſque ad eneruatæ ac fractæ naturæ languorem dolorémque, complectens libidines, helluationes & luxuriam omnem.

Hæc ſunt peccata, quæ abominatur Dominus, propter quæ, fame, peſte, bellis, incendiis, exundationibus, terræ motibus, diſſipat, abſumit, delet totas vrbes, familias, gentes, regiones, reſpub. regna, & monarchias: Has clades publicas, quandoque præuiis in natura ſignis portendit ac prænunciat, vt ſint conciones de ira Dei, & aliquos reuocent ad pœnitentiam. Atque eam ob cauſſam pœnas differt, concedens ſpatium ad reſipiſcendum, vt aliqui ſeruentur. Quapropter ſi non protinus ſequantur pœnæ, nec cuncta vno deleantur impetu, id tribuamus miſericordiæ diuinæ, ſicut ſonat dictum Ieremię, Miſericordię Domini, quod non conſumti ſumus.

Cùm ergo cauſſas periodorum & mutationum in imperiis quærimus, non procul vagemur animis, nec ad ſidera euolemus: (etſi nec aſtrorum vim, vt ſecundarum cauſſarum quib. tanquam mediis vtitur Deus, nec quę proponuntur, oſtenta portentáq; contemni vult) ſed quid in eccleſia, politiis & œconomiis fiat, conſideremus. Si regnant in eccleſia falſæ, impię, fanaticæ, blaſphemæ opiniones, aut idola, & conflictantur inter ſe docentes: ſi in politiis impunè graſſantur tyrannides, ſeditiones, latrocinia, impoſturæ, fraudes, & licet cuilibet quod libet: ſi diſſident coniuges, & vagis ac prohibitis libidinibus impunè contaminantur œconomiæ, & adulterantur familiæ: non dubitemus impendere triſtes, atroces & propinquas pœnas.

Contra, ſi in eccleſiis bene conſtitutis ſonet & exaudiatur pura & incorrupta vox euangelij, legitimè adminiſtrentur ſacramenta, & Deus rectè inuocetur, ſi celebrētur honeſti congreſſus in templis religionis cauſſa, & co-

lantur ac exerceantur in ſcholis ſtudia pietatis & literarum: ſi magiſtratus debita cura tueantur leges, iudicia, diſciplinam: ſubditi obtemperent, ſint concordes, quærant victum honeſtis artibus quibus vitæ opus eſt, cultura agrorum, mercatura, opificiis, ædificent ac muniant vrbes aduerſus latrocinia: & magiſtratuum ac ſubditorum voluntates ſpectent ad hunc finem, vt in hac ſocietate Deus rectè colatur præceptis diuinitus non fictæ obedientiæ officiis, vt ſingulis bene ſit: ac ſi propter has cauſſas patriam communi animo & conſilio defendant. Denique ſi in domeſtica conſuetudine vitæ mariti & vxores ſe caſto, ſinceróque amore mutuo complectantur, certent inter ſe officiis mutuæ beneuolentiæ, colloquantur de Deo, rectè educent & inſtituant ſobolem aſſuefactam ad agnitionem Dei & inuocationem, & ad literarum ac virtutum amorem & cultum, ſi grauiter regant familiam, & inuocent vniuerſi vna voce Deum, communicatíſque inter ſe fideliter conſiliis & operis conſtituant & adminiſtrent res domeſticas: talem politiam neceſſe eſt diu beatam manere ac florentem.

Hæc de toto ordine politico, de imperiis, imperiorum cauſſis, periodis & mutationib. præfari volui, quod huius libri veſtibulo argumentum nullum aliud videretur eſſe cõuenientius, quod velut exegeſis eſt eorum, quæ hîc diſputãtur, & eadem infinita varietate exẽplorum illuſtrat. Mouit me & præſentium exemplorum conſpectus atque conſideratio. Pleraque enim orbis Chriſtiani regna propemodum ad periodorum ſuarum decurrerũt metas, Germanicum, Francicũ, Pannonicum, Polonicum. Idcirco & nutant omnia & minitantur ruinã. Cum autem nõ dubia ſigna oſtendant appetere nouiſſimos dies, quos glorioſiſſimum reditum ſuum anteceſſuros prædixit Redemptor generis humani filius Dei, confido hunc Ducem populi ſui & Emanuelem noſtrum, & regnis ipſis & iis mutationibus atque calamitatibus, quæ impendent vndique, exoptatum & lætum finem aduentu ſuo allaturũ, & præreptos nos his malis ad vitam & lætitiam cœleſtem tranſlaturũ eſſe. Hanc noſtri liberationem vt acceleres, & interea eccleſiæ tuæ calamitates, ærumnas, exilia, parricidia, immanes lanienas vt mitiges, te Fili Dei λόγε καὶ εἰκὼν ἀιδίε τῦ ἀϊδίε πατρὸς ardentiſſimo precor pectore.

Tuę autem celſitudini, illuſtriſſime princeps, dux Saxoniæ elector, domine & benefactor clementiſſime, hanc

chronici

chronici in vnum volumē coniunctam editionem dedicare, & ſub auguſto nomine tuo poſteritati commendare atque conſecrare volui, nō eo tantum quod celſitudo tua lectione & commemoratione veterum ac recētium hiſtoriarum mirificè delectatur, quam laudem celſitudo tua communem habet cùm omnium ætatum & gētium viris heroicis, ſed multò magis alteram ob cauſſam, vt extet ad omnem poſteritatem teſtimonium pietatis, ſapientię, rectorum & ſalutarium conſiliorum, virtutum & gubernationis tuæ. Publicarum occupationum, quæ ſpectarunt & quæſiuerunt cōſeruationem ſinceritatis in repurgata doctrina euangelij atque conſenſum de hac, & leges honeſtæ ac ſeuerioris diſciplinę in eccleſia & politia: documenta ſunt academiæ & ſcholæ, pietatis & omnium harū artium ac diſciplinarum communi vitę neceſſariarum, ſtudiis, & illuſtriſſimæ munificentię tuę beneficiis florentes. Eccleſiæ de doctrina puriore inter ſe conſentientes, & vna voce, vna fide, vno ſpiritu Deum in agnitione & fiducia filij vnigeniti Domini noſtri Ieſu Chriſti inuocantes. Iudicia tam eccleſiaſtica quàm politica ordine conuenientiſſimo & ſanctiſſimis atque grauiſſimis legibus conſtituta. Exēpla quotidiana, iuſtæ, moderatæ, & vbi res exigit, etiam quadam ſeueritate exaſperatæ, & vniuerſim ad ſalutem & quietem publicam attemperatæ diſciplinæ.

Priuatam vitam, omnem, quantum huic ocij conceſsit adminiſtratio difficilis, laborioſæ, & propter ſeculi mores ac temporum fata etiam periculoſæ gubernationis, quæ ſibi vendicarint & vendicent ſtudia, oſtēdunt omnis generis monumenta priuata, præclara ſcilicet & elaborata in ſummis ac difficillimis artibus opera, de quibus conteſtari nos deceat, qui explorata illa habemus, diſsimulare non poſſim, non cognouiſſe me quemquam, cui in ocio, plus negotij, minus quietis fuerit, & qui indeſinenti atque indefeſſo ſtudio plura complexus ſit atq; elaborarit. Inter quæ cum & hiſtorica ſint, de impenſa his etiam opera extare ad poſteritatem, hoc argumentum dedicationis publicę volui, quod vt gratū acceptúmq; tua celſitudo habeat, ea qua poſsū ac debeo animi ſubiectione peto. Nomen chronici Carionis retinui, quod mutare illud autor primus ſanctæ beatæque memoriæ Philippus Melanchthon ſocer meus noluit. Occaſio nominis huius inde extitit, quod cùm Iohannes Carion mathematicus ante annos quadraginta cœpiſſet contexere chronicum, &

recognoſcendum illud atque emendandum, priuſquam prelo ſubiiceretur, miſiſſet ad Philippum Melanchthonem, hic, quod parum probaretur, totum aboleuit vna litura, alio conſcripto, cui tamen Carionis nomen præfixit: ſed & hoc cùm retexiſſet, amici nomen & memoriam, à cuius primordiis ἀφορμὴ prima chronici contexendi nata atque profecta eſſet, titulo poſteritati commendare voluit. Quæ deſunt, peculiari volumine deſcripta, & quantum omnino fieri poteſt, optima fide integrè explicata, Deo adiuuante, edemus ſeorſum, de quibus vera exploratáque nos edituros profiteri ac polliceri poſſumus. Commendo autem celſitud. tuam & totam illuſtriſſimam domum, eccleſias, politias, œconomias, ſcholas harum terrarum miſericordi ac propitio Deo, veris & ardẽtibus gemitibus ſuppliciter orans, vt ipſe omnium noſtrum miſereatur, & ingentes tempeſtates publicarum cladium & calamitatum, quæ ex omni parte orbem Chriſtianum videntur inuoluturæ eſſe & oppreſſuræ, diſcutiat ac depellat, & confirmet celſitudini tuæ vires animi & corporis, vt diu his terris ſuperſit, benedicat poſtritati celſitudinis tuę, vt fiat longæua, beata, florens, & colligat ſibi inter nos & in his regionibus æternam eccleſiam celebraturam ipſum in omni æternitate. Datæ XVIII. Cal. Octobris, ANNO M.D.LXXII.

Celſitudini tuæ

ſubiectiſſimus

Caſpar Peucerus D.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI, ET DOmino, Domino Sigiſmundo, Archiepiſcopo Meideburgenſi, Primati Germaniæ, Adminiſtratori Halberſtatenſi, Marchioni Brandeburgenſi, Duci Pomeraniæ, &c. & Burggrauio Noribergenſi, &c. Principi clementiſſimo, S.D.

EXcelluit ingenio, eruditione, conſilio & virtute Hermannus Bonus, qui in inclyta vrbe Lubeca & doctrinæ ſtudia rexit, & euangelium docuit. Is ante annos viginti Germanicum libellum, cui titulus eſt Chronicon Carionis, vt adoleſcentia inuitaretur ad hiſtoriarum lectionem, & illo compendio nonnihil adiuuaretur, in quo monarchiarum ſeriem & temporum collationem in præcipuis eccleſiæ, veteris Græciæ, & Romæ negotiis probauit, Latinè interpretatus eſt. Eam interpretationem cùm poſtea viderem non ſolùm in manibus eſſe adoleſcentum, ſed etiam vagari per exteras nationes, retexendam eſſe iudicaui, nõ tam vt augerem (etſi enim quædam addidi, tamen compendij modus ſeruandus eſt) quam vt phraſin Germanicam, quam interpres ſuo quodam conſilio ſtudioſius retinuerat, cùm quidem facundus & diſertus eſſet, propter adoleſcentes exteros mutarem. Nec alia cauſſa fuit, cur hunc laborem ſuſceperim. Vt enim lectio ametur, intelligi orationem oportet.

Cùm autem prima editio illuſtriſsimo principi electori patri tuo dedicata ſit, ne transferre munus in aliam familiam viderer, filio dedicare hanc editionem volui, quia patrem ipſum, cui iam hiſtoria eccleſiæ & imperiorum notiſsima eſt, ſcio velle talia iam à filiis legi, & ſe viuo vos in poſſeſsionem doctrinæ venire. Cùm igitur non dubitem eum pro ſua excellenti ſapientia hanc noſtram inſcriptionem probaturum eſſe, te oro, vt hunc librum accipias, ac non tam meum, quàm paternum munus eſſe cogites, & propter patrem principem ſapientia, & virtute excellentem, magis ames, & legas ſæpius.

Eſt omnino neceſſaria ſingulis hominibus hiſtoriæ cognitio, ſed maximè gubernatoribus, quæ ſine temporum ſerie, ſine gentium diſtinctione, & non monſtrato imperiorum ordine, lucem non habet.

Sæpè audiui narrare Capnionem, cùm apud Philippum principem Palatinum electorem eſſent Dalburgius epiſcopus Vangionum, Rudolphus Agricola, & ipſe, & non ſolùm in familiaribus colloquiis, ſed etiam in deliberationibus de repub. ſæpè narrarent inſignia exempla, vel Perſica, vel Græca, vel Romana, mirificè accenſum eſſe principem ſtudio cognoſcendæ hiſtoriæ, ſed dixiſſe, ſe animaduertere, diſtinctione temporum, gentium, & imperiorum opus eſſe, eámque ob cauſam petiuiſſe, vt ſibi ex tota antiquitate, quantum nota eſſet, ex Hebræis fontibus, & ex Græcis ac Latinis ſcriptoribus ordine contexerent monarchias, vt mente complecti tempora mundi, & ſeriem maximarum mutationum poſſet. Nulli tunc extabant ſcripti lingua Germanica libri de veteribus imperiis. Nec Latina præter Iuſtini confuſaneam epitomen, quæ tamen diſtinctione temporum caret, habebantur. Erat ocium tunc illis doctis viris, & hoc labore delectabantur. Ordine igitur ex Hebræis, Græcis & Latinis monumentis monarchias recenſent, & maximè digna memoria ſuo loco adhibita temporum & gentium diſtinctione inſerunt. Legit auidiſsimè id ſcriptum

ptum princeps ingenioſus, ſéque lætari dicebat, diuinitus conſeruatam eſſe temporum ſeriem, & rerum præcipuarum memoriam. Oſtenderant enim ei continuatam eſſe mundi hiſtoriam ita, vt Herodotus inchoet ſuas narrationes paulò ante finem propheticæ hiſtoriæ. Nam & ante regnum Perſicum, de quo narrationes luculentæ extant in Daniele, Eſdra & Nehemia, regum Aſſyriorum, & AEgyptiorum aliquot nomina ſunt eadem in prophetis & Herodoto. Apryi prædicit exitium Ieremias, quod deſcribit Herodotus. Poſtquam Ieremiam interfecit Apryes, poſtea Amaſis captum regem ſuperbum ſtrangulat. Agnoſcere ſe etiam princeps Palatinus dicebat teſtimonia præſentiæ Dei in conſtitutione monarchiarum, quia ſolis humanis viribus conſtitui & retineri non potuerint, & eo diuinitus conſtitutæ ſint, vt eſſent cuſtodes humanæ ſocietatis, coniungerent multas gentes, reſtituerent leges, iudicia, pacem, vt docere homines de Deo poſſent. Sæpè igitur repetebat Danielis verba: Deus imperia transfert & ſtabilit. Mutationibus etiam & tyrannorum pœnis dicebat conſpici iudicium Dei, & moneri totum genus humanum illuſtribus exemplis, vt agnoſcat Deum, ſciat ordinaſſe eum & velle iuſta, & verè iraſci violantibus ipſius ordinem. Tales erant eius principis ſermones, conſiderantis ordine imperiorum incrementa & ruinas.

Etſi autem neceſſe eſt iunioribus initiò proponi talia compendia, tamen cùm accedit ætas, legendi ſunt fontes & hiſtoriæ, quæ extant ſapienter ſcriptæ, cognoſcendæ ſunt integræ, quantum fieri poteſt. Eſt omnino excellentis ſapientiæ & eloquentiæ opus hiſtoriam rectè ſcribere. Sed ſapientia eſt etiam lectori neceſſaria conſiderare, quæ commonefactiones ex hiſtoriis ſumendæ ſint, de quibus hæc regula tenenda eſt: Sit vitæ norma Decalogus, id eſt, lex Dei, ſicut ſcriptum eſt: In præceptis meis ambulate. Poſtea hiſtorias ſciamus legum exempla eſſe, ac monſtrare pœnas atrocium ſcelerum, & liberationes iuſtorum. Ac in vtriſque non tã-

tum euentus intueamur, ſed Dei præſentiam cogitemus; qui ſui ordinis cuſtos eſt.

Hiſtoriæ ethnicæ magis proponunt exempla ſecundæ tabulæ Decalogi, quorum multa pertinent ad præceptum, Non occides ad quod & hæc regula pertinet: Omnis qui gladium acceperit, videlicet non datum à legibus, gladio peribit. Quàm multi tyranni, quàm multæ gentes pœnas dederunt, iuxta hanc regulam: Mouit Annibal non neceſſarium & iniuſtum bellum. Etſi autem vtrinque magnæ clades acceptæ ſunt (nam bella communes pœnæ ſunt vtriuſque partis) tamen Romani vincunt tandem. Plenæ ſunt hiſtoriæ talium exemplorum. Et in hoc genere multa errata accidunt. Brutus & Caßius exiſtimant ſe iuſtam habere cauſſam interficiendi Iulij: Piſo, Marius & multi ſapientes contrarium iudicarunt: Et lex diuina inquit: Qui poteſtati reſiſtunt, incident in pœnas. Monent igitur hiſtoriæ, vt rectè iudicetur, quod cum in rebus obſcuris difficile ſit, diligentia adhibenda eſt, & à Deo conſilium petendum eſt & non neceſſaria in magnis rebus non ſunt tentanda.

Multa exempla pertinent ad præceptum, Non mœchaberis: cui lex addit comminationem, Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Sæpe igitur propter libidinum confuſiones totæ gentes deletæ ſunt. Sodoma, Thebæ, Troia. Contra Dauidem horrenda ſeditio mota eſt à filio, trucidata multa millia ciuium, contaminatæ ſanctæ matronæ. Eſt & vrbe Roma ſtirps regia expulſa. Et in conſpectu ſunt exempla quotidiana. Vagantur pœnæ per regum, principum & priuatorum familias propter adulteria & inceſtas contaminationes.

Multa exempla pertinent ad præceptum, Non furtum facies: cui præcepto addita eſt comminatio, Væ qui ſpolias, quia ſpoliaberis. Creſphontes defraudatis orphanis fallaci ſorti-

ſortitione occupauit Meſſenen. Poſtea ciues eum interfecerunt, & coniunx Merope furens filios interfecit. Hæc pœna fuit fraude occupati alieni regni deceptis orphanis.

Hæc eò dixi, vt exempla ad regulas prudenter accommodentur, & cogitemus legem Dei normam vitæ eſſe oportere, & exempla pœnarum ad comminationes diuinas congruere. Nihil dubium eſt pœnas in hac vita mortali comitari atrocia delicta, etiamſi mitigantur iis, qui ad Deum redeunt.

Deinde quantus vſus chronicorum & hiſtoriæ in doctrina primæ tabulæ Decalogi? Neceſſe eſt ſcire ſeriem patefactionum diuinarum, legis & promiſsionis gratiæ. Neceſſe eſt conſiderari, quæ & vbi ſemper vera eccleſia Dei fuerit, quæ fuerit vox veræ doctrinæ, quàm horrendæ tenebræ fuerint, & ſint in maxima multitudine hominum, qui diſceſſerunt à vero Deo, & à vera doctrina, & furenter excogitarunt commentitia numina.

Oſtendunt etiam hiſtoriæ ærumnas eccleſiæ, & teſtimonia præſentiæ Dei in liberationibus. Ac ſapienter accommodanda ſunt exempla ad primam tabulam, quomodo tolerandæ ſint ærumnæ, & quomodo petenda & expectanda ſit liberatio. Semper certa ſit ſpes ſalutis æternæ, etiamſi in hac vita mortali magnis calamitatibus opprimitur. Mitigantur tamen hæ quoque rectè inuocantibus, vt Dauidi, Ioſaphat, Ezechiæ, Manaſſæ, & aliis innumerabilibus, quorum exempla congruunt ad regulas: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, & vt vermiculus, eritis candidi vt nix. Vt enim exemplis rectè vti poſsimus, ſimul & regulas oportet notas eſſe.

Iam de controuerſiis eccleſiæ, quantum refert ſcire veteres diiudicationes, qui fuerint teſtes veræ ſententiæ, quæ fuerint hoſtium agmina? Quàm dulce eſt videre conſenſum Irenæi, Gregorij Neocæſarienſis, & ſimilium veterum περὶ λόγου, qui anteceſſerunt ſynodum Nicenam, ſicut & Ignatius ſcribit ſæpe repetens hæc verba, θεὸς λόγος, &, λόγος οὐσιώδης, non ſonus euaneſcens. Et Alexander epiſcopus Alexandrinus, qui refutationem Arij ſcripſit ante Nicenam ſynodum, teſtimonia ſuperiorum temporum recenſet, & inter cætera inquit: ἡ ἀπ᾽ ἀρχῆς ἐπαναστᾶσα τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐσεβείᾳ, διδασκαλία, ἐβιωνός ἐστι καὶ Ἀρθεμᾶ, καὶ ζῆλος τοῦ κατ᾽ Ἀντιόχειαν Παύλου τοῦ Σαμοσατέως συνόδῳ καὶ κρίσει τῶν ἁπανταχοῦ ἐπισκόπων ἀποκηρυχθέντος τῆς ἐκκλησίας. *Hæc omnia, ſi non extarent hiſtoriæ, prorſus ignota eſſent, ac ne hoc quidem ſciretur, quæ prior, quæ poſterior ſit doctrina, quod cõſiderari neceſſe eſt, quia non contemnendum eſt Tertulliani dictum: Primum quodque veriſſimum eſt.*

Cum Miletius ſeditionem in eccleſia Alexandrina moueret, de lapſis non recipiendis, qui ſupplices ad eccleſiam redire volebant. Petrus epiſcopus exempla vetuſtatis oppoſuit: & vera conſolatione erexit eos, qui ad veram inuocationem redituri erant. Eius iudicij memoriam gratam eſſe piis contra Nouati rabiem manifeſtum eſt. Extant & vera teſtimonia contra Marcionem, Manichæos, & Pelagianos edita, in quibus multum ab hiſtoria adiuuamur.

Nec tantùm prodeſt videre, vbi rectè iudicatum ſit, ſed etiam vbi veritas hypocritarum factionibus oppreſſa ſit. Quia interdum hoc quoque accidit: Vt cùm falſa decreta facta ſunt, quæ Romano pontifici tribuunt ſummam authoritatem, non ſolùm in eccleſia, ſed etiam in transferendis imperiis mundi. Item de adoratione hominum mortuorum, de circumgeſtatione panis in pompa Perſica, de ſacrificio venali, de cœlibatu. Hæc decreta etſi aliquot ſeculorum ſpaciis confirmata ſunt (vt propter temporum longitudinem ſit illud Simonideum δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν)

Sx α') tamen deprehenditur vanitas non ſolùm ex ſcriptis propheticis & apoſtolicis , ſed etiam ex conſenſu purioris antiquitatis, quem hiſtoriæ dignæ fide oſtendunt ab hac recenti turba pontificum & monachorum diſſentire. Semper autem in exemplis anteferenda ſunt ea, quæ cum norma iudicij congruunt , videlicet cum ſcriptis propheticis & apoſtolicis , iuxta dictum: Si quis aliud euangelium docet, anathema ſit.

Conſiderentur autem præcipuè in hiſtoria eccleſiæ ſemina vtriuſque imperij huius ſenectæ mundi, mahometici & pontificij. Vtrumque ortum eſt ex diſſidiis de doctrina. Cum in oriente dilaceratæ eſſent eccleſiæ , non tantùm Ariana peſte, ſed etiam Manichæis & aliis furoribus, & hæc varietas in multorum animis dubitationes & odium religionis Chriſtianæ & nominis Chriſtiani accenderet , & diſciplina laxata eſſet, facilè impelli homines potuerunt, vt nouum dogma , quod obſcuras diſputationes tollebat , & tantùm plauſibilia humanis iudiciis proponebat, amplecterentur , præſertim vim & imperium Romanum multæ gentes iam & odiſſent & contemnerent , auidè arripuerunt illæ gentes, alioqui & curioſæ & leues, Ægyptia, Arabica, Syriaca, opiniones populares, & authorem Mahometum armauerunt.

Præcipuè verò potentia Romani pontificis creuit, quum attracti ſunt Franci in Italiam, quod fiebat Græcorum odio non quidem iniuſto. Nam & iniuſta eorum Imperia erant, & vires non erant pares iis gentibus, quæ Italiam vaſtabant , ſed tamen alia cauſa prætexebatur , accuſabantur Græci quod delerent picturas & ſtatuas templorum. Sciebant autem Romani pontifices, valde abhorrere Gallorum & Germanorum animos ab εἰκονομαχία, quare facilè perſuadebant noſtris , vt Græcos tanquam religionis hoſtes procul ex Italia depellerent. Poſtea propter regum diſcordias creuit pontificum authoritas , qui Italiam inclinabant ad quos volebant. In his confuſionibus tandem nati

ſunt monachi, quorum auaritia cumulauit idola & errores.

Harum rerum ſeries cùm in hiſtoria conſpicitur, accendatur in nobis cura rectè diſcendi, & tuendæ coniunctionis in vera eccleſia. Quam ad rem etiam opus eſt candore & moderatione diſputationum & affectuum. Quia non ſine graui cauſſa Platonicum illud celebratum eſt, τὰ μεγάλα κακὰ ὐκ ἄλλως, ἢ ἐκ φιλονεικίας συνίσαται.

Oro autem Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, vt ſemper eccleſiam ſibi inter nos colligat. Horribilis mutatio omniū regnorum generi humano impendet, in qua barbaricam vaſtitatem fieri in his regionibus Filius Dei prohibeat. Nos etiam pietate morum & inuocatione Dei ſtudeamus impetrare pœnarum mitigationum. Et diligentiam in ſtudiis doctrinæ & in fouendis eccleſiis adhibeamus, ne triſtiſsima pœna obruamur, de qua ſcriptum eſt: Quia ſcientiam repuliſti, repellam te. Creſcit feritas in moribus, negliguntur doctrinæ ſtudia, & ducitur eſſe virtus laxare diſciplinam. His publicis malis omnes gubernatores ſummi & infimi repugnare debent. Cúmque nos, quibus doctrinæ propagatio commendata eſt, iuuentuti hortatores eſſe debeamus ad rectè diſcendum, & ad omnia honeſta officia auxiliis gubernatorum indigeamus, oro, vt boni principes & alij gubernatores conſiderent ſingulorum labores, & rectè docentes & amantes communem ſalutem & concordiam adiuuent. Ego quidem hac voce Paulina, & me & alios in his docendi laboribus ſæpè confirmo: Non erit inanis labor veſter in Domino. Non dubito Deum gubernatorem & βραβευτὴν *eſſe noſtrorum laborum, & eum aſsiduis gemitibus & votis oro, vt faciat me* σκεῦος ἐλέους, *& organum vtile diſcentibus: & huius meæ voluntatis conſcientiam oppono ſycophantarum crudelitati, & ſpero ſapientum & bonorum iudicia de me eſſe mitiora, quàm ſunt inimicorum. Lætabor*

bor etiam, ſi tibi & aliis iunioribus huius libri lectionem gratam fuiſſe intellexero. Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus te protegat & gubernet. Anno M.D.LVIII.

PHILIPPVS MELANCHTHON.

CHRONICI CARIONICI CAPITVM, INDEX.

I. PARS.

Melanchthonis præfatio, de vtilitate hiſtoriæ pag. 1.
De ordine libri 6
Chronicorum partitio 7
Annorum ſeries ex Philone 10

LIBER PRIMVS,

Complectens ea quæ diluuium præceſſerunt 12
Diluuium 18
Filij Sem, & Chami poſteritas 19
Poſteritas Iaphet 22
Filij Gomer 24
Abrahæ ſtemma 28
De Monarchiis 29

LIBER SECVNDVS,

Seu prima Monarchia Aſſyriorum 30
De Abraham & de circumciſione 34
Pœna Sodomæ 35
Ioſephi hiſtoria 36
Exitus Iſraelitarum ex AEgypto 38
Reges AEgyptij 40

Iu-

Iudices populi Iſraelitici 43
Regni Iudaici conſtitutio, & reges tum Iudæ tum Iſraëlis 46
De regno Samariæ 59
Græcæ hiſtoriæ quæ ad tempus primæ monarchiæ pertinent 60
De bello Troiano 61
De veteri doctrina Ionum, Atticorum & vicinorum: de Sibyllis, Atlante, Orione, Lino, Orpheo, Muſeo, Homero, Heſiodo 62
Initium vrbis Romæ 65
Secunda Monarchia *Perſarum, quorum reges deſcribuntur* 67
De Cyro primo rege Perſico 68
De Eccleſia 73
Studia doctrinarum in Græcia 76
De Solone 77
Cambyſes, ſecundus rex Perſarum 78
Darius, tertius rex 79
Xerxes quartus rex 83
De bello Xerxis 84
Artaxerxes Longimanus, quintus rex 89
Res Græcæ & Romanæ 90
Darius Nothus ſextus rex 91
Artaxerxes Mnemon, rex ſeptimus 92
Res Græcæ 93
Captæ Athenæ à Lyſandro 96
De triginta tyrannis 97
De Thraſybulo & ἀμνηστία 99
Imperium Laconicum 100
Epaminondas 106
Res Romanæ 108
Artaxerxes Ochus Perſarum rex Octauus 110
Res & Reges Macedoniæ 111
Arſames, nonus rex Perſ. 115

Alexander Magnus 117
Darius vltimus rex Perſarum 118
De AEgypto 121
Prælium ad Arbela 122
Tertia Monarchia Græcorum 113
De ſucceſſoribus Alexandri 126
Bellum Lamiacum 127
De Caſſandro 129
De Antigono 130
Antigoni poſteri 131
Reges Syriaci 132
Reges AEgyptij poſt Alexandrum 139
Duces Iudæorum poſt reditum ex Babylone 142
Poſt Alexandrum 143
Series principum & regum, qui ex Maccab. orti ſunt 144
Secta Iudaicæ 145
Reges ex familia Maccab. 148
Herodis poſteritas 149
Bella Romana tempore tertiæ monarchiæ 151
De tempore inter primum bellum Punicum & ſecundum 153
De Arato Sicyonio 154
De ſecundo bello Punico 156
De bellis Macedonicis 159
Tertium Punicum bellum 162
Excidium Numantiæ vrbis 164
De bello Achaico 167
Cimbricum bellum 168
Bellum ſociale & bella ciuilia poſt Cimbricum bellum 172
Bellum ciuile geſtum ducibus Pompeio & C. Iulio Cæſare 175
De Iudæa & de eccleſia 182

II. PARS.

LIBER TERTIVS.

Quarta Monarchia Romanorum 192
Auguſtus Cæſar 193
De Harminio duce Cheruſcorum 194
Tiberius 198
Pauli Apoſtoli curriculum 200
Catalogus annorum Pauli 202
Caius Caligula 204
Claudius ibid.
Domitius Nero 206
Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus 209
Titus Veſpaſianus 211
Domitianus ibid.
De Eccleſia eius temporis 213
Nerua 215
Traianus 216
Adrianus 218
Antoninus Pius 220
M. Antoninus Philoſophus ibid.
Commodus 224
Pertinax 225
Didius Iulianus 226
Seuerus ibid.
De Origene veteris eccleſiæ Theologo 229
Antoninus Baßianus 230
Popilius Macrinus 231
Varius Heliogabalus 233
Alexander Seuerus ibid.
Maximinus 235

Gordianus tertius 236
Philippus Arabs 237
Decius ibid.
Valerianus 238
Gallienus 240
Flauius Claudius 242
Valerianus Aurelianus 243
De Eccleſia, atque de hareſi Manichaorum & P.Samoſateni 244
Tacitus 250
Valerius Probus 251
Carus Narbonenſis 252
Diocletianus 253
Conſtantinus Magnus 257
An Conſtantinus vrbem Romam & Occidentis imperium Romano epiſcopo dederit 260
De Nicena ſynodo 263
Conſtans Conſtantini filius 269
Conſtantius 270
Eccleſia certamina poſt mortem Conſtantini Magni 271
Iulianus apoſtata 277
De temploDelphico 279
Iouinianus 280
Valentinianus primus 281
Saxones ibid.
Gratianus 283
Theodoſius 285
De eccleſia eius temporis 287
Arcadius 293
Honorius 296
Theodoſius ſecundus 299
Valentinianus 300
De Eccleſia 302
De Synodo Epheſina 306

De

De Cretenſi Moſe 309
Martianus 310
Quo tempore ſit condita vrbs Veneta in ſinu maris Adriatici 314
De Synodo Chalcedonenſi 315
Vandalorum ſæuitia in Africa 317
Vandalorum reges 318
Leo magnus 320
Zeno 322
Gottorum reges in Italia 323
Narſis bella in Italia 329
Anaſtaſius 332
Iuſtinus 333
Iuſtinianus 334
eccleſia 338
De Iuſtinus II. 341
Longobardorum reges 342
De Exarchis 349
Tiberius 352
Mauricius Cappadox ibid.
Phocax 357
Heraclius 358
De Mahometi ſecta & regno 359
Conſtans 367
Conſtantinus ibid.
Iuſtinianus 368
Philippus Bardanes 369
Artemius 370
Leo Iſaurus ibid.
Conſtantinus Copronymus 374
Leo Copronymi F. 376
Irene ibid.
De Eccleſiæ ſtatu 378

LIBER QVARTVS.

Populorum migrationes & ſedes, præſertim in Germania 387
Carolus Magnus 421
Ludouicus Pius 438
Lotharius 441
Ludouicus ſecundus 444
Carolus Caluus 445
Ludouicus tertius 447
Carolus iunior, cognomento Craſſus 448
Arnolphus 450
Ludouicus quartus 454
Conradus primus 456
De rebus Eccleſiæ 458
Imperatores Orientis 467
Nicephorus 471
Michael Curopalates 472
Leo Armenius ibid.
Michael Balbus Amorrhæus ibid.
Theophilus Balbi F. 473
Michael Theophili F. ibid.
Baſilius Macedo 475
Leo Philoſophus ibid.
Alexander 476
Conſtantinus Leonis Filius ibid.
Romanus iunior 477
De Turcorum origine 478
Primi Imperatores Turcici 481
Imperatores Occidentis ex ſtirpe VVidechindi Saxonis
Henricus Auceps 482

Otto

Otto primus 491
Otto ſecundus 501
Otto tertius 504
Henricus cognomento Sanctus & Claudus 520
Imperatores Orientis 524
Nicephorus Phocas 525
Ioannes Cimiſces ibid.
Baſilius Porphyrogenitus 526
Conſtantinus frater Baſilij 527
Romanus Argirus ibid.
Michael Paphlago 528
Michael Calaphates ibid.
Conſtantinus Monomachus 529
Michael Stratioticus 530
Iſaacius Comnenus 531
Conſtantius Ducas ibid.
Romanus Diogenes 532
Michael Parapinacius 533
Nicephor. Botoniates 534
Alexius Comnenus 534
De occupata à Normannis Sicilia 536
Imperatores Romani in Occidente ex Francis Orientalibus
Conradus ſecundus, cognomento Salicus 539
Henricus tertius, cognomento Niger 546
Henricus quartus, cognomento Senior 549
Henricus quintus, cognomento iunior 568
Lotharius Saxo 572
De rebus AEgyptiis & translato à Calyphis ad Sultanos regno 584
De ſuſcepta in Aſiam expeditione duce Godefrido Bilioneo, & de conſtituto regno Hieroſolymorum 590
Imperatores Orientis vſque ad Francos.
Calo-Ioannes Alexij Comneni filius 599

Manuel Comnenus 600
Alexius Comnenus 602
Andronicus Comnenus ibid.
Iſaacius Angelus 603
Alexius Angelus 605
Alexius Iunior 606
Imperatores Occidentis ex veterum Gibellinorum ſtirpe in Sueuia 607
Conradus tertius Franciæ & Sueuiæ Dux 613
Fridericus primus cognomento Barbaroſſa 618
Henricus Sextus 628
Philippus 631
Otto quartus, Henrici Leonis filius 635

LIBER QVINTVS.

Imperium Occidentis 650
De Eccleſia 662
Fridericus ſecundus 672
De ſtatu Imperij poſt Fridericum ſecundum: de interregno & Friderici poſteritate 686
De regibus Hiſpanicis 703
De Imperio Orientis 705
Imperatores Conſtantinopolitani ex Francis 707
Imperatores Conſtantinopolitani ex Laſcarinis 709
De Scythis, Tartaris 711
Imperatores Occidentis
Rodolphus Habsburgenſis 723
Adolphus Naſſauienſis 734
Albertus Auſtriacus 743
Henricus Septimus 749
Imperatores Orientis
Michael Palæologus 756
Andronicus Palæologus 758

Androni-

Andronicus Iunior 762
Ioannes Palæologus & Ioannes Cantacuzenus 763
Emanuel Palæologus 765
Ioannes Palæologus 768
Conſtantinus Palæologus vltimus ibid.
De rebus Turcicis 771
Ottomannus 775
Orchanes 777
Amurathes primus 778
Imperatores Occidentis
Ludouicus Bauarus, cui fuit oppoſitus aliquorum ſuffragiis Fridericus Auſtriacus Alberti filius 780
De Helueticis motibus 801
Carolus quartus, contra quem fuerunt electi Eduardus rex Angliæ, Fridericus Marchio Miſniæ, Gunterus comes Svvarceburgenſis 803
Wenceslaus, Caroli quarti filius 813
De Eccleſia 817
Iodocus Barbatus marchio Brandeburgi & Morauiæ 821
Rupertus Bauariæ Dux, Comes Palatinus ad Rhenum, imperij elector 822
Sigiſmundus 829
De Synodis Conſtantienſi & Baſilienſi 838
Albertus Auſtriacus 843
De Turcicis rebus, quibus miſcentur Scythicæ ſeu Tartaricæ, Perſicæ & Ægyptiæ
Baiazetes primus & Tamerlanes Scytha 851
Celebinus Baiazetis filius 855
Mahometes primus 857
Amurathes ſecundus 858
Mahometes ſecundus 864
Baiazetes ſecundus 871
Selimus Baiazetis filius 880

Imperatores Occidentis
Fridericus Tertius 889
Maximilianus I. 914
De Eccleſia 932

LIBER

[TABUL]A OSTENDENS QVO ORDINE LEGENDA, *& cognoſcenda ſit ſeries Hiſtoriarum Mundi.*

DEDICATA SCHOLASTICIS ACADEMIÆ WITEBERGENSIS.

[Hiſtoriæ ...]

- Aut vniuerſales, quæ totum [...] Eccleſiæ & Monarchiarum. Sunt ergo
  - Aut Eccleſiaſticæ, quæ præcipue tractant res Eccleſiaſticas [...] Monarchiarum, & regnorum negotia miſcent, quod fieri neceſſe eſt, cum Eccleſia non poſſit eſſe ſine politiis, & interdum ab Imperiis defendatur, interdum & quidem crebrius prematur. Eſt autem hiſtoria Eccleſiæ prima, & antiquiſſima quæ [...] comprehenditur diſtinctis temporibus. Commodiſſima autem diſtinctio ſumitur ex notiſſimo dicto domus Heliæ.
    - Primum ergo tempus Eccleſiæ ſit à conditu mundi vſque ad datam Abrahæ circumciſionem, & promiſſionem quod tempus eſt annorum paulo plurium, quam bis mille. Poteſt etiam recte numerari vſque ad euocationem Abrahæ ex Haran quod tempus breuius eſt. Neque eſt neceſſe [...] momenta conſtituat. Alligata fuit autem, poſt Abraham, Eccleſiæ ſedes, ad certam gentem, videlicet ad poſteritatem Abrahæ.
      - Huius temporis Hiſtoria deſcripta eſt a Moiſe in Geneſi.
    - Secundum Eccleſiæ tempus ſit, vel à migratione Abrahæ ex Haran, vel à circumciſione, & renouata Abrahæ promiſſione vſque ad Chriſtum natum. Hoc rurſus fere duos millenarios explet. Poſſunt addi anni vſque ad reſurrectionem Chriſti & aſcenſionem in cælos. Hoc tempore certa fuit Eccleſiæ ſedes in populo Dei, [...] & viua membra Eccleſiæ [...] & Reges maximeque Pontifices [...] verbo, & facti ſunt idololatræ ac hoſtes Eccleſiæ. Sed non ſolus populus Dei fuit Eccleſia, verum etiam aliæ gentes [...] ad DEVM prædicatione Iſraelitarum, qui eundem verum Deum recte agnoſcebant & inuocabant, audita promiſſione Meſsiæ. Hoc tempus [...] annis quingentis in vnam periodum connumeratis.
      - A migratione Abrahæ ex Haran vſque ad exitum ex Ægypto, & datam legem
      - A data lege vſque ad initium regni, quo tempore [...] populum Iudæ [...]
      - Ab initio regni, vſque ad captiuitatem Babylonicam [...] tempus P[...]
      - A reditu ex captiuitate vſque ad Chriſtum
        - Hiſtoria Eccleſiæ horum temporum cognoſcatur
          - Ex Moiſe
          - Ex libris { Ioſue. Iudicum
          - Ex libris { Regum, Chronicorum, Eſter, Eſdræ, Nehemiæ.
          - Ioſephi
          - Ex libris { Macchabæorum. Ioſephi. His addantur Philo & Egeſippus.
    - Tertium Eccleſiæ tempus ſit, vel à Chriſto nato, vel à prædicatione Apoſtolorum, vſque ad ætatem noſtram, quo Eccleſia non [...] alligata [...] ſed [...] agnoſcentium, & [...] Mediatorem exhibitum [...] Hoc tempus, quod eſt annorum 15[..] diſtinguitur [...] in tres integras [...] Et quartæ autem [...] que periodo, anni quingenti [...].
      - Prima periodus, comprehendat annos quingentos proximos poſt Chriſtum [...] prædicatione Apoſtolorum, & [...] ab Apoſtolis, & eorum auditoribus [...] ordine, vſque ad Auguſtinum [...]
        - Hiſtoria Eccleſiæ horum temporum cognoſcatur.
          - Ex { Euangeliſtis, Actis Apoſtolorum, Euſebio, Socrate, Theodoreto, [...] Euagrio, Nicephoro, Epiſtolis [...] & cæteris ſcriptoribus priuatis In Niceph[oro], Abdia, [...] & aliis non paucis, multa fabul[...]
      - Secunda periodus comprehendat annos quingentos poſt Auguſtinum, vſque ad bella Henrici quarti & quinti, quo creuerunt, & confirmati ſunt in Eccleſia errores, abuſus & idololatriæ aucti, [...] præcipuo Gregorio Magno
          - Ex { [...] Imperatorum, decretis Pontificum, libris Conciliorum [...] Monachorum. Item ex Platina, [...] & aliis [...] proxima [...]
      - Tertia periodus eſt, reliquos quingentos, vſque ad emendationem factam a Luthero, quibus [...] Monarchia in Eccleſia, politicis [...] & confirmata tyrannis Pontificia.
          - Ex { [...] decretis Pontificum, Scriptis Monachorum & ſcholaſticorum & quorundam [...] eum [...] Pontificum [...] Eccleſia, & Imperio, cum contra eis abuſibus, & Idololatria.
      - Quartæ initium ſit ab emendatione doctrinæ, quæ facta eſt à Luthero, Philippo & aliis.
          - Ex { Scriptis Lutheri, Philippi, & aliorum probatorum authorum. Item ex Sleidano.
  - Aut Politicæ, quæ Imperiorum initia, conſtitutiones, gubernationes, & mutationes exponunt. Sunt autem, ex prædictione Danielis, Monarchiæ quatuor.
    - Primam Aſſyriorum & Chaldæorum condidit Nemrod [...] Arte [...] gubernatio omnis [...] & paterna. Scriptores de his extant pauci. Ideo [...] pauci.
      - Præcipui ſcriptores qui extant, ſunt { Biblia, Beroſus, Metaſthenes, Diodorus Siculus, Herodotus, Iuſtinus, [...]
    - Secundam Perſarum condidit Cyrus Aſſyriorum Imperio deſtructo. Hæc complectitur tempus a Cyro, vſque ad Alexandrum
      - De hac extant Scriptores. { Biblia Metaſthenes [...] fragmentum Herodotum Diodorus Xenophon Iuſtinus Oroſius. His & Plutarchus addatur.
    - Tertiam Græcorum à Perſis ad Græcos tranſtulit Alexander. Hic complectitur tempus ab Alexandro, vſque ad Iulium [...] tum tempus ſucceſſorum
      - De hac extant { Arrianus, Curtius, Plutarchus, [...] Qui ſcripſerunt de Alexandro M. Diodorus Polybius Mnemon, Appianus. Liuius, Iuſtinus, Oroſius
    - Quartam Romanorum, inchoauit Iulius Cæſar, quæ adhuc durat.
      - De hac extant ſcriptores.
        - Græci { Dion Caſsius Herodianus, Nicephorus, Zonaras Cedrenus, Nicetas, Nicephorus Gregoras, Conſtantinus Manaſſes, Michael Glica, & alij.
        - Latini
          - Vetuſtiores ante diuulſionem Imperij Orientalis, & Occidentalis. { Suetonius Cornelius Tacitus, Velleius Paterculus, Ælius Lampridius, Iulius Capitolinus, Ælius Spartianus, Vulcatius Gallicanus, Flauius Vopiſcus, Trebellius [...] Sextus Aurelius Victor Pomponius Lætus Eutropius, Ammianus Marcellinus, Procopius, Agathias, Iornandes, Paulus Diaconus, Luitprandus Gregorius Turonenſis & alij
          - Recentiores circa, & poſt diuulſionem. { Annales Reginonis Abbatis Prumienſis, Speculum Vincentij. Hermannus Contractus Mattheus Palmerius, Otto Friſingenſis Lambertus Schaffnburgenſis, VVitechindus Saxo, Abbas Vrſpergenſis, Cuſpinianus Cæſares, Naucleros, Raphael Volaterranus, Blondus, Albertus Crancius, Enneades Sabellici, Baptiſta Egnatius, Paulus Iouius, & plures alij.
- Aut particulares quæ particulariter recitant, diuerſorum Regnorum, & Rerumpub. Diſtribuuntur autem Regna, & Reſpub. ordine, in Monarchias
  - Tempore primæ Monarchiæ fuerunt
    - Regna, quæ celebrantur:
      - Ægyptium, de hoc præcipuè: { Biblia, Diodorus, Herodotus, Chronologica Euſebij
      - Græca regna:
        - Vetuſtiora condita { Argiuorum, ab Inacho Sicyoniorum, ab Ægialo Athenarum, à Cecrope } de his { Diodorus, Pauſanias, Chronologica Euſebij Argonautica, Homerus.
        - Recentiora condita { Ab Heraclidis, ante, & poſt Pelopidas A Pelopida, Mycenarum. } { Laconicum, Meſſeniacum Macedonicum } de his { Diodorus. Pauſanias. Homerus.
      - Aſiatica { Regnum Medorum, Regnum Lydorum } de vtroque præcipuè. { Herodotus, Ioſephus. Diodorus, Chronologica Euſebij.
      - Troianum conditum a Dardano. } de quo { Homerus. Dares Phrygius.
      - In Europa { Celtiberorum, in Hiſpania. Thuſcum, in Italia. } de quo { Chronologia Euſebij. & Manethonis fragmentum. Cato de Originibus.
    - Reſpub. nullæ celebrantur.
  - Tempore ſecundæ Monarchiæ quæ primam ſuſtulit, & regna Medorum, ac Lydorum in Aſia, Ægyptium in Aphrica, fuerunt
    - Regna, quæ celebrantur
      - In Aſia { Medorum. Lydorum. } De his Herodotus præcipuè.
      - In Africa Ægyptium.
      - In Europa { Macedonicum [...] Atticum [...] Thuſcorum in Italia, hoc ſuſtulerunt Romani, ſicut & Græciæ regna. } de his { Herodotus [...] Xenophon Georgius Gemiſtus Pauſanias. Strabo. Plutarchus. Iuſtinus. } { Addantur [...] tribus Monarchiis & regnis, his iidem [...] Reineri Reineccij ſyntagmata de familiis quæ in illis Monarchiis, & regnis rerum potitæ ſunt.
    - Reſpub. quæ celebrantur
      - Attica. Spartana. } de his { Herodotus, Thucydides, Xenophon Diodorus Siculus, Georgius Gemiſtus Plutarchus.
      - Carthaginenſis. Romana } de his { Diodorus Siculus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Polybius, Appianus, Plutarchus, Liuius, Florus } Addantur his, res Siculæ, de quibus Hub. Goltzius.
  - Tēpore Monarchiæ tertiæ Græcorum fuerunt
    - Regna, quæ celebrantur, condita à ſucceſſoribus Alexandri
      - Ægyptium Ptolemæorum, Syriacum, Macedonicum, Ponticum, Armeniacum, Parthicum Pergamenſe, Numidicæ, Mauritanicæ.
    - Reſpub.
      - Romana, Carthaginenſis, Maſſilienſis, Rhodia Attica Spartana, quæ pene nihil fuit.
    - De his omnibus legantur hiſtoriæ Romanorum apud { Diodorum Siculum, Polybium, Appianum, Liuium Florum, Saluſtium, Cæſarem, Plinium, Strabonem, Plutarchum, Iuſtinum } Omnia enim hæc regna, & Reſpub. etiam deleuerunt Romani, ſolo regno Parthico excepto
  - Tempore quartæ Monarchiæ, poſt huius a peregrinis gentibus dilacerationem, cœperunt eſſe
    - Regna
      - In Aſia
        - Perſicum, quod poſtea rurſus eſt tranſlatum ad Parthos, Saracenicum. } De his hiſtoriæ vniuerſales & Saracenicæ, item P. Bizarus.
        - Hieroſolymitanum, de quo VVilhelmus Tyrius, Scriptor hiſtoriæ [...], & alij, qui peregerunt bellum ſacrum.
        - Tartaricum de quo Hatto Armenius Michouius
        - Turcicum de quo Hatto Armenius, Paulus Iouius, Leunclauius, Laonicus Chalcondyles, Vniuerſales hiſtoriæ, & alij.
        - Moſchicum de quo Sigiſ. ab Herberſtein, Alex. Guagninus.
      - In Africa Saracenū. { Ægyptium, Tunetanum, Telmeſinum, Feſanum, Marocinum. } De his vniuerſales hiſtoriæ, & Saracenicæ, Siculæ, Franciæ, ac Hiſpanicæ, Leo Aphricanus.
      - In Europa plura
        - Ante Imperium Occidentis conditum à Carolo.
          - Anglicū de hoc Iohannes Marius Polydorus Virgilius, Paulus Iouius, Mattheus Paris, Gulielmus Camdenus, Ponticus Virunnius, & alij
          - Scoticum, de quo Hector Boetius G. Buchananus
          - Gotticum in Italia de quo Procopius Agathias Iornandes, Blondus.
          - Francicum in Gallia. Burgundicum in Heduis } de hoc { Robertus Gaguinus, Paulus Æmylius, Arnoldus Ferronius, Philippus Comineus, M. & G. Bellaii Abbas Triteniius Annales Flandrici, & plures alij
          - Longobardicum in Italia, de quo Paulus Diaconus, Blondus Sabellicus Sigonius, & alij
          - Gotticū in Hiſpania & aliqui Mauroru regna ibidem [...] De hoc Alb. Crātzius } de hoc { [...] Chronica Rodericus Toletanus [...] Tarapha [...] Marius Aretius [...] Siculus, & alij. De Luſitaniæ regno, vide [...]
        - Poſt inſtauratum Imperium Occidentis
          - Vngaricum de hoc Bonfinius, Petrus [...] in ſua Epitome.
          - Polonicum, de hoc Mechouius, Martinus Crommerus, Alex. Guagninus.
          - Bohemicum de hoc Æneas Sylvius [...] Epiſcopus Olomucenſis
          - Siculum & Neapolitanum, de hoc Hugo Falcatus, Thomas Fazelus, Facius, Guicciardinus.
    - Reſpub.
      - Veneta, de qua } Sabellicus, Petrus Iuſtinianus, Patricius Venetus, Petrus Bembus, Caſpar Contarenus, Natalis de Comitibus.
      - Genuenſis, de qua Sabellicus, P. Bizarus.
      - Heluetica, de qua Iohannes Stumpffius, Seb. Munſter, Ioſ. Simlerus.

Quæ deſunt, vnicuique addere non erit difficile. Sed omnibus adiungantur Chronicon Philippi Melanchthonis, & Chronologica cum aliorum, vt Hieronymi, Mariani Scoti, Gl[...]andri, tum præ omnibus, Lutheri, Funccij, Chytræi, & Bucholceri.

CASPAR PEVCERVS.

Imperatores Occidentis

CHRONICI CARIONIS A PHILIPPO MELANTHONE AVCTI ET EXpoſiti.

PARS PRIMA.

PRÆFATIO.

LEGERVNT hiſtorias omnibus ætatibus etiam Ethnici, & quia cognitio per ſeſe expetitur, & quia in exemplis multiplices commonefactiones proponũtur, tum de priuatæ vitæ officiis, & de cauſis calamitatum, tum verò de conſiliis publicæ gubernationis, & de cauſis multarũ horribiliũ mutationũ in imperiis, ſicut grauiſſimè Polybius inquit: Hiſtoriæ cognitionẽ eſſe veriſſimã inſtitutionẽ & præparationẽ ad actiones politicas, & illuſtrẽ magiſtram ad perferendas fortunæ vices. Etſi autem de Polybij dicto nunc non diſputo, tamen manifeſtum eſt, exempla conſiliorum in gubernatione multum prodeſſe: Vt vrbs Roma præcipuas leges, & iudiciorum ordinem accepit à ciuitate Attica. Sæpe etiam ſingularia exempla illius reipublicæ imitata eſt, vt cùm vſurarum magnitudo præbuit occaſionem ſeditionibus, conſilium Solonis ſecuta eſt de σεισαχθείᾳ & redegit vſuras ad centeſimas. Item, cùm interfecto Iulio ſanxit ſenatus ἀμνηστίαν, vt fecerat Athenis Thraſybulus. Et vt Lyſander in Græcia cõſtituit ὀλιγαρχίαν, ac populo ademit ſummam authoritatem, & remouit oratores, qui populum concitabant: Sic Romæ Sylla debilitauit tribunitiam poteſtatem. Poſtea Auguſtus totum ius tribunitiæ poteſtatis ad ſe vnum tranſtulit, quia ſæpiſſimè fuerunt tribuni tubæ ſeditionum. Ideò autem Auguſtus ad ſeſe tranſtulit, vt etiam cùm non erat conſul

ius retineret conuocandi ſenatus, quod habuerat poteſtas tribunitia. Et regulæ illæ tutiores ſunt: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Item, ſapientiſſimè conſtitutus eſt ſenatus Electorum in Germania, qui iam annis quingentis neruus fuit Germanici imperij. Etſi autem authores huius conſilij Deus ſingulari modo rexit: Tamen exempla aliqua conſideraſſe eos conſentaneum eſt. Et penè ſimilem poteſtatem in Lacedæmone quinque Ephori habuerunt, aut initio ſeptem Principes in Perſide.

Nec tantùm ad imitationem bonorum conſiliorum prodeſt hiſtoria, vt imitatio ſtratagematum, ſed multò magis ad præmonitionem in cauendis cauſis horribilium mutationum & calamitatum, cùm regula vniuerſalis ſit: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac vita. Recitant hiſtoriæ omnium temporum exempla de pœnis blaſphemiarum, periuriorum, tyrannicæ crudelitatis, ſeditionum, flagitioſarum libidinum, & rapinarum, quæ pœnæ teſtimonia ſunt prouidẽtiæ & iudicij diuini, & harum regularum: Non habebit Deus inſontem, quicunque vanè vſurpat nomen eius. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, de libidinibus, Omnis anima quæ fecerit abominationes has delebitur. Item; Væ, qui ſpolias, quia ſpoliaberis. Et poteſt ceu commune argumentum inſcribi omnibus hiſtoriis: Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Deinde de multis peculiaribus negotiis hiſtoria monet. Sæpè fuerunt infelicia fœdera præſertim diſſimilium, & quia fiducia propriarum virium eſt inſolens & infelix: Vnde ſequitur quòd dictum eſt à Theognide:

Ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε, καὶ Κολοφῶνα. Et accedit hoc, quod cauſæ diſſimiles ſunt, vbi multi diſſimiles coniuncti ſunt. Vt, Athenienſium & Corcyræorum fœdus vtriſque exitiale fuit, cùm Attici propter coniunctionem cum Corcyræis, quam fecerant in cauſa dubia mouiſſent bellum Peloponneſiacum. Item poſtea propter fœdus cum Phocenſibus ſeditionis attraxerunt regem Macedonicum. Et regula eſt de diſſimilium fœderibus apud Thucydidem libro tertio: ἐν τῷ διαλλάττοντι γνώμης διαφοραὶ ἔργων καθίστανται. Id eſt: Diſſidentibus opinionibus & voluntatibus fiunt diuerſa opera.

Docet item, tantũ neceſſaria facienda eſſe, nec mouendas eſſe res non neceſſarias ſtulta πολυπραγμοσύνῃ, quæ varias habet cauſas. Interdum æmulatio incendit animos,

vt

vt, Marius & Pompeius bella ciuilia mouerunt præcipuè ex æmulatione. Interdum ingenij pertinacia attrahit bellum. Cauſa belli Peloponneſiaci proxima, fuit Periclis pertinacia nolentis retractare iniuſtum decretum de Megaris. Cato nec morte Pompeij, nec amiſſis tot exercitibus permouetur, vt arma deponat. Sæpè ambitione mouentur res non neceſſariæ ab inquietis ingeniis. Vt, Alcibiades ſuaſor eſt belli gerendi in Sicilia, cùm patria domeſtico bello arderet, & nulla magna cauſſa eſſet, tam procul mittendi robur ciuium. Agathocles circumſeſſa vrbe Syracuſana abduxit exercitus in Aphricam, qui ibi trucidantur. Sic aliquoties Galli exercitus in Italiam duxerunt.

Interdum mouentur animi κακοζηλία. Vt, Demoſthenes imaginatur ſuum conſilium eſſe Themiſtocleum, defendendam eſſe Græciæ libertatem contra exteros reges. Cicero qui antè Catilinam oppreſſerat, ſperat ſe ſimili felicitate Antonium oppreſſurum eſſe. Hoc modo ſæpè in eccleſia peccatur, vt Zedechias ſcit à prioribus regibus defenſum eſſe templum, ac ſperat ſuam defenſionem fore felicem, quam Ieremias contra ſuperiorum prophetarum exempla diſſuadebat. Iudæi aliquoties aduerſus Romanos mouerunt ſeditiones, tanquam imitaturi Ioſuam aut Maccabæos, &c.

Cùm igitur legimus, quales habuerit euentus πολυπραγμοσύνη, cogitemus de regula: Neceſſaria facienda eſſe, & quidem cum petitione auxilij diuini: Non mouenda eſſe non neceſſaria. Ideò inquit Paulus: Qua vocatione vocatus es, in ea ambula. Et Syracides inquit cap. 3. Quæ mandata ſunt tibi, cogita ſanctè. Qui amat periculum, peribit in eo. 1. Theſſal. 4. Sitis quieti, & agite propria. Vbi præcipit Paulus de vitanda πολυπραγμοσύνῃ quæ ruit extra vocationem. Tales multæ admonitiones traditæ ſunt, etiam ab ethnicis ſapientibus. Spartam nactus es, hanc orna. Et Ariſtophanes Periclem exagitat in fabula, cui titulus eſt Acharnenſis: Ἐρεῖ τις οὐ χρῆν. ἀλλὰ τί χρῆν εἴπατε. id eſt, Dicat aliquis: Nō opus erat, Sed dicite, Quid opus erat? Item: πλείω πάρεργα ἔργων. Deniquè de multis vitæ conſiliorum regulis hiſtoriæ nos monent. Et prudenter in exemplis conſiderādum eſt, ad quas regulas vitæ accommodanda ſint. Sed nunc de nobis in eccleſia dicamus.

Præcipuè hiſtoria opus eſt in eccleſia: Primùm, quia Deus immenſa bonitate ſua ſe patefecit & patefactiones ſuas ſcribi voluit. Vult ſciri initia generis humani, eccle-

ſiæ exordia, inſtaurationes, conſeruationem & reuelationem promiſſionis de Filio, glorioſam promulgationem legis, miſſionem filij, & illuſtria teſtimonia, quæ ſubinde edita ſunt, vt nos de doctrina confirmaremur. Vult ſciri diſcrimen eccleſiæ, & aliarum congregationum ſiue ſectarum, & cognoſci omnibus temporibus, qualis fuerit eccleſia. Ideò hiſtoriam Deus nobis per patres & prophetas optimo ordine, & numero annorum diligenter tradito, ſcribi voluit. Ac ſingulare decus eſt eccleſiæ, quod non alibi in toto genere humano inuenitur antiquior ſeries imperiorum & temporum. Nec alia gens habet retro annotatos certos numeros annorum.

Pręterea non modò decus eſt eccleſiæ, ſed teſtimonium etiam de Deo, de prouidentia, de veritate doctrinæ in eccleſia, quod ordine monarchias quatuor ſtatim initio ſecundę, videlicet Perſicæ, deſcribit. Simul etiam multa magna bella regum Ægyptiacorum & Syriacorum pręedicit. His vaticiniis cùm euentus reſpondeat, fatendum eſt, & prædictiones illas à Deo traditas eſſe, & hanc doctrinam ſolam de Deo, quæ ſimul tradita eſt per illos ipſos prophetas, veram eſſe. Item, ſeruari à Deo eccleſiam inter horrendas imperiorum confuſiones, & propter eam Deo curæ eſſe imperia.

Secundò, vt libri prophetici melius intelligantur, omnium temporum hiſtoria complectenda eſt. Et conſiderẽt iuniores, ferè ibi Herodotum ordiri ſuam hiſtoriam, vbi Ieremias deſinit, videlicet in rege Aprye, qui Ieremiam interfecit. Erit igitur continua mundi hiſtoria. Libri prophetici, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus de Philippo, Alexandro, & ſucceſſoribus, Polybius, Liuius, & deinde alij poſt Liuium.

Tertiò ad diiudicationes grauiſſimarum controuerſiarum, prodeſt noſſe hiſtorias. Vt ſtatim poſt Apoſtolos orta ſunt certamina plurima.

Cerinthus, Ebion, deinde Samoſatenus & Arius lacerarunt doctrinam de Filio Dei.

Manichęi finxerunt duo principia, pariter æterna, contraria, Bonum & Malum, φῶς ϗ ὕλην. Probauerunt neceſſitatem Stoicam, damnauerunt certos cibos.

Tacianus & alij multi damnauerunt coniugium. Alij vt Carpocrates, finxerunt raptus diuinos, & voluerunt communes eſſe mulieres. Multi & nominatim Pelagius, penitus damnauerũt doctrinam de gratia, & iuſtitia fidei.

In

In talibus materiis valde prodeſt ſcire, per quos veritas defenſa ſit, quibus argumentis mendacia refutata ſint, quæ teſtimonia diuinitus edita ſint. Vt, Ioannes refutauit Cerinthum, & Cerinthum ruina balnei oppreſſit. Samoſatenũ refutauit Gregorius Neocæſarienſis, clarus miraculis, & Dionyſius Alexandrinus. Marcionem & colluuiem Manichæorum refutarunt, Polycarpus auditor Ioannis, & Irenæus auditor Polycarpi. Manem, qui primus autor fuit Manichææ impietatis, interfecit rex Perſicus detracta ei cute, quod in curatione filij comperit eum eſſe impoſtorem, non medicum. Marcion Diaconi coniugem ex Cypro abducit, quæ poſtea reuerſa multa de ſectæ turpitudine narrauit. Arium refutauit tota Nicæna ſynodus, in qua multi martyres fuerunt: Et oſtendit Deus iudicium ſuum aduerſus Arium, qui cum haberet nouam aulæ beneuolentiam, Byzantium iturus ad diſputationem, ſubita conſternatione oppreſſus, declinans de via ad latrinam, ibi ſanguinem & inteſtina effudit. Atque ita pene vt Iudas mortuus eſt, vt hoc tempore aliquot hypocritæ extincti ſunt ſubitis terroribus, qui confeſſi ſunt, ſe contra conſcientiam oppugnaſſe veritatem. Latomus Louanienſis inter horrendos mugitus confeſſus eſt, ſe contra conſcientiam aduerſatum eſſe veritati. Pelagium refutarunt Ambroſius, Auguſtinus, Proſper & alij.

Poſt ea tempora cùm Romanorum imperium dilaceratum eſſet à Gothis, Vandalis & Hunnis, infuſę barbaræ gentes in Italiam, Græciam, & Aſiam, mutarunt linguam, & multas eccleſias & ſcholas deleuerunt. Inde ſequutæ ſunt in doctrina tenebræ, & noua doctrinæ forma nata eſt, & multæ ſuperſtitiones receptæ & confirmatæ ſunt. Vt, ſacrificia pro mortuis, & inuocatio hominum mortuorum, & initia monachorum. Et paulatim creuit Romani pontificis potentia, quæ deinde Germanicorum imperatorum liberalitate inſtructa eſt magnis opibus, qui ei multa oppida in Italia attribuerunt. Hãc potentiam auxerunt poſtea fraudibus & bellis, & ex imperij reliquiis multa occuparunt.

Horum bellorum cauſæ ex veris hiſtoriis iudicari poſſunt, quæ oſtendũt, quibus occaſionibus regna põtifex Romanus dare & eripere regibus conatus ſit, & finxerit, ſummam monarchiam imperiorum Petro datã eſſe, iuxta verſum ſcriptum in corona Rodolphi, quem Papa imperatorem nominauit contra Henricum quartum: Petra dedit

Petro, Petrus diadema Rodolpho. Leguntur & ſynodi pontificiæ , in quibus confirmati ſunt errores & pontificia tyrannis. Magna igitur vtilitas hiſtoriæ in diiudicatione multarum controuerſiarum.

Poſtremò & hæc ingens vtilitas aſſiduè cogitanda eſt, in collatione hiſtoriarum ethnicarum & noſtrarum. In hiſtoriis ethnicis tantum cernũtur exẽpla iræ Dei cõtra atrocia ſcelera, iuxta regulas : Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item; contra periuros: Nõ habebit Deus inſontem, qui vanè nomen eius vſurpat. Item : Væ qui ſpolias , quia ſpoliaberis. Itẽ: Omnis anima quæ fecerit abominationes has, eradicabitur, &c. At in hiſtoria eccleſiæ vtriuſque generis exempla proponuntur. Exempla iræ in pœnis, vt diluuij, conflagrationis Sodomæ, interitus Pharaonis, & alia multa , quæ ad legem referantur. Item exempla miſericordiæ ſeu gratiæ, quæ ad Euangelium referantur. Et teſtimonia manifeſtæ præſentiæ Dei in eccleſia , quæ docent nos de fide , de vera inuocatione, de veris cultibus, & valde confirmant pias mentes. Vt, poſt lapſum voce Filij recepti & ſeruati ſunt Adam & Eua. Manifeſta præſentia Dei eſt in familiis Nohę, Abrahę, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & deinde in eccleſia Iſrael in deſerto. Poſtea quoque in gubernatione Ioſuæ, Gedeonis, Samſonis, Samuelis, Ionatæ, Dauidis, Ioſaphat, Eliæ, Eliſæi, Ionę, Ezechiæ, Eſaiæ, Ieremiæ, Danielis, manifeſta præſentia Dei in eccleſia conſpicitur, Hanc totam ſeriem eccleſiæ omnium temporum intueri vtile eſt. Ac in vniuerſa hiſtoria diſcernantur narrationes de eccleſia ab ethnicis materiis, & vbi ſingulis temporibus fuerit eccleſia, quam habuerit doctrinæ vocem, quos præcipuos Doctorres & teſtes, quæ certamina, quales ærumnas & liberationes conſideretur.

Hanc admonitionem de vtilitate hiſtoriæ & de eccleſia diſcernenda ab ethnicorum tenebris, initio propter iuniores recitaui , & vt auidius legant hiſtorias, & vt eccleſiam rectius noſſe diſcant.

De Ordine libri.

VTile eſt , ſemper in conſpectu habere , quantum fieri poteſt , omnium temporum ſeriem , & præcipuas generis humani mutationes. Ad id maximè conducit noſſe dictum, quod recitatur in Iudęorum commentariis hoc modo:

Traditio Domus Eliae.

Sex milla annorum mundus, & deinde conflagratio.

Duo

Duo millia Inane.
Duo millia Lex,
Duo millia dies Meſſiæ. Et propter peccata noſtra,quæ multa & magna ſunt,deerunt anni,qui deerunt.

Hoc modo Elias de duratione generis humani vaticinatus eſt,& præcipuas mutationes diſtinxit.Duos primos millenarios nominat Inane, quod ſimpliciſſimè ſic interpretor, nondum homines procul diſſitas regiones occupaſſe ante conditam Babylonem. Alij dicunt nominari Inane, quia nondum certa politia eccleſiæ conſtituta fuit, & nondum ſegregata fuit eccleſia à cæteris gentibus. Nondum etiam erant imperia,qualia poſtea in monarchiis fuerunt. Sed quæcunque cauſa eſt,quare ſic dixerit Elias,hoc non dubium eſt, primam ætatem fuiſſe florentiſſimam. Quia natura hominum minus languida fuit, quod oſtendit longæuitas, & fuit excellens decus,quod ſapientiſſimi ſenes pleni diuinæ lucis ſimul vixerũt, & de Deo,de creatione, de edita promiſſione teſtes fuerunt, & multi artes inuenerunt & illuſtrarunt.

Secundum tempus à Circunciſione numeratur, vſque ad natum Meſſiam ex virgine,quod multò minus duobus millenariis continet.

De tertio tempore ſignificat fore, vt non compleantur duo millenarij, quia nimiùm creſcet impietas, propter quam citius delebitur totum genus humanum. Et Chriſtus ſe palam oſtendet in iudicio,vt inquit: Propter electos dies illi breuiores erunt.

Diſtribuemus igitur hiſtoriam in tres libros, iuxta dictum Eliæ.

PRIMI libri narratio breuis eſt,etſi haud dubiè antè diluuium Deus multa illuſtria teſtimonia de ſeſe edidit, & varia certamina fuerunt eccleſiæ & imperiorum, & multa adminiſtratione digna in artium inuentione excogitata & tradita ſunt.

SEcundus liber erit prolixior, quia tunc & eccleſia habet ſuas mutationes, promiſſio repetitur & alligatur ad certam ſtirpem, & eccleſia diſtinguitur à cæteris gentibus,& fit promulgatio legis, & collocatur eccleſia in ſede & politia certa. Et in id tempus incidunt monarchiæ, quibus magnæ mutationes generis humani acciderunt dignæ conſideratione. Ac prædixit Deus ſeriem quatuor monarchiarum, vt ſignificet Meſſię aduentum & finem

mundi, videlicet humanæ generationis,& tempus vltimi iudicij. Intelligas autem Monarchiam non quidem complexam omnes regiones & gentes , ſed tantam quæ magnam partem orbis terrarum tenuit, & tantam habuit potentiam, vt cæteros reges compeſcere poſſet. Ideò enim voluit Deus monarchias conſtitui, vt homines legibus, iudiciis & diſciplina regerentur.

Hoc vt fieret, Deus dedit monarchas inſtructos potentia,qui & leges honeſtas conderent, & iudicia ac diſciplinam armis defenderent. Et mutat Deus imperia,cùm hæc officia negliguntur, & principes vel ipſi faciunt, vel non puniunt iniuſtas cædes, libidinum confuſiones,direptiones,& alia atrocia ſcelera. Vult enim Deus,politicum ordinem teſtimonium eſſe,de prouidentia,& de iudicio ſuo, & vult hoc modo vtcumque ſeruari ſocietatem hominũ, coniugia, diſciplinam, doctrinas, & vult imperia eſſe hoſpitia eccleſiæ.

Eſt & hoc ſingulare monarchiarum decus, quod aliqui præſtantes reges in numero monarcharum vocati ſunt ad veri Dei agnitionem & ad ornandam eccleſiam:vt,Nabuchodonozor,Euilmerodach, Darius Medus,Cyrus,Artaxerxes Longimanus,Conſtantinus,Theodoſius,Arcadius, Valentinianus,Carolus Magnus, Ludouicus Pius,Henricus Saxo,Ottho primus, vt de cæteris non dicam.

Oſtendit autem liber Danielis, Deum ipſum quatuor monarchias numerare, & ſignificare, quartæ monarchiæ tempore Meſſiam palam prædicaturum eſſe Euangelium, & ſacrificium facturum, ad quod mittendus erat,& deinde finem fore generationis hominum, & ſequuturam eſſe reſuſcitationem hominum mortuorum. Voluit enim Deus ſciri, hanc generationem hominum non fore perpetuam. Voluit item ſciri tempora vtriuſque aduentus Chriſti. Ac magna confirmatio eſt piorum, cùm videmus hunc fuiſſe Monarchiarum ordinem & ſucceſſionem, vt prædicitur, non dubitemus ſequuturum eſſe iudicium. Sic autem numerantur monarchiæ.

1.Prima eſt Chaldæorum,qua & Aſſyrij vicini comprehenduntur. Nam alias ſtatim initio potentiores fuerunt reges in Babylone,alias vicini reges in Niniue. Nec dubium eſt Babylonem & Niniuem diuerſas vrbes eſſe.

2.Secunda dicitur Perſarum.

3.Tertia Alexandri & proximorum ſucceſſorum.

4.Quarta Romanorum,quam ſignificat Daniel tandem dila-

dilacerandam eſſe, & pedes partim ferreos, partim luteos fore. Etſi alij ferreos pedes intelligunt regnum Turcicum, cæteros monarchas luteos pedes: tamen ego exiſtimo Turcicum regnum, quod manifeſtas blaſphemias contra verbum Dei profitetur & ex profeſſo delere nomen Chriſti conatur, non annumerari monarchiis, quas Deus legum & diſciplinæ cauſſa conſtituit. Sed ferreos pedes intelligo aliquot potentes imperatores Germanicos, vt Carolum primum, Ludouicum filium, Henricum Saxonem, quem vſitatè Aucupem nominant. Veteres Germanicæ hiſtoriæ nominant eum Humilem, vt ſic dicam. Deinde Otthones, Hēricum Bambergenſem. Poſtea fuerunt multi imbecilliores, quos ſignificant lutei pedes. Sed mixti fuerunt & fortes Principes, qui res vtiles geſſerunt, vt Lotharius Saxo. Nam Turcicum imperium prorſus à monarchiis ſeiungo, quas Deus legum & diſciplinæ cauſa conſtituit.

Sunt igitur peculiares deſcriptiones Turcicæ tyrānidis. Vt apud Ezechielem prophetia de Gog & Magog propriè ad Turcas pertinet. Et cornu loquens blaſphemias & conterens eccleſiam apud Danielem, de toto Mahometico regno concionatur. Singularis furor eſt ortus à diabolis in hac vltima ſenecta mundi, Deo permittente, propter horribilia hominum peccata. Tyrannis Mahometica diſſimilis omnium regnorum: quia ex profeſſo conatur delere nomen Chriſti, nec ornat genus humanū legibus aut diſciplina, ſed vaſtat orbem terrarum, vt & nomen Turca vaſtationem ſeu vaſtatorem ſignificat.

Sit autem grata nobis conſideratio, quod Deus & Germanicam gentem hoc honore ornauit, vt reliquias Romanæ monarchiæ eam tenere, & præcipuos eſſe cuſtodes Europæ voluerit. Nec dubium eſt, Italiæ poſt longas vaſtationes, ſalutarem pacem & ornamenta ciuilia reſtituta eſſe Caroli & Ludouici virtute, & ab his defenſam eſſe Galliam & Germaniam depulſis à Gallia Saracenis, & à Germania Vngaris, ornatas eſſe eccleſias, & excitata doctrinarum ſtudia, cùm in Ægypto & in Aphrica penitus deletæ eſſent eccleſiæ, & in Aſiam infuſi eſſent Saraceni & Turci, qui ibi quoque delebant eccleſias & literas. Vt igitur in Europa reliquiæ eccleſiæ & doctrinarum ſeruarentur, rurſus ibi diuinitus pulchra coniunctio facta eſt Italiæ, Galliæ & Germaniæ, quæ ab vno Carolo tenebantur, qui tanquam monarcha erat Europæ, & cuſtos pacis, re-

ligionis, legum & diſciplinæ. Poſtea Italiæ & Germaniæ coniunctionem retinuerunt Otthones, Henricus Bambergenſis, & Conradus Spirenſis. Poſt hunc, cùm iam Romanorum pontificum potentia creuiſſet, furiæ Pontificiæ accenderunt in Germania bella ciuilia, quibus potentia Germanici imperij præcipuè languefacta eſt. Non enim procul abeſt dies triumphi in quo ſe filius Dei palàm oſtendet generi humano, & eccleſiam gloria ornabit, & omnes impios in æternas pœnas abiiciet. Interea tamen, vt minus ſit confuſionum, optandum eſt, vt Principes in Germania hoc decus ſapientia & virtute tueantur, ne priuatis diſcordiis Germaniā ipſi dilacerarent. Hanc curam præcipuam eſſe oportebat ſummi in terris ſenatus, videlicet collegij Electorum, vt Europa & caput & vires haberet contra Turcicam barbariem & tyrannos, qui iniuſta bella mouent, pernicioſa toti Europæ. Nos autem Deum ardentibus votis & gemitibus precemur, vt in hac turbulenta ſenecta mundi, & ruinis imperiorum, ſeruet aliqua eccleſię hoſpitia, & tribuat eis ſalutarem gubernationem.

ANNORVM SERIES EX PHILONE.

Mille ſexcenti quinquaginta ſex ad diluuium.
Ducenti nonaginta duo ad Abraham natum.
Quadringenti vigintiquinque ad Moiſen natum.
Octoginta ad exitum ex Ægypto.
Quadringenti octoginta ad templum Salomonis.
Centum triginta octo ad regem Ioas, & finem ſtirpis Salomonis.
Ducenti nonaginta vnus ad migrationem ſpontaneam Ieconiæ.
Vndecim ad excidiū Ieroſolymæ ſub Nabuchodonoſor.
Septuaginta exilij Babylonici poſt deſtructam Ieroſolymam.
Triginta ſex, Ieſus magnus ſacerdos, cuius fit mentio in Zacharia ſub Cyro.
Octo, Ioakim abſente patre.
Viginti, Ieſus reuerſus à rege Perſico.
Quadraginta octo Ioakim iterum.
Viginti & vnus, Eliakim.
Viginti quatuor, Ioiada.
Viginti quatuor, Ioathan.
Decem Iaddua ſub Alexandro.

Summa

Summa annorum ad Alexandrum vſque: Tria millia quingenti octoginta quatuor.

Tredecim: Simon priſcus celebratus à Siracide.

Viginti, Eleaſar.

Viginti ſeptem, Manaſſes.

Viginti octo: Simon iuſtus.

Triginta nouem: Onias filius eius, interfectus ab Andronico præfecto Antiochiæ, quem pecunia corruperat Menelaus ad Oniam interficiendum, vt ipſe Menelaus Pontificatum occuparet.

Anni quinque: Iudas Maccabæus.

Nouendecim: Ionathas.

Octo: Simon frater Iudæ Maccabæi.

Viginti ſex: Iohannes Hircanus.

Vnicus annus: Ariſtobulus.

Viginti ſeptem: Alexander.

Nouem: Alexandra.

Triginta quatuor: Hircanus vltimus.

Triginta ſeptem: Herodes. Natus eſt autem Chriſtus anno 30. Herodis.

Hanc Philonis tabellam addidi, quanquam propter interregna deſunt anni aliquot. Sed propter Philonem & propter ſeriem hiſtoriarum, prodeſt ſtudioſis & hanc tabellam in conſpectu eſſe.

LIBER PRIMVS, QVI COMPLECTITVR

DVO MILLIA ANNORVM inde vſque ab initio mundi.

SINGVLARI conſilio Deus in eccleſia extare & ſemper conſeruari voluit initia mundi, & ſeriem annorum: quæ quidem & teſtimonium eſt de eccleſia, & magnum decus. Vult enim ſciri Deus originem generis humani, & diuinas patefactiones, & teſtimonia patefactionum, & quæ doctrina, & quomodo propagata ſit. Vult ſciri certò, ideò conditum eſſe genus humanum, vt inde æterna eccleſia colligatur. Vult & cauſas ſciri calamitatum humanarum, & mortis, & agnoſci Filium, per quem liberabimur ab his malis, & reſtituentur iuſtitia & vita æterna. De his tantis rebus vt certi eſſemus, anni metæ in motu ſolis conſtitutæ ſunt, & primis patribus oſtenſæ ſunt, & in doctrina primorum patrum diuinitus tradita, annorum ſeries diligenter perſcripta eſt. Et addidit Deus omnibus temporibus illuſtria teſtimonia, quæ oſtendunt eam doctrinam à primis patribus tranſmiſſam ad poſteros, veram & non fabuloſam eſſe. Huic doctrinæ diuinitus traditæ de initiis mundi & generis humani, & de patefactionibus diuinis conſtanter aſſentiamur.

Sumamus igitur ex primo libro Moiſis narrationes de creatione mundi & hominũ, de hominum lapſu & cauſis calamitatum, de reſtitutione eccleſiæ poſt lapſum, & de annorum ſerie, & firmiſſima aſſenſione eas amplectamur. Nec alias imaginationes, ſiue Democriti, ſiue Platonis, ſiue Ariſtotelis anteferamus. Itaque hæ res maximæ initio actæ ſunt, quas Deus voluit notas eſſe.

I. Creatio mundi & hominum.

II. Inſtitutio eccleſię & coniugij.

III. Certum opus quod eſſet teſtimonium obedientiæ.

IIII. In-

IIII. Inſtitutio dominij.
V. Lapſus, cauſa mortis & calamitatum.
VI. Reſtitutio eccleſiæ, & mitigatio.
VII. Prima promulgatio promiſsionis de Saluatore, redituro iuſtitiam & vitam æternam: Semen mulieris conteret caput ſerpentis.

Harum maximarum rerum cognitionem in eccleſia neceſſariam eſſe non dubium eſt, & quanta ſit magnitudo, piæ mẽtes, vtcunque cogitare poſſunt, etiamſi prophani homines has narrationes derident, aut in μυθολογίας transformant. Nos verò credamus voci diuinæ, & in ſingulis narrationibus amplitudinem conſideremus.

I. Primùm ſciamus vnicum hunc mundum creatum eſſe, in quo ſe filius Dei patefecit. Nec eſſe aut fuiſſe alios mundos, quia in Moiſe expreſsè dicitur: Poſtquam homo conditus eſt, Deus poſtea ceſſauit alias res cõdere & creare, videlicet, alios nouos mundos, aut nouas elementorum aut animãtium ſpecies. Et condito homine quieuit Deus: quia vult in homine acquieſcere, & eo delectari, & in tota æternitate communicare ſeſe, ſuam ſapientiam, iuſtitiam & lætitiam.

II. Secundò cogitemus, qualis ſit conditus homo, videlicet talis, vt ſit imago ſimilis Deo. Interpretatur autem Paulus imaginem, ad Epheſios 4. iuſtitiam & ſanctitatem veritatis. Complectitur ergo imago incorrupta potentiam cognoſcentem, in quam transfuſa eſt lux diuina, quę vera & firma agnitio Dei & legis, & notitia de vera obedientia, & de iudicio Dei. Deinde complectitur & voluntatem & cor, quod ardebat motibus Spiritus ſancti, & integra obedientia, ſine peccato. Ad hæc dona coniuncta fuit libera & non impedita electio voluntatis. Sunt autem in Deo ſumma bona, ſapientia, iuſtitia, & libertas electionis. Horum ſummorum bonorum radios cùm in nos transfuderit, teſtimonium oſtendit, verè à ſe hanc creaturam diligi. Et quidem ideò transfudit ea in nos, vt hæ ipſæ notitiæ teſtentur, eſſe Deum, & doceant nos, qualis ſit, & diſcernant eum à malis naturis. Iam cognita, quantum decus fuerit homo ante lapſum, cùm verè eſſet domicilium & templum Dei, ſine peccato, ſine morte. Et cogita quanta fuerit ingratitudo, auertere ſe à Deo ad diabolos & excutere Deum. Excuſſo autem Deo, qui eſt fons vitæ, ſequuta eſt mors, vt poſtea dicetur.

III. Tertiò, eccleſiæ initium eſt ipſa creatio hominis cum illis donis, quæ erant data, vt Deum celebrarent. Et addidit Deus mandatum de externo teſtimonio, quo oſtenderent obedientiam erga Deum, & vt eſſet occaſio colloquendi de Deo, videlicet mandatum de ligno ſeu arbore ſcientiæ boni & mali. Cæterùm radius lucis diuinæ inſitus menti notat mandata moralia, & in his obſcurior erat prohibitio vagarum libidinum. Ideò mox poſt creationem & alterum mandatum expreſsè traditum eſt: Erunt duo in carnem vnam, id eſt, inſeparabiliter iuncti. Hac voce ſancitur coniugium, & expreſsè prohibentur omnes vagæ libidines.

IIII. Quartò, recitatur coniugiij inſtitutio, & inſertæ ſunt narrationi multæ grauiſſimæ ſententiæ, quarum explicatio nota ſit. Sunt autem initio creati duo, quia Deus voluit genus humanum eſſe eccleſiam. Et conditi ſunt mas & fœmina, vt eſſet ordinatus & dulcis amor.

V. Quintò, condita eccleſia, & ſancita lege coniugij, inſtitutum eſt etiam dominium rerum corporalium, quæ neceſſariæ ſunt vitæ corporali: Ita agnoſcamus res præcipuas ſtatim initio ordinatas eſſe: eccleſiam, œconomiam & politiam. Eſt autem ordinatum dominium in his verbis: ſubiicite vobis terram, & dominamini piſcibus maris, &c. Id eſt, generi humano trado hoc ius, vt de vſu harum rerum tales ordinationes faciat, quæ proſint ad æqualitatem, conſeruatricem ſocietatis. Hic diſtinctio dominiorum, & contractus comprehenduntur. Poſt diluuium verò, hæc eadem lex repetita eſt, & expreſsè addita ſumma lex, quæ eſt neruus Imperiorum de pœna homicidæ. Hæc lex fons eſt politicæ gubernationis in hac deprauata natura, & initium imperiorum, vt poſtea dicemus.

VI. Sextò, recitatur lapſus primorum parentum, & mox reſtitutio, & inchoatio vniuerſæ eccleſiæ, quæ ſecuta eſt poſt lapſum. Et exponitur cauſa mortis & calamitatum ignota philoſophiæ. Hic rurſus maximæ res proponuntur: Concio arguens peccatum, & arcana promiſſio de venturo ſemine mulieris, per quod, deleto peccato & morte, oſtendit Deus reſtituendam eſſe iuſtitiam & vitam æternam. Hæc concio fuit initium nouæ eccleſiæ, & vox vna & eadem eſt, qua colligitur eccleſia, vſque ad poſtremum tempus generationis mundi. Hac voce tunc cum argueretur peccatum, primi parentes ſenſerunt ſe amiſiſſe pri-

mam

mam naturæ lucem, rectitudinem & lætitiam, qua in Deo lætati fuerant. Et extincti fuiſſent terroribus mortis: ſed audita promiſſione, quam Filius Dei patefecit, (qui ideo λόγος dicitur, quia ex ſinu æterni Patris hoc arcanum decretum protulit) ruiſus ſenſerunt ſe recipi à Deo, & reddi ſibi vitam. Hoc primum fuit miraculum poſt creationem rerum, quod de promiſſione teſtimonium fuit, quod Deus morituris opitulatus eſt ſine cauſis ſecundis, & oſtendit ſe eccleſiam collecturum & ſeruaturum eſſe, etiam extra illum naturæ ordinem, quem antea condiderat. Ac prorſus miranda res eſt. Non potuit Adam ratiocinari, Deum aliud velle, niſi iuxta legem videlicet homines perituros eſſe, cùm cogitaret: Iuſtitia Dei immutabilis eſt: Iuſtitia Dei eſt, vt inobedientes pereant: Ergo immutabile eſt decretum de noſtro exitio, &c. Huic argumento nulla creatura reſpondere poſſet. Sed Filius Dei reſponſionem oſtendit, qui Minorem ſic explicat: Iuſtitia Dei eſt, vt inobedientes pereant: Niſi ſatisfiat iuſtitiæ Dei pœna deprecantis Filij pro genere humano, & in ſeſe iram inenarrabili miſericordia deriuantis. Prolata igitur promiſſione rurſus eccleſia condita eſt: ac deinceps ſemper huius promiſſionis doctrina fuit eccleſiæ propria, & eam ab aliis cœtibus, qui ſe poſtea à primis parentibus ſeiunxerunt, diſtinxit.

VII. Septimò recitantur cauſæ calamitatum. Pœnæ ſunt primi lapſus, mors, ærumnæ eccleſiæ, triſtiſſimæ inſidiæ diabolorum, iuxta dictum: Ponam inimicitias inter ſerpentem & ſemen mulieris. Simul autem ampliſſima conſolatio propoſita eſt de glorioſa victoria, qua eccleſia omni tempore ſeruabitur ab illo Domino, qui abſumpta humana natura erit ſemen mulieris. Hæc tota doctrina paulatim illuſtrata eſt, vt non dubito, colloquiis Filij Dei cum parentibus, ſicut Iohānes inquit: Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis. Et ipſe affirmat: ſe initio locutum eſſe in eccleſia, cùm inquit: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Et in prouerbiis Solomonis: Delectatio ſapientiæ filij cum filiis hominum.

VIII. Octauò, Paradiſus ſignificat & locum terræ meliorem, & talem hominum ſtatum, in quo ſine peccato & ſine morte vixiſſent. Et cùm quatuor fluminum fontes in paradiſo fuerunt, ſignificatum eſt, illam meliorem partem terræ homines fuiſſe habitaturos, quæ irrigatur ab Euphrate, Tygride, Gange & Nilo. Id ſpacium propema-

dum eſt tertia pars totius orbis terræ.

Eiici autem ex paradiſo eſt, ex illo meliore ſtatu eiici, & quidem habere omnia elementa minus felicia. Fuiſſe autem ſedem primorum hominum in regione vicina Damaſco non dubium eſt. Quare & ibi conditos eſſe credamus. Poſtea deſcribitur generatio primæ Sobolis, & oſtenditur, qualis fuerit prima eccleſia, & quæ certamina ſtatim inter fratres exorta ſint. Ac ibi conciones legis recitantur, & ſancitur lex, quæ prohibet & punit homicidia & expreſsè dicitur de venturo iudicio: Si bonus fueris, eris acceptus: ſin malus, peccatum tuum quieſcet, donec reuelabitur. Hic ſignificatū eſt futurum eſſe, vt aliquādiu differantur pœnæ. Quanquam autem differuntur, tamen certò venturas eſſe inquit. Ac verbo Quieſcendi horribilis ſecuritas generis humani taxata eſt, quæ cœca & furens contemnit iram Dei, donec ſentiuntur pœnæ

Poſtea narrantur pœna Cain & ſeries poſteritatis ipſius, & artium inuentio. Neceſſe eſt & anni rationem ſtatim initio cognitam & traditā eſſe, quia ſeries annorum inde vſque ab initio generis humani in ſacris libris diligenter recitata eſt. Et poſtea in narratione diluuij menſes numerantur. Eſt autem magna pars ſcientiæ de motibus aſtrorum, ſcire motus ſolis & lunæ. Quare fatendū eſt, & huius doctrinæ initia à primis parentibus tradita eſſe. Et cum Adam ante lapſum aſpiciens totum cœli & terræ opificium, multa intellexerit, quæ poſtea homines acie mentis penetrare non poterant, non dubium eſt, eum ſemina doctrinarum de Deo, de cœli motibus, & de rebus naſcentibus tradidiſſe poſteris.

Longæuitas enim patrum ſignum eſt, quod oſtendit, doctrinam ab eis propagatam eſſe. Ideò enim longa vitæ ſpacia multis conceſſa ſunt, vt eſſent teſtes de continuis patefactionibus Dei, de forma, collectione & defenſione eccleſiæ, & totius doctrinæ illuſtratores.

Initio & figuras literarum excogitatas eſſe neceſſe eſt. Quia, vt patrum ſeries annotaretur, opus fuit literis. Et citatur prophetia Henoch, quam ſcriptam eſſe conſentaneum eſt.

Ac memoria dignum eſt, quod veteres quidam tempora mundi ſic diſtribuerunt: Vt in homine præcipuæ vires ſunt ἡγεμονικὸν θυμικὸν & ἐπιθυμητικόν, ita dicunt initio in genere humano præcipuè regnaſſe ἡγεμονικὸν id eſt, excelluiſſe ſapientiam, cùm artes inuentæ ſunt, & gubernatio adhuc

huc paterna fuit, plena ſapientiæ, iuſtitiæ, & authoritatis.

Secunda ætas fuit θυμική, in qua excelluit fortitudo in bellis, & imperia conſtituta ſunt. In hac ætate complector quatuor monarchias, ſic vt initium ſit à Nimrod, vſque ad Iulium Cæſarem, poſtquam ſecuta eſt ſenectus hominum languida, & dedita voluptatibus. In hac regnat ἐπιθυμητικὴν. Etſi enim & in poſtrema ſenecta multum eſt bellorum: tamen non geritur res ſimili vigore animorum & labore. Tumultus aſſidui ſunt, quibus fiunt vaſtationes, non conſtituuntur nec ornātur imperia. Ita paulatim languefieri naturam conſideremus; multa deliria in eccleſia & imperiis ſequutura eſſe, & ardentibus votis petamus, vt Filius Dei nos in hac ſqualida ſenecta gubernet, vt Eſa. dicitur: Etiam in ſenecta vos geſtabo.

Scribit etiam Ioſephus, Adam duas lapideas tabulas collocaſſe, in quibus ſcripſit initia creationis, lapſum hominum & promiſſionem. Has tabulas exiſtimo tanquam templum fuiſſe, & certi loci ſignum, in quem ſolitus eſt conuocare ſuā eccleſiam, & vbi ſacrificia facta ſunt, & recitata doctrina. Fuítque vox promiſſionis teſtimoniū diſcernens veram eccleſiam à cœtu Cain, qui ſeceſſerat à patre, & habuit ſuos ritus & ſuam ſectā. Ita ſtatim initio veræ doctrinæ vocem & veram eccleſiam pars humani generis deſeruit, & promiſſionem oblita eſt, & tamen condita ciuitate, neceſſe eſt eos aliquam legis particulam retinuiſſe.

Poſtea in Moiſe breuiter annotata eſt ſeries annorum vſque ad diluuiū: quia, vt ſupra dictum eſt, vult Deus ſciri initia rerum, & tempora ſuarum patefactionum. Ac res miranda recitatur hæc ſola de Henoch, qui non eſt mortuus, ſed viuēs in cœlum tranſlatus eſt. Quod non exiſtimemus clam nemine ſpectante factum eſſe, ſed vel in eccleſiæ congregatione, vel ſpectantibus aliquot patribus fide dignis. Quia hanc tranſlationem voluit Deus teſtimonium eſſe de vita & ſalute æterna, danda his, qui Deum rectè inuocant in agnitione promiſſi ſeminis. Ac duo ſimilia teſtimonia generi humano oſtenſa ſunt antè aduentum Meſſiæ: alterum Henoch antè diluuium: alterum Eliæ poſt diluuium. Hi prophetæ teſtati ſunt, Meſſiam, abolita morte, redditurum eſſe vitam æternam, & conculcaturum caput ſerpentis.

Citatur & prophetia Henoch, de poſtremo iudicio in epiſtola Iudæ: Ecce venit Dominus cum ſancto exercitu ſuo, vt faciat iudicium contra omnes, & arguat omnes im-

pios,&c.In ea prophetia haud dubiè comprehenſa fuit copioſior doctrina de promiſſione, de Meſſia, de futuris mutationibus generis humani.

DILVVIVM.

ANNO à condito mundo milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo ſexto, cùm Noha inchoaſset annum ſexcenteſimum, menſe ſecundo eius anni, die ſeptimo decimo, ingreſsus eſt Noha cum coniuge & filiis in arcam, & in ea manſit integrum annum ſolarem. Rurſus enim egreſsus eſt menſe ſecundo proximi anni, die ſeptimo & viceſimo. Nam ad menſes lunares duodecim, addendi ſunt decem dies, qui nominantur epactæ. Ita congruit ratio ad anni ſolaris periodum. Et numerus menſium & dierum in hac narratione oſtendit, annum ſolarem complexum eſse duodecim menſes lunares, & dies decem. Ideò dicitur Noha egreſsus eſse ex arca, anno ætatis ſuæ ſexcenteſimo primo, videlicet anno à condito mundo, milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo ſeptimo.

Interea dum in arca vehitur familia Nohæ, totum genus humanum vniuerſali diluuio periit. Hæc pœna primũ ſignificat, conditam eſse hanc rerum naturam, vt ſeruiat electis & iuſtis. Ideò ſequuturum eſse vniuerſalem interitum impiorum, & iuſtos manſuros eſse in poſseſſione æterna operum mundi. Deinde hoc exemplo teſtatur Deus, ſe deinceps quoque peccata puniturum eſse, quanquam ſic mitigat iram, vt promittat, condita Iride, ſe deinceps non puniturum eſse genus humanum vniuerſali diluuio. Sed ſimul ſignificat, in extrema pœna igni conflagraturum eſse mundum, & ſe ex ea maſsa nouam mundi formam facturum eſse. Ideò colores ſunt in Iride duo. Cæruleus ſignificat genus humanum aquis periiſse. Igneus ſeu purpureus, poſtea periturum eſse igni, vt in ſecunda epiſtola Petri ſcriptum eſt.

Eodẽ anno à mundo condito 1657. cùm Noha egreſsus eſt ex arca, rurſus eccleſiæ data ſunt teſtimonia, cùm ſacrificium de cœlo incenſum eſt, & teſtimonio eccleſiæ duæ res additæ ſunt: Promiſſio de manſuro naturæ ordine: & inſtitutio politicæ gubernationis. Tunc enim expreſsè lata eſt lex, vt homicida occidatur ab homine, qui præeſt cæteris hominibus. Hæc lex præcipua in ordine politico eſt, & neruus humanæ ſocietatis. Ita cernis rurſus initia eccleſiæ & politiæ. Deinde recitantur nomina eorum, qui ex filiis Nohę propagati ſunt, & ſtirpes diuerſarum gentium.

Voluit

Voluit autem hanc ſeriem Deus notam eſſe, vt ſciremus ex qua ſtirpe voluerit Deus naſci Meſſiã, & vbi fuerit expectandus & conſpiciendus. Nobis ad hoc etiam prodeſt noſſe patrum nomina, vt ſciamus gentium origines, quod non ſolùm iucundum eſt, ſed etiam vtile. Series enim teſtatur, primam doctrinam de Deo eſſe hanc, quæ in ſcriptis Moſi & deinceps in prophetarum ſcriptis tradita eſt. Et cùm fateantur Græci, ſe à Iapeto, & Ione ortos eſſe, oſtendunt hanc narrationem Moiſi veram eſſe, & ſe recentiores eſſe hac ſtirpe, quæ hîc commemoratur. Recenſebo igitur nomina filiorum Nohæ, & eorum qui ex eis propagati ſunt.

Filij Nohæ fuerunt Sem, Cham & Iaphet. Ex his omnes gentes procreatę ſunt. Ac poſteritas Sem loca vicina Euphrati verſus orientem occupauit. Cham loca vicina Iordani & Nilo progreſſus verſus meridiem. Iaphet minorem Aſiam verſus occidentem tenuit, vnde multæ gentes in Europa propagatæ ſunt.

FILII SEM QVINQVE.

ELAM, ſtirps eſt Perſarum, quod in lectione prophetarum ſcire neceſſe eſt, vbi cùm nominatur Elam, intelliguntur Perſæ. Et fit mentio apud Xenophontem tribus Elamidos de Cyro. Significat autem nomen Elam adoleſcentem. Et inde nomen eſt Alma, Eſaiæ 7. Ecce virgo concipiet.

Aſſur, id eſt, beatus, inde Aſſyrios eſſe vox ipſa oſtendit. Et expreſsè dicitur in textu, ab Aſſur conditam eſſe Niniuem, quam fuiſſe in Aſſyria conſtat. Significat autem Niniue, Nini domum; ſeu ſimpliciter habitationem.

Ninus, id eſt, filius, Eſaiæ 11. Et ſciant ſtudioſi diuerſas vrbes eſſe, & interdum diuerſorum regum arces fuiſſe, Niuen & Babylonem.

Arphachſad, id eſt, ſanans vaſtitatem. Ab hoc orti ſunt Chaldæi: & ab eius nepote Eber, Ebræi, id eſt, peregrinatores. Ab hac ſtirpe ortus eſt Abraham, vt Geneſis 11. legitur. Conſtat igitur Meſſiæ ſtirpem eſſe Sem, filium Nohæ.

Lud, id eſt, natus.

Aram, id eſt, ſublimis. Hinc Syrij orti ſunt. Et metropolis Syriæ eſt Damaſcus, vt Eſaiæ 7. ſcriptum eſt: Caput Aram Damaſcus.

POSTERITAS CHAM.

CHVS, ſtirps Æthiopum in vltima ora Aphricæ, vbi Nili fontes ſunt, vt Geneſis 2. ſcriptum eſt: Circuit

omnem terram Chus. Apud Ptolemæum in illa interiore Lybia nomen eſt Chuſitæ.

Filij Chus ſunt, Saba & Euila. A Saba ſunt Sabæi. Ab Euila pars Indorum.

Nimrod, id eſt, amarus dominator. Hic in Babylone primus ita dominatus eſt, vt vicinos vi coëgerit in vnam imperij formam. Ab hoc igitur initium factum eſt, imperia vi & armis conſtituendi, cùm antea plus valeret paterna authoritas, & ſeniori patri cæteri vltrò parerent. Poſtea citò, cùm mores fierent deteriores, & graſſari aliqui rapinis & cædibus cœpiſſent, nec vellent à parentibus & vicinis coerceri aut puniri, & haberent turbam ſcelerum ſociam & receptus, neceſſe fuit tales præſidiis reprimi, & ad iudicia ac pœnas pertrahi.

Ita primùm imperia armis conſtituta ſunt per virum fortem, præſidia ordinantem & ducentem, & iudicia præſidiis defendentem. Quia ſine executione lex eſt inanis ſonitus, vt Æſchines inquit: οὐδὲν ὄφελος πολιτείας μὴ ἐχούσης νόμον ἐχ ὅπλ ἀδικοῦντας Ideò dicitur Nimrod fuiſſe robuſtus venator coram Domino, id eſt, venator ducens exercitus, vt armis cogeret homines ad legitimam obedientiam. Additur autem, Coram Domino, quod ſignificat, Deo dante ei robur, victorias, & ſucceſſum in conſtituendo & retinendo imperio. Non enim retinetur obedientia niſi Deo iuuante, vt ait Daniel: Deus transfert & ſtabilit regna.

Mizraim, id eſt, rebellis. Hic occupauit eam regionem, quæ poſtea nominata eſt Ægyptus. Ac nunc quoque Arabes & Turci nominant eam Mizri. Filij autem Mizraim, Ludim, à quo Lydios ortos eſſe magis conſentaneum eſt, quàm à Lud. Quia ex Ægypto breuis nauigatio eſt ad littus minoris Aſiæ. & mores Lydiæ gentis magis congruunt cum Ægyptiis. Et quia Lydij poſtea nouas ſedes in Italia quæſiuerunt, aiunt ab ipſis ſpectacula nominari ludos. Sed hoc nomen videtur à Lezin factum eſſe, quod eſt ludentes, mimi, ſubſannatores.

Laabim, vnde ſunt Lybies, fortaſſis ab æſtu. Nam Laab ſignificat flammam.

Phut, vnde ſunt populi in occidua parte Aphricæ circa Mauritaniam, vbi manet vetus appellatio fluminis Phut. Sic enim nominatur apud Plinium. Apud Ptolemæum ſcribitur Phtuth, ſed exiſtimo apud Plinium rectius ſcriptam eſſe hanc appellationem. Eſt enim vrbs Phythis. Et congruit ſignificatio. Nam Phut ſignificat cardinem.

dinem. Eſt autem Mauritania finis terræ, Oceano proxima in occidente. Et ab hoc nomine eſt nomen regis Epaphi, qui certauit cum Phaethonte.

Enamim ſimpliciter eſt fons equarum. Et concinnum eſt, quod inde dicunt nomen eſſe Cyrene, quod ſignificat vrbem fontis. Cum autem certiſſimum ſit Ægyptum citò occupatam eſſe, (eſt enim inter prima regna mundi Ægyptus) credibile eſt, citò & inquiſitam & occupatam eſſe vbertimam regionem, quæ nominatur Cyrenaica: nec primos eſſe poſſeſsores poſteros Argonautarum, quorum mentio fit apud Pindarum & Herodotum.

Magis etiam celebrata eſt ea regio propter miraculum fontis, qui in meridie frigidiſſimus eſt, nocte calet, qui nominatur Fons ſolis. Inde nomen videtur eſse Cyrene, quod ſimpliciſſimè, vt ſonat, ſignificat vrbem fontis. Ac propter nominis conuenientiam dicitur eam regionem primum occupaſse hic vir Enamim, qui fuit nepos Cham. Nec procul à fonte iſto fuit templum Hamonis, quam appellationem fuiſse eandem, quæ eſt Cham, conſentaneum eſt.

Chanaan, id eſt, mercator. Sidonij enim & Tyrij nautæ & mercatores præcipui fuerunt propter maris mediterranei opportunitatem. Filij Chanaan recitantur in Geneſi, qui partim littus maris Syriaci occuparunt, partim Libano vicina.

Sidon, id eſt, venator, condidit Sidonem notiſſimam vrbem, ex qua poſtea deducti coloni propter diſsenſionem ciuium, condiderunt in vicinia Tyrum.

Heth condidit Hebron, vbi aliquandiu habitauit Abraham, & ibi locum ſepulturæ coniugi emit, in quo & ipſe poſtea ſepultus eſt.

Iebuſeus poſsedit Gabaa & Ieruſalem. Ac expreſsè in Geneſi deſcripti ſunt limites regionis quam tenuit poſteritas Chanaam, quæ poſtea deleta eſt propter idola, libidines & alia peccata, & diuinitus collocati ſunt in eam poſſeſſionem Iſraelitæ, qui fuerunt orti à Sem.

Conſideres autem, poſteros Sem verſus orientem in maiore Aſia ſedes magna ex parte tenuiſſe. Nam Heuila Indiam eſse conſtat ex Geneſi, vbi dicitur Ganges fluere per terram Heuila. Natus eſt autem ex Heuila pronepote Sem. Poſteri autem Cham tenuerunt aliquandiu terram Chanaan, Ægyptum, Æthiopiam, & Lybiē. Poſteri Iaphet ſunt ſparſi in minorem Aſiam, & progreſſi ſunt verſus Septentrionem, & multas Europæ partes occuparunt.

POSTERITAS IAPHET.

Iaphet, id eſt, dilatatio,

Filij Iaphet fuerunt.

Gomer, id eſt finiens. Ab hoc orti ſunt Cimmerij, qui poſtea Cimbri dicti ſunt. Nam Ezechiel capite 38. expreſſe inquit Gomer & Togorma latera eſſe Aquilonis. Fuiſſe autem Cimmerios vltra Thraciam, circa Mæotidem paludẽ, appellatio Cimmerij Boſphori, & oppidi Cimmerij teſtantur. Nec longa via eſt à Boſphoro Cimmerio per vicinam Ruſſiam, Lituaniam, Liuoniá, & Boruſſiam, ad Cimbricam Cherſoneſum, vbi in hoc littore poſtea latè regnarunt. Inde & Sicambri dicti ſunt.

Magog, id eſt, de Gog, quod ſignificat tectum. Ait autem Ezechiel, & gentem Magog Septentrionalem eſſe & quidem poſtremis temporibus, latè vaſtaturam eſſe Iſrael, id eſt Eccleſiam Dei. Quare Scythicam gentem eſſe, id eſt, Turcicã intelligimus, quę olim in plauſtris circumferebat tuguria, vt ſubinde alia loca faciliùs occuparet. Cúmque Apocalypſis oſtendat, poſtremò regnaturum eſſe Gog & Magog, & nunc Turci latiſſima dominentur, conſentaneũ eſt Turcicam gentem ſignificari appellatione Magog.

Madai, id eſt, modius ſeu menſura. Ab hoc Medi orti ſunt, qui verſus Orientem progreſſi ſunt. Gens clara, vt Daniel & Herodotus teſtantur.

Iauan, vel Iaon, id eſt, defraudator. Ab hoc certiſſimum eſt, gẽtem Ionicam eſſe ortam. Et firma teſtimonia ex Daniele ſumi poſſunt, quæ oſtendunt appellatione Ionum comprehendi Græcos. Nam eueſorem regni Perſici nominat regem Iauan, id eſt, regem Gręcorum.

Sunt autem filij Iauan:

Eliſa à quo ſunt Æoles in minore Aſia.

Tharſis, à quo condita eſt Tharſus, quę fuit metropolis Cilicum.

Cethim, id eſt, percuſſores, à quo Macedones ortos eſſe certum eſt, ex libro Maccabæorum. Et vetuſtas non dixit Macedo ſed Μακέτης quaſi dicas, à Cethim.

Adodanim, quod ſignificat cognatos miſeros, ſunt Dodonęi in Epiro. Adeóque vetus eſt Dodonę appellatio, vt ibi Hellum regnaſſe dicant Ideo nec reprehendo eos, qui Dodonęos in Rhodum collocant. Nam & Rhodij fuerunt Dorienſium coloni. Et manifeſtum eſt, Gręcos, id eſt, natos ab Ione, multas terras occupaſse in littore minoris Aſię, in vicinis inſulis, & in Europa. Pars etiam Italiæ oram

occupauit.

occupauit. Et conſentaneum eſt, hunc Ionem eſſe, quem Latini Ianum nominauerunt, patrem & Latinæ & Grecę gentis. Cùm autem ex hac narratione in Moiſe diſcamus vnde natus ſit Iō, videmus hiſtoriam Moſaicam antiquiorem eſſe gente Græca. Et ignorantiam Græcorum deprehendimus, qui cùm neſciant, qui fuerit Ion, alium quendam multis ſeculis poſt Iaphet fingunt, natum ex Creuſa Erechthei filia.

Thubal, id eſt, germen. In his gentium appellationibus quędam certæ ſunt, ex nominum ſimilitudine, & teſtimoniis propheticis, & aliarū hiſtoriarum. Vt Mizraim, Chus, id eſt, Æthiopes, Sidō, Iauan, Kitthim, & aliæ quædam, nec tamen ſimilis eſt certitudo omnium interpretationum, Thubal interpretatur Ioſephus Hiſpanos, & nominat Iberos. Fuerunt autem initio Iberi & Chalybes in Aſia vicini, inter pontum Euxinum & mare Caſpium, metallicis venis clariſſimi. Nomen autem Chalybes factum eſt ex alio vetuſtiorę Alybes, quod congruit cum nomine Iobel, exigua metatheſi litterarum. Ac ſignificat Iobel res natas in terra, *Ein gevvechs vnter der erden.* Inde Iabiles, *Die daſſelbige gevvechs geſucht haben.* Sicut nos dicimus, *Die Berckleute.* Hinc nomen vrbis fuit Alybe, quam ſic nominat Homerus:

Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβας, ὅθι ἀργύρου ἐστὶ γενέθλα. Et Argonautas ſcribit Apollonius ad Chalybes in Aſia veniſſe, de quibus inquit:

Hæc gens tellurem rigidam non vertit aratro,
Sed ferri venas ſcindit ſub montibus altis,
Mercibus hæc mutat, quæ vitæ alimenta miniſtrant.

Hos Iberos & Chalybes in Aſia, qui ibi venas metallicas ſcrutati ſunt, ortos eſſe à Thubal conſentaneum eſt. Nam & Ezechiel collocat Thubal in Septentrionem. Scribit autem Iuſtinus in poſtremo libro, Chalybes in Hiſpaniam veniſſe, vt credibile eſt illius gentis homines, quæſiuiſſe venas metallicas & in aliis terris, ideò non temerè interpretatur Ioſephus Thubal Hiſpanos, quia Chalybes ex Aſia in Hiſpaniam migrarunt. Exiſtimo autem varias gentes etiam initio in Hiſpaniam ex vicino Aphricæ littore infuſas eſſe.

Moſoch, id eſt, extendens, videlicet ab extendendis arcubus ſeu iaculando, videtur nomen factum eſſe. Aut certè ſignificat longinquos, & procul extenſos, *Die da vveit ligen.* Congruit autem cum appellatione, quæ adhuc

manet Moſchouiæ, quæ eſt à veteribus appellationibus, quæ extant. Μόσχοι & Μοσσύνοικοι, id eſt, Moſchici, & Moſſynœci, in Argonautico carmine. Et ſcribit poëta dictos eſſe a caſis ligneis, quarum nomẽ fuit μόσσυνοι apud ipſos. Ea gens, vt pleræque aliæ, cùm primùm in littore Ponti Euxini ſedes teneret ad fluuium Thermodontem, vbi poſtea Cappadoces fuerunt, deinde verſus Septentrionem progreſſa eſt. Pſalmus inquiens: Hei mihi, quod exulo in Meſech, ſignificat gentis feritatem inſignem eſſe, ſicut in Argonautico carmine deſcribitur.

Tiras, id eſt deſtructor. Ab hoc Thraces eſſe ortos aiũt. Mirum eſt autem, fluuiorum appellationes durabiliores eſſe, quam terrarum & montium, quum tamen fluuij moueantur, ac ſæpenumero alueos ſuos mutent, contrà verò montes ſtent immoti.

Quũque nomen ſit fluuij in Ruſſia, Tiras, quem hodie nominant Niſtrum, conſentaneum eſt, ab hac appellatione filij Iaphet & fluuium & gentem nuncupatum eſſe.

FILII GOMER NOMINANTVR Aſcanes, Riphat & Togorma.

COMMVNIS Ebræorum ſententia eſt, ab Aſcane ortos eſſe Tuiſconas, exigua mutatione literarum, prępoſito articulo, Die Aſcanes. Inde Tuiſcones.

Etymologia nominis Aſcanes, ſignificat eũ antecelluiſſe authoritate propter doctrinam & virtutem, cùm præeſset regioni. Quia Aſcanes eſt ſacerdos aut cuſtos ignis, Eſch Cohen. Fuit autem vetuſtiſſima ſuperſtitio apud ignem ex ſacrificiis ſeruatum, dicere precationes.

Terra Aſcania fuit, ſupra Phrygiam in Bithynia verſus Cimmerium Boſphorum. Et in ea regione fuit palus Aſcania quæ diu nomen etiam retinuit Romanis temporibus. Et ductor exercitus inter auxilia Troianorum nominatur Ἀσκάνιος Iliados 2. vbi hæc ſunt verba:

Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς
Τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης: hoc eſt, Phrygas ducebat Phorcys, & Aſcanius Deo ſimilis, procul ex Aſcania. Nec mirum eſt poſteros Aſcanis deinde in alia loca migraſse, vt progreſſi ſunt Cimbri, & ex locis vicinis Bithyniæ Caucones, & Caici, & Heneti.

Denique vſitatas fuiſse magnarum gentium migrationes nihil dubium eſt. Sæpè etiam diuerſæ gentes coniunctæ ſunt, & ſedes in vicinis locis cœperunt, vt manifeſtum

eſt, Teutonicæ genti permixtam eſse Henetam, & inde vſque à Carpatho ad Albim ſedes promiſcuas habuiſse.

Quid nunc vſitatius eſt priuatorũ migrationibus? Quarum conſideratio commonefaciat nos de imbecillitate rerum humanarum, vt cogitemus vnicam eſse perpetuam patriam cœleſtem, hanc expetendam eſse, & ad eam præparandos eſse animos noſtros.

Riphat inde Riphei, id eſt, Gigẽtes. Notiſſima eſt autem appellatio Ripheorum montium, de quibus, etſi quid alij ſcribant, non ignoro, tamen in illa parte Septentrionis hæc appellatio celeberrima fuit, in qua fuerunt Sarmatæ, & inter Sarmatas Heneti, ſicut Ptolemæus inquit: Sarmatarum gentem maximam Henetos eſse. Nomino autem Henetos omnes, vbicunque conſederunt, qui lingua Polonica vtuntur, etiamſi dialectis differunt.

Nec diſcrepat ab hac noſtra interpretatione Ripheorum Ioſephus, qui ait, à Riphat Paphlagonas ortos eſse, quorum appellatio poſterior eſt. Nam in eo ipſo loco, quẽ Paphlagones tenuerũt, fuiſse Henetos, ex Homero & Argonautico carmine apparet. Sic enim inquit Apollonius.

Παφλαγόνων, τοῖσιν δ᾽ Ἐνετήϊος ἐμβασίλευε.

Progreſſi autem Heneti in littore maris Euxini, compleuerunt magnam partem lateris Arctoi in Europa, & adhuc tenent eas regiones, quæ nunc nominantur Ruſſia, Lituania, Polonia. Et lingua & nomen Venetæ regionis ad ſinum Adriaticum oſtendunt, Henetos in Illyricum & vicinas regiones progreſsos eſse, ſiue ab Antenore eò ducti ſunt ex Aſia, ſiue cùm iam in Europa eſsent, paulatim aliis occaſionibus ad meridiem proceſserunt in terras mitiores, minùs frigidas, & frugum & vini feraces. Inde effuſi ſunt in has regiones, inter Viſtulam & Albim, & occuparunt Bohemiam, in qua antea fuerunt Hermunduri & Boij & compleuerunt littus Balticum, vnde nomen eſt in Pruſſia ſinus Venedici.

Cum igitur magnam Europæ partem tenuerint Heneti, & adhuc teneant, & magna regna conſtituerint, conſilio & virtute eos antecelluiſse non dubium eſt. Sunt igitur à Riphat, Riphei, qui ſunt Sarmatæ & Heneti. Nomen Heneti, vt ſonat, ſignificat Ebræis Vagabũdi, vt Græci dixerunt, Νόμαδες id eſt, ſubinde alia paſcua, & alia loca quærentes.

Sarmata rectiùs Sauromata, id eſt, Dux altitudinis. Quod intelligo de regione ardua, quia aſsurgit terra verſus Se-

ptentrionem, quaſi dicas, Ducem ſuperioris regionis. Ex nomine Sarmata exiſtimo factum eſſe nomen Sorabi, paucis literis mutatis, quæ appellatio adhuc eſt magnę regionis in Illyrico, Seruia. Et in hiſtoria Caroli Magni legitur, ad Salam ab eodem domitos eſſe Sorabos. Vbi adhuc ſunt nomina Sorben & Sorbek.

Inter filios Sem in primo libro παραλειπομένων, cap. 1. nominatus eſt Gether, à quo Getas ortos eſſe conſentaneum eſt.

Getas autem Gottos poſtea nominatos eſſe nō dubium eſt, qui progreſſi tenuerant eam regionem, quæ nunc Wallachia dicitur, & occupauerunt ripam Viſtulæ, & Sueciam & vicinas regiones, vbi nomen hæſit Gotthia. Significat autem Geth molam, Gether dominus molæ fortaſſis, quia poſteritas loca vberrima tenuit.

Getas autem locutos eſſe Teutonica lingua non dubiū eſt. Fuerunt ergo mixti genti Teutonicæ, quæ nomen habet Tuiſcones ab Aſcane, vt ſupra dictum eſt, quod adhuc vſitatum eſt. Vnde autem ſit nomen Germani, quod olim vſitatius fuit, mirum eſt. Quidam ineptè fingunt à Romanis noſtros homines dictos eſſe Germanos, id eſt, fratres Gallorum, quod lingua, habitus & mores Gallorum & Teutonum ſimiles eſſent.

Vnde autem nomen ſit Gallorum, nihil dubium eſt. Nam Wallen in lingua Teutonica ſignificat peregrinari, & aliquas noſtras gentes Rhenum tranſgreſſas, in locis fertilioribus conſediſſe, nomina oſtendunt, vt Tungri, Semones, & aliæ quædam appellationes. Nomen igitur vniuerſi à peregrinando ſibi indiderunt Wallen, quod eſt Galli. Nec verò appellationem Germaniæ Latinam eſſe arbitror, ſed cum iiſdem ſyllabis apud Herodotum inter appellationes Gentium, quæ Perſis vicinæ fuerunt, ſint Γερμάνιοι, Δάοι. Σάγαι, inde etiam à Caſpio mari paulatim progreſſas eſſe arbitror, fugientes bella aut tyrannidem.

Fortaſſis vt diſcederent ab ethnicis idolis, hortatores & doctores Iſraelitas habuerunt, à quibus doctrinam de vero Deo, & alias honeſtas leges multos in Oriente didiciſſe non dubium eſt. Ideò enim diſperſæ ſunt decem tribus, vt ad alias gentes quoque proferretur nòtitia de vero Deo. Sicut Herodotus ſcribit, in Colchica fuiſſe ritum Circumciſionis.

Nomen Germaniæ congruit cum Germania. Sed etymologia poteſt eſſe, Gerim Ani, id eſt, aduenæ miſeri, ſeu

pauperes

pauperes. Nomen Dai ſignificat ſcientes. Sæcæ à Sagan: quod interpretātur ſacerdotem ſeu vatem. Vnde Latinis eſt Saga, & præſagiū. Et apud Eſaiam & Eſdram eſt pro recto-re populi. Inde eſt nomen Germanicum *Segen*, benedictio.

Hæc pauca de multarum gentium ſtirpibus & diſperſione addidi, quia eccleſiæ doctrinam antiquiſſimam & primam eſſe inde intelligitur, cùm ibi certæ ſtirpes multarum gentium cernuntur, quas ab illis maioribus ortas eſſe, nomina & teſtimonia prophetica oſtendunt. Deinde in tantis diſperſionibus quærendum eſt, vbi & quæ fuerit eccleſia Dei. Ideò enim præcipuè voluit Deus extare Chronica, ſeu hiſtorias, & annorum ſeriem, vt ſciamus ordinem patefactionum diuinarum, & vbi & qualis ſemper fuerit eccleſia.

Vixit Nohe poſt diluuium annos trecentos quinquaginta. Et rediiſſe arbitror ex Armenia in veterem patriam, id eſt, in loca vicina Damaſco, vbi antea vixerat, & vbi primos parentes conditos eſſe ſciebat. Et poſt diluuium agnoſcere regionem potuit, conſideratis ſpaciis dierum, & vmbris in gnomone. Certum eſt enim filium Nohę Sem rurſus vixiſſe in illa regione, cùm fuerit rex Salem, quæ poſtea nominata eſt Ieruſalem. Eſt enim Sem ille ipſe, qui nominatur Melchiſedek.

Fuit igitur eccleſia Dei in illis locis, vbi fuerunt Nohe, Sem, & filij Sem tantiſper, donec retinuerunt veram doctrinam. Ac Sem doctrinæ lucem retinuit. Sed cùm eius poſteri in Babylone eſſent, ibi paulatim vera doctrina extincta eſt, & impij cultus recepti & ſtabiliti ſunt. Eduxit igitur Deus Abraham ex Babylone ad patrem maiorum ſuorum Sem, vt rurſus inſignem eccleſiæ cœtum coniungeret ſtatim poſt mortem Nohæ. Nam à Diluuio ad mortem Nohæ ſunt anni trecēti quinquaginta. Poſt mortem Nohę ſunt anni ſedecim vſq; ad migrationem Abrahæ ex Charam in Palæſtinam, vbi Deo gratias agit, quod eductus ſit ex Vr Chaldæorum, id eſt, ex cultu idolorum Chaldeę. Nam Vr ſignificat lumen, & inde nomen cultus fuit, quia ex igne diuinitus accenſo apud patres ſeruabantur lychni. Inde nomen fuit Orimaſda, id eſt, lumen ſanctum; Orim Heſed.

Cùm igitur veniſſet Abraham cum fratre ad Sem, cogitemus quam pulchrum collegium fuerit Sem, qui viderat diluuium, & deinde aliorum. Fuit autem Abraham natus ex filiis Sem hac ſerie:

Sem,
Arphaxat,
Sale,
Eber,
Phaleg,
Reheu,
Saruch,
Nachor,
Thare,
Abraham.

Cogitandum eſt autem, quàm dulcis conſuetudo fuerit, Sem, & Abrahæ, & cognatorum, cùm octauum ex poſteris videret Sem ad Eccleſiæ ſocietatem vocatum eſſe, & ei certam ſedem promiſſam eſſe, & promiſſionem ei renouatam eſſe de Meſſia, propter quem deleta morte, reſtituēda eſſet vita æterna. Non igitur cogitemus fuiſſe eccleſiam illo tempore ignotam & futilem turbam: ſed ſciamus ibi generis humani lumina fuiſſe, & vidiſſe multa illuſtria teſtimonia præſentiȩ Dei.

Semper autem & doctrina conſideretur, quam præcipui viri in eccleſia profeſſi ſunt, & quæ à cæteris gentibus diſtinxit eccleſiam. Repetita eſt ad Abraham promiſſio de ſemine venturo, quod abolito peccato & morte redditurum eſſet iuſtitiam & vitam credentibus. Hunc verū Deum inuocabant patres, Sem, Abraham, Loth, & eorum auditores, qui ſe tradita hac promiſſione patefecerat: & inuocabant fiducia illius venturi ſeminis, propter quod ſolum ſciebant ſe recipi & exaudiri. Sicut Dominus inquit: Abraham vidit diem meum, & lætatus eſt. Hac fide, inuocatione, & confeſſione diſtinguebantur ab aliis gentibus membra eccleſiæ, & damnabant ſectas, quæ ab hac doctrina diſceſſerant, & excogitabant quotidie nouos cultus, noua numina & idola. Voluit Deus etiam ſemper vocem legis repeti in eccleſia, vt ad Nohe repetita eſt lex prohibens homicidia. Ad Abraham repetita eſt lex prohibens inceſtas libidines, & oſtenſa pœna Sodomorum, quȩ deleta ſunt,

Anno ab initio mundi 2047.

Anno poſt mortem Nohæ 41.

Anno ab aduentu Abrahæ in Palæſtinam 25. Cùm non multò antè Abraham victor pepuliſſet exercitum regum, qui abduxerant magnam multitudinem ex illis vrbibus, quam Abraham reduxit. Ac ſemper in ſola eccleſia Dei manſit lex diuina incorrupta, vt ſit teſtimonium, qui populus ſit eccleſia.

Quanquam autem lex non erat ignota gentibus, tamē quia gentes noua numina & nouos cultus fingebant, & permittebant tetras confuſiones libidinum, etiam voce

legis

legis diſtinguebatur eccleſia à cæteris gentibus. Et quia damnabat ſcelera, gentes ſæuitiam exercebant in eccleſiam, quę tamen mirabiliter à Deo protegebatur. Inde intelligi poteſt, qualis fuerit eccleſia ſcilicet ſubiecta cruci, cùm imperia tenerent multi impij, vt in Babylone & in Sodomis. Interea tamen Deus oſtendit teſtimonia ſuæ præſentiæ in eccleſia mirandis liberationibus, vt docent hiſtoriæ Abrahæ & Loth.

DE MONARCHIIS.

VT ſemper in hiſtoriis quærendum eſt, vbi, & quæ eccleſia Dei in genere humano fuerit: ita & ſeries imperiorum conſideranda eſt, quæ voluit Deus conſtitui, & diſciplinæ cauſſa, & propter defenſionem communis ſocietatis. Nam ſi mali non reprimerentur: ſed impunè raperent aliorum res, coniuges, filios & filias, & trucidarent quos vellent, nulla poſſet manere honeſta ſocietas hominum. Cùm autem initio fuiſſent paterna imperia, & nulla familia ſontes reciperet, poſtea cùm multitudo creuiſſet, & plures eſſent mali, & ſontes haberent ſocios & receptus, Deus hoc nouo conſilio muniit ſocietatem, videlicet excitato duce, qui armis & præſidiis coërceret populos ne latrocinia exercerent, & vt ad iudicia & pœnas vi traherentur. Adeóque citò creuit hominum malitia, viuente adhuc Noha, vt circiter annum centeſimum poſt diluuium & turris Babylonica condita ſit, & gentium diuiſio facta ſit, & mox Nimrod imperium armis conſtituere cœperit. Significat autem Nimrod amarum dominatorem, quia hæc forma imperij fuit terribilior, quàm antea paterna authoritas.

Et nominatur Venator coram Domino, quia & feras & latrones cœpit, & à Deo armatus eſt robore & ſucceſſibus, vt conſtituere durabilem imperij formam legibus, iudiciis & præſidiis, & ſontes vi trahere ad pœnas poſſet. Ita initium regnorum in Babylone fuit, poſtea alibi alia orta ſunt. Sed Deus ſingulari conſilio ſocietatem generis humani ſic muniit, vt ordine maxima imperia, quæ monarchiæ nominantur, conſtitui voluerit, vt plures gentes coniungi poſſent, & vnius ſummi imperij potentia facilius tyranni punirentur. Ac in ipſis monarchiis exorta tyrannide, ſumma potentia vel ad alios duces, vel ad alias gentes tranſlata eſt. Hic ordo imperiorum, & cauſſæ mutationis conſiderandæ ſunt, quæ comprehenduntur in dicto Syracidæ, cap. 10. Regnum à gente in gentem

transfertur, propter iniuſtitiam.

Hactenus in primo libro complexi ſumus duos millenarios, in quibus recitãtur initia mundi & generis humani, & primæ eccleſiæ. Poſt diluuiũ poſteritas Nohæ à quo iterum propagatum eſt genus humanum, per eum inſtaurata eccleſia: & deinde per eius pronepotem Nimrod inchoata forma imperij.

Atque hæc ſunt initia primæ monarchiæ, quæ tamen varias vices habuit. Nam à poſteris Cham, poſt annos ferè ducentos tranſlata eſt ſumma potentia ad poſteros Sem, videlicet ad Aſſyrios, cùm Ninus conderet Niniuen. Prima igitur monarchia aliàs Chaldæa, aliàs Aſſyria nominatur. Et Xenophon rectè ſcribit, primos hominum Chaldæos latè regnaſſe.

LIBER SECVNDVS CHRONICORVM.

ANno à condito mundo 2007. mortuus eſt Noha. Deinde 16. anno Abrahã cùm fratris filio Loth, venit ex Haran in Sichem, vbi quæ fuerint ærumnæ peregrinationum eius, & qualem collegerit eccleſiam, oſtendunt narrationes in Moiſe. Ac iam in Aſſyria & Babylone monarchiam tenebat Nini filius, poſt matrem Semiramidem. Ac ſingulare & potens regnum in Ægypto eſſe cœperat, vbi regum communis appellatio erat Pharao, à libertate ſumpta. Nam Pharaones ſignificat liberos.

Attingit autem hiſtoria Iſraelitica res geſtas à regibus Babylonicis, Aſſyriis & Ægyptiis. Ideò recitabo quantum extat de regno Babylonico, & Aſſyrio, vt in multis hiſtoriis ordo temporum meliùs cognoſci poſſit, & hîc quoque cernatur antiquitas ſtirpis Iſraeliticæ, & conſideretur, quomodo eccleſia & duriter ab omnibus quaſſata ſit, & tamẽ ſeruata diuinitùs, & quomodo propugnata ſit doctrina in has ipſas vicinas gentes.

Nimrod poſt annos circiter centum à diluuio.

Deinde poſt annos ferè ducentos Ninus condidit Niniuen

uen in Aſſyria, ac ſumma potentia ad Aſsyrios tranſlata eſt, qui & Niniuen & Babylonem tenuerunt.

Semiramis vxor Nini, cõdidit mœnia Babylonis, & foſſam fieri curauit, & progreſsa plures regiones occupauit.

Ninias filius Nini & Semiramidos vixit in ocio, adeò vt inde in ſcriptoribus Ionicis, propter ignauiam vituperetur, vt narrat Athenæus lib.2. Ἀεργὸς ἐσθίειν καὶ πίνειν, τὰ δ' ἄλλα ζῆν πατρῷον ὤλεσ. Hoc regnante, Abraham venit in Palæſtinam.

Poſt hunc in hiſtoria Sodomorum fit mentio regis Sẽnaar, id eſt, Babylonis, Amraphel, id eſt, dicẽs euerſionem. Geneſis 14. Credibile eſt autem, varias mutationes in his vicinis regnis, Chaldęo & Aſsyrio accidiſse. Ac nomina regum Aſsyriorum recenſentur, ſed quia res geſtæ non ſunt additæ, omitto cætera nomina.

Hoc plurimi ſcribunt, ex Aſsyriis regibus vltimum tenuiſse monarchiam, id eſt, Babylonem & Niniuen, Sardanapalum. Hic fortaſſis & propter vitia, & quia diſtractioni monarchiæ proximus fuit, celebratus eſt. Nomen eſt plenum arrogantiæ. Cùm enim ruinæ impendent, creſcit ſuperbia, ſicut dicitur: Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Sar, id eſt, Dux: Dan, Iudex: Niphil, euerſor. Sic & Gigantes nominarunt ſe Niphil.

Aiũt autem hunc Sardanapalum fucis pinxiſse faciem, & in gynęceis omiſsa imperij cura, obſcœnis voluptatibus deditum fuiſse. Propterea duo principes, præfectus Babylonicus Phul Belochus, & Arbaces Medus, bellum aduerſus eũm mouerunt. Narrant quidam, ab Arbace Medo interfectum eſse, ſed Duris ſcripſit, eum incenſa regia Babylonica ſeſe, & mulieres, & reliquam turbam, quæ ibi fuit, incendio perdidiſse, & quidem incendium duraſse dies quindecim.

Hic triſtis exitus ad exempla iræ Dei pertinet, mutantis imperia propter principum & populi delicta & inſignibus pœnis magnitudinem iræ oſtendentis. Sunt autem ab exitu Abrahæ ex Charan, vſque ad Sardanapali interitum, anni mille triginta tres. Ac periit Sardanapalus regnante in Iudæa Oſia.

Poſtea Phul Belochus, id eſt, euerſor vaſtans, præfectus Babylonicus, tenuit Babyloniam & Niniuen, & regnauit annos quadraginta octo: Arbaces verò Medus dominatus eſt Medis & Perſis. Sed nunc pertexo ſeriem regum Aſsyriorum, vſque ad monarchiam Perſicam. Nam Aſſyrij de-

inceps decem tribus Iſraeliticas, & poſtea tribum Iuda aſſiduè adflixerunt. In lib. 4. Reg. cap. 15. dicitur hic Phul Belochus intuliſſe bellum regi Iſraelitico Menahem.

Succeſſit patri Phulaſſar, id eſt, euerſor Aſſyrius, qui in libro quarto Regũ cap. 15. nominatur Tiglat-Philaſſar: ſiue à traductione Iſraelitarum in exilium: ſiue ab ipſa Galilęa. Quia hic primus Galilęa potitus eſt, & tribum Nephthali abduxit in Aſſyriam. Regnauit annos tres & viginti.

Salmanaſſar, id eſt, pacificus Aſſyrius, regnauit annis decem. Anno quinto Samariam obſidione cinxit Cúmque in tota regione decem tribuum oppida paſſim deleuiſſet, maiorem populi partem abduxit in exilium.

In capite decimo Hoſeæ fit mentio huius regis Salman, vbi dicitur. Sicut vaſtauit Salman domum Arbela in die prælij, matre ſuper filios alliſa: ſic faciet vobis Bethel, propter malitiam ſcelerum veſtrorum. Vbi Latinus interpres lectionem ineptè corrupit, cùm hæc ſit natiua ſententia: Regem Salman deleturum eſſe Samariæ regnum, ſicut euertit vrbem Arbela.

Apud Ptolemæum nomen eſt regis Nabonaſſar, à quo numerat ad Alexandri mortem, annos quadringentos, viginti quatuor. Hunc eſſe Salmanaſſarem annorum numerus oſtendit. Nomen autem Nebo ſignificat diuinum, quia idolum fuit eius nominis, à vaticinando ſic dictum, vt Græci Pythium nominarunt. Nebonaſſar, id eſt, diuinus Aſſyrius.

Sennacherib filius Salmanaſſaris, id eſt, biceps gladius, regnauit annos ſeptem, qui, vt imitaretur patrem, reliquam partem populi Dei delere conatus eſt; cinxit obſidione Ieroſolymam; vbi cùm Deus ab Eſaia & Ezechia inuocatus eſſet, Angeli miſſi trucidarunt exercitum Aſſyrium. Rex fugiẽs cùm rediiſſet in Niniuem, in templo à filiis interfectus eſt. Harum rerum fama tam celebris fuit, vt lib. 2. Herodoti earum mentio fiat, quanquam non recitantur integrè. Nomen tamen Σαναχάριβος retinet: & ſtatuam eius inquit in templo Ægyptiaco ſtare, cum hac inſcriptione: In me aliquis intuens, pius ſit: εἰς ἐμὲ τίς ὁρέων εὐσεβὴς ἔςω.

Aſſarhaddon, id eſt, Aſſyrius acutus, ſucceſſit interfecto patri: regnauit annos 10. Hic rurſus mutata ſunt hæc vicina regna, & Aſſyrij, amiſſa monarchia, domiti ſunt à Babyloniis. Fuítque monarcha Chaldæus Merodach.

Merodach, id eſt, amara contritio, Babylonius, domitis Aſſyriis, tenuit monarchiam annos quadraginta. Huius mentio-

mentionem facit Eſaias cap.39.

Benmerodach, id eſt, filius prioris Merodach, recuperatoris monarchiæ apud Babylonios, regnauit annos viginti & vnum.

Nabuchodonozor primus, id eſt, diuinus iudex Aſſyrius, vel tribulator, regnauit annos triginta quinque. Geſſit bellum cum rege Ægyptio Neco, cuius belli mentio fit in hiſtoria Ioſiæ, 4. Regum 23. Et 2. Par. 35. vbi ſcribitur, Ioſiã interfectum eſſe in Mageddo. Quæ appellatio de eadem hiſtoria extat & in Zacharia, cùm inquit Dominus. Aſpicient me, quem confixerunt: In eo die erit planctus, ſicut fuit in campo Mageddon, videlicet interfecto Ioſia.

Herodotus lib. 2. mentionem facit eius belli, & pugnæ locum nominat Magdalum, ſicut Ieremias eius nominis mentionem facit. Sed vicina ſunt oppida, in littore, in regione tribus Manaſſe, Mageddo & Magdalum.

Nabuchodonozor magnus, regnauit annos quadraginta tres. Celebratiſſimus eſt in hiſtoria prophetica, propter exiliũ tribus Iuda in Babylone. Anno ſedecimo ſui regni, cinxit obſidione Ieroſolymam, regnante Zedechia. Apud Ieremiam cap. 39. ſcriptum eſt, obſidionem duraſſe annum integrum & ſex menſes. Proximo menſe poſtquam vrbs Ieroſolyma capta eſt, iuſſit rex Nabuchodonozor deleri vrbem & templum, & tranſtulit Iudæorum multitudinem in Chaldæam, vbi exulauit tribus Iuda annos 70.

Et quanquam ingens calamitas eſt exilium, & ita diſſipata erat gens Iudaica, & euerſa vrbs Ieroſolyma, & deleta politia, vt humanis conſiliis reſtitui non poſſet: tamen Deus mirabiliter & ſeruauit gentem, & reduxit, & in exilio magna gloria ornauit. Nam Danielis confeſſione & doctrina conuerſi ſunt ad veri Dei agnitionem quatuor monarchæ: Nabuchodonozor, filius Euilmerodach, & deinde Darius Medus, & Cyrus Perſa. Hæc non ſunt facta ſine inſignibus miraculis, in quibus Deus teſtimonium oſtendit de ſua doctrina & de eccleſia, quorum aliqua in hiſtoria Danielis recitantur, quem hic Nabuchodonozor in Babylonem abduxerat.

Obſerues autem, hunc victorem Nabuchodonozorem ortum eſſe ex Babyloniis regibus, videlicet à Merodach, cùm iam, poſt Sennacherib, rurſus dominarentur Babylonij Aſſyriis.

Euilmerodach, id eſt, inſipiens Merodach, ſeu iunior Merodach, regnauit annos triginta. Primo anno, cùm patri

Nabuchodonozor Magno ſucceſſiſſet, liberauit Ieconiam ex carcere, & ei regium honorem & victum attribuit, vt in vltimo capite quarti Regum ſcribitur, & in vltimo capite Ieremiæ.

Conſentaneum eſt autem, & hunc amplexum eſſe doctrinam Danielis de vero Deo, quam & pater publico edicto profeſſus eſt, eámque ob cauſam clemẽtiam exercuiſſe erga regem Ieconiam. Et fortaſſis ideò principes impij nominarunt eum ſtultum Merodach.

Balſaar, id eſt, dominus exercitus, regnauit cum fratribus annos quatuordecim. Hic amplexus eſt idolorum cultum, & vero Deo populi Iſrael, palam in conuiuio maledixit, vt ſcriptum eſt Danielis 5. Tam citò bonorũ principum poſteritas deſeruit proximorum patrum doctrinam & exempla. Sic autem punitæ ſunt eius blaſphemiæ, vt capta Babylone, & ipſo interfecto, monarchia tranſlata ſit ad Perſas.

Cùm autem Herodotus in lib. 1. nominet Labynitũ eũ, qui capta Babylone à Cyro interfectus eſt, conſentaneum eſt hunc Balſaarum eſſe apud Herodotum Labynitum, quod ſignificat gladium tradentem, vel inclinantem.

Hic finis eſt primæ monarchię, quę nominatur monarchia Chaldæorum & Aſſyriorum. Ac rurſus hic illuſtre exemplum propoſitum eſt communis regulæ: Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitiam, ac pręſertim propter blaſphemias, ac ſæuitiam, quę in eccleſiam exercetur. Excitatus eſt autem Cyrus, vt poſtea dicam, vt populum Iudæorum rurſus mitteret in Iudęam, ad inſtaurationem templi, & politiæ. Ipſe enim doctrinam de vero Deo à Daniele didicerat.

Hactenus recitaui catalogum aliquot regum Chaldęorum & Aſſyriorum, præſertim eorum, quorum fit mentio in prophetica hiſtoria, quorum ſeriem in conſpectu habere vtile eſt.

DE ABRAHAM, ET DE CIRcumciſione.

VT patefactionum diuinarum ſeries, & tota hiſtoria eccleſiæ conſpectior eſſet, Deus, ſingulari conſilio, monarchias & inſtituit, & notas eſſe voluit. Quare poſtquam catalogum regum Chaldæorum & Aſſyriorum breuiter recenſui, rurſus dicamus, quæ & vbi fuerit eccleſia. Dictum eſt autem, Abrahę migrationem in terram Canaan incidere in tempora filij Semiramidos: quia tunc ſub

rege

rege ignauo , & impio, creuerunt & tenebræ,& tyrannis contra pios. Ac hiſtoria peregrinationis legatur in Moiſe. Nos breuiter tempora annotamus.

Anno mundi bis milleſimo viceſimo tertio , Abraham ex Haran , notiſſima vrbe in hiſtoriis(in quibus nominatur Charræ , & factum eſt nomen ab æſtu) venit in terram Canaã, vbi primum eius domicilium fuit in Sichem, quæ vicina fuit illi loco , vbi poſtea Samaria fuit,& vberrima regio eſt terræ Palæſtinæ. Ac tunc erat Abraham annorum ſeptuaginta quinque. Inde in AEgyptum propter famem profectus eſt,ac poſt aliquot annos rediit.

Anno Abrahæ nonageſimonono inſtituta eſt circumciſio , cùm iam aliquoties repetita eſſet promiſſio de venturo ſemine, propter quod Deus tollit peccatum & mortem,& reſtituit iuſtitiam & vitam æternam. Ac tunc nouo & admirabili ſigno , videlicet Circumciſione , diſtincta eſt Abrahæ poſteritas à cæteris gentibus , & promiſſa eſt ei certa ſedes , & decretum eſt , in ea poſteritate ſemper fore eccleſiam Dei,donec naſceretur Meſſias. Fore etiam membra eccleſiæ omnes , qui doctrinam eius populi amplecterentur,etiamſi ritum circumciſionis non aſſumerent illi, qui non erant nati ex ſemine Abrahæ. Sic voluit Deus certò ſciri , quæ & vbi eſſet eccleſia Dei, & conſpici diſcrimen eccleſiæ à cæteris gentibus , ac intelligi,vocem promiſſionis de Meſſia ſeiungere eccleſiam ab omnibus gentibus. Hanc qui non norant,non erant membra eccleſiæ,ſicut ſcriptum eſt:Abraham vidit diem meum,& lætatus eſt. Et exiſtimo, ipſum Filium Dei,viſibili ſpecie,hoſpitem fuiſſe Abrahæ, in cœna , quæ deſcribitur in cap.18. Geneſis. Cogita autem,quàm venerandus cœtus eccleſiæ fuerit,cùm ibi conuenirent,Sē filius Nohæ,qui viderat vtrumque mundum , & nominatur Melchiſedeck , ac rexit oppidum , quod poſtea dictum eſt Ieruſalem. Et Abraham,qui erat in vicina vbe Hebron,quæ à Ieroſolyma diſtabat circiter quinque Germanica milliaria.Itē & Abimelech Rex in Gerare , quæ diſtabat ab Hebron circiter duo milliaria Germanica.Et multi alij præſtantes viri.

DE POENA SODOMÆ.

SImvl autem conſideres teſtimonia patefactionum diuinarum. Eodem anno,quo inſtituta eſt circumciſio,& manifeſta miracula addita ſunt:Anus effœta,& quæ antea fuerat ſterilis , fit grauida , & confirmata eſt eccle-

ſia dulciſſimis conſolationibus. Mox addita ſunt & alia miracula, quæ ſunt exempla iræ Dei, quibus Deus teſtatus eſt, ſe ſeruare eccleſiam, & puniturum eſse impios. Tunc enim horribiliter Deus, propter tetras libidinum confuſiones, flammis de cœlo ſparſis, deleuit vrbes Sodomam, Gomorram, Adamam, Seboim & Segor, quarum ruinis demerſis in terram, in earum vrbium ſede, factus eſt lacus exhalans pernicioſos fumos Ἀσφαλτῖτις qui extēditur Germanicis milliaribus octo. Et Strabo inquit: πλέον τὶ διακοσίων σταδίων. Et manet hodie hoc illuſtre teſtimonium iræ Dei.

Prodeſt & ſeriem annorum conſiderare, vt videamus vtrumque, & exiguo tempore hominum ſcelera magna incrementa accepiſſe, & Deum ſubinde noua teſtimonia in pœnis & liberationibus oſtendiſſe. Deletæ ſunt hæ vrbes, Sodoma, Gomorra, & ceteræ, anno quadrageſimo poſt mortem Nohæ. Et poſt diluuium anno trecenteſimo, nonageſimo, viuente adhuc Sem, qui & diluuij & huius incendij ſpectator fuit: qui quidem, vt teſtis & cuſtos eſſet veræ doctrinæ, vixit poſt Abrahæ mortem annos 35. Hi tales viri, Sem, Abraham, Loth, cùm de voluntate Dei illam viciniam docerent, & cùm Abraham recèns ciues Sodomorum abductos reduxiſſet, tamen ab impiis adeò ſpreti ſunt, vt tanta ſcelera multi palam facerent, nec vererentur oculos talium virorum, quibus verè adeſse Deum ex multis non dubiis teſtimoniis ſciebant. Profectò horribile ſpectaculum eſt tantus furor impiorum, cùm optimos haberent doctores, voluntatem & iudicium Dei oſtendentes. Sed hoc inſigne exemplum monſtrat, quomodo eccleſia in hoc mundo inter impios ſpreta prematur, & ſeruetur tamen.

Hic cogitētur cæteræ hiſtoriæ, comprehenſæ in Moiſe, de Abraham, de oblatione Iſaac, de filiis Iſaac, Iacob, & Eſau, de peregrinationibus Iacob, & filiis eius. Et conſideretur, qualis illa eccleſia fuerit, quæ doctrina, quæ ærumnæ, & liberationes, quę teſtimonia præſentiæ Dei fuerint. Hic enim breuiter annorum ſeriem annotamus.

Diligentiſſimè verò conſideretur hiſtoria Ioſeph, per quem regnum Ægyptium eo tempore florentiſſimum conſtitutum eſt, & propagata vera doctrina de Deo in magna Ægypti parte.

Iacob fuit annorum nonaginta vnius, cùm ei ex Rahel natus eſt filius Ioſeph.

Ioſeph anno ſeptimo decimo ætatis ſuæ in Ægyptum venditus

venditus eſt, viuente adhuc Iſaac, qui in communi dolore, & luctu fuit, cùm filio Iacob.

Vixit autē Iſaac, poſt venditum Ioſeph, annos duodecim.

Ioſeph, cùm eſſet triginta annorum, ex carcere liberatur, & conſtituitur princeps in regno Ægyptio, vt capite 14. Geneſis ſcriptum eſt.

Poſtea cùm fames ſequuta eſt, forma regni Ægyptiaci conſtituta, & tributa ordinata ſūt, & ſacerdotum collegio reditus attributi ſunt, vt eſſent doctrinæ cuſtodes. Etſi autem doctrina de Deo, poſt Ioſeph, mutata eſt & poſt exitum Iſraelitarum ex AEgypto, & ſæpe poſtea magnę regni vaſtationes acciderunt: tamen doctrina de motibus cœleſtibus, & de natura rerum in AEgypto conſeruata eſt, tot monarchiarum tempore, Aſſyrię, Perſicæ, Græcæ, & Romanæ, vſque ad barbariem Mahometicam, fere tribus millibus annorum.

Iacob deſcendit in AEgyptum anno ætatis ſuæ centeſimo triceſimo, vixit annos centum quadraginta ſeptem. Fuit igitur in AEgypto, fruens dulciſſima conſuetudine filij Ioſeph, annos ſeptem & decem, ac videns florentem regni ſtatum, quod tunc habebat regem pium, cum quo ſæpè colloquebatur & qui latè propagari veram doctrinam curauit, & multis vicinis gentibus, in fame, opem tulit.

Ioſeph vixit annos centum & decem. Nec inde vſque à Ioſeph ad tempora certaminum Moiſi, alià hiſtoria de Iſraelitis recitatur, præter expeditionē filiorum Ephraim, quæ extat in 1. Paralipomen. capite 8. vbi narratur: filios Ephraim duxiſſe exercitum ad occupandam Palæſtinam, viuente patre Ephraim, ſed interfectos eſſe. Conſentaneum eſt autem, eos, cum initia tyrannidis AEgyptiæ viderent, & ſcirent promiſſiones diuinas patribus de occupanda, & tenenda Palæſtina traditas eſſe, humanis conſiliis voluiſſe excutere ſeruitutem, & confiſos eſſe ſingulari generis pręſtantia, quod eſſent orti à Ioſeph, & ampliſſima promiſſione ornatus eſſet pater Ephraim. Hac fiducia humana, cum ſine vocatione diuina bellum mouiſſent repulſi & interfecti ſunt. Id exemplum monet ne eccleſia, ſine vocatione diuina bellum moueat ad ſeruitutem corporum excutiendam, ſed ſciat, Deum, etiam inter medias ærumnas ſeruitutis, tamen ſuas reliquias ſeruaturum eſſe.

Poſtea exaſperata eſt tyrannis regum Ægyptiorum contra Iſraelitas, de qua legatur hiſtoria in Exodo. Ideò

autem in regno florentiſſimo, & in tanta multitudine Iſraelitarum in exitu ex Ægypto, & in vicinis gentibus, tot illuſtria miracula exhibita ſunt, quia Deus certiſſima teſtimonia, de ſeſe, & de ſua lege, de promiſſione, de collectione eccleſiæ conſpici voluit: Quæ quidem cogitari vult omnibus ætatibus, vt aſſenſio de Deo, & de tota eccleſiæ doctrina in nobis confirmetur. Sed priuſquam ad eam hiſtoriam accedimus, breuiſſimè de doctrina Iacob dicamus.

Promiſſio tradita Abrahæ de ſemine reddituro nobis iuſtitiam & vitam æternam, deleto peccato, & abolita morte repetita eſt Geneſis 28. Et hanc rectè intellectam eſſe de æternis bonis, & collectione æternæ eccleſiæ, conſtat poſtea ex concionibus ipſius Iacob, vt cum cap. 48. inquit: Deus benedicat his pueris, & Angelus, qui eripuit me de cunctis malis. Hîc & Deum nominat, & nominat Angelum, videlicet Filium Dei, λόγον miſſum ad patres, & hūc affirmat non eſſe creaturam: Quia dicit, ſe per hunc Angelum à cunctis malis, à peccatis & morte liberatum eſſe. Hæc vetuſta teſtimonia de Filio Dei ſæpè cogitemus, vt ſciamus, verè Filium eſſe ὑφιστάμενον etiam antè aſſumptam humanam naturam. Et ſemper adfuiſſe eccleſiæ, ſicut & Irenæus inquit: Semper adfuit generi humano λόγος. Ita ſint noſtra chronica, narrationes, non tantùm de rebus politicis, ſed multò magis de hoc rege, Filio Dei, & de eius præſentia in omnibus mirandis operibus in eccleſia.

Prædicit etiam Iacob tempus aduentus Saluatoris. Et nominat eum Siloh, vt ſignificet, ſe reſpicere ad primam promiſſionem, in qua dicitur: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Nam etymologia Siloh eſt χώριον αὐτῆς. Sic nominat fœtum venturæ matris. Expreſsè autem prima promiſſio loquitur de reſtituenda iuſtitia & vita æterna, deleto peccato, & abolita morte. Itaque vocem Euangelij eandem docuit Iacob, quæ in ſcriptis propheticis & apoſtolicis de Filio Dei, & æternis eius beneficiis poſtea ſcripta eſt, & quæ eſt propria eccleſiæ doctrina, & eam à cæteris gentibus diſcernit.

DE EXITV ISRAELITARVM ex Ægypto.

NON longo tempore poſt mortem Ioſeph, reges AEgyptij, abiecta doctrina Ioſeph, rurſus idola coluerunt, & magicas artes amplexi ſunt. Ita non diu retinent homines lucem veritatis, niſi diuinitùs ſeruetur, ſicut

ſicut tunc veritas in populo Iſraël conſeruata eſt. Cùm autem AEgyptij odiſſent Iſraelitas , & metuerent eorum multitudinem, dura ſeruitute eos premere cœperunt, & edicta propoſita ſunt de necandis infantibus. Hæc calamitas longo tempore durauit, videlicet à nato Moiſe annos octoginta.

Inquit autem textus in Exodo cap. 12. Ebræos fuiſſe hoſpites in AEgypto annos 430. Inde Paulus numerum ſumpſit inquiens ad Galatas cap. 3. poſt promiſſionem Abrahæ datam , vſque ad legis promulgationem , annos eſſe quadringentos & triginta. Sunt igitur anni in Exodo & Paulo non numerandi à deſcenſu Iacob in AEgyptum, ſed à prima migratione Abrahæ, cùm ex Haran egreſſus, promiſſionem accepit, cùm eſſet annorum ſeptuaginta quinque. Et mox in AEgyptum profectus eſt, propter famem. Horum annorum computatio hæc eſt:

25. Vigintiquinque anni, à migratione Abrahæ ex Haran ad natum Iſaac.
60. Sexaginta. Natus Iacob.
90. Nonaginta. Natus Ioſeph.
110. Centum & decem vixit Ioſeph.
65. Sexaginta quinque poſt Ioſeph, natus Moiſes.
80. Octoginta à nato Moiſe ad exitum ex AEgypto. Summa 430. anni.

LEGATVR autem integra hiſtoria de exitu Iſraelitarum ex AEgypto , & de legis promulgatione in libro Moiſis. Quia inter res maximas in genere humano , veriſſimè eſt illa patefactio Dei facta, cùm legem, cœleſti voce, edidit in monte Sinai , audientibus ſexcentis millibus virorum. Et vt non dubium eſſet, hanc eſſe doctrinam diuinam, addita ſunt tot teſtimonia: Eductio populi per mare rubrum , aquis cedentibus, & poſtea Pharaonis interitus , manna de cœlo ſparſum , dum quotidie ſingulis duo χοίνικες dati ſunt, id eſt, quatuor ſextarij, & alia ingentia miracula , quorum conſideratio , in nobis fidem, de tota doctrina, in eccleſia, confirmet.

In ea hiſtoria hoc quoque nobis gratum ſit, quod Paulus affirmat , ipſum filium Dei , & ductorem & cuſtodem Iſraelitis adfuiſſe, & cogitemus, eum ſemper etiam eccleſiæ ſuæ adeſſe, vt inquit: Petra autem erat Chriſtus. Et placet mihi veterum interpretatio , qui , cùm Paulus inquit, legem per manum Mediatoris datam eſſe , intelligunt ipſum Filium Dei , λόγον æterni Patris , fuiſſe oratorem ad

populum, dicentem verba legis, qui ipſe poſtea in natura humana etiam inquit: Non veni ſoluere legem, ſed implere. Hęc ſuo loco copioſius declaranda ſunt.

2453. Eſt autem annus à condito mundo ad exitum Iſraëlitarum ex Ægypto bis milleſimus, quadringenteſimus, quinquageſimus tertius.

430. Ab exitu Abrahę ex Haran, quadringenteſimus triceſimus.

406. Poſt conflagrationem Sodomę, anno quadringenteſimo ſexto.

480. Anno ante fabricationem templi Salomonis quadringenteſimo, octogeſimo, vt ſcriptum eſt 3. Regum 6. cap.

Conſiderandum eſt autem, quę regna tunc in genere humano pręcipua fuerint, quibus ſpectantibus, Deus eccleſiam ſuam in loco certo conſtituere voluit. Magna fuit potentia monarchię Aſsyrię, ſed celebritas maior fuit regni Ægypti, propter opulentiam & artes. Inter hęc regna collocauit Deus eccleſiam, & illuſtribus teſtimoniis ſuam patefactionem oſtendit.

Nomina autem regum Ægyptiorum poſteriorũ, vt Necao & Apryis, qui extant in Herodoto, ad hiſtorias regum Iuda perſpicuè accõmodare poſſumus, quia tempora nota ſunt. Sed priorum regum tempora, apud Herodotũ & Diodorum, non ſunt ordine annotata.

Oſiris, id eſt, auxiliator vir, ſeu beatus vir, qui exiſtimatur vixiſse tẽpore Abrahę, & Iſis coniunx, Iſcha, id eſt, virago.

Orus, id eſt, lumen. Or, qui pręcipuè doctrinas in Ægypto monſtraſse dicitur, exiſtimo vſum eſse conſiliis Abrahę, & doctrinam de vero Deo populis tradidiſse. Fuit autem adiuncta doctrina de motibus cœleſtibus.

Filius nominatus eſt Bocchoris, id eſt, primogenitus vir.

Deinde Buſiris, id eſt, munitor, qui maxima opera extruxit. Et Diodorus Siculus ſcribit, eum condidiſse Thebas Ægyptias. Cum autem celebrata ſit Buſiridis crudelitas, qui dicitur mactaſse hoſpites, conſentaneum eſt, famam crudelitatis ortam eſse à ſęuitia, quam erga Ebręos exercuit, necatis ipſorum infantibus. Et cùm pyramides aliquas conſtruxerit, labore Ebręorum conſtructas eſse conſentaneum eſt. Nam prope oppidum Buſirim ſunt tres pyramides celebratiſſimę, quarum Plinius mentionem facit. Apparet autem eodem nomine plures fuiſse reges Buſirides.

Poſtea

Poſtea fuit interregnum , quia deleto rege in mari rubro, cùm educti ſunt Iſraëlitę, diu in Ægypto varias ſeditiones fuiſse credibile eſt.

Poſt Buſiridem nominatur à Diodoro poſt longum interuallum, rex Miris, id eſt, acerbus vel crudelis. Hic rurſus deterſit Nili alueos , & eduxit lacum Myrin, & inſtaurauit potentiam regni Ægyptij. Ideò clarior eſt multis aliis regibus.

Poſt hunc fuit, tempore Samſonis ante bellum Troianum filius Miridis Seſoſtris , id eſt, ponens exactores, vel direptor, ſub quo Ægyptij regni potentia valdè creuit. Hic enim multas vicinas gentes domuit, & latè in Aſia regnauit, & nauigiis luſtrauit maria, inſulas & littora, vt terrarũ metas inueniret, quarum cognitio, initium fuit doctrinæ coſmographicæ. Fuiſse eum ante Perſica tempora, oſtendit narratio de Dario, qui cùm vellet ſuam ſtatuam collocari ante Seſoſtris ſtatuam, à ſacerdote prohibitus eſt, quia Darius nondum magnitudinem rerum geſtarum Seſoſtris æquaſset. Hanc libertatem ſacerdotis Darius laudauit.

Poſt Seſoſtrin, collocat Diodorus filium, eodem nomine. Herodotus nominat Theronem, quod exiſtimo commune nomen eſse Pharao. Hic cæcus factus, vixit in ocio.

Poſt eum regnauit Protheus, quem Diodorus nominat Cethem. Exiſtimo autem à Græcis Prothea nominatum eſse , propter magiam , qua varias præſtigias effecit. Ad hũc venit Paris cum Helena, & deinde Menelaus. Cõgruunt autem Troiani belli tempora , ad tempora regis Saul.

Poſt Protheum collocat Herodotus Rampſinitum , id eſt, altum ſcutum, ſub quo narrat furtum inſigne, & fratrem furis, cui rex filiam dedit vxorem propter aſtutiam.

Deinde Cephus, id eſt, petra, apud Diodorũ, ſeu Cheops apud Herodotum , ignauus & auarus , qui etiam filiam proſtituit propter pecuniam.

Huius filius fuit Cephrim, id eſt, leo , inuiſus populo, propterea quòd templa multos annos clauſit.

Poſt hunc nominatur Mycerinus apud Herodotum, ſeu Cerinus apud Diodorum, id eſt, ordinator, quia hic reſtituit iudicia , iuſtiſſimè iudicauit, & rectè iudicantibus pręmia dedit.

Deinde nominantur Anyſis cæcus , & Sabacus, qui videtur eſse Seſac, 3. Regum 14. auarus, vnde nomen eſt Saccus munerum.

Sethon, cui bellum illaturus Sennacherib Aſsyrius, non

potuit progredi in Ægyptum, amiſſo exercitu in Iudæa.

Pſammitichus, cuius patrem Sabacus occiderat, regno potitus, expugnauit vrbem Azotum in Syria.

Necos vicit Ioſiam propè vrbem Mageddo. Herodotus nominat Magdalum, quod generaliter arcem ſignificat. Poſtea idem Necos à Nabogdonoſor victus eſt, vt Ieremias narrat cap. 6.

Filius Pſammis.

Deinde Apryes, quem nominat Ieremias Ophrea, cap. 44. Sidonem deleuit, & Ieremiam interfecit. Poſtea ab Amaſi duce, qui Cyrenaicam, quæ defecerat, pacauit, ſtrangulatus eſt.

Hîc & nomina regum, & rerum geſtarum narrationes apud Herodotum, congruunt cum Ieremiæ hiſtoria, quare & tempora facilè agnoſci poſſunt. Gratum eſt autem videre, vbi propheticam hiſtoriam cõtinua ſerie Herodotus ſequatur. Simul & hoc cernitur, propheticã hiſtoriam longè vetuſtiorem eſſe Græca. Deinde verò Græcam conſentientem, teſtimonium præbere propheticæ hiſtoriæ.

Hactenus verò ad Amaſin vſque ducta eſt ſeries AEgyptiorum regum, vſque ad Perſicam monarchiam. Quia Amaſis tempora incidunt in Perſicæ monarchię initia.

Cùm Amaſis tenuiſſet AEgypti regnum annos quadraginta quatuor, vt ſcribit Herodotus, ſucceſſit filius Pſammenitus, hoc eſt, clypeus inclinatus, qui cùm ſex menſes regnaſſet, captus eſt à Cambyſe rege Perſico, & aliquantò poſt interfectus. Súntque apud Herodotum de Pſammenito hæ narrationes, dignæ memoria: Cùm filia duceretur inter captiuas ſeruili habitu, miſſa ad aquam ferendam, ſedit pater Pſammenitus inter captos, videns prætereuntem filiam: ac cæteris plorantibus, ipſe tacitus ſedit, oculis in terram defixis. Poſtea cùm filius duceretur inter cæteros interficiendus, ſedit eodem modo tacitus. Poſt hos cùm familiaris quidam duceretur inter captiuos, plorare, & caput ferire cœpit. Hæc cùm animaduertiſſet Cambyſes, interrogari eum iuſſit, cur nunc ploraret, cùm antea tacitus vidiſſet duci filiam & filium? Reſpondit, Domeſtica mala maiora eſſe lacrymis, ſed amici calamitatem poſſe lacrymis ſignificari. Aiunt autem Crœſum, qui ſimul adfuit, & Principes Perſicos illacrymaſſe, & Cambyſen miſericordia motum, iuſſiſſe filium ei reſtitui incolumem. Ad quem reducendum cùm nuncij mitterentur, iam adoleſcens interfectus erat. Ipſi tamen

Pſam-

Pſammenito tunc vitam donauit Cambyſes: & erat ei redditurus Ægyptum, vt eam tanquam regius præfectus gubernaret. Sed cùm Pſammenitus non quieſceret, & ſolicitaret Ægyptios ad defectionem, iuſſit eum poſtea Cambyſes interfici.

Deinde Ægyptum retinuerunt Perſici reges vſque ad Darium Nothum, cuius anno ſexto Amyrteus Saites defecit à Perſis, & in Ægypto regnauit. Et poſt hunc Nepherites, Achoris, & Nectanebos prior & poſterior, quem expulit ex regno Perſicus rex Ochus, qui Sidone incenſa, progreſſus recuperauit Ægyptum. Fugiens autem Nectanebos in Æthiopiam, exul ibi mortuus eſt.

Deinde poſt annos ferè viginti occupata eſt Ægyptus ab Alexandro: poſt quem nati ex Macedonica ſtirpe reges Ægypti fuerũt, de quib. infra dicemus in tertia monarchia.

Nunc veterum regum AEgyptiorum catalogum contexui, vt aliquo modo conſpici poſſit, quomòdo ſeries rerum AEgyptiarum ad primam & ſecundam monarchiam, & ad politiam Iſrael congruat. Excelluit autem AEgyptus artibus & legibus, & aliquantiſper doctrina Ioſeph Eccleſiam ibi plantauerat. Sed reliquis temporibus plena fuit AEgyptus teterrimorum idolorum: ideò crebris mutationibus regni, & variis calamitatibus punita eſt. Poſtquam autem de Chaldæis, Aſſyriis & AEgyptiis diximus, in quibus regnis, tempore primæ monarchiæ, multę mutationes & vaſtationes acciderunt: nunc rurſus de politia Iſrael dicemus, & breuiter catalogum iudicum & regum inſeremus. Nam res geſtæ legendæ ſunt in prophetica hiſtoria, & ſimul conſiderandum eſt; Qualis ibi fuerit eccleſia: Quę ſint à Deo illuſtria teſtimonia oſtenſa, Qui prophetæ miſſi ſint, Quæ fuerit forma gubernationis. Quomodo defenſa ſit politia Iſrael propter eccleſiam, non humanis conſiliis, ſed à Deo ſubinde excitatis ducibus, ſicut & Zacharias dixit: Non in exercitu, non in robore, ſed in Spiritu meo, dicit Dominus.

IVDICES POPVLI ISRAEL.

CVM Iſraelitæ quadraginta annos in deſerto fuiſſent, Moiſes moritur, quadrageſimo anno poſt exitum ex AEgypto, cùm vixiſſet annos centum & viginti.

Huic ſucceſſit Ioſua, qui fuit dux populi Iſrael, annos triginta duos.

Non fuit autem ſucceſſio ducum ex certa ſtirpe, aut electio certi ſenatus, ſed velut ariſtocratia erat ſeniorum in

ſingulis tribubus, & ſumma authoritas erat legis diuinæ, quam ſacerdotes quotidie docebant: & hi conſulebantur de grauiſſimis negotiis, vt in Deuteronomio mandatum erat. Ita lex Dei erat domina & rectrix huius populi, nec quiſquam appetebat regnum, quia ſciebant hunc populum Dei eſſe, & à Deo protegi, nec humanis conſiliis formam gubernationis nouam conſtituendam eſſe, ſicut Gedeon inquit: Non dominabor veſtri, nec dominabitur veſtri filius meus, ſed dominabitur veſtri Dominus. Sic diuinitùs conſeruata eſt hæc ariſtocratia annos, poſt Ioſua, trecentos viginti quinque, vſque ad mortem Eli. Excitauit autem Deus alios ex alia tribu felices duces, vt oſtenderet diuinâ potentiâ colligi & ſeruari eccleſiam, nec felicem eſse gubernationem, niſi Deo iuuante. Simul autem defenſionis miracula teſtimonia fuerunt de doctrina huic populo tradita, & oſtenderunt in hoc populo verè fuiſse eccleſiam Dei, & præſentem in ea eſse Deum. Ac duces, poſt Ioſua, fuerunt;

Othoniel ex tribu Iuda annos octo.

Ehud ex tribu Beniamin annos octoginta. Interfecit Eglon regem Moab, & profligatis Moabitis, trucidauit decem millia hominum.

Debora & Barac ex tribu Nephthali, annos quadraginta. Vicerunt Siſaram, ducē regis Iabin, qui tenuit Hazor, quæ tunc adhuc fuit regia Cananæorum, in ſorte Nephthali.

Gedeon ex tribu Manaſſe, annos quadraginta. Vicit Madianitas.

Abimelech, natus ex concubina Gedeon, interfecit fratres ſeptuaginta, & velut tyrannus regnauit in Iſraël tres annos, & interfectus eſt à ſuis ciuibus. Tāta calamitas accidit poſteritati Gedeonis, quem Deus ſingulari modo vocauerat, & ornauerat illuſtribus victoriis & teſtimoniis, quia ipſe tandē inſtituit cultum ſine mandato Dei. Et voluit Deus oſtēdere, ſe non velle quenquam occupare dominationem fiducia generis, ſed retinendam eſse ariſtocratiam, & à Deo expectandam eſse gubernationem.

Thola, ex tribu Iſsachar, annos viginti ſex.

Iair, ex tribu Manaſse, in Galaad, quæ regio fuit vltra Iordanem, verſus Libanum & Arabiam: poſtea dicta Iturea, id eſt, ſcopuloſa, quòd Græcis eſt Τραχωνῖτις, id eſt, aſpera. Præfuit annos viginti duos.

Iephthe, ex tribu Manaſse, in Galaad, annos ſex: temerario voto mactauit filiam tanquam hoſtiam.

Abeſan

Abeſan Bethlehemites, ex tribu Iuda annos ſeptē. Quidam ſcribunt, hunc eſſe Boos, patrem Iſai, auum Dauidis.

Elon, ex tribu Zabulon, annos decem.

Abdon, ex tribu Ephraim, annos octo.

Samſon, ex tribu Dan, annos viginti.

Poſtea non nominantur duces, ſed præcipua authoritas fuit ſummi ſacerdotis Eli, cuius fuit infelix exitus, amiſſa arca, quam Deus mirandis modis reſtituit Iſraelitis, vt oſtenderet, eccleſiam ſuam non humanis conſiliis & viribus, ſed diuina potentia colligi & ſeruari.

Nec tamen aut veteribus exemplis, aut hoc recēti & illuſtri miraculo moti ſunt Iſraelitę quò minùs humanis cōſiliis mutarent formam gubernationis à Deo inſtitutam. Sunt autem anni Eli vſque ad eius mortem quadraginta.

Samuel & Saul annos quadraginta. Quanquam autem Samuelis gubernatio felix & ſalutaris fuerat, tamen populus expetiuit nouam gubernationis formam. Hunc errorem & hanc cupiditatem populi, Deus reprehendit.

At, ſi quis interrogat, quod fuerit populi peccatum, cùm videatur ſapienter deliberatum eſſe, vt certus dux eſſet? Simplex reſponſio eſt hęc. Duo magna peccata taxari, Diffidentiam, & audaciam nouæ formæ conſtituendæ humano conſilio, in politia diuinitùs conſtituta.

Vult enim Deus intelligere eccleſiam protegi, & ſeruari eam à Filio, qui eſt caput eccleſiæ, non humanis præſidiis. Et vult eam expectare defenſionem diuinitùs, ſicut expectauerat liberationem in Ægypto, plus octoginta annis. Hac fiducia tunc ſeniores abiecta, cogitabant de humanis præſidiis.

Alterum delictum eſt, Audacia conſtituēdi nouam formā in politia à Deo conſtituta. Nam Deus neque doctrinam, neque cultus, neque legem, quam tradiderat, mutari voluit. Quare nec formā politiæ mutari volebat, quia talis mutatio, etiam legē & doctrinam labefactat, ſicut vincula legum ſæpè reges ægrè ferunt. Multi etiam inflectūt religiones ad ſuas cupiditates, vt reges Samariæ nouum cultum, regni cauſſa, inſtituebant. Nec deſunt exempla veteris dicti, vlli ætati: Pietas, ſanctitas, fides, priuata bona ſunt. Qua iuuat reges eant.

Hęc conſideratio de delictis populi, commonefacit nos de protectione eccleſiæ, & de impia pōtificum, & aliorum audacia, qui noua dogmata & nouos cultus inſtituerunt aut ſtabiliunt, relicta puritate primæ eccleſiæ. Item, qui

contra vocationem mouent reſpublicas.

Aſſentitur autem Deus, & regem cōſtituit, ſed prædicit onera regni, Hoc eſt ius regis, &c. Hic dicunt aliqui, deſcribi tyrannum, non regem: nec dici hæc ita, tanquam approbante Deo ſeruitutem. Sed textus nominat Ius regis, & loquitur de oneribus, ſtipendiorum cauſſa impoſitis, non tribuit poteſtatem inſtituendi extremam ſeruitutem contra legem diuinam. Quia Deuteronomij 17. pręceptum eſt, vt rex diſcat legem, & eam ſequatur in tota gubernatione. Et punitur Achab, qui diſtinctionē dominiorum, in lege ſancitā, tollere voluit, cùm Naboth inuito erepturus erat vineam. Quanquam autem & interdum mitis & ſalutaris eſt forma regni, tamen aſperior eſt, quàm ariſtocratia. Et pauci in magna potentia moderati ſunt.

Conſtituto autem regno, multa deinceps conſideranda ſunt bona & mala. Summum bonum, in qualibet congregatione, eſt conſeruatio veræ doctrinæ de Deo, & eccleſię. Quia homines ad agnitionem Dei, & ad æternæ eccleſiæ ſocietatem, non tantùm ad huius vitæ mortalis ingentes ærumnas, conditi ſunt, ſicut dicitur Matthęi 16. Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animam verò amittat? Item: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adiicientur nobis.

Laudatur ergo à Moiſe & aliis prophetis, politia Iſrael, quod in ipſa luceat vera doctrina, & quod ibi ſit certò eccleſia Dei. Ideò dicitur Deuteronomij 4. Nec eſt alia natio, quę habeat appropinquantem ſibi Deum, ſicut adeſt Deus noſter cunctis obſecrationibus noſtris. Ad has laudes pertinet totus liber Salomonis, cui titulus eſt Canticum.

Hoc igitur in regio ſtatu bonū eſt, quod aliquo modo piorum regum labor, Deo iuuante, profuit ad doctrinæ conſeruationem, vt Dauid, Salomon, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias, ſtudia doctrinæ & veros cultus adiuuerunt.

Secundum bonum regij ſtatus fuit, quod in regum victoriis Deus illuſtria teſtimonia ſuæ pręſentiæ in hoc populo oſtendit, ſeſe patefecit, & teſtimonia doctrinæ & eccleſiæ exhibuit, & prophetas regibus adiunxit. Summam etiam promiſſionem de Meſſia repetiuit, & ad ſtirpem Dauidis alligauit, vt certò ſciretur, vbi & quando Meſſias venturus erat. Et huic promiſſioni hoc bonum adiunctum fuit, quod certò ſciebant illam politiam duraturam eſſe, donec Meſſias exhibitus eſſet. Hæc bona non fuerunt in ethnicis imperiis. Ideò hoc regnum longè

gè

gè antecelluit in toto genere humano. Ac interiectum fuit aliis regnis, Ægyptio, Aſſyriaco, Chaldæo, & Perſico, vt inde agnitio veri Dei propagaretur, etiam ad multas alias gentes.

Tertium bonum fuit regij ſtatus, quod vtcunque profuit ad durationem politiæ. Sunt enim, à principio Dauidis vſque ad mortem Sedechiæ, anni quadringenti, ſexaginta ſeptẽ. Et tamen poſtea quoque, poſt reditum ex Babylone, duces fuerunt ex ſtirpe Dauid vſq; ad Maccabęos, annos trecentos ſeptuaginta tres.

Hæc bona fuiſſe magna & ſingularia opera Dei, agnoſcendum eſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Et vt hæc ſumma bona noſtris politiis etiam tribuat, ardentibus votis petamus. Et vbi dantur, agnoſcamus ea eſſe Dei opera, & gratis Deum autorem, & cuſtodem celebremus, & retinere ea ſtudeamus.

Vt autem cætera diuina opera diabolus, odio Dei, corrumpere conatur, vt in ipſa natura humana triſtiſſimam deſtructionem fecit: ſic & ordinem in gubernatione variis furoribus turbat: & infirmitas humanæ naturæ per ſeſe facilè labitur, & extra ordinem ruit. Hæ ſunt cauſſæ innumerabilium vitiorum & calamitatum in gubernatione. Itaque & in regno populi Dei multa magna mala acceſſerunt ad diuina beneficia. Ambitio & æmulatio primùm regem Saulem impulit ad crudelitatem & tyrannidem. Dauid voluptati indulſit, ideò per ſeditionem à filio pulſus eſt. Salomon ad voluptates addidit cultum idolorum: ideò poſtea dilaceratum eſt regnum. Hæc dilaceratio peperit aſſidua bella ciuilia, ſeditiones, & idolorum cultus: Et poſt annos, ab initio Ieroboan, ducentos quadragintaquatuor, triſtiſſimam diſſipationem decem tribuum, quæ poſteritatis Iacob pars maxima fuit, ac nequaquam exiſtimauit futurum, vt ex hac ſede eiiceretur, quę & diuinitùs promiſſa erat, & ingentib. miraculis tradita & defenſa fuerat. Sed hoc exemplo multa Deus monet. Oſtendit promiſſionem præcipuam non eſſe de hoc politico regno, ſed de æternis bonis. Et voluit in pœnis diſci diſcrimen promiſſionum æternarum, & temporaliũ. Ac profectò oportuit eſſe excellentem eruditionem ſacerdotum, qui docuerunt rectum intellectum promiſſionum. Et ob hanc cauſſam Prophetæ miſſi ſunt.

Poſteà, huius regni exemplis monet Deus omnes ho-

mines, vt reuerenter donis Dei vtantur, & cogitent de iudicio Dei, & ſeſe ad pœnitētiam & veram inuocationem exuſcitent. Ac magnitudo pœnarum vtrumque oſtendit, iram Dei aduerſus peccatum, & rurſus præſentiam Dei, potenti dextra, inter tantas confuſiones, ſeruantis tamē regni partem quatenus ſeruatur, ſicut inquit Ieremias: Miſericordiæ Domini, quod non conſumpti ſumus.

Intuentes itaque hiſtoriā populi Iſrael, ſciamus nos de multis magnis rebus cōmonefieri. Ab initio huius Chronici diximus, ex his hiſtoriis, non tantum exempla politicæ gubernationis petenda eſſe, qualia præbent res geſtę in aliis imperiis: ſed multò magis teſtimonia patefactionum Dei, & iræ ac miſericordiæ, & imagines calamitatum & liberationum eccleſiæ. Ac vult Deus his teſtimoniis confirmari in nobis fidem & inuocationem & cæteras virtutes. Etſi autem hęc cogitatio vtiliſſima eſt, & in lectione ſacrorum voluminum omnia exempla diligentiùs illuſtranda ſunt, tamen in hac temporum annotatione neceſſe eſt nos breuiores eſſe. Sed lectores adhortor, vt mente integras hiſtorias intueantur, & cogitent, quare eas Deus eccleſię propoſuerit.

Dauid vixit annos 70. Regnauit annos 40. 2. Regum 5. In huius hiſtoria nō hoc tantùm conſiderandum eſt, quòd ornatus eſt à Deo multis admirandis & ſalutaribus victoriis, quæ fuerunt teſtimonia præſentiæ Dei in hoc populo: ſed multò magis hoc, quòd ad eū repetita eſt promiſſio de Meſſia. Eius promiſſionis quoque teſtimonia fuerūt illæ victoriæ. Ac non ſolùm regis officio feliciſſimè functus eſt, ſed etiam doctor fuit pręcipuus in hoc populo. Et in ſuis ſcriptis non tantùm legis doctrinam, ſed etiam Euangelium complexus eſt. Docuit, quis ſit Meſſias, & quę ſint eius beneficia. Et quidem Dauidis dolores typi fuerunt dolorum Chriſti.

Cúmque vir tantus eſſet Dauid, ſimul fit exemplum infirmitatis humanæ & pœnarum. Turpiter labitur, & horibiliter punitur, & ſuſtinet non ſolùm ſuorum ſcelerum conſcientiam, ſed etiam ingentium ſcandalorum, quæ peperit ſeditio. Eſt enim nimis verum dictum Thucydidis: ἐν στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἐστί.

Sed idem Dauid teſtis eſt miſericordiæ & remiſſionis peccatorum. Vult enim Deus nos tenere regulam: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Et vult nos tueri exempla eorum, qui re-

dierunt

dierunt ad pœnitentiam, ne deſperatione opprimatur. Hæc ſunt præcipua in Dauidis hiſtoria, quem, etſi non parua macula deformatus eſt, tamen cogites fuiſſe σκεῦος ἐλέους. Quia & eccleſiæ & politiæ eius labores profuerunt, & rurſus ad Deum conuerſus eſt.

In hanc totam imaginem intuentes, de nobis ipſis quoque cogitemus, & ardentibus votis precemur Filium Dei, vt nos quoque faciat vaſa miſericordiæ. Confirmemus etiam nos ipſius doctrina & exemplis, ſicut ipſe vult ſuas liberationes teſtimonia eſſe de promiſſione & voluntate Dei, quod & aliis inuocantibus opitulari velit, ſicut inquit Pſalmo 33. Accedite ad eum, & facies veſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.

Salomon filius Dauidis circiter viceſimum ætatis annum ſucceſſit patri. Regnauit annos 40. Fuit igitur breue ſpacium ætatis, anni videlicet ſexaginta aut circiter. Vt autem regna debent eſſe & defenſio & gubernatio in pace, iuxta vtramque tabulam Decalogi, id eſt, vt vera doctrina de Deo proponatur, & vera inuocatio fiat, regantur mores, exerceantur iudicia, ordinentur tributa & præſidia, dedit Deus, poſt bella Dauidis, pacem Salomoni, & inſtruxit eum excellenti ſapientia, & adiunxit ſapiens collegium prophetarum, & aliorum excellentium eruditione & pietate. Sunt igitur eius opera conuenientia paci, ædificatio templi, ſtudia doctrinæ, monumenta librorum de hiſtoriis eccleſiæ, de natura rerum, iudicia & ordinatio tributorum & præſidiorum. Fuítque Salomon & rex & doctor, ſicut ſe nominat eccleſiaſten, id eſt, concionatorem. Extant adhuc tres libelli, qui ſunt teſtimonia fidei ipſius, & doctrinam dulciſſimam continent. Eſt igitur & Salomon exemplar boni regis in pace. Sed tamen idem fit etiam exemplum humanæ infirmitatis. Hæc excellens ſapientia tunc ſeneſcit, cùm maximè vigere debebat, & cedit mulierum affectibus, quibus ædificauit templa idolorum. Qua in re primùm lapſus conſideretur, quod in eccleſia rex & doctor excellens, in quo fuerat Spiritus ſanctus, admittit idolorum cultum. Simus igitur vigilantes, & petamus nos gubernari à Deo, ne approbemus aut ſtabiliamus idola. Deinde magnitudinem pœnæ intueamur. Tertio regum vndecimo ſcriptum eſt, hunc lapſum Salomonis cauſſam eſſe dilacerationis regni, quæ poſtea ſequuta eſt, & quæ noua idola, & aſſidua ciuilia

bella peperit. Nec dubium eſt, in hac poſtrema mundi ſenecta, orbem terrarum à Turcis vaſtari, & lacerari ciuilibus bellis, ideò, quia Deus horribiliter iraſcitur cùm aliis ſceleribus, tùm verò præcipuè idolis, quæ in ea parte generis humani, quæ eccleſiæ titulum habet, dominantur. Quare aſſiduis gemitibus petamus à Deo, vt veram inuocationem vbique accendat, & omnia idola deleat.

Roboam filius Salomonis ſucceſſit patri, cùm eſſet annorum quadraginta vnius. Regnauit annos 17. Vixit annos 58. Fuit negligens in tollendis idolis, in imperio ſuperbus & ignauus. Fuit igitur infelix & calamitoſa vniuerſa eius gubernatio. Creuit ſub eo idolorum cultus. Spretis ſeniorum conſiliis, cùm non vellet leuationem onerum publicorum admittere, defecerunt ab eodem decem tribus, & aliud regnum conſtituerunt. Geſſit bella infeliciter cum rege Ieroboam, & cum Ægyptiis. Ita poſt auream ętatem Salomonis, & peccata cumulata ſunt, & magnæ calamitates ſecutæ. Hæc exempla oſtendunt, nec diuturnum eſſe felicem ſtatum regnorum, nec ſedem eandem imperiorum diu manere, ſicut in Syracide dicitur: Regnum à gente transfertur ad gentem propter iniuſtitiam. Quanquam autem & eccleſiæ nocent imperiorum ruinę, tamen Deus, potenti dextra, reliquias conſeruat, & propter eas aliquantiſper imperia retinet, ne deſint hoſpitia. Hanc conſolationem prophetæ ſępè repetunt.

Abia filius Roboam regnauit tres annos in Iuda. Vicit magno prælio exercitum Ieroboam.

Aſa regnauit in Iuda annos 41. Deleuit idola, etiam ſuæ matris impios cultus ſuſtulit. Vicit Æthiopes. Sed poſtea mutatus, fecit fœdus cum rege Syriæ, & obiurgatus, prophetam incluſit in carcerem.

Ioſaphat pius & felix. Regnauit in Iuda annos viginti quinque. Fecerat fœdus cum rege impio Achab, propter quod a Deo obiurgatus eſt. Poſtea domi iudicia conſtituit, & iudicibus pia mandata dedit, quæ recitantur 2. Paralip. 19. Non hominis exercetis iudicium, ſed Dei. Et, Vobiſcum eſt iudicio, videlicet & adiutor & vindex. Sit timor Domini vobiſcum. Rectè cognoſcite, & ſitis executores. Vicit Ammonitas ſine prælio, vt victoria teſtimonium eſſet præſentiæ Dei in iſto populo, & doctrinæ.

Tempore Ioſaphat fuit Elias propheta, & aliquandiu deinceps. Succeſſit huic Eliſæus, quos excitauit Deus immenſa bonitate in regno impio decem tribuum, vt inde

reliquias

reliquias eccleſiæ excerperent, & idola delerent, & docerent populum quærere veram doctrinam, & veros cultús in Ieroſolyma, & oſtenderent teſtimonia de vera doctrina, ac vt aliquantò diutiùs hæ decem tribus in patria retinerentur. Nam poſt hos, ſtatim abductæ ſunt. Ac vt autoritas maior eſſet, vterque natus eſt, non ſub rege Iuda, ſed ſub regibus Samariæ. Elias in oppido Thesbi vltra Iordanem, Eliſæus in Galgala, non procul à Iericho. Incidit autem gubernatio eorum in mediam ætatem mundi. Nam ſub patre Ioſaphat completa ſunt tria millia annorum à condito mundo. Ita Deus, non longis interuallis, doctores miſit, quibus addidit illuſtria teſtimonia: Poſt Nohe, Abraham, Ioſeph, Moiſen, Ioſia, Samuelem, Dauidem, & mox valdè inſignes, Eliam & Eliſæum: Eliſæum audiuit Eſaias: hunc Ieremias. Ieremiam Daniel: Danielem Aggæus & Zacharias. Deinde fuerunt Malachias, Onias, Maccabæi, Simeon, Zacharias, Ioannes Baptiſta, qui monſtrauit Chriſtum præſentem. Gubernatio autem Eliæ, quantum ex ſcripta hiſtoria ſumi poteſt, complectitur circiter annos viginti. Eliſæi gubernatio circiter annos ſeptuaginta. Fuit autem ingens beneficium, tales doctores tam longo tempore habere, qui de dubiis quæſtionibus reſpondere poterant. Ac propagata eſt horum doctrina ad poſteros, qui cœtus diſcentium eos habuiſſe manifeſtum eſt.

Neceſſe eſt autem totam ſeriem prophetarum, eorum vocem, conſenſum doctrinæ, miracula, coniunctionem inter ipſos, conſiderare. Nam conſentiens vox doctrinæ erudit & confirmat pias mentes, & illius pulcherrimi agminis coniunctio oſtendit, & eſſe eccleſiam Dei, & qualis ſit. Monet docentes, vt ipſi quoque coniunctionem inter ſeſe tueantur. Quid pulchrius eſt tali collegio, quale eſt Eliſæi & diſcipulorum, & in quo Deus habitat, & manifeſta teſtimonia oſtendit, & in quo ſtudia ſunt veræ doctrinæ de Deo, & de natura rerum? Et ordine aliqua prophetarum collegia fuerunt. In hæc intueamur, quærentes, quæ & vbi fuerit eccleſia Dei. Quanquam interea in illo regno Iſraelitico, præter hæc collegia, fuit magnorum multitudo impiorum ſacrificulorum, multi reges cultores idolorum, multi ſeditioſi duces, qui regnum occupabant, & patriam dilacerarunt. Sic inter varias confuſiones, eccleſiam tamen Deus ſeruat, in qua pij omnes, ac præcipuè doctores, eò coniunctionem coniugis amare,

& omnibus officiis fouere debent, vt ipſa coniunctio decus aliquod afferat, ornet doctrinam & nomen Dei, & confirmet pios.

Iorã regnauit in Iuda annos 8. diſſimilis patri Ioſaphat. Interfecit omnes fratres ſuos. Coluit idola exemplo materno. Erat enim natus ex matre filia regis Samariæ Achab. Fuit infelix eius gubernatio. Tunc enim Arabes Iudæam vaſtarunt, & filios Ioram interfecerunt.

Ochozias regnauit in Iuda annum 1. captus à rege Samariæ Iehu, & ex vulnere mortuus in Mageddo. Athalia verò mater, nata ex rege Samariæ Amri, impia & crudelis, vt regnum retineret, interfecit omnes regni hæredes, præter puerum Ioas, clàm ereptum ſæuitiæ mulieris tyrannicæ. Hoc tempore regnum Iuda à ſtirpe Salomonis tranſlatum eſt ad poſteros Nathan, qui etiam fuit filius Dauidis. Hic rurſus exemplum proponitur, quod oſtendit, regna mutari, & extingui familias propter idola & tyrannidem. Tota poſteritas Salomonis deleta eſt. Interea tamen Deus mirabiliter ſeruat promiſſiones de regno Iuda, & de venturo Meſſia. Transfert enim regnum ad poſteros Nathan, ex quibus vult naſci Meſſiam. Ideò in genealogia Chriſti apud Lucam, omiſso Salomone, inſeritur Nathan.

Athalia tyrannica mulier regnauit annos ſeptem, interfecit poſteritatem Salomonis, & publicè cultum & ſacerdotium Baal in Iuda inſtituit. Ideò Ioiadas ſummus ſacerdos ipſam & ſacrificulos Baal interfecit, & cultum Baal ſuſtulit.

Ioas ſeruatus à coniuge ſummi ſacerdotis, regnauit in Iuda annos quadraginta, inſtaurauit templum, & fuit initio rex pius & felix, donec vixit Ioiadas ſummus ſacerdos, cuius conſiliis obtemperauit. Poſt eius mortem cœpit idola colere, & interfecit Zachariam illius filium, à quo ipſe ſeruatus erat. Poſtea Syriaci exercitus populati ſunt Iudæam, & Ioas à ſeruis ſuis interfectus eſt. Regnante hoc Ioas, mortuus eſt Eliſæus.

Amaſias regnauit in Iuda annos 29. initio pius & felix. Vicit Idumæos. Poſtea coluit idola, & moto bello non neceſsario diſsuadentibus prophetis, victus eſt, & templum ſpoliatum eſt. Poſt aliquot annos ipſe Amaſias fugiens ex Ieroſolyma, interfectus eſt in Laches.

Tempore Amaſiæ Sardanapalus fuit, quo oppreſſo monarchia Chaldæa diuiſa eſt, & retinuit Phul Belochus Babylonem & Niniuen. Arbaces verò fuit rex Medorum

&

& Perſarum. Hactenus verò Chaldęi & Aſſyrij non intulerunt bellum Iſraëlitis & Iudęis, ſed deinceps Aſſyrij duriter adflixerunt decem tribus, & eccleſia creſcentem potentiam illorum regnorum magnis calamitatibus experta eſt. Sed vicit tamen, conuerſis regibus ad agnitionem veri Dei, Nabogdonoſor, Dario Medo, Cyro & aliis.

Ozias, cuius & alterum nomen eſt Azarias, regnauit in Iuda annos quinquaginta duos. Initio pius & felix, vicit Philiſtęos & Arabes, ſed poſtea, cum officio ſacerdotis fungi vellet, & per ſeſe ſacrificaturus eſſet, Deus iram ſuam publica pœna declarauit. Regem enim ſubita lepra percuſſit, quę poſtea hęſit in eo in longa ſenecta.

Sub eo concionari cœpit Eſaias natus in familia regia, qui cùm à Manaſſe ſerra diſſectus ſit, fuit in miniſterio prophetico annos circiter octoginta. Prędixit mutationes pręcipuorum regnorum, quę poſtea ſequutę ſunt, regni Iſrael, Ægyptiaci, Syriaci, Babylonici, Aſſyriaci, euerſionem Tyri. Et quidem nominatim vaticinatur, Macedones, Citim & Dodonæos potituros eſse Tyro & Babylone. Doctrinam verò de Meſſia, & de gratia, ſplendidiſſimè illuſtrauit.

Iotham regnauit in Iuda annos ſedecim. Pius & felix, vicit Ammonitas. Anno ſecundo Iotham inchoantur Grecorum Olympiades, ſecundùm quas Græcis, longo tempore, vſitatum fuit, ſeriem rerū geſtarum, in publicis monumentis perſcribere. Sumi etiam initium certum poteſt, retro numerando. Quia certiſſimum eſt, regni Alexandri, mox poſt mortem Philippi, initium eſse primum annum Olympiadis centeſimæ vndecimę.

Nomen autē Olympias comprehendit annos quatuor. Et factum eſt ab ordinario conuentu Græcorum ad Elidē, qui celebrabatur ſemper poſt quartum annum, in menſe, qui Græcis initium erat anni, videlicet in plenilunio, quod ſolſtitio æſtiuo proximum eſt. Sic conuentus ille anni initium Græcis erat. Ideò ſeries annorum inde commodè ſumebatur. Quæ autem inſignes hiſtorię Græcorum anteceſſerint hanc annotationem annorum, infra dicemus. Conſideranda eſt enim temporum collatio, vt ſciamus, eccleſię doctrinam antiquiſſimam eſse.

Achas regnauit in Iuda annos ſedecim, fuit impius, infelix, faſcinatus idolomania multipliciter, clauſit templū Dei in Ieruſalem, & in oppida idola collocauit, cremauit & filium in ſacrificio.

Eius tempore Rex Iſrael, & Syriæ vaſtarunt Iudæam, & Ieroſolymã obſederunt. Achas igitur ſpoliato templo, mercede inuitauit Aſſyrios, vt regi Iſrael & Syriç bellum inferrent. Propter hãc ſocietatẽ obiurgatus eſt Achas ab Eſaia.

Regnante Achas, anno primo 7. Olympiadis Romulus & Remus condere Romam cœperunt, vt ſcribit Dionyſius Halycarnaſſenſis, & mœnia primò inchoata ſunt die viceſima prima Aprilis.

Ezechias regnauit in Iuda annos viginti nouem, pius & felix, rurſus aperuit templum, deleuit idola Achas, & reſtituit veros Dei cultus, & præcipit dari ſacerdotibus ea, quæ lex eis attribuit.

Ipſo regnante res triſtiſſimæ in Iſrael acciderunt, & Deus ipſum inter tantas calamitates ſingularibus miraculis conſolatus eſt. Ita mirabiliter Deus inter ingentes confuſiones generis humani ſeruat eccleſiam. Nam anno ipſius ſexto Salmanaſſar deleuit regnum decem tribuum, & maximam populi partem abduxit, & in Aſſyriam & Medorũ regionem collocauit, cuius calamitatis magnitudo nõ ſatis cogitari poteſt. Quam miſerum eſt eccleſiam & familias honeſtas ex certis domiciliis & fundis excuti, & alibi collocari, vbi aut in ſeruitute viuant, aut non habeant certa hoſpitia. Et tamen triſtiora nunc fiunt à Turcis. Vetuſtas rarò diſtrahebat ſingulas familias, ſed colonias deducebat, & familiis alias ſedes diſtribuebat, vt ſimul viuerent parẽtes, filij & filiæ. Sed Turci diſtrahunt coniuges, parentes, filios & filias, & diſtractos vendunt vel interficiunt.

Deplorat autem Iſaias hanc diſſipationem decem tribuum inquiens: Iniquitates noſtræ, ſicut venti, diſſipauerunt nos. Cum autem videamus vaſtationes ſimiles, petamus, vt Deus mitiget pœnas, & ſeruet eccleſiæ reliquias.

Poſtea anno quarto decimo Ezechiæ, Sennacherib, exemplo patris, conatur delere reliquias populi Dei, & vaſtat terram Iuda, & cingit obſidione Ieroſolymam. Sed Eſaia & Ezechia inuocantibus Deum, ſubito miraculo Deus trucidat exercitum Aſſyrium.

Sequenti anno ægrotanti Ezechiæ promittit Deus ſanationem, & ſignum additur, ſolis regreſſus. His miraculis Deus & conſolatus eſt eccleſiam, quæ viderat antea triſtiſſimum ſpectaculum abductionem decem Tribuum, & oſtendit præſentiam ſuam in eccleſia. Vidit autem Ezechias interitum regni Aſſyriaci poſt necem Sennacherib, & filij eius Aſſor Haddon, qui à Merodach interfectus

eſt,qui,deleta Niniue, Aſſyriam rurſus ſubiecit Babyloni.

Manaſſes regnauit in Iuda annos 55. impius & infelix. Coluit idola, cremauit filios in ſacrificiis in valle Hinnon. Vnde poſtea nomen factum eſt Gehennę,id eſt,vallis prędationis *(Ein Mordergrube.)* Prophetam Eſaiam ſenem ſerra diſſecuit. Cúmque Chaldæi vaſtarent Iudæam, ipſe Manaſſes captus,& in Babylonem abductus eſt, vbi annos decem retẽtus eſt. Sed cùm rurſus ad Deum conuerſus eſſet,& peteret ſibi remitti peccata,& mitigari pœnas,rurſus in regnum remiſſus eſt. Ac rediens deleuit idola,quæ coluerat. Fuit igitur inſigne exemplum ſalutaris pœnitentiæ. Et tamen prophetæ inter cauſas excidij Ieroſolymæ, quod ſub Nabogdonoſor ſequutum eſt, numerant peccata Manaſſe: Quia conſentaneum eſt, exempla eius multos & ipſo viuo,& poſtea imitatos eſſe.Ac pœnę corporales veniunt, quanquam mitigantur, etiam cùm culpa remiſſa eſt.

Amon regnauit in Iuda annos duos,fuit impius & infelix,& coluit idola,nec patris pœnitentiam imitatus eſt.Interfectus autem eſt à ſuis ſeruis.

Ioſias regnauit in Iuda annos triginta vnũm, pius & felix,deleuit idola,reſtituit veros Dei cultus,& ſacerdotum gradus & officia. Inſtauráuit templum, & reperit librum Moiſis in templo,& rurſus proferri ac legi iuſſit.

Anno eius tertio decimo Ieremias concionari cœpit, qui annos quadraginta fuit in miniſterio prophetico, vſque ad excidium Ieroſolymæ. Et aliquantò diutiùs poſtea in Ægypto,vbi ab Aprye rege interfectus eſt.

Regnante Ioſia, pax fuit in Iuda. Sed ipſe non neceſſarium bellum mouit aduerſus Necao regem Ægypti, qui Aſſyriis bellum intulerat. Cùm igitur in campo Mageddo vulnus accepiſſet,aliquantò poſt mortuus eſt. Eſtq́ue exemplum Ioſias pij principis, reſtituentis veram doctrinam.Talium protectorem ſe eſſe Deus, in ipſorum hiſtoriis,oſtẽdit,ſicut inquit: Glorificantes me,glorificabo,&c. Sed tamen hi quoque, vt eſt humana infirmitas, ſua errata habuerunt,propter quæ & ipſi puniuntur:ſed Deus eis mitigat pœnas, vt oſtendunt hiſtoriæ Aſſæ,Ioſaphat,Amaſię, Oſiæ,Ezechiæ & Ioſiæ.

Ioachas regnauit in Iuda tres menſes. Poſtquam enim Ioſiam prælio vicit rex Ægyptius Necao, vaſtata Iudæa, ſucceſſorem Ioſiæ in Ægyptum abduxit,& interfecit.

Ioakim vel Iehoiakim, regnauit in Iuda annos vnde-

cim, præfectus regno à Necao, fuit impius & infelix. Cúmque Nabogdo oſor bellum inferret regi Ægyptio, in quo interfectus eſt Necao, indixit tributum huic regi Ioakim, & abduxit multos Iudæos in Babylonem, inter quos & Daniel, & alij quidam nobiles adoleſcentes abducti ſunt, quos rex honeſtè educari & doceri curauit. Cùm autem Ioakim poſtea rurſus defeciſſet à rege Babylonico, reuerſus Chaldæus cepit Ioakim, & eum interfici iuſſit, & proiici cadauer ante vrbem Ieroſolymam inter cætera cadauera, ſicut prædixerat ei Ieremias, capite viceſimo ſecundo: Sepultura aſini ſepelietur.

Ioakim ſiue Iechonias regnauit in Iuda tres mẽſes. Cúmque Nabogdonoſor vrbem Ieroſolymam obſidione cinxiſſet, ſuaſit Ieremias, contra exempla priorum prophetarum, vt fieret deditio. Vtrumque enim prædixit futurum, vt Ieroſolyma deleretur, & abductos Iudæos in exilio Deo curæ fore, & poſt ſeptuaginta annos redituros, & patriam politiã inſtauraturos eſſe. Huic autem prophetiæ cùm crederet Iechonias, fecit deditionem. Quare & ipſe, & alij permulti, Ieremiæ conſilium ſequentes, in Chaldæam abducti ſunt, quos ibi Deus protexit. Cæteri prophetæ, inde vſque à Ioſue, ſuaſerant defenſionem, Ieremias diſſuadet, & ſeruatur eccleſia nouo modo, videlicet in exilio, cùm diſputarent impij, promiſſam eſſe defenſionem ſtirpi Iuda, in hoc ipſo loco. Sed pij ſapienter diſcernebant promiſſionem æterni regni, & ſuæ politæ, & ſciebãt, Deum promiſſa præſtare mirabiliter, & promiſſiones bonorum corporalium intelligendas eſſe cum exceptione caſtigationis & crucis. Hanc doctrinam in illo excidio politiæ diſcebant, vt vera conſolatione confirmati, non deficerent à Deo, & expectarent reditum diuinitus.

Zedechias regnauit in Iuda annos vndecim, impius & infelix: defecit à rege Nabogdonoſor. Rediit igitur Nabogdonoſor, & vrbem Ieroſolymam cinxit obſidione integrum annum, & menſes ſeptem. Etſi autẽ Ieremias ſuadebat deditionem, tamen pertinacia tanta fuit, vt defendere vrbem conaretur, cùm quidem fame intra mœnia quotidie multi perirent. Sed confirmabatur furor à malis doctoribus, qui vociferabantur, non poſſe deleri regnum Iuda, quia in promiſſione dicitur: Non auferetur ſceptrum & doctor de Iuda, donec venerit Siloh. Nec tamen cogitabant, Deum mirabiliter præſtare promiſſa, & in promiſſionibus corporalibus exceptionem caſtigationis &

crucis

crucis intelligi oportere. Seruauit autẽ Deus etiam in exilio regiam poſteritatem, & populũ magnis miraculis ſeruauit & ornauit, quibus & quatuor reges ad agnitionem veri Dei conuerſi ſunt: Nabogdonoſor & filius eius, Darius Medus, & Cyrus. Non igitur defuerunt duces & doctores huic populo, cùm dederit Deus exiguo tempore illuſtres doctores, Danielem, Ezechielem, & deinde alios, & manifeſtis miraculis oſtenderit ſuam præſentiam in hoc populo.

Capta autem vrbe rex Zedechias ex fuga retractus eſt, & ad regẽ Babylonicum adductus, vbi filij eius interfecti ſunt, & pater effoſſis oculis Babylonem abductus eſt. Abducta eſt maxima pars populi in Chaldæam.

Nominatim autem iuſſerat rex parci Ieremiæ, & ei conceſſum eſt manere in patria cum reliquiis populi, quarum tamen rabies tanta fuit, vt inter ſeſe dimicarent, & contra mandatum Dei, quod eis Ieremias expoſuit, in Ægyptum deſcenderent, vbi partim fame, partim crudelitate regum Ægyptiorum perierunt. Ita in pœnis furor eſt ſumma pœna, & calamitates auget.

Hęc tota hiſtoria plena eſt exemplorum multiplicium. In pœnis & furoribus impiorum cernitur ira Dei. Rurſus & miſericordia cernitur, cùm inter tantas calamitates reliquiæ eccleſiæ mirabiliter à Deo ſeruantur, ſicut inquit Ieremias: Miſericordiæ Domini, quod non conſumpti ſumus. Videmus autem & nos hoc tempore ruinas imperiorum, & alias calamitates. Quare agnoſcamus iram Dei, & conuerſi ad Deum petamus & expectemus pœnarum mitigationem, & eccleſiæ conſeruationem.

Tempus exilij tribus Iuda, in Chaldæa, poſt deſtructionem Ieroſolymæ, & templi, fuit annorum 70. vſque ad Cyri edictum, vt ſuo loco dicemus in ſecunda monarchia. Nam adhuc recitamus res præcipuas, quæ tempore primę monarchiæ acciderunt, quo tempore fuerunt florentiſſima regna Chaldæorum, Aſſyriorum, Ægyptiorum, Ieroſolymæ & Samariæ.

Iam in exilio conſiderentur teſtimonia præſentiæ Dei in eccleſia, quæ oſtendit Deus, vt confirmarentur pij aduerſus alios, qui vociferabantur, Iudæos, cùm amiſiſſent regnum, patriam & templum, nihilò magis curæ eſse Deo, quàm alias gentes, vt iudicant homines ex aduerſis vel ſecundis rebus. Sed ſtatim cùm adoratio ſtatuæ mandabatur, oſtendit Deus præſentiam ſuam, ſeruatis iis, qui

propter confeſſionem in flammas coniecti erant, vbi ſimul conſpectus eſt Filius Dei inter tres viros.

Acceſſerunt & alia multa miracula, interpretationes ſomnij de ordine regnorum, de pœna Nabogdonoſor, & reſtitutione eius, de pœnitentia eius, & haud dubiè alia multa illuſtria teſtimonia præſentiæ ſuæ in eccleſia Deus oſtendit, quæ cõſideremus, & vt ſciamus, quæ & vbi fuerit eccleſia, & qualis fuerit in cruce, & diſcamus diſcrimen eccleſiæ imperiorum politicorum, ac ſæpè legatur integra Danielis hiſtoria.

Confirmant autem nos quoque, his temporibus, hæc miracula, quia teſtantur doctrinam prophetarum veram eſſe, & ibi tantùm eſſe veram eccleſiam, vbi recipitur doctrina prophetica. Iam Iudæi, poſt deletam à Tito Ieroſolymam, nõ retinent Danielem, qui prædixit Chriſtum ſtãte politia Moſaica venturum eſſe, & numerum annorum expreſſit. Prædixit & futurum eſſe, vt interficiatur, & tamen tollat peccatum & mortem, & deinde politiam Iudaicam interituram eſſe, & Iudæos non fore populum Dei. Has prophetias omnes, Iudæi ſceleratè corrumpunt.

Monemur autem & hoc exemplo, vt quærentes eccleſiam, non ſolùm ſpectemus, qui retineant ſcripta prophetica, ſed qui retineant ea ſine corruptelis. Vt Papa & hæretici falſo iactitant ſe retinere ſcripta prophetica & apoſtolica, quia affingunt peregrinas opiniones.

Legantur & conciones propheticæ eius temporis, apud Ezechielem, Danielem, Haggæum, Zachariam, Eſdram. Ac de vaticinio Danielis, & de 70. hebdomadibus infra dicetur. Valdè prodeſt etiam ad conſolationem piorum, conſiderare inſignia exempla conuerſionis regis Nabogdonoſor, Darij, Cyri. Quam illuſtre exemplum eſt regulæ, Gratia exuberat ſupra peccatum, conuerſio regis Nabogdonoſor? Interfecit hic rex multos ſanctos, deleuerat templum, poſtea mandauit adorari ſtatuas, coniecit in ignem viros ſanctos, taxantes impios cultus. Tanta delicta attraxerunt horribilem pœnam, à qua tamen Deus eum, propter preces ſanctorum, liberauit. Et poſtea commonefactus hac pœna audit prophetas, & verum Deum agnoſcit, & ad eum conuertitur, ac recipitur, quanquam tanta fuerat moles peccatorum, vt magnitudo non cogitari ſatis poſſit. Sic igitur cogitate: Oſtendit Deus iram ſuam aduerſus tantos reges, Dauidem, Manaſſem, Nabogdonoſor, quare nos quoque iudicium metuamus, & verè expa-

tteſcamus

ueſcamus, agnitione noſtrorum delictorum. Et cùm receperit Deus contaminatos tam horrendis ſceleribus, non dubitemus gratiam exuberare ſupra delictum, & Filium potentiorem eſſe toto regno peccati.

Diſcamus etiam rectè intelligere dictum Danielis ad regem: Peccata tua remoue iuſtitiâ: & iniquitates tuas beneficiis erga pauperes: & erit ſanatio delictorum tuorum. Concio eſt pœnitentiæ, qua prior pars præcipit conuerſionem: Abiice peccata, & conuertaris ad iuſtitiam & beneficentiam erga iniuſtè oppreſſos. Sicut & Eſaias inquit: Deſinite malè facere & diſcite rectè facere. Secunda pars eſt abſolutio, videlicet promiſſio remiſſionis peccatorum, quam oportet fide accipi. Ac in priori parte, cùm præcipitur conuerſio, non hoc dicitur, noſtras virtutes mereri remiſſionem peccatorum, ſed tantùm traditum eſt præceptum, in quo & verba rectè intelligenda ſunt. Regia concio eſt de toto Decalogo: Quúmque nominatur iuſtitia, comprehenduntur vera agnitio Dei, agnitio promiſſi Saluatoris & fides: deinde præcipiuntur beneficia in gubernatione, vt cogitet imperia à Deo conſtituta eſſe, vt foueant & regant legitimam ſocietatem, ac præſertim oppreſſæ eccleſiæ opem ferant.

DE REGNO SAMARIÆ.

SVpra dictum eſt, poſt Salomonem dilaceratum eſſe regnum populi Dei, & à Iuda decem tribus auulſas eſſe. Ea dilaceratio regni & bella ciuilia aſſidua peperit, & nouos ac impios cultus. Quia reges Samariæ, ne maior eſſet autoritas regum Iuda, propter templum & collegium ſacerdotum, contra legem diuinam inſtituerunt, vt in ſuo regno duobus locis, in Bethel & Dan, conderentur templa, vbi vituli aurei collocati ſunt, vt ſignificarent, ibi ſacrificandum eſſe, & ſacerdotes eò attrahebantur mercede vndique ex leuiſſimis hominibus. Ita & doctrinæ & cultuum deprauatio, regni mutationem ſequuta eſt. Poſtea & alia ethnica idola, Baal & alia, addita ſunt.

Quanquam autem in publica gubernatione talis deprauatio a regibus inſtituta fuit: tamen Deus immenſa miſericordia in hoc impio regno excitauit excellentes prophetas, Eliã, Eliſæum, Amos, Oſeam, & alios, per quos eccleſiam collegit, reuocatam ad veri Dei agnitionem, & ad veros cultus, ita fuit eccleſia ſparſa etiam in regnum Samariæ, quanquam ordinaria gubernatio erat impia, vt ſub Phariſæis & Zadducæis ſparſi erant aliqui pij, Zacha-

rias, Ioſeph, & multi alij, qui rectè ſenſerunt, vt nunc ſub regno Pontificio aliqui ſunt rectè ſentientes, qui confeſſionem oſtendunt, quorum alij plus, alij minus lucis habent. Et quidem Elias & Eliſæus magnos cœtus docuerunt annos amplius centum. Regnum verò durauit annos ducentos quadraginta quatuor. At Salmanaſſar Aſſyrius maximam partem populi abduxit, & collocauit familias in aliis regionibus, vbi aliqui retinuerunt veram doctrinam, & docuerunt multos inter ethnicos. Tales fuerunt familiæ Tobiæ in Niniue & Raguelis, & Gabeli in vrbibus Medorum, & paſſim multas fuiſſe conſentaneum eſt. Ita Deus mirabiliter ex decem tribubus aliquas eccleſiæ reliquias etiam inter gentes ſeruauit, & voluit earum diſtractionem gentibus prodeſse.

Manſerunt & exiguæ reliquiæ decem tribuum in patria ſede, ſed diſſipatæ, & ſine regno, vt in Oſea prædictum eſt: Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego ſum in medio tui ſanctus, ſed non ingrediar in ciuitatem: id eſt, cùm promiſſionem tradiderim poſteritati Iacob, ſeruabo aliquas reliquias eccleſiæ in decem tribubus, nec penitus eas delebo: ſed non intrabo in ciuitatem, id eſt, regnum deſtruam, nec amplius ciuitatem volo eſſe regiam ſedem, nec defendam eam, ſicut antea defendi.

GRÆCÆ HISTORIÆ, QVÆ AD tempus primæ monarchiæ pertinent.

NOMEN Iapeti Græcis notum eſt, ſed vnde ſit, ignorant. Liber Moiſis narrat, eum eſſe filium Nohæ. Ex Iaphet natus eſt Iauan, à quo Græcos ortos eſſe, nomen gentis Ionicæ teſtatur. Et non dubium eſt prophetas, cùm nominant Iauan, intelligere Græcas gentes. Deinde, vt ſit in poſteris, & in diuerſis locis, nouæ appellationes acceſſerunt.

Hellas eſt ab Hello, qui regnauit inter Dodonæos, qui ſunt à Dodanim, filio Iaphet. Nomen Græciæ recẽtius eſt, à Græco, qui filius fuit Theſſali. Sed veterem Ionicam gẽtẽ excelluiſſe ſapientia ac virtute, magnitudo vrbiũ & coloniarum multitudo, & vetuſta Homeri ſcripta oſtendũt.

Sunt autem anni à diluuio Nohæ, vſque ad bellum Troianum circiter mille, quod ad tempora Saul refero: inde intelligi poteſt, Græcam hiſtoriam multò recentiorem eſſe Moſaica. Etſi autem vetuſtiora quædam recen-

ſentur

ſentur ante bellum Troianum, tamen illa non multis annis antecedunt. Nihil eſt clarius Argonautica expeditione. Sed hanc anteceſſerunt Erechtheus Athenienſis, qui clarus factus eſt repreſſione Thracum, qui Atticam inuaſerant. Item, Perſeus, qui bellum geſſit cum Perſis, & Gorgonas occidit in Libya. Poſteà & Cadmus ex Phœnicia in Bœotiam nauigauit, & nomina indicant originem. Cadmus enim lingua Phœnicum ſignificat orientalem. Nomina Semele & Ino fuerunt appellationes ſimulachrorum. Semele prorſus ſignificat effigiē ſeu ſimulachrum: Ino fortunam: Theba, nauem. Etſi autem illæ vetuſtę narrationes plenæ ſunt fabularum, tamen nihil dubium eſt, multas res veras illis inuolucris ſignificatas eſſe. Argonautica expeditio poſtea celebratior eſt, ad quam præcipui principes ex vniuerſa Græcia conuenerunt, qui in Colchicā ad vellus aureum dicuntur profecti eſſe, id eſt, ad venas metallicas. Nam hodie quoque ſunt in illa vicinia locupletes venæ. Ac fieri poteſt, vt profectionis occaſio fuerit crudelitas Æëtæ regis Colchicorum aduerſus Phryxum & eius filios. Fuit propemodum talis præſtantiſſimorum principum vltrò ſuſcepta militia, qualis fuit principum Germanicorum, Gallicorum & Italorum, qui, duce Godefrido Bilionæo, recuperarunt Ieroſolymam, quorum virtute diu repreſſi ſunt Turci, vt tardius potiti ſint Aſia & Græco imperio. Fuit autem Godefridus dux Lotharingiæ, vt ſuo loco dicemus, in eadem natus familia, in qua nati ſunt duces Bergenſes & Iuliacenſes. Nomen autem Argo certam figuram nauis ſignificat, & Argonautarum expeditio collocanda eſt in tempus vicinum ætati Samſonis, cuius coętaneus fuit Hercules. Cætera de Argonautis legenda ſunt in carmine Apollonij.

Sequitur Argonauticam expeditionem Thebana hiſtoria, plena horribilium exemplorum. Duxerat ignarus, matrem Oedipus, qui poſtea hiatu terræ abſorptus eſt, & filij de regno dimicātes, mutuis vulneribus interfecti ſunt: Mater iacens inter filios vulneratos ſibiipſi mortem conſciuit. Filius Polynicis Therſander, qui Thebis potitus erat, poſtea in expeditione Troiana interficitur à Thelepho. Ita rerum ſeries oſtendit, non longum interuallum eſſe inter OEdipi tempus & Troianum bellum. Et pœnæ ſcelerum commonefaciunt lectores de iudicio Dei.

DE BELLO TROIANO.

TRoianum bellum vicinum eſſe temporibus Daui-

dis, intelligi inde poteſt, quia ab initio regni Albani, ad Romæ initium trecenti anni ſunt, vt Virgilius inquit:

Hic iam ter centum totos regnabitur annos.

Sunt autem ab initio Romæ anni retro numerati, videlicet ab anno Achas decimo ad regni Dauidis initium, anni trecenti viginti duo. Quare etſi numerum de Troia nõ exactè quæro, tamen hoc oſtendi poteſt, Ebræam hiſtoriam multò eſse antiquiorem Græca, & Troianum bellum non multò prius fuiſse Dauidis tẽporibus. Hęc collatio eo prodeſt, quia oſtendit Ebræam hiſtoriam & doctrinam eccleſiæ multò vetuſtiorem eſse rebus Græcis. Legatur autem hiſtoria Troiana apud Homerum. Et cauſsa conſideretur, videlicet adulterium Paridis. Deinde & principum diſſimilitudo, virtutes, ſcelera, diſcordiæ, pœnæ vagatæ per omnes familias, & mutatio regnorum Aſiæ, Græciæ & Latij, ita, cùm ex bello magnæ calamitates in vtraque parte ſequutæ ſint, agnoſcamus, bella horribilem pœnam eſse, & non temerè mouendas eſse reſpublicas.

Reliquias Troianas duxit Æneas in Latiũ. Antenor Henetos vicinos Troianorum, in Illyricum & Iſtriam. Achilles, & Aiax, duo fortiſſimi viri, & orti ab Æaco, ſic perierunt, vt Achilles ab ignauo Paride per fraudem interfectus ſit. Aiax furens ſibi mortem conſciuit. Palamedes, qui antecelluit ſapientia, ab Vlyſse per calumniam oppreſsus eſt. Agamemnon reuerſus domum, à coniuge inceſta interfectus eſt. Vlyſses diù vagatus, tandem domi à filio Telegono, qui ei ex Circe natus fuerat, occiſus eſt. Diomedes à patria repulſus in Italiam venit, vbi ſocij dicuntur in aues conuerſi eſse, quo ſignificatum eſt, piratas eos factos, & paulatim interfectos eſse. Fuit igitur bellum Troianum verè ἰλιὰς κακῶν non tantùm ipſis Troianis, ſed etiam multis aliis gentibus.

DE VETERI DOCTRINA IONVM,
Atticorum & vicinorum, de Sibyllis, Atlante, Orione, Lino, Orpheo, Muſæo, Homero & Heſiodo.

CVM à diluuio Nohæ ſint anni ad Troianum bellum circiter mille, conſentaneum eſt, filium Nohæ Iaphet & eius poſteros aliquandiu retinuiſse doctrinam à patre traditam, quam & Sem retinuit, pręſertim ante longinquas peregrinationes & bella. Occupauit autem poſteritas

Iauan

Iauan Ioniam, vbi extincta doctrina patrum de Filio Dei, tamen plus fuit literarum, diſciplinæ ciuilis, & artium, quàm alibi. Sed ethnici nihil recitant vetuſtius Sibyllis, quas fuiſſe multas credibile eſt. Nomen enim ſignificat Vatidicam, Σιὸς Deus, βουλὴ consilium. Sic appellatæ fuerunt mulieres, quæ habuerunt ſua quædam vaticinia, ſiue accepta à piis maioribus, ſiue quoquo modo dæmonum præſtigiis ſparſa. Citantur carmina Sibyllarum, quorum aliqua exiſtimo retenta eſſe ex doctrina patrum, vt ſunt, quæ congruant cum decalogo, de fugiendis idolis, homicidiis, adulteriis, inceſtis, libidinibus, furtis & mendaciis. Hæc carmina cùm poſterior ætas negligeret, rurſus dicũtur à Phocylide aliqua ex parte collecta eſſe, & eius nomine in populo deinde repetita.

Sciant autem iuniores, aliud doctrinæ genus eſſe legẽ, aliud euangeliũ, id eſt, promiſſionem de Filio Dei: Ac gẽtes amantes diſciplinam, quia lex natura nota eſt, ex naturali iudicio multas honeſtas ſententias de moribus tradiderunt. Sed credibile eſt, has quoque multa legis dicta à patribus accepta retinuiſſe. At doctrina de Filio Dei apud ethnicos extincta fuit. Quòd autẽ Lactantius citat quoſdam Sibyllinos verſus de Chriſto, ſi non falsò tribuuntur Sibyllis, conſentaneum eſt, acceptos eſſe à patribus, tunc cùm adhuc doctrina de Filio nota eſſet.

Atlas dicitur ex Libya doctrinam de cœleſtibus motibus & ſtellis in Græciam attuliſſe, cuius autorem fuiſſe Orionem in Bœotia ſcribitur, à quo pulcherrimo ſideri nomen inditum eſt, quia Græcis annum ordinauit. Et conſẽtaneum eſt, metas anni deſcriptas eſse ab ortu & occaſu Orionis, Pleiadum, & Siiij, quia maximè conſpicuæ ſunt hæ ſtellæ, inter minores. Nomẽ Orionis, vt ego exiſtimo, eſt ab ὥραι, quod ſignificat differẽtias temporum anni, Ver, Æſtatem, Autumnum, Hyemem. Grammatici deriuant ab οὖρον, id eſt, ab vrina, quia coſmicus occaſus in Nouembri ciet ſæuas tempeſtates. Vnde Virgilius inquit:

Sæuus Vbi Orion hybernis conditus vndis.

Linus quo tempore fuerit, inde colligi poteſt, quia Herculem literas & muſicã docuit: quẽ cùm obiurgaret, adoleſcens iratus, tabulam, in qua literas pinxerat, capiti Lini illiſit: quo ictu Linus mortuus eſt. Scribunt hunc ex Phœnicia doctrinas in Græciã attuliſse. Reliqui habentur pauci ipſius verſus, quorum hic celebratiſſimus eſt:

Ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

Orpheus Lini auditor, fuit comes Argonautarum. Scripſit bella Titanum, & expeditionem Argonautarum. Scribitur diſcerptus eſſe à mulieribus in Thracia, ſuperſtitione aliqua, quia mutauerat leges.

Homerus vixit poſt bellum Troianum, cùm eſſent exacti anni centum & quinquaginta, & ante conditam Romam annos circiter centum & quinquaginta. Non procul abeſt ab Eſaiæ tempore. Eius carmen oſtendit Principum familias eius ætatis, & pingit imagines variarum perſonarum, conſiliorum, & mirabilium euentuum in vita. Quæ imagines ſunt exempla & commonefactiones de multis magnis rebus. Simul etiam dulcedo carminis Homerici oſtendit, in Ionica gente excellentem fuiſſe linguæ ſuauitatem, & magna doctrinarum ſtudia.

Heſiodus vixit, cùm anni centum, poſt Homerum, exacti eſſent, aliquantò ante tempus exilij Babylonici. Fuit ſacerdos templi Muſarum in Helicone. Nam Aſcra Heſiodi patria ad radices montis Heliconis ſita fuit. Scribit Pauſanias eius carmen adhuc ſuo tempore in plumbeis tabulis in eo templo ſeruatum eſſe. Eſt autem partim concio de moribus, partim anni deſcriptio, ſeu, vt nos nominamus, Calendarium. Ac talem fuiſſe ethnicorum ſacerdotum doctrinam apparet, videlicet præcepta de moribus, & qualēcunque anni deſcriptionem, ſumptam ab ortibus & occaſibus ſtellarum. Vetuſtas & alium librum Heſiodi habuit, aſtrologicum videlicet, quem Plinius citat, in quo pluriū ſtellarum deſcriptiones fuiſſe apparet, quàm in eo libro, qui adhuc extat. Fuit igitur vetus ſapientia Græciæ particula legis de moribus, cùm natura nota, tum accepta à patribus. Item, inquiſitio herbarum, & remediorum, conſideratio ſtellarum, & qualiſcunque anni deſcriptio. Et in his doctrinis præcipuam partem à Phœnicibus, & Ægyptiis accepit, ad quos multi nauigarunt.

Heſiodum ſcribunt ſenem interfectum eſſe ab hoſpitibus, ſeu errore, ſeu prædæ cauſſa. Conſiderentur autem multorum excellentium virorum triſtes interitus, quorum, apud ethnicos, ſæpe cauſſa fuit confirmatio idolorum, vt mortis Orphei & Heſiodi. Etſi autem ſit mentio multorum aliorum vatum & ſcriptorum, in hac antiquitate primæ monarchiæ, tamen eos omitto. Vtcunque enim ex horum monumentis, quos recenſui, intelligi poteſt, quæ fuerit vetus Græciæ ſapientia, quod conſiderandum eſt.

Simul autem neceſſe eſt mente cogitare, quid interſit inter ethnicorum & eccleſiæ ſapientiam, & vbi, & quæ interea fuerit eccleſia Dei. Amiſerunt enim gentes doctrinam de promiſſione Mediatoris, & paulatim lex apud ethnicos obſcurata eſt, & magni furores, in excogitandis idolis, & libidinibus recepti ſunt.

DE INITIO VRBIS ROMÆ.

ANNO mundi 3212. anno primo ſeptimæ Olympiadis, die 21. April. videlicet quo Palilia celebrabantur, vrbem Romam condere cœperunt Romulus & Remus, nati ex Rhea Syluia, Numitoris regis Albani filia. Plutarchus initium collocat in annum tertium ſextæ Olympiadis. Etſi autem exigua differentia eſt, vnius nempe anni, tamen potius ſequimur Dionyſium Halicarnaſſenſem. Fuit autem annus primus ſeptimæ Olympiadis, annus 10. Achas regis Iuda, qui proximè anteceſſit Ezechiam, ſúntque ab initio vrbis Romæ ad natum Chriſtum ex virgine, anni ſeptingenti & quinquaginta.

Quæ fuerit forma primæ gubernationis regiæ, quę Vrbis incrementa, quæ legum & magiſtratuum mutationes inciderint, quanta fuerit ciuium virtus, quæ bella, quàm varij motus domeſtici, donec ea vrbs monarchiam orbis terrarum adepta eſt: Ac deinde quomodo luxu, bellis ciuilibus, & fatalis orbis mutatione, rurſus amiſerit & virtutem & imperium, ex integris hiſtoriis cognoſcendum eſt. Qua in lectione conſiderandum eſt, magna imperia diuinitus conſtitui, ne fiant infinitæ diſſipationes hominum, aſſiduis vaſtationibus & latrociniis, ſed aliquo modo ſocietas generis humani conſeruetur, & aliquantiſper familiæ in iiſdē ſedibus maneant, ſint leges, coniugia, procreatio & educatio ſobolis, iudicia, diſciplina, artes: præcipuè verò, vt & eccleſia habeat hoſpitia. Simul autem Deus per imperia punit latrocinia & alia ſcelera, & prohibet ne iniuſti reges & gentes latiùs graſſentur.

Conſtituit autem Deus imperia mirabiliter. Etſi enim armat virtute aliquos inſignes duces, tamen in tanta infirmitate humana experiuntur hi ipſi, humana conſilia & vires humanas non ſufficere ad conſtituenda & retinenda imperia, ſed fatentur omnes non furioſi, veram eſſe vocem Danielis: Deus transfert & ſtabilit imperia.

Perſica potentia complexa erat florentiſſimam partem orbis terrarum, & erat inſtructa ingenti multitudine & robore hominum, & diuitiis ingentibus. Hæc autem poten-

tiam euertit adoleſcens, natus in horridis montibus Macedoniæ, quod fieri non potuit niſi Deo & armante ducem, & gubernante euentus.

Quid mirabilius eſt, quàm vrbẽ Romanam, cùm eſſet tam turbulenta, & quaſſaretur ſubinde domeſticis diſcordiis, & ſæpè ab externis hoſtibus vinceretur, tamẽ monarchia potitam eſſe? Sed Deus ſubinde aliquos duces dedit, virtute præſtantes, & euentus gubernauit, Camillum, Fabios, Scipiones, &c. voluit enim regum tyrãnides punire, & in ea vrbe collocare imperij arcem, ſicut ſcriptum eſt: Propter iniuriam regnum à gente in gentem transfertur. Et magnam opulentiam ac potentiam comitantur luxus, ſuperbia, diſcordiæ, & alia ſcelera, quæ pœnas & mutationes imperiorum attrahunt, ſicut dictum eſt:

-nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiiſque ſuperbia vertit.

Intuentes igitur imperia, cogitemus de iuſtitia Dei, punientis ſcelera, & de bonitate eius conſeruantis aliquam ſocietatem generis humani, & ordinem, vt colligi eccleſia poſſit, & veris gemitibus petamus, vt det nobis ſalutaria imperia, & caueamus, ne noſtris furoribus turbentur. Initio Roma gubernata eſt à regibus annos 244. teſte Liuio, quem in Romana hiſtoria ſequi rectiſſimum eſt. Apud ipſum etiam rerum geſtarum ſeries legenda eſt, & conſiderandum, creuiſſe potentiam foris militari labore & diſciplina: domi verò modeſtia & iuſtitia gubernationis, & ordinum ac onerum diſtinctione. Poſtea propter tyrannidem & libidines pulſam eſſe familiam regiam, ſicut ſæpiſſimè cauſſæ mutationum in imperiis, libidines fuerunt, iuxta dictum vniuerſale: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, eradicabitur. Hîc breuiter nomina regum adſcribemus.

Romulus regnauit annos triginta octo.

Numa annos quadraginta tres.

Tullus hoſtilius triginta duos. Hic deleuit Albam, & ciues Romam migrare coëgit. In his fuit & familia Iulia, ab Iulo orta, quæ regnum Albæ tenuerat. Ideò dixit Virgilius, Æneæ poſteritatem regnaturam eſſe.

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Ancus Martius annos viginti quatuor.

Tarquinius Priſcus annos triginta ſeptem.

Seruius Tullius quadraginta quatuor. In huius ſenectã incidit initium Perſicæ monarchiæ, vt mox dicemus. Sed

breuitatis

breuitatis cauſſa hîc omnium Regum Romanorum nomina recitamus.

Tarquinius Superbus vigintiquinque. Hic expulſus eſt regno, propter filij ſcelus, qui Lucretiam per vim compreſſerat. Id exemplum notum ſit inter libidinum pœnas.

DE SECVNDA MONARCHIA.

IN fine primæ monarchiæ Deus etiam in regno Babylonico ſummos reges Nebuchadnezar, & eius filium, ad eccleſiæ ſocietatē ingentibus miraculis vocauit. Quia volebat his teſtimoniis oſtendere, quæ & vbi tunc erat vera de Deo doctrina, & vera eccleſia. Cùm autem tertius à Nabogdonoſor reſtitueret idola, & blaſphemias caneret contra verum Deum, excuſſus eſt ex regno, & monarchia à Chaldęis ad Perſas tranſlata eſt.

Hac tranſlatione Deus ſimul & puniuit blaſphemum regem, & eccleſiam exulantem reduxit in patriam, ne, ſi finis non eſſet diſſipationis, gens Iudæa funditus periret quã voluit Deus habere certam ſedem & politiam, vt ſciretur, quæ, & vbi eſſet vera de Deo doctrina, & eccleſia, & vbi vellet naſci, conſpici & audiri Meſſiam.

Legatur autem apud Danielem hiſtoria de cauſſa tranſlatæ monarchiæ, de blaſphemiis Baldaſſari, & de manu ſcribentis in pariete tria verba, quæ ſignificant, circumactis periodis regnorũ, deficere authoritatem, & mox ſequi diſcordias, quæ ſunt exitioſæ imperiis. Quomodo autem congruant appellationes regum Perſicorum à Græcis recitatæ, ad Danielem, Eſdram, initio breuiter dicam.

Græci Perſicos reges ſic numerant.

Cyrus regnauit annos viginti nouem.

Cambyſes, annos ſeptem, menſes quinque.

Darius filius Hiſtaſpis annos triginta ſex.

Xerxes annos viginti.

Artaxerxes Longimanus quadraginta.

Darius Nothus, nouemdecim.

Artaxerxes Mnemon quadraginta.

Ochus annos viginti ſex.

Arſames annos quatuor.

Darius vltimus, annos ſex.

Apud Danielem Darius Medus nominatur ante Cyrũ. Ioſephus, hũc Darium, inquit eſſe Cyaxarem, filiũ Aſtyagis, quod conſentaneum eſt. Nam & Xenophon Cyrum Cyaxari adiungit. Ordo igitur hic eſt apud Metaſthenem.

Darius & Cyrus ſimul regnarunt annos duos.

Poſtea Cyrus ſolus annos viginti duos.
Artaxerxes Aſſuerus annos viginti.
Darius Artaxerxes Lõgimanus annos triginta ſeptem.
Darius Nothus annos nouendecim.
Artaxerxes Mnemon quinquaginta quinque.
Ochus annos viginti ſex.
Arſames annos quatuor.
Darius vltimus annos ſex.

In hoc catalogo Metaſthenis pleraque nomina cum Græcorum enumeratione congruunt. Duo autem omiſſi ſunt, Cambyſes & Xerxes, quia Cambyſes regnauit, viuente patre. Cùm igitur non liceret extra regnum proficiſci regem cum exercitu, niſi domi prius rege creato, Cyrus ducturus exercitum in Scythiam, filium Cambyſen créat regem Perſarum. Ita anni Cambyſis, qui regnauit abſente patre, attribuuntur Cyri annis. Poſt Cyrũ hic nominatur Artaxerxes Aſſuerus, qui eſt Darius filius Hiſtapis, quem ſcribit Herodotus habuiſſe coniugem filiam Cyri Aroſſam, & nominat inter concubinas Artiſtonam, quam ait valde dilectam fuiſſe à Dario. Hanc conſentaneum eſt fuiſſe Eſter, cuius hiſtoria eſt in Bibliis.

Poſt Darium filium Hiſtaſpis, nominant Græci Xerxẽ, qui celebratiſſimus eſt, propter magnitudinem exercitus quem duxit in Græciam. Videtur autem ideò hic omiſſus, quia, eo diſcedente, domi regnauit filius Artaxerxes Longimanus, cui familiaris fuit Eſdras. Et poſt bellum Xerxes ſtatim interfectus eſt, cùm fratrem interfeciſſet, & haberet inceſtam conſuetudinem cum eius coniuge & filia.

DE CYRO PRIMO REGE Perſico.

CVM imperia diuinitùs conſtitui, & transferri certum ſit, ſicut Daniel inquit, Deus transfert regna & ſtabilit; ſciamus etiam principes aliquos excellenti ſapientia & virtute à Deo ornari, & ſingularibus motibus regi, vt ſint felices in gubernatione, & ſalutares generi humano, proſint Eccleſiæ, muniant honeſtam ſocietatem hominum, legibus, iudiciis, pœnis, diſciplina, commerciis multarum gentium. Tales principes diuinitùs inſtructos excellentia virtutum & felicitate, nominant Græci viros Heroicos. Sũtque & in hiſtoriis & in quotidiana vita conſideranda diſcrimina gubernatorum heroicorum, mediocrium, & tyrannorum, vt opera Dei diſcer-

pantur

nantur ab operibus diaboli , & vaſa miſericordiæ à vaſis iræ , & vt beneficia diuina grati celebremus , & furores tyrannicos deteſtemur. Et multæ inſignes admonitiones ſunt in ſingulorum hiſtoriis. Quanta virtutum præſtantia eſt in Samſone, Hercule, Dauide, Alexandro. Hi tamen & tetros lapſus habēt, & in horribiles calamitates inciderunt. Hæc ſpectacula nos admonent de noſtra infirmitate, de modeſtia, ne ruamus extra metas, & de inuocatione Dei, vt ardenter petamus nos à Deo regi & iuuari. Multæ liberationes in periculis iuſtorum in inuocatione ſuſceptis, & ſubitæ euerſiones florentis potentiæ ſuperborum, qui mouent bella non neceſſaria , manifeſta teſtimonia ſunt præſentiæ Dei. Vt, Crœſus, fiducia potētiæ, infert bellum Cyro gerenti iuſtum bellum aduerſus tyrannum Babylonicum, qui Gobriæ filium occiderat, & in alios crudelitatem exercuerat.

Sic igitur hæ hiſtoriæ legantur, vt mentes ſimul præſentiam Dei, & multa opera diuina conſiderent. Cyrus expoſitus, vt fame moreretur, diuinitùs ſeruatur, quocunque modo id factum eſt. Poſtea optima diſciplina Perſica ad virtutem aſſuefactus eſt. Cúmque velim omnibus notiſſimos eſſe libros Herodoti & Xenophontis, non inſeram eorum narrationes huic breui commemorationi. Danielem, familiarem fuiſſe regnanti Cyro manifeſtum eſt. Arbitror autem & tunc, cùm rexit Perſiam Daniel, præſes in Suſis, fuiſſe eius auditorem Cyrum adoleſcentem, & ab eo didiciſſe veram de Deo & de Meſſia doctrinam, & prædictiones Eſaiæ, in qua nomen Cyri expreſsè poſitum eſt.

Inter diſciplinæ exempla recitat hoc Xenophon, quod docet, leges anteferendas eſſe propriis opinionibus. Exercebant iudicia adoleſcentes, & poſtea ſententiarum rationem magiſtro reddebant. Venerant autem in iudicium duo, quorum alter procerior detraxerat tunicam longiorem breuiori adoleſcenti, & ei curtam tradidit. Cyrus audita vtriuſque oratione, iuſſit procerum tenere longam tunicam, alterum curtam. Propter hanc ſententiam plagas accepiſſe Cyrus traditur, quia iuſtitia eſt æqualitas, non quæ nobis videtur, ſed quam lex ordinat. Hæc autem facit hanc æqualitatem, vt ſuum quiſque teneat, & prohibet furta & rapinas.

Egreſſus ex adoleſcētia, fuit ſocius regis Cyaxaris, qui à Daniele nominatur Darius Medus, & magna bella geſſit annos amplius viginti, antequàm cepit Babylonem. Nam

Rex Aſſyrius Medis bellum intulerat, & hic ſocium habebat Crœſum. Nominat autem regem Aſſyrium Herodotus Labynitum, qui exiſtimatur eſſe Baldaſſar apud Danielem. Quia verò res Lydorum, & Ioniç, Græcis notiores fuerunt, bellum Ionicum copioſiùs deſcriptum eſt. Fuit autem eo tempore florentiſſima Ionia, vrbibus, ingeniis, & artibus ornatiſſima. Sed à Cyro & Harpago multæ magnæ vrbes deletæ ſunt, fuerúntque tantæ calamitates, vt multitudo, nauigiis ex vrbibus fugiens, vltrò ſe in mare demerſerit. Apparet autem libidinum confuſiones cauſſam fuiſſe tantarum pœnarum.

Eo tempore Phoceâ, Ionicâ vrbe, circumſeſſa ab Harpago, ciues, deſerta patria, nauigarunt in occidentem, & Maſſyliam in littore Gallico condiderunt, vbi longo tempore Ionicam linguam & doctrinas retinuerunt, & iuſtitiæ ac diſciplinæ laude excelluerunt. Nomen eſt ab ἁλία, id eſt, naue piſcatoria, & μᾶσαι id eſt, alligare, vel quærere, quod, propter commoditatem portus, eum locum nauigantes elegerint.

Capto autem Crœſo peperciſſe, hac occaſione, Cyrus ſcribitur: Cùm in rogum impoſitus ter clamaſſet: O Solon: Cyrus miratus, cur in extremo articulo vitæ hanc vocem ſonaret, iuſſit eum liberari. Ibi Crœſus interrogatus, narrauit ſuum & Solonis colloquium, qui dixerat, Neminem, ante vitæ finem, beatum eſſe iudicandum, quia ſingulis ante mortem triſtia multa accidere poſſent. Hæc cogitantem, ait, ſe deploraſſe ſuam ſtultitiam, quod confiſus præſenti potentia, bellum Cyro intuliſſet, tunc non cogitans fortunæ inconſtantiam, cùm quidem & oraculo rectè monitus eſſet, ſe beatum fore, ſi ſe noſſet. Quo, cùm iudicaſſet ſe moneri, ne quid moueret, tamen ab adulatoribus incitatum ſe eſſe, qui oraculum ſic interpretati eſſent, vt potentiam ſuam cogitaret maiorem eſſe Cyri potentia, & permotum eſſe, vt bellum moueret. Hæc cùm Cyrus audiuiſſet, ſeruauit eum, & inter viros honoratos & amicos ſecum habuit.

Nominatur ergo Crœſus inter exempla inconſtantiæ fortunæ. Sed cauſſa magis conſideranda eſt. Errore mouetur, vt bellum non neceſſarium moueat, ita calamitatem attrahit. Docet igitur, ne res magnas, ſine neceſſitate, moueamus: ſed ſimus memores noſtræ infirmitatis, & neceſſaria faciamus, ſicut præceptum eſt: Subditus eſto Deo, & ora eum, &c. Item: Commenda Deo viam tuam, &c.

Notæ

Notæ ſint, & memorabiles ſententiæ in hac hiſtoria. Apud Herodotum, inquit Solon pag. β. verſu vltimo: πᾶν ἐστὶ ἄνθρωπος συμφορὴ: id eſt, Homo hoc totum quod eſt, eſt obnoxiũ multis calamitatibus & aduerſis caſibus. Apud Xenophontem oraculum recitatur:

Σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.

Poſt bellũ geſtum aduerſus Ionicos & Lydos, Cyrus Babylonem cœpit obſidere: quam cùm occupaſſet, tenuit iam duo maxima regna, Lydium & Babylonicum: & antecelluit potentia omnibus regibus generis humani. Etſi igitur res magnas geſſit Cyrus, ante occupatam Babylonem, tamen initiũ monarchiæ Perſicæ conſtitutum eſt hac victoria, qua ſummã arcem imperij Babylonem cepit. Et anni ſeptuaginta exilij Iudæorum hoc anno, capta Babylone, finiti eſſe ſcribuntur. Hic nominatur annus primus Cyri, ſcilicet monarchię, poſt captam Babylonem, in 2. libro Paralipom. & primo libro Eſdræ.

Cùm autẽ Cyrus victor, domitis duobus præcipuis regibus, Aſiam teneret, ſcirétque ſemper gentes Scythicas in Aſiam infuſas eſſe, & magnas vaſtationes feciſſe, vt Aſia tuta eſſet, bellum Maſſagetis, qui vicini erãt mari Caſpio intulit. Fuiſse autem Maſſagetas Gothorum ſtirpẽ, nomẽ indicat, quod à Getis compoſitum eſt, & Mes. Fuerunt autem Mes & Gether poſteri Sem, vt Geneſis teſtatur. Ab illis Getas eſſe conſentaneum eſt. Et vicini in illa regione fuerunt Maſſagetę, Sueui & Alani.

In hoc bello dum abeſt Cyrus, interea domi Cambyſes regnat annos ſex. Ita miſcentur anni Cyri & Cambyſis. Et quanquam Cyrus, primo anno monarchiæ, poſt captam Babylonem lætiſſimum edictum, de reſtituendis Iudæis in patriam, & de inſtauratione templi & politię Iudaicę, ediderat; tamen poſtea filius Cambyſes prohibuit reditum, quia bellum illaturus erat Ægyptiis, & metuebat, ne Iudæi ſe Ægyptiis adiungerent. Ita nouis cõſiliis diabolus impediuit preditũ Iudæorum, & eccleſiæ inſtaurationem. Fuerũt itaq; in luctu pij, præſertim poſtquã Cyrus interfectus eſt.

Herodotus ſcribit, Perſicum exercitum à Maſſagetis ingenti prælio victum eſſe, & ſimul in acie Cyrum interfectum eſſe, ac poſtea cadaueri caput præciſum eſſe, quod poſtea Tomyris regina in vtrem plenum ſanguine coniecit, addito hoc verbo, cum contumelia & exprobratione crudelitatis: Quia ſanguinem ſitiiſſet, ibi humano ſanguine ſaturaretur. Antea enim Cyrus & exercitũ Maſſageta-

rum trucidauerat, & filium reginæ ceperat.

Etſi autem inquit Herodotus, diſſimiles eſſe ſermones de Cyri morte, tamen vtrinque magnos exercitus trucidatos eſſe conſentaneũ eſt. Et fieri poteſt, vt Cyrus, quanquam Deum rectè inuocauit, & fuit veræ eccleſiæ membrum, ac hæres vitę æternæ; didicerat enim à Daniele veram doctrinam, tamen, vt Ioſias, moto non neceſſario bello, cladem acceperit, & inter exempla propoſitus ſit, quæ monent, non ſolùm impios & iniuſta mouentes, à Deo euerti, vt Pharaonem, Saulem & alios innumerabiles, ſed etiam electis, cùm in faſtigium venerunt, metuendos eſſe aduerſos caſus, præſertim ſi fiant ſegniores, vt multorum præſtantiſſimorum hominum ſua quædam ſunt errata, quæ comitantur pœnæ, vt Aaronis, Salomonis, Oſiæ, Ioſiæ. Et vniuerſaliter vult Deus omnes ſanctos agnoſcere infirmitatem humanam, & obtemperare, cùm aut puniuntur propter certos lapſus, vt Dauid, Salomon, Oſias & alij multi: aut ſingulari conſilio Dei, onerantur cruce & ærumnis, ſicut ſcriptum eſt: Humiliamini ſub potenti manu Dei. Item: Oportet nos ſimiles fieri imaginis Filij Dei.

Narrat autem Xenophon, Cyrum placidè mortuum eſſe, & eius orationem recitat, qua ante mortem filios hortatur ad iuſtitiam, & ad concordiam. Et addit commemorationem de immortalitate animæ, & de præmiis & pœnis ſequuturis poſt hanc vitam: ac iudicij diuini & ſignum & teſtimonium eſſe affirmat, horrendos pauores conſcientiæ, qui ſunt vindices ſcelerum, etiamſi quis humana iudicia effugerit.

Etſi autem magnum decus eſt, quod Deus Cyrum ad imperij faſtigium vocauit, & prudentia, iuſtitia, fortitudine, & aliis virtutibus, felicitate in rebus gerendis inſtruxit: tamen hoc longè maius bonum fuit, quod pectus eius ad agnitionem & inuocationem veri Dei & Meſſię flexit, & eius imperium voluit eſſe ſalutare eccleſiæ. Hæc ſunt ſumma bona gubernatoris, quia politiæ debent eſſe hoſpitia eccleſiæ, & miniſterium euangelij, & diſciplinam tueri, iuxta dictum: Reges erunt nutritores tui. Et Pſalmus inquit: Aperite portas, principes, veſtras, aperiamini portæ mundi.

Optandum autem erat plura de Cyro in Daniele extare, ſed legamus quantum tradidit antiquitas, & virtutes Cyri diligenter in Xenophonte contemplemur. Nuſquam

iraſcitur

iraſcitur in tota hiſtoria, non certat ambitione, cedit Cyaxari, ait ſe nō effusè lætatum eſſe, οὐ δ' εὐφραίνεσθαι ἐκπεπληγμένως. Diligentia tanta fuit, vt non daret mandata incertis, vt negligens paterfamilias dicit: Eat aliquis ad aquam ferendā: Ligna aliquis ſecato. Sed nominatim certis mandata dedit, & nomina meminit. Iuſſit præconium fieri in bellis, vt parceretur agricolis, & quàm minimū belli eſſet σμικρότατον τοῦ πολέμου λιπεῖν. Iubet ſic vincere, vt poſſeſſores maneāt in ſuis poſſeſſionibus. Reprimi vult armatos hoſtes, & ſeruari populum pacis cupidum.

DE ECCLESIA.

ANNI ſupra ex Moiſe, & hiſtoriis propheticis, ordine ſumpti ſunt.

Anni ab initio mundi vſque ad deſtructionem Ieroſolymæ 3355.

Adde 70. exilij Babylonici vſque ad captam Babylonē à Cyro, & vſque ad edictum Cyri de reſtitutione templi, anno mundi 3425.

Vt autem ſemper in ſerie temporum conſiderandum eſt, quæ, & vbi fuerit eccleſia, quæ habuerit teſtimonia, pericula, liberationes, certamina: ita nunc tempore monarchiæ Perſicæ eadem conſideranda ſunt. Dictum eſt autem ſupra, fuiſſe eccleſiam annis 70. in exilio & triſti ſeruitute in Chaldæa, in qua tamen Deus ornauit eam illuſtribus teſtimoniis, & ingenti gloria: liberatione trium virorum, qui in flammas coniecti fuerāt, & aliis miraculis: ac recèns, ante edictū Cyri, Daniel inter leones ſeruatus eſt.

Nunc lætiſſima reductio in patriam ſequitur. Quanquā autem acceſſerunt multæ miſeriæ, tamen monarchia Perſica, vſque ad hoc tempus, minùs aſpera fuit erga eccleſiam, quàm aliæ monarchiæ. Cyrus, anno proximo poſt captam Babylonem, edidit decretum, quo conceſſit Iudæis reditum in patriam, & dedit mandata de inſtauratione templi, & attribuit reditus. Fuitque dux populi Iudæorum Zorobabel, nepos regis Ieconiæ. Deinceps enim, ſine regio nomine, duces ex ſtirpe Dauid populo Iudæorum præfuerunt. Et fuit ſummus ſacerdos Ieſus, filius Ioſedek. Hos duos ductores magna multitudo comitata eſt, vt ſcriptum eſt in libro Eſdrę. Hi reuerſi in Iudęam, ruſus condere vrbem Ieroſolymam cœperunt, & fundamenta templi iecerunt.

Hęc lætiſſima initia turbata ſunt, partim à vicinis Samaritanis, partim aulicis calumniis. Cùm enim pater Cy-

rus bellum aduerſus Maſſagetas gereret, & Cambyſes domi regnaret, inchoata ædificatio templi, edicto Cambyſis prohibita eſt. Et conſentaneum eſt, calumniatores in aula, hac vſos eſſe occaſione, quòd cùm bellum illaturus eſſet Cambyſes Ægyptiis, diſputatum eſt Iudæos ex Ægyptia ſtirpe eſſe, & cauendũ eſſe, ne Iudæi ſe cum Ægyptiis coniungerent. Ita à Cambyſis tempore, vſque ad ſecũdum annum Longimani, inſtauratio impedita eſt. Ac tunc rurſus, noua conſolatione, populus, per Haggæum & Zachariam confirmatus eſt.

Etſi autẽ eductio ex Ægypto glorioſior eſt & manifeſtis miraculis magis ornata, qua Deus voluit oſtendere teſtimonia de lege, tamen non minùs difficile fuit, diſſipatas familias colligere, & inermes per tot inimicas gentes ducere, & inter hoſtes rurſus extruere vrbem, & collapſam Rempublicam reſtituere poſt annos 70. quàm olim fuerat cum valido exercitu alienam terram occupare. Vtraque res oſtendit, Deum mirabiliter ſeruare & regere eccleſiam, & velle peti, & expectari diuinum auxilium, ſicut & in hac ipſa reſtitutione conſolatur Zachariam, auxilium de defẽſione multitudinis, mulierum, puerperarum, infantum, ſenum, imbecillium familiarum, cùm nondum haberent tecta, muros, & præſidia, inquiens: Non in exercitu, non in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus. Item: Ego ero murus igneus circum eos.

Quo igitur in loco tunc fuerit eccleſia, & quę habuerit teſtimonia, oſtẽdit hæc reductio in qua multa ſunt miracula. Tempus congruit cum vaticinio Ieremię, qui prædixit poſt annos 70. populum rediturum eſſe. Et Danielem fuiſſe prophetam, à Deo miſſum, recẽns protectio inter leones oſtendit. Erant igitur eccleſia Dei ipſius auditores, qui profeſſus eſt doctrinam in libris prophetarum traditã, & hanc ita illuſtrauit, vt non ſolùm dixerit, quale futurũ eſſet regnum Meſſię, & quæ beneficia, ſed etiam numerũ annorum expreſſit, intra quos Meſſias pro genere humano futurus erat victima. Hæc concio præcipuam euangelij doctrinam complectitur.

Ac valdè prodeſt omnibus hominibus hãc ipſam cõcionem notiſſimam eſſe, quæ quidem & perſpicuè refutat Iudęos. Quia cùm affirmet, ſtante politia Moſaica, vẽturum eſſe Meſſiam, non dubium eſt, errare Iudæos, qui nondum veniſse Meſſiam vociferantur. Sępè igitur legatur caput nonum Danielis, vbi ſcriptum eſt: Septuaginta hebdomades

des

des decretæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt finiatur præuaricatio, & obſignetur peccatũ, & fiat propitiatio, pro peccato, & adducatur iuſtitia ſempiterna, vt compleatur viſio & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorũ. Scito ergo & cõſiderato: Ab exitu ſermonis, vt iterum habitetur & ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erũt, & rurſum habitata erit, & ædificata platea Ieroſolymæ & muri, in anguſtia temporũ. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & nõ erit populus, & ciuitatem, & Sãctuarium deſtruet populus ducis venturi, & finis eius inundatio, & finis belli, definita vaſtitas: Et confirmabit teſtamentum multis, hebdomade vna, & in dimidio hebdomadis deficient hoſtia, & ſacrificium, & erit ſuper aras abominatio vaſtationis perpetuæ, & definita vaſtitas effuſa erit.

In hoc vaticinio & beneficia Meſſię recitantur, & mors Meſſiæ prædicitur, & tempus aduentus exprimitur. Hebdomades enim intelligendæ ſunt annorum hebdomades, vt in Leuitico capit. 25 textus loquitur. Sunt igitur hebdomades ſeptuaginta, anni 490.

Dicit autem Daniel: Poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, ſic tamen vt in dimidio hebdomadis confirmet teſtamentum, id eſt, doceat & teſtimonia oſtendat, & deinde patiatur & reſurgat.

Significat autẽ Daniel, vnde ſit inchoanda numeratio, cùm ait, ab exitu ſermonis, vt iterum habitetur & ædificetur Ieruſalẽ. Hæc ſermonis egreſſio, nõ intelligatur Cyri decretum, quia tunc ędificatio rurſus prohibita, & impedita eſt, vſque ad Darij Longimani gubernationem. Ad hoc interuallum accommodant aliqui dictum Iohannis 2. Quadraginta ſex annis ædificatum eſt hoc templum. Sed de eo dicto Iohannis hîc non diſputo.

Sumatur autem initium hebdomadum ab eo tempore, cùm abolitis prohibitionibus, iam proceſſit ædificatio, ſitque initium ab egreſſione ſermonis, de proceſſuro opere, cum Haggęus & Zacharia, vaticinantur opus proceſſurum eſſe anno ſecundo Longimani, & poſtea Eſdras mittitur anno 7. Longimani.

Concinnius eſt autem egreſſionem ſermonis de diuino ſermone intelligi, qui per Haggæum & Zachariam traditus eſt. Quanquam adiungi Eſdræ miſſio poteſt, quę non longo interuallo ſequitur. Sunt autem à ſecundo an-

no Longimani vſque ad mortem vltimi Darij, iuxta Metaſthenem, anni 145. Adde, iuxta Philonem, vſque ad triceſimum Herodis, quo natus eſt Chriſtus, annos 310. Adde 30. annos ad Baptiſmum Chriſti, ita erunt anni 485. Iam 69. hebdomades annorum ſunt anni 485. Sunt igitur ad Chriſti Baptiſmum 69. hebdomades, & in dimidio vltimæ Chriſtus publicè concionatus eſt, oſtendit teſtimonia, paſſus eſt, & reſurrexit. Ita in Pentecoſte, proxima poſt reſurrectionem Chriſti, finis eſt hebdomadum Danielis. Nã poſtea Iudaica politia reiecta eſt, templum à Deo damnatum eſt, & magis magíſque prophanatum, donec tota gens ſub Tito diſſipata, & templum funditùs deletum eſt.

Hęc computatio tantùm quinquẽnio differt à Fũcciana, qui orditur hebdomades à ſeptimo anno Longimani. Nec abſurdum eſt, adiungere Eſdræ miſſionem ad Haggæi & Zachariæ vaticinia. Et, ſi Ptolemæi numeros ſequaris, ab Alexandri morte vſque ad Auguſtum, inuenies à morte Alexandri ad natum Chriſtum annos 324. quibus ſi addes Perſicos annos regni Alexandri poſt Darium, tamen incurrent hebdomades in annos Chriſti.

DE STVDIIS DOCTRINARVM in Græcia.

PRIMI in Græcia doctores, qui vel de natura rerum, vel de moribus, vel de hiſtoriis ſcripta monumenta ediderunt, plerunque carminibus vſi ſunt, vt Linus, Orpheus, Homerus, Heſiodus. Fuerunt igitur primi ſcriptores poëtę. Deinde alij doctores nati ſunt, qui complexi ſunt omnes artes, arithmeticam, geometriam, doctrinam de motibus & effectibus cœleſtibus, phyſicam, de qualitatum actionibus in materia corporum, & de remediis morborum. Harum doctrinarum partem, veteres Ionas à ſuis parentibus, Iaphet & Iauan, accepiſſe, conſentaneum eſt. Sed magis coluerunt arithmeticẽ, geometriam, de motibus & effectibus cœleſtibus, & artem medicam Phœnices & Ægyptij. Horum eruditi conſuetudine Thales, & Pythagoras, circiter Crœſi & Cyri tempora, excitauerunt exemplo maiorum ſtudia harum doctrinarum in Europa, & cœtus diſcipulorum familiariter docuerunt.

Thales vixit Mileti, & ordinauit annum Ionicis ciuitatibus, & Atticæ, rectè monſtratis æquinoctiorum temporibus, & interuallis; & deſcripſit meteora carmine.

Pythagoras natus in Samo, adiit Ægyptum, & inde attulit

tulit ſuam philoſophiam Tarentum. Ab his duobus diuerſa genera philoſophię orta ſunt. Ionicum à Thalete, quod fuit minùs obſcurum, & magis phyſicum: Alterum Italicum à Pythagora, qui, cùm Romę regnaret Seruius Tullus, docuit in vltima ora Italię, magna Gręcia, fuitque doctrina obſcura, plena ęnigmatum, & ad vſum communem minùs accommodata; & quia arcanos congreſſus, & ſuos quoſdam ritus Pythagorici habuerunt, propter tyrannorum ſuſpiciones deleti ſunt.

DE SOLONE.

CROESI tempore & Solon fuit ciuis Athenienſis, quē, cùm ſeditio Athenis orta eſſet, propter crudelitatem fœneratorum, qui cogebant debitorum filios & filias ſibi in ſeruitutem addici, aut vendi, vt vſurę numerarentur, ciuitas conſentiens elegit, vt legum & iudiciorum acerbitatē mitigaret, & vſuras moderaretur. Hic primam tulit legem, ne deinceps liceret vllum liberum corpus propter debita, aut vſuras, in ſeruitutem trahi. Item: Vt tunc vſurę, quę ad id tempus debebantur, omnes remitterentur: & ipſe primus remiſit quinque talenta, id eſt, tria millia coronatorum. Hunc modum etiam vſurarum inſtituit ne plus peteretur, quàm vſura, quę nominatur centeſima, id eſt, centeſimo menſe ſortem ęquans. Poſtea leges Athenienſium mitigauit, & iudicia conſtituit.

Nomen autem erat veterum legum, Leges Draconis, ſic nominatę vel ab authore, vel (vt magis exiſtimo) à loco iudicij, cuius ſignum terribile erat Draco. Fuerunt enim pœnæ multorum delictorum aſperiores, in illa ſeueriore antiquitate, ſicut Demades inquit: Leges Draconis ſanguine ſcriptas fuiſſe. Fuit autem aliquarum mitigatio honeſta, vt, Ne darentur in ſeruitutem filij, aut filiæ pro pecunia ſumpta mutuò. Contra verò aliquarum laxatio turpis fuit, vt de adulteriis, quæ omnia olim puniebantur ſupplicio capitali.

Ordinauit & annum ac menſes, & ad duodecim mēſes lunares adiecit epactas dies vndecim, vt congruerent ad integrum ſolis circuitum. Initium anni conſtituit coniunctionem ſolis & lunæ proximam æſtiuo ſolſtitio. Collegit & in integrum corpus Homeri poëmata, & in loco publico collocauit, & inſtituit, vt ordine ſinguli libri in diebus feſtis publicè legerentur, & oſtendit, ad gubernatores pertinere curam conſeruandi bona ſcripta. Anteceſſit autem Homerus Solonem annos circiter trecentos,

Sapienter actiones forenſes ita diſtinxit, vt earum ordo penè ad Decalogum congruat. Sunt enim actiones, velut exequutio pœnarum, quibus externa delicta cõtra Decalogum puniuntur. Demoſthenes recitat iuramentum Iudicum: FERAM ſententias iuxta leges, nec ſuffragia feram, vt debita condonentur, aut agri aut domus locupletioribus eripiãtur, nec reducam exules, nec liberabo damnatos aut reos, nec accipiam munera iudicij cauſſa: Audiam pariter accuſatorem, & reum; pronunciabo de re, de qua propriè actio inſtituta eſt. Hæc & ſimilia multa exẽpla, in hiſtoria Solonis, continẽt vtiles cõmonefactiones, quas prodeſt paſſim ex ſcriptoribus excerpere.

CAMBYSES SECVNDVS REX Perſarum.

CVM Cyrus ſenex exercitum extra regnum aduerſus Maſſagetas duceret, filio Cambyſi regium nomen tribuit, & viuens adhuc, Perſicæ monarchiæ regem eum eſſe iuſſit. Hic Cambyſes Ægyptum addidit regno Perſico. Eſt autem inſigne exemplum inconſtantiæ rerum humanarũ, quòd natus tãto patre, cuius fuit excellens virtus, &, haud dubiè, optima diſciplina inſtitutus, tamen mores induit non ſolùm genere & rege indignos, ſed omnino tetros. Motus falſa ſuſpicione, iuſſit interfici fratrem. Duxit vxorem ſororem ſuam, & lachrymantem propter fratris necẽ, excandeſcens grauidam interfecit. Hanc domeſticam crudelitatem alij furores ſequuti ſunt. Cùm Prexaſpes reprehendiſſet eius temulentiam, dixit ſe oſtenſurum eſſe, ſibi mentem etiam inter pocula eſſe, ac iuſſit in cõuiuium adduci filium Prexaſpis, quem collocatum ad limen, iuſſit puerum ſiniſtram manum capiti imponere, & arcum intendit, ac ad cor adoleſcentis ſagittam direxit. Quod cùm vulneraſſet icto pectore hærens in corde ſpiculum patri monſtrat, eúmque ridens interrogat, ſatiſne certam manũ haberet? Pater, ſibi metuens, artem laudat.

Sed talis cùm eſſet Cambyſes, aliquantò poſt diuinitùs punitus eſt. Cùm enim in equum aſcenderet, decidens ex vagina gladius, ferit ei femur. Ex eo vulnere poſt paucos dies mortuus eſt, cùm regnaſſet annos ſeptem, menſes quinque. Cùm autem, viuo patre, annos aliquot regnarit, hi anni diſcernuntur à patris annis. Eſt autem & ipſius pœna teſtimonium regulæ: Omnis qui gladium acceperit.

ceperit, gladio peribit. Ac talibus exemplis pœnarum, Deus cæteros homines, de prouidentia, & de iudicio commonefacit.

Iuſtitiæ exemplum de Cambyſe hoc narrat Herodotus: Præſidem Siſamnem, qui, pecunia corruptus, iniuſtā ſententiam tulerat, interfecit, & toti corpori cutem detraxit, eámque inſtrauit tribunali. Poſtea filium Siſamnis, Otanem in eam ſedem collocauit, ac iuſſit eum intuentem patris exuuias, iuſtè iudicare, ne ſimili ſupplicio afficeretur.

Sæpè autem dicimus, ſocietatem hominum ſimilem eſſe gregi, quem, etſi paſſim lacerant lupi & vrſi, tamen fidelis paſtor à cæteris pecudibus eos depellit. Sic, etſi graſſantur diaboli, tyranni, & alij ſcelerati in genere humano, tamen Deus, ceu fidelis paſtor, ſua dextra cœtus aliquos protegit, iuxta illud: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, &c. Et graſſantes tyrannos & latrones tollit. Quanquam igitur & ipſe Cambyſes tyrannus eſt, & mox punitur, tamen quædam in gubernatione diuinitùs iuſta fiunt, ne diſſipetur vniuerſa ſocietas generis humani.

DE DARIO, TERTIO Rege Perſico.

CVM abeſſet Cambyſes in Ægypto, Magi aliquot, conſpiratione facta, regnum à familia Cyri ad ſeſe transferre conati ſunt, & vnus ex Magis regem ſe nominauit. Sed re prodita, Magi à ſeptem principibus interficiuntur. Poſtea deliberatio inſtituitur de forma gubernationis. Et ſunt orationes tres apud Herodotum dulciſſimæ, de optimo ſtatu.

Otani placet non creari regem, ſed ſuadet, vt certis legibus principes, & ciuitates fœdus faciant, de communi defenſione, & ſinguli ſuam libertatem atque æqualitatem retineant. Quia vnum armare ſumma potentia nequaquam tutum ſit. Ipſa enim magnitudo potentiæ etiam in bonis mentem deteriorem efficit. Cúmque cupiditas incitata eſt, quia facultas eſt delinquendi, creſcit audacia, & ruit in omnia ſcelera. Ac tyrannos inquit, delectari malorum familiaritate, & calumniis, optimum eſſe ducere, mouere leges patriæ, vi rapere aliorum coniuges, interficere ciues ſine iudicio.

Hanc ſententiam refutat Megabyzus, dicens, Vulgi tyrannidem minùs tolerabilem eſſe vnius tyrannide: quia vulgus ſit ſine ſapiētia, ac ruat in negocia incitatū, vt rapi-

da flumina. Suadet igitur conſtitui paucorum optimorum virorum principatum, & addit tutiſſimam rationem. Conſentaneum eſt, optimorum virorum optima conſilia eſſe.

Darij tertia ſententia fuit, quæ ſuaſit regem creari, quia etiam inter paucos non ſit diuturna concordia: & in magnis imperiis hoc accidere, vt, propter diſcordias principum, tandem neceſſe ſit, ad vnum ſummam potentiam transferre. Rectius etiam eſſe patrias leges & inſtitutiones non abolere, quę regium ſtatum conſtituiſſent.

Hanc Darij ſententiam cùm cæteri quatuor approbaſſent, decretum eſt, vt rex crearetur: & ne certamina orirētur, ſed vt electio Deo cõmiſſa videretur, conuenit, vt manè principes in ſuburbio, equis inſidentes, conuenirent, & cuius equus primus hinnitũ ederet, oriente ſole, is rex eſſet. Darius autem cùm domum rediiſſet, hæc decreta narrat ſuorum equorũ curatori OEbari, & interrogat, an arte rem iuuare poſſit. Ille verò inquit, ſe conſilium inuenturũ eſſe. Ac noctu in eo loco, in quo principes manè conuenturi erant equum Darij ad equam admittit. Manè igitur, deſiderio equæ, primus edidit hinnitum Darij equus. Sed tamen acceſſit cœleſte ſignum, fulgur & tonitrua ſereno cœlo, quod iudicatur eſſe fauſtum. Deſilientes igitur ex equis omnes principes, Perſico more Darium adorant, regem ſalutant, & ei fauſta precantur.

Regnauit autem annos triginta ſex, vt Gręci numerãt. Initio regni, Babylonem, quæ à Perſis defecerat, poſt longam obſidionem, viceſimo menſe recepit, aſtutia Zopyri, qui cùm ſibi nares & aures præcidiſſet ipſe, Babylonem venit, cruenta facie, ſimulans ſe à rege hac contumelia affectum eſſe, quod hortator fuiſſet relinquendæ obſidionis, vehementer accuſans regiam ſæuitiam. Hęc credentes Babylonij pręficiunt eum exercitui, qui primùm, vt ei plus fidei eſſet, leuibus pręliis vicit Perſas, aliquantò poſt autem vrbem Dario tradidit. Ita ſecundo à Perſis Babylon capta eſt.

Tanto autem in honore poſtea Zopyrus apud Darium ſemper fuit, vt cùm Darius pomum punicum in manu teneret, dixerit, ſe non optare maiorem theſaurum vllum, quàm vt tot haberet Zopyros, quot grana ſint illius pomi, ſignificans, regibus nihil vtilius eſſe fidelibus amicis. Recepta Babylone Darius aliquantò poſt mouit bellum Scythicum. Vt enim Cyrus à ſuo regno barbaricas gentes, quę ex Arctoa regione in Aſiam infundebantur, arcere conatus

conatus eſt: ita & Darius infuſas iam in Aſiam eiicere, & lõgius remouere volebat. Nominat autem Herodotus vicinas gentes Thraciæ ad Boſphorum, Getas, Cimmerios, & vlterius Sauromatas, quę nomina obſeruanda ſunt, quia ab his Cimmeriis noſtros Cimbros ortos eſſe, & à Getis Gottos non dubium eſt. Ac hodie Gottica nominatur regio, vicina Colchicę, & ſunt in Taurica Gotti: linguã Germanicam retinentes. Ac tunc quidem Dario Getæ ſeſe dediderunt, ſed Scythas non vicit, ac factis aliquot pręliis rediit in Ioniam. Poſtea, quia Perſica monarchia Macedoniã attingebat, vicini potentiores hanc etiam ſuo imperio adiicere conabãtur, præſertim cùm ibi & venæ metallicæ vberrimæ ſint. Miſſi ſunt ergo legati Perſici ad Amyntam regem Macedonicum, qui petierunt, vt terram & aquam traderet Dario. Amyntas metuens potentiam Perſicam, placidè reſpondet, & Perſas in conuiuium vocat. Hîc barbari ſuperbè petierunt etiam nobiles mulieres adduci, & inter conuiuas collocari, qui ebrij iam & baſia dabant honeſtis mulieribus, & attrectabãt ſinus. Hęc cùm iuſtè ęgrè ferrent pater Amyntas, & filius Alexander, filius patrem hortatur, vt ex conuiuio diſcedat dormiturus. Qui cùm abiiſſet, ſimulabat hilaritatem Alexãder, ac aliquantò poſt hortatur, vt concedant mulieribus, vt aliquantiſper ſurgãt, & ait mox redituras eſſe. Quibus dimiſſis, iubet adoleſcẽtes nobiles totidem induere earum veſtes: & gladios ſumere abditos ſub veſtibus, & cùm Perſæ eos attrectarent, ipſos confodere. Hæc ita facta ſunt, & laſciuiæ ac petulantiæ pœnas legati iuſtas dederunt. Fuítque hic Alexander proauus Alexandri Magni.

Aliquantò poſt & Ionicum bellum ſequutũ eſt. Defecerant enim à Dario Iones in littore Aſiæ, & incenderant Sardis; qua in re & auxilia Athenienſium habuerant. Fuit autem defectionis præcipuus ſuaſor Iſtiæus, qui cùm eſſet in Perſiam vocatus, ibi intellexit Darium velle Ionas in Phœnicum regionem trãsferre, & Phœnices in Ioniam collocare. Vt igitur tutò ſignificaret hanc rem ſuę genti, hoc conſilio vſus eſt: Nuntio radi capillos capitis iuſſit, deinde literas, quas voluit, inuſſit, ſignificantes Ariſtagoræ, capitaneo in Aſia, vt bellum moueret. Cúmque rurſus creuiſſent capilli, mittit eum ad Ariſtagoram, & iubet radi capillos capitis, & aſpici caput. Intellecto igitur conſilio, mouit bellum Ariſtagoras, ſed oppreſſa ſeditione magna cum difficultate, Ariſtagoras interfectus

eſt,& poſtea Iſtiæus cruci affixus.

Erat hoc tempore exul apud Darium Hippias Piſiſtrati filius, qui Athenis tyrannidem tenuerat. Et cùm frater Hipparchus interfectus eſſet, propter libidines, & poſtea Hippias ſæuitiam in ciues exerceret, pulſus eſt Athenis. Profectus igitur ad Darium, petiuit ſe in patriam reduci. Eò autem faciliùs impetrauit exercitum, quia Darius iratus erat Athenienſibus, propter ſocietatem Ionicam. Quare miſit Darius centum millia peditum, & decem millia equitum, qui cùm ab Athenis non plus duobus noſtris milliaribus abeſſent, deliberatio erat in vrbe, an obſidio toleranda eſſet in vrbe, aut an dimicandum eſſet acie cum hoſtibus. Suadet igitur Miltiades, vt dimicetur, qui exercitum decem millium ciuium, & mille Platæenſes educit, & magno impetu adortus hoſtes, ac multis Perſis in prima acie trucidatis, reliquam multitudinem Perſicam fugere cogit.

Aiunt ante aciem terribiles ſonitus auditos eſſe, & viſa ſpectra, quæ Athenienſes poſtea dixerunt fuiſſe ſpeciem Panos, qui terrorem tantùm Perſis incuſſerit, vt fugerent. Inde Panici terrores poſtea dicti ſunt, de ſubitis conſternationibus.

Hippiam Piſiſtrati filium interfectum eſſe in eo prælio, ſcribunt Cicero ad Atticum, & Iuſtinus. In Suida verò legitur, vndecunque ea narratio ſumpta eſt, profligato exercitu Perſico, fugiſſe Hippiam in Lemnum, & ibi morbo extinctum eſſe inter magnos cruciatus, cùm amiſiſſet viſum, & ruptis venis, ſanguis copioſè per oculos flueret. Perierunt ergo ambo filij Piſiſtrati tragicis exemplis, etſi Hipparchi ſapientiam laudat Plato, citans eius verſus inſcriptos ſtatuis Mercurialibus:

Μνῆμα τόδ᾽ Ἱππάρχου στεῖχε δίκαια φρονῶν. Item.
Μνῆμα τόδ᾽ Ἱππάρχου· μὴ φίλον ἐξαπάτα.

Miltiadis verò interitus exemplum eſt vſitatæ ingratitudinis hominum. Cùm enim præcipuè ipſius conſilio & fortitudine Perſicus exercitus profligatus eſſet, cúmque Lemnum adieciſſet ad Atticæ ciuitatis imperium, poſtea infeliciter tentata pace, ab inuidis accuſatus eſt, & publicè damnatus, vt quinquaginta talenta, id eſt, triginta millia coronatorum penderet. Ac ductus in carcerem, ibi aliquantò poſt mortuus eſt.

Poſtremò de Dario filio Hiſtaſpis hoc addo. Hic Darius filius Hiſtaſpis eſt maritus Eſther, quem hiſtoria ſacra nominat

minat Aſſuerum, cuius tempore, quantis in periculis & miſeriis fuerit eccleſia, cogitandum eſt. Nam & in Iudæa adhuc erat impedita ædificatio templi, & Haman per calumniam impetrauerat edictum de tota gente Iudæorum delenda. Sed mirabiliter Deus protexit eccleſiam patefactis calumniis & ſceleribus Haman. Nomen Eſther ſignificat abſconditam. Fortaſſis ſic nominata eſt, quia non prodiit in publicum, ne formæ ſtruerentur inſidiæ, aut quia eccleſia tunc duriter oppreſſa fuit. Apud Herodotum altera coniunx Darij præcipuè dilecta nominatur Ariſtona, quod videtur eſſe nomen Eſther, ſicut nomen Vaſti eſt Atoſſa.

Philo hiſtoriam Iudith etiam refert ad tempus Darij filij Hiſtaſpis, & narrat hunc Arphaxat, ſeu Arbacem fuiſſe Aſſyriorum ducem, eo tempore, quo à Cyro abſente, cùm à Tomyre exercitus eius trucidatus eſſet, & Chaldæi & Aſſyrij defeciſſent. Etſi autem de tempore hiſtoriæ Iudith diſputare nolim, tamen exiſtimo eam anteceſſiſſe excidiũ Ieroſolymæ & Perſicam monarchiam, cùm adhuc Aſſyrij, Medi, & Chaldæi inter ſeſe bella gererent, & nondum decem tribus prorſus abductæ eſſent. Non enim vno anno omnia Iſraelitarum oppida capta ſunt. Et textus narrat, Iudith fuiſſe ex ſtirpe Ruben, fuitque Dothaim vrbs, cuius in ea hiſtoria fit mentio, vicina Samariæ. Significat autem Iudith confesſam. Bethulia, virginem Dei, Doth, legem.

XERXES QVARTVS REX Perſarum.

GRæci Xerxen, proximè poſt Darium filium Hiſtaſpis, numerant. Metaſthenes & Philo, omiſso Xerxe, proximè poſt Darium filium Hiſtaſpis collocant Longimanum, qui & Darius & Artaxerxes Longimanus nuncupatur. Exiſtimo autem præteritum eſse Xerxen à Metaſthene & Philone, quia Xerxe diſcedente ex regno, neceſse fuit regem alium nominari. Itaque ſcriptores iſti, qui occidentis hiſtorias prorſus omittunt, tantùm Longimani mẽtionem faciunt, qui interea domi regnum tenuit, cùm Xerxes in Græcia bellum gereret. Et conſentaneum eſt, Xerxen, poſt bellum Græcum, non diu ſuperſtitem fuiſse. Cùm enim interfeciſset fratrem Maſiſtem, cum cuius cõiuge & filia fuerat ei inceſta conſuetudo, breui poſt & ipſe ab Artabano interfectus eſt. Nos tamen Xerxis hiſto-

riam breuiter recitamus, quæ luculenter ab Herodoto deſcripta eſt.

Initio, in hiſtoria Xerxis, memorabile exẽplum eſt modeſtiæ. Frater Xerxis Artabazanes, maximus natu, ſine ſeditione ceſſit iudicio patris, de regno. Sed pater hanc habuit ſui iudicij cauſam, quia Xerxes natus erat ex filia Cyri Atoſſa, regnante Dario: Artabazanes autem, antequam pater regnaret, ex alia coniuge natus erat. Prælatus eſt igitur Xerxes propter Atoſſæ potentiam, cuius & propter patrem magna erat apud Perſas autoritas. Scribunt autem fratres interea non mutaſſe mutuam beneuolentiam, ac, vſitato more, inuicem alterum alteri munera miſiſſe.

DE BELLO XERXIS.

CVm Darij exercitus, Hippiam reducturus Athenas, pulſus eſſet, Darius, maiori apparatu, bellum inferre Græcis decreuit. Sed, dum colligit exercitum, moritur. Filius igitur Xerxes in ipſo gubernationis initio cupidus gloriæ, & inſtructus exercitu, cùm haberet incitatorem Mardonium, hoc bellum mouit, diſſuadente Artabano patruo Xerxis. Exercitus dicitur fuiſse decies centum milliũ hominum, quantum exercitum non legimus vllum regem duxiſse, niſi Tamerlanẽ Tartarũ, qui recèns ante annos ferè ducentos, regnante Baiazete Turcico tyranno, peruaſtauit Aſiam, à Tanai vſque ad Ægyptum, & Parthos: & captum Baiazetem, in cauea circumduxit.

Hunc ſcribunt duxiſſe quater centum millia equitum & ſexcenta millia peditum.

Ductus eſt autem Xerxis exercitus trans Helleſpõtum, anno ſeptimo regni Xerzis, & intra biennium Perſæ quatuor præliis victi tota Græcia expulſi ſunt. Primùm terra ad Thermopylas victi ſunt. Deinde mari duobus prẹliis, ad Artemiſium, & ad Salaminem. Quartò ad Plateas, cùm poſt fugam Xerxis, Mardonius in Græcia manſiſſet. Pugna enim ad Thermopylas facta eſt circiter ſolſtitium æſtiuũ, cùm inſtarent Olympia. Poſtea, decimo menſe Mardonius Athenas combuſſit, videlicet circa Aprilem anni ſequentis. Et ad Plateas eſſe pugnatum conſtat die quarto Auguſti.

Etſi autẽ, non ſine magnis cladibus, tãta multitudo vinci potuit, tamẽ exemplum inſigne eſt humanæ infirmitatis, quod tãtus exercitus tam breui tempore pulſus & trucidatus eſt. Ipſe verò Xerxes, parua cymba fugit, poſt pugnam ad Salaminem. Vult enim Deus non ſuſcipi bella nõ neceſſaria, cupiditate glorię, & fiducia humanæ poten-

tiæ

tię. Regula eſt enim: Neceſſaria mandata diuinitùs faciēda eſſe, & petendum eſſe a Deo auxilium, iuxta dictum: Cōmenda Deo viam tuam, id eſt, vocationem tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Ac narrat Herodotus, Mardonium Thebis in conuiuio ante pugnam ad Plateas, cùm diceretur, mirum eſſe, tam exiguum numerum Perſarum reliquū eſſe, dixiſſe: Quod Deus decreuit, non poſſe ab hominibus mutari, neque probabilia ſuadentibus homines obtemperare: ὅ,τι δεῖ γίνεσθαι ἐκ θεοῦ ἀμήχανον ἀποτρέψαι, καὶ οὐδεὶς τοῖς δὲ λέγουσι πείθεσθαι ἐθέλει.

Poſtquam exercitus Xerxis trās Helleſpontum ductus eſt, quarto menſe, videlicet circiter tempus Olympiorum, circiter tempus ſolſtitij æſtiui, pugnatum eſt iiſdem diebus in mari ad Artemiſium in Theſſalia, non procul à Pagaſis, & alibi in terra in faucibus, vbi aditus eſt ad Phocenſem regionem ex Theſſalia, quarum nomen eſt à calidis aquis, Thermopylæ. Pugna naualis ad Artemiſium non magna fuit, ſed quia fuit felix, erexit Græcorum animos ad defenſionem & curam inſtituendæ claſſis. Pugnam verò ad Thermopylas omnes ætates admiratæ sūt. Ibi enim cùm exiguus exercitus cuſtodiret fauces, trecenti Lacedęmonij, quadringenti Thebani, & ex aliis locis Gręcię, circiter tria millia: Phocēſes primi, deinde alij diſceſserunt ante pugnā, ſed manſerunt ſoli ibi Lacedæmònij, Thebani, & Theſpienſes. Hic paruus numerus trucidauit viginti millia in exercitu Xerxis, ſed ipſi ſimul interfecti ſunt, Lacedæmonij & Theſpienſes omnes præter duos. Nec alia ſimilis pugna extat in hiſtoriis, præter Helueticum factum, ad Baſileam, tempore ſynodi, cùm Papa in Germaniam miſiſset Delphinum Gallicum, cum exercitu Armoriacorum, qui cùm magnam crudelitatem in Alſatia exercuiſsent, ad Baſileam acceſserunt, ibi à tribus millibus Heluetiorum, millia hominum viginti in Gallico exercitu trucidata ſunt, ſed ſimul Heluetij victores occubuerunt, cúmque reliquiæ Gallici exercitus fugerent, Germania illo terrore liberata eſt.

Poſt pugnam in Thermopylis, Mardonius exercitum in Græciam duxit: cúmque Phocenſes & Thebani ſe ei adiungerent, miſit legatos ad Athenienſes, qui hortarentur, vt certis conditionibus ſe Perſis dederent. Sed tanta fuit magnitudo animorum, vt non ſint admiſsæ vllæ conditiones deditionis. Cùm autem ciuis quidam Athenienſis, quem Herodotus Lycidam nominat, Demoſthenes Cyr-

ſilum, ſuaſor eſſet accipiendi conditiones, cæteri ciues Athenienſes lapidibus eum obruerunt. Necarunt & mulieres Atticæ vxorem eius, lapidibus. Tantus fuit ardor animorum in defenſione patrię, quia barbaros ſciebant, abolitis legibus, & diſciplina Græcię, crudeliter imperaturos eſſe, & coniuges, filios, filias & facultates erepturos, quibus vellent. His malis ſeruitutis, mortem anteponendam eſſe ſtatuerunt, vt nunc Turcica tyrannis ingentia mala ſecum adfert. Etſi igitur pœna Lycidæ atrocior fuiſſe videtur tamen palam iniuſta conſilia dantes, punire iuſtum & æquum eſt.

Pugna ad Salaminem inſulam celebratiſſima eſt, in qua Græca claſſis, nauium 378. toto die prælians, Perſicam, quæ multò maior fuerat, ita diſſipauit, vt plurimæ naues Xerxis ſubmerſæ ſint, & trucidata magna pars exercitus naualis, & reliquiæ fuga euaſerint. Fuitque tanta clades Perſici exercitus, vt Xerxes, poſt paucos dies, poſt hoc pręlium, paruo nauigio fugiens, redierit in Aſiam. Relictus eſt igitur Mardonius cum exercitu in Græcia, dimicaturus in terra, & ingenti prælio ad Plateas victus eſt, & Græcia toto bello Perſico liberata eſt. Mardonium vir Spartanus interfecit, coniecto lapide in caput eius. Hic fuit exitus eius viri, qui præcipuè hortator fuerat ſuſcipiendi eius belli.

Sunt autem exempla, in hac hiſtoria, conſideratione digna plurima. Primùm, ne quis, fiducia potentiæ, res non neceſſarias moueat, quia Deus ſubitò magnam potentiam delere poteſt, vt hoc bellum ante biennium finitum eſt. Ad Thermopylas dimicatum eſt menſe Iunio, & iiſdem ferè diebus ad Artemiſium pulſa eſt claſſis Xerxis. Deinde ad Salaminem vicit Græca claſſis die 16. Martij. Poſtea trucidatus eſt Mardonij exercitus die 4. Auguſti. Traiecit autem Xerxes in Europam in vere anni ſuperioris, & poſt Salaminiam pugnam fugit: quare non multò plus integro anno fuit in Europa. Deinde conſideretur ſtudium concordiæ tuendæ propter communem ſalutem, quod in Athenienſibus inſigne fuit, qui ſtatim initio ſummam imperij Lacedæmoniis ceſſerunt. Poſtea ante pugnam ad Plateas, cùm Arcades ante ipſos collocari vellent, aiunt ſe non moturos eſſe ſeditionem, loci cauſſa, ſed vbicunque collocentur, ſe fore viros fortes. Ipſe etiam Themiſtocles dixit, ſe viciſſe ſocios patientia, celeritate hoſtes. Tertiò, in hac breuitate temporis conſideretur, quantum proſit celeritas, ne detur ſpatium perterrefactis hoſtibus

ſeſe

ſeſe rurſus colligendi. Sicut Iulius interrogatus quomodo tantas res perfeciſſet, reſpondit: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Et reprehenditur Annibal, quod, poſt captam Capuam, non obſedit vrbem Romam. Quartò, exempla præſtantium virorum in hac hiſtoria intueamur, qui poſt victoriam, elati ſucceſſibus, facti ſunt aut negligentiores, aut inſolẽtiores, & tragicos exitus habuerunt, vt diſcamus hæc dicta: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Item abominatio eſt coram Domino, quicquid eſt ſublime coram hominibus.

Pauſanię Spartani, qui dux fuit ad Plateas, tanta fuit modeſtia in victoria, vt cùm eum adhortarentur quidam, vt capita Perſicorum ducum interfectorum, affigeret cruci, ſicut Perſæ caput Leonidæ regis Spartani ſimili contumelia affecerant, reſponderit, ſe mortuos nulla contumelia affecturũ eſſe, ac ſatis ſibi eſſe, ſi iuſta faciens & dicens, Spartanis ſuis placeat: fecit & alia modeſtè: remiſit captiuam nobilem ad ſuos. Sed idem Pauſanias, cùm poſtea Byzantium Græci occupaſſent, factus ſuperbus & crudelis, rapuit filiam præcipui ciuis Byzantij, & hanc noctu in ſubita conſternatione interfecit. Id cùm feciſſet, ex ſtatua editus eſt hic verſus, pœnam denuncians:

Στεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Deinde cum Perſis fœdera facere conatus eſt: hac cõditione, vt daretur ſibi vxor filia Xerxis, & vt adiutus Perſicis auxiliis, rex Græciæ fieret, eámq; Perſico imperio ſubiiceret. Reuocatus igitur ex Byzantio, cùm ephori eũ prehẽſuri, & in carcerem ducturi eſſent, fugit in templum. Ibi cùm audiſſent ephori ipſum fatentem crimen, incluſus, fame periit. Et mater Alcithea, cùm muro fores obſtruerentur, primum lapidẽ in ea obſtructione locauit. Hic exitus Pauſaniæ fuit, eò triſtior, quòd oſtendit tãtam eſſe imbecillitatem naturæ hominum, vt non ſolùm fortuna ſit inſtabilis, ſed virtus etiam, quæ durabilior & firmior eſſe debebat in præſtãtibus viris, ſæpè extinguatur. Agnoſcamus igitur & naturæ infirmitatem & diaboli tyrannidem, & petamus auxilium à Filio Dei, iuxta dictum: Tua eſt perditio, tantùm in me auxilium Iſrael.

Adeò excelluit ſapientia Themiſtocles, vt præcipuè ipſius conſiliis Græcia fuerit victrix Perſarum. Quare his verbis laudatus eſt à Thucydide. Erat Themiſtocles præcipuè dignus admiratione præ aliis, quia acie mentis ſuæ non præmonitus, nec diu conſiderans, in rebus

ſubitis, optima conſilia habebat, & de futuris quid euenturum eſset, rectiſſimè coniiciebat. Et quæ in præſentia in manibus habebat, explicare poterat, & quæ non nouerat, non deſtitit inquirere. In obſcuris autem rebus, quid melius aut deterius eſſet, omnium maximè proſpiciebat, & vt in ſumma dicam; Naturæ viribus, & celerrima deliberatione, optimè id eligebat, quod maximè profuturum erat.

Tanta cũ fuerit ſapientia, & cùm optimè meritus eſset, tamen ex tota Gręcia expulſus eſt. Ac primùm ei iniuſta odia Lacedæmoniorum nocuerunt. Poſtea & apud ciues acceſſit inuidia, quia minus modeſtè viuebat. Exul autem Perſas acceſſit, & promiſit ſe ducem fore contra Græcos. Cùm autem rex ei exercitum & pecuniam, vt Gręciæ bellum inferret, decreuiſset, deſperatione rei tantæ, ac præcipuè metu Cimonis, omiſit expeditionẽ, & mortem ſibi cõſciuit, hauſto ſeu taurino ſanguine, ſeu veneno, cùm quidem vixiſset annos quinque & ſexaginta. Hic fuit exitus tanti viri, qui quum excelluerit ſapientia, ſtultè tamen ſe adiunxit infidis hoſtibus, & lõgè maiora viribus ſuis promiſit, & ſeſe in tantum periculum adduxit, vt mortem ſibi cõſciſcere mallet, quàm expectare triſtiorem exitum, cùm metueret fore, vt vel à Græcis, vel à Perſis interficeretur. Adeò infelix eſt ſapientia humana cùm à Deo deſeritur, iuxta hæc dicta: Non poteſt ſibi homo ſumere quicquam, niſi ſit ei datum a Deo. Item: Scio, Domine, quod non eſt hominis via eius. Item in epiſtola Iacobi: Si quis indiget ſapientia, petat à Deo, &c.

Cùm Lacedæmonij fugientem ex Græcia ſequerentur, vt ipſum interficerent, fugit primùm ad Admetum regem Moloſsorum, qui cùm ei inimicus eſset, monitus ab vxore Admeti, factus eſt ei ſupplex, hoc ſingulari ritu quem docuerat eum regia coniunx. Cùm domum veniret Admetus, in veſtibulo ad aram Themiſtocles tenens manibus filiolum Admeti, & patri oſtendens, propter eum orat ſe ſupplicem recipi, ſibi parci, nec dedi ſe hoſtibus. Hic ritus propter filium petendi iudicabatur eſse ſanctiſſimus. Dedit igitur ei Admetus aliquantiſper tutum hoſpitium. Sed cùm timeret Græcos, qui poſcebant eum ſibi dedi, curauit eum in Aſiam tranſuehi.

Duo autem viri celebrantur in eo bello, qui ad cæteras virtutes, modeſtiam & iuſtitiam adiunxerunt, Ariſtides & Cimon, qui & res magnas & vtiles patriæ geſserunt, &

cùm

cùm eſsent in omni officio iuſti & moderati, placidos habuerunt exitus.

Fuit & Xerxis exitus tragicus, qui pòſt bellum reuerſus in Aſiam, cùm fratris vxorem & filiam amaret, fratrem interfecit. Sequuta eſt igitur pœna inceſtas libidines, & crudelitatem, iuxta diuinas regulas: Omnis anima quę fecerit has abominationes, eradicabitur. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Aliquantò enim poſt Xerxes ab Artabano interfectus eſt.

ARTAXERXES LONGIMANVS quintus Rex Perſarum.

ARtaxerxen Longimanum ſupra diximus in oriente regnum tenuiſse, abſente Xerxe. Græci ergo numerant eum poſt Xerxem. Dictus eſt Lõgimanus, quòd dextra longior fuerit, quàm ſiniſtra. Laudatur eius bonitas, quam etiam oſtendit in munificentia ampliſſima erga eccleſiam. Quare Iudæi tradunt eum fuiſse filium Darij & Eſther. Fuerat autem impeditus reditus Iudęorũ ſub Cambyſe & Dario filio Hiſtaſpis, vt conſentaneum eſt, propter Ægyptiaca bella, ſed pacato oriente, Artaxerxes Longimanus renouauit edictum Cyri, & iuſſit perfici ędificationem Ieroſolymæ & templi. Ac anno ſexto regni Artaxerxis Longimani, templi ædificatio abſoluta eſt.

Cum igitur apud Haggæum & Zachariam nominatur Darius, plerique hunc Artaxerxen Longimanum intelligunt, qui & anno ſeptimo regni ſui, miſit Eſdram cum magna multitudine Iudæorum, & cum ampliſſimis donis Ieroſolymam, ad inſtaurandam politiam.

Cogitemus autem, quàm difficilis inſtauratio fuerit, cùm vicini bellis eam impedire conarẽtur, & multi Iudæi reuerſi ex longo exilio, legem & mores patrios obliti eſſent, & difficulter œconomias inſtituerent. Sed hæc incommoda leniit Deus, qui Artaxerxis animum ita flexerat ad tuendos & iuuandos Iudæos, vt non videatur vnquam in genere humano alius monarcha erga eccleſiam munificentior fuiſse. Dedit etiam gubernatores ſapientes & felices, Haggæum, Zachariam, Eſdram, Nehemiã, & alios, fuítque inter pręcipuos Eſdrę labores propheticorum librorum collectio, & ſtudiorum doctrinæ inſtauratio. Quia eccleſię fundamentum eſt doctrina prophetica diuinitùs tradita.

Anno viceſimo Artaxerxis, miſsus eſt Nehemias ex Ba-

bylone Ieroſolymam, qui & ſumptibus & autoritate adiuuit ædificationem murorum, & vſuras prohibuit, quibus inopes à locupletioribus exhauriebantur. Ita Deo iuuante paulatim certa ſedes eccleſiæ in Iudæa reſtituta eſt, & in magno imperio Perſico nota fuit, vt multi inde doctrinam petere poſſent. Et mediocris in Iudæa pax fuit vſque ad tyranni Ochi tempora.

RES GRÆCÆ.

SCRIBIT Thucydides hunc Artaxerxem mortuum eſſe anno ſeptimo belli Peloponeſiaci, quod Græciam grauiſſimè adflixit. Nam & diuturnum fuit, durauit enim annos ſeptē & viginti, etſi breues inducias aliquantiſper habuit, & multæ ciuitates partim funditùs deletæ ſunt, vt Platea, vrbs Corcyræorum, vrbs Meleorum, partim triſti ſeruitute oppreſſæ ſunt, cùm graſſarentur perpetuæ cædes in vrbibus, vt Mitylene, & ipſa vrbs Attica, & bella ex bellis noua ſubinde orta ſunt.

Anni à fuga Xerxis vſque ad initium belli Peloponneſiaci ſunt quinquaginta. Hoc tempore maximè floruit Græcia, & præcipuè creuerat Athenarum potentia, quam Demoſthenes inquit, tenuiſſe principatum inter Græcos, annos tres & ſeptuaginta, numerans videlicet annos à Cimonis victoriis, vſque ad Lyſandrum Lacedæmonium, qui obſeſſas Athenas deditionem facere coëgit. Erat autē commune fœdus Græcorum, ne qui aliis bella inferrent, ſed vt controuerſiæ communi iudicio dirimerentur. Sed inciderunt inter Megarenſes & Athenienſes, de luco incēſo, contētiones, propter quam Attica ciuitas edictum propoſuit in Megarenſes, vt à portu Attico abſtinerent, ne liceret eis ingredi in terram Atticam. De hac iniuria cùm Megarenſes apud Lacedæmonios queſti eſſent, petunt Ladæmonij, vt edictum illud tollatur. Pericles fatetur, cauſsā ipſam non magni momenti eſſe, ſed exemplum non tolerandum eſſe. Poſtea Lacedęmonios maiora imperaturos eſſe, ſi nunc in re parua cederent. Hac exaggeratione rem adducit ad bellum, vt ſuſpiciones & aſtutiæ, ac virulentæ interpretationes ſępè ſunt cauſſa magnorum bellorum. Ita ab exigua cauſſa, bellum diuturnum & exitiale toti Gręciæ ortum eſt, ſicut Pindarus inquit: Parua ſcintilla ſæpè magnam ſyluam comburit.

Secundo belli anno, ſæua & inuſitata lues Athenis, & in vicinia graſſari cœpit, quæ corpora inflammata ſic vrebat, vt membra putrefacta intra paucos dies deciderent,

in aliis

in aliis capita, in aliis brachia, in aliis pedes, & accedebant furores, in quibus alij ſeſe præcipites in puteos abiiciebāt, alij aliis modis ſeſe perdebant, & extinguebatur memoria etiam in his, qui conualeſcebant. Huius peſtilentiæ fit mentio apud Hippocratem, qui tunc vixit: & dicitur hoc conſilio eam à Theſſalia depuliſſe, incenſis ſiluis, cùm flatus ventorum ab Attica adferebant contagia. Nec tam ſæua lues deſcripta legitur aliis temporibus, niſi anno poſt natalem Chriſti 1089. quo anno Sigebertus narrat talem peſtilentiam in Lotharingia graſſatam eſſe.

Denunciarunt magnas calamitates, eclipſis Solis initio belli facta, quæ medio die tenebras fecit, vt ſtellæ conſpicerentur, & cometa, qui arſit ſexaginta diebus: Et oraculi verſus:

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ, vbi dubitatum fuit, peſtíſne an fames ſignificaretur, ſed concurrerunt omnia. Legatur autem integra hiſtoria apud Thucydidem & Xenophontem, quia inſignis commonefactio eſt de ira Dei aduerſus hominum ſcelera, & de ſtultis hominum cōſiliis, qui bella non neceſſaria mouent odiis, aut cæca ambitione, vt initio, in bello mouendo, Pericles magis odio Megarenſium, quàm aliis cauſis motus eſt. Poſtea Alcibiades bellum intulit Siciliæ, tantùm ſtulta & iuuenili ambitione. Hæc cùm legimus, commonefiant animi & de timore Dei, & de modeſtia, vt dicitur: μεγάλα διώκειν, καὶ τὰ παρόντα εὖ φέρειν, μεγαλογνωμόνων οἵδε τρόποι.

DE VRBE ROMA.

TEMPORE Artaxerxis Longimani, & Romæ inſignis mutatio facta eſt. Scribendarum legum cauſſa, decemuiri creati ſunt: quæ hiſtoria tota apud Liuium legenda eſt. Occaſionem conſilio legum ſcribendarum præbuerunt, & ſæuitia fœneratorum, & nobilitatis ſuperbia, quæ iudicia eludebat.

DARIVS NOTHVS SEXTVS rex Perſarum.

NON fuit filius Artaxerxis Longimani, ſed, vt dicitur, maritus ſororis ipſius. Regnauit annos 19. vt numerant Metaſthenes & Græci. Huius tempore miſſa eſt in Siciliam claſſis Attica, cum exercitu quadraginta millium hominum, ducibus Alcibiade & Nicia. Hic totus exercitus trucidatus eſt, præter paucos, qui fuga elapſi ſunt. Fuerat autem ſuſcepta hæc expeditio præcipuè Al-

cibiadis ambitione, qui populo perſuaſerat, Athenas tota Sicilia potituras eſſe. Nec cauſſa belli neceſſaria erat, nec par erat Attica potentia ſimul domeſtico & externo bello, ſed cupiditate, & cæca ſpe, incitati homines, ſæpè iniuſta & maiora viribus mouent, iuxta dictũ: Μάταιοι μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας. Et Pindarus inquit, Hominum membra alligata eſſe impudenti ſpei: δέδεται ἀναιδεῖ ἐλπίδι γυῖα. Tales cauſę cùm pœnam & magnas calamitates attraxerint, hoc exemplum monet, vt modeſtè neceſſaria faciamus, nec ſtulta ambitione moueamus res non neceſſarias.

Dignum memoria & hoc eſt, quod captiui Athenienſes multi dimiſſi ſunt, propter hoc ſolum officium, quod Siculis communicauerant tragœdias Sophoclis & Euripidis. Tantus honos ab ingenioſis hominibus habitus eſt bonis ſcriptis.

ARTAXERXES MNEMON, SEptimus Rex Perſarum.

NE inter fratres de regno certamina orirentur, Darius Nothus, ante ſuam mortem, filium natu maximum, Artaxerxen, regem conſtituit. Tradidit autem ſecundo filio, Cyro, ſine regio nomine gubernandam Lydiam & Ioniam. Sed poſt mortem patris, Cyrus ſiue à matre incitatus, quæ oderat coniugem Artaxerxis, ſiue alioqui ardens cupiditate dominationis, bellum fratri intulit, & magnum exercitum ex minore Aſia aduerſus fratrem vltra Euphratem duxit. Interea & Artaxerxes contraxit magnũ exercitum, & cum Cyro dimicauit. In eo prælio Cyrus fratrem vulnerauit, & partem exercitus eius loco pepulit. Sed aliquantò poſt cũ paucioribus irrumpens in medios hoſtes Cyrus interfectus eſt. Ita frater, qui ſine iuſta cauſſa bellum mouerat, aduerſus fratrem & regẽ, quanquam multæ in eo magnæ virtutes fuerunt, & robore exercitus antecelluit, diuino iudicio ſuperatus eſt, & inter exempla referendus eſt, de quibus regulæ concionantur: Qui gladium acceperit gladio peribit. Qui poteſtati reſiſtunt, punientur, &c. Virtutes eius à Xenophonte, cuius titulo extat hiſtoria huius belli, honorificè deſcribuntur: Iuſtitia in imperio, fides in pactis, modeſtia, & munificentia erga principes, & reſpublicas: fortitudo in dimicando, comitas erga amicos. Nec mirum erat, inquit ſuperare eum omnes magnitudine donorum, cùm ditiſſimus eſſet.

Sed

Sed liberalitati addere comitatem, & ſingularem delectũ, mirandum eſt. Sæpè lagenas ſemiplenas miſit amicis, iubens, vt hodie cum amicis biberent, quia diu nullum melius vinum habuiſſet. Laudat autem ſemiplenas miſiſſe, vt ſignificet de eo miſiſſe, quo ipſe fruebatur & delectabatur, & nihil ei ſine amicis ſuaue eſſe. Sic & anſeres ſemeſos, ait, amicis eum miſiſſe.

Poſt Cyri mortem, capta eſt in caſtris Aſpaſia, mulier Ionica, quam Cyrus magis amauit quàm cæteras concubinas. Adeò enim & forma & ingenio antecelluit, vt nominata ſit σοφὴ καὶ καλή. Hanc captam Artaxerxes valdè amare cœpit. Cùm autem filium Darium regem creaſſet, & conſuetudo eſſet, vt die, quo pater filium regem renuntiauerat, liceret filio donum petere à patre, quodcunque vellet, ídque patrem largiri oporteret, filius Aſpaſiam petiuit. Etſi dolebat eam pater ab ſe abduci, dedit tamen, nec multò poſt rurſus eripuit. Inde inter patrem & filium orta ſimultate, filius incitatus & adiutus à Tiribazo, cõſtituto tempore cum armatis irrumpit in cubiculum patris, vt eum interficiat: ſed præmonitus pater, effugit inſidias, & ibi Tiribazus & cæteri comites armati à patris ſatellitibus interficiuntur, filius Darius capitur, & poſtea, re iudicata, in principum concilio (quia pater ſolus de filio rege ſtatuere noluit) interficitur. Hæc pœna ſequuta eſt inceſtas libidines. Duxit autem pater vxorem filiam Atoſſam. Et cùm iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arſeman ipſe interfecit. Alteri fratri tantùm incuſſit terrorem, vt ipſe ſibi mortem conſciuerit. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui poſtea cum filiis periit, & Cyri poſteritas prorſus extincta eſt, & calamitas filiorum Mnemonis, inceſta conſuetudine polluti, oſtendit, peccata in ſemine poſtea in ſobole puniri. Græci tribuunt huic Artaxerxi Mnemoni annos quadraginta.

RES GRÆCÆ.

CVM Atticus exercitus in Siciliam veniſſet, non multò poſt Alcibiades reuocatus eſt Athenas ad iudicium, qui metuens factionis contrariæ potentiam, non rediit in patriam, ſed hoſtibus ſe adiunxit, ac Spartam venit, vbi trium conſiliorum author fuit, videlicet vt mitterent Lacedæmonij ducem Gylippum Syracuſanis, & bellum in Attica inſtaurarent, munita Decelea oppido, vbi aſſiduè exercitus eſſet oppoſitus Atticæ. Deinde vt Chiis, & Lesbiis & aliis, qui defecerant ab Athenienſibus, opem

ferrent. Ipſe etiam nauigans in Ioniam, ciuitates ſocias Athenienſium coëgit, vt adiungerent ſe Lacedæmoniis. His cauſis valdè diminutæ ſunt vires Atticæ ciuitatis, vnde & magnæ diſcordiæ ciuium domi ortæ ſunt. Sed nunquam diuturna eſt beneuolentia erga transfugas, pręſertim cùm eorum creſcit potentia. Et videbant Spartani principes, maiorem eſſe apud ciuitates authoritatem Alcibiadis, quàm ſuam: ideò inuidebant ei, & eum metuebant. Quare ephori miſerunt literas ad duces, vt interficerent Alcibiadem, quod & ipſe reſciſcens, animum Tiſſaphernis Perſici ducis, qui ſtipendia dabat, à Lacedæmoniis alienauit. Cúmque amicorum literæ ſpem reditus in patriam ei facerent, oſtendit Tiſſapherni vtiliorem ei claſſem Atticam fore; & ſuperba & auara imperia Lacedæmoniorum in odium adducebat. Et aliquantò poſt, ad exercitum Atticum, qui in Samo erat, proficiſcitur ipſe quoque, vbi honorificè exceptus eſt. Erat autem hic exercitus Athenas nauigaturus, vt ſtatum quadringentorum, qui recèns in diſcordia ciuium conſtitutus erat, deſtrueret. Eam ad rem ducem eſſe Alcibiadem voluit. Sed Alcibiades imperium accipere noluit, videns ciues cum ciuibus dimicaturos eſse. Ita tunc ſeruauit patriam: quia imperium contra quadringentos non accepit: ac potius hortando ac precando vnà cum Thraſybulo perfecit, ne iratus exercitus Athenas accederet. Poſtea rurſus Athenis concordia facta, publico decreto Alcibiades reuocatus eſt. Sed non mox rediit Athenas. Vidit enim, neceſſariò tunc occurrendum eſse Lacedæmoniis, qui aliquot præliis in mari, non procul à Cyzico, vicerant Atticam claſsem. Et Mindarus dux Laconicæ claſſis, ibi erat cum ſexaginta nauibus. Aderat & ibi Pharmabazus dux Perſicus, cum copiis pedeſtribus. His occurrit Alcibiades, & conſilium viribus addens, parte claſſis ſuæ occultata, magno prælio vicit Mindarum & Pharnabazum, in quo Mindarus interfectus eſt, & literæ Spartam plenæ deſperationis miſsæ ſunt. Rurſus igitur adiunctæ ſunt Athenienſibus vrbs Cizycena & aliæ multæ. Et in aliis locis victæ ſunt hoſtium naues, & Lacedæmoniis rurſus ereptum eſt imperium maris. Poſtea & Byzantium acceſſit, quod aliquandiu Athenienſes obſederant. Ibi cum Clearchus dux Laconicus truculentus, frumentum diuideret militibus, ereptum ciuibus, quorum familiæ fame peribant, Anaxilaus ciuis, de patriæ deditione, cum Alcibiade paſcitur,

qui

qui abſente Clearcho acceptus intra vrbem, dimicauit cũ præſidio, & milites partim interfecit, partim cepit. Ciuium verò nullus interfectus eſt, nullus ex patria pulſus, nulla facultatum direptio facta eſt.

Anaxilaus poſtea Spartæ, propter deditionem vrbis accuſatus, cùm honeſtiſſima excuſatione vteretur, abſolutus eſt, cùm diceret bella gerenda eſſe cum hoſtibus, non cum natura rerum. Et iniuſtum eſſe, triſtiora facere defenſores aduerſus ciues, quàm facerent hoſtes, captis vrbibus. Hic Clearchus poſteà à Perſis interfectus eſt. His tantis rebus geſtis, liberata patria in maximis periculis, domeſticis & externis, recuperato imperio maris, occupatis multis vrbibus, partis victoriis inſignibus, Alcibiades, cùm iam patriæ gratior eius reditus eſſet, rediit modeſtè Athenas, comites habens viginti naues. Et modeſtiã ac metum hac re ſignificauit, quòd non egreſsus eſt ex naui, niſi prius conſpecto fratris filio, & aliis amicis.

Tertio menſe poſt reditum, centum naues ad Andrum duxit, vbi prælio vicit Andrios & Lacedæmonios. Deinde reuerſus in Samum, Antiocho gubernatori ſuo tradidit exercitum, proficiſcens ipſe cum paucis nauibus, ad Helleſpontum, vbi pecuniam colligeret. Diſcedens autem mandauit gubernatori, ne cum duce Lacædæmoniorum Lyſandro dimicaret. Sed cùm gubernator temerè contrà mandata pugnaret, Athenienſes victi ſunt. Hic rurſus inimici Alcibiadis nacti occaſionem criminandi eum, quòd abeſſet voluptatum cauſſa, perfecerunt vt imperium ei abrogaretur. Diſcedens igitur ab exercitu, poſtea tanquam in priuata vita degit, in poſſeſſionibus ſuis ad Helleſpontum, vbi ſibi arces aliquot extruxerat. Ita nec longo tempore poſt reditum fuit in patria, nec multum patriæ profuit. Nec tamen ocioſus fuit in illo ſeceſſu, ſed vicinam Thraciam populatus eſt, & vt prædâ locupletaretur, & vt Græcos colonos ibi defenderet.

Non multò poſt Athenienſes magno prælio victi ſunt à Lyſandro, ad Ægos Potamos, vbi tria millia Athenienſium, cùm viui capti eſſent, poſtea crudeliter interfecti ſunt, ante quam pugnam Alcibiades, in vicino loco habitans, cùm vtramque claſſem conſideraſſet, præmonuit Athenienſes ne dimicarent. Deleto Athenienſium exercitu in mari, Lyſander mox Athenas obſidione cingit, & poſt ſextum menſem dedita vrbe, Lyſander triginta viros, qui nominantur triginta tyranni, vrbi præfecit, inter

quos Critias fuit ſæuiſſimus, qui conſilium dedit, vt Alcibiades interficeretur, quia tantùm in eo conſilij & induſtriæ eſſet, vt Athenas iterum liberaturus videretur, ſi viueret. Quare Lacedæmonij ad Pharnabazum ſcripſerunt, vt eum interficeret. Miſſi igitur aliquot milites, domum incenderunt, in qua erat Alcibiades, & erumpentem adorti, cùm multi eſſent, & vndique telis peterent, tandem eum ibi interfecerunt. Cadauer eius Timandra concubina ſepeliit. Hic fuit exitus Alcibiadis, cuius fuit excellens ingenium, fortitudo, induſtria, & felicitas in prælíando tanta, vt ſemper ea pars, cui adfuit, vicerit. Fuítque erga eum beneuolentia populi eximia, quia alienus fuit à crudelitate, & erga plurimos beneficus & liberalis. Sed in hac naturæ præſtantia etiam hæc vitia fuerunt. Fuit inquietus, nimis magna appetens, nimis auidus popularis beneuolentiæ, impatiens iniuriæ, inconſtans, & diuerſarum partium. Ac propter has cauſſas dictum eſt, non potuiſſe duos Alcibiades ſuſtinere Græciam. Geſſit res magnas terra maríque in multis locis, ſed inutiles ſibi & aliis. Eſtque tota eius hiſtoria commonefactio, vt cogitemus, ne quidem excellentem virtutem vtilem eſſe nobis & aliis, niſi Deus conſilia, dextras & euentus gubernet. Petamus igitur, vt faciat nos Deus organa ſalutaria, & ſui officij metas quiſque intelligat.

CAPTÆ ATHENÆ A Lyſandro.

QVOD Thucydides inquit, in ſeditione omnes formas rerum malarum eſſe: ἐν ᾗ στάσει πᾶσαι ἰδέαι κακῶν εἰσί, id conſpici poteſt in bello inteſtino Græcorum, quod nominatur Peloponneſiacum, quod fuit plenum triſtiſſimorum exemplorum. Multæ vrbes funditus deletæ ſunt, multi ciues interfecti, & extincta naturali στοργῇ, ſæuitiam exercuerunt cognati in cognatos. Tam horrendis pœnis oſtendit Deus iram ſuam aduerſus idola, & libidines. Vt autem prædictum erat, hoc bellum duraturum eſſe tres nouenarios, ita accidit. Anno ſeptimo & viceſimo huius belli, vicit Lyſander Atticam claſſem ad Ægos Potamos, & captiuorum Athenienſium tria millia, poſt prælium, nouo exemplo crudelitatis, interfecit. Poſtea ſtatim Athenas terra maríque obſidere cœpit. Cúmque iam magna multitudo in vrbe fame mortua eſſet, conſiliis Theramenis res eò deducta eſt, vt fieret vrbis deditio,

tio, ſexto menſe obſidionis. Valdè contenderant Thebani & Corinthij, vt Athenæ funditùs delerentur. Sed Lacedæmonij contra ſenſerunt, nō delendam eſſe vrbem, ante hoc bellum, ſæpè bene meritam de tota Græcia, in reprimendis Barbaris. Scribitur autem deditionem factam eſſe die decimo Martij, quo die, ante annos ſeptem & ſeptuaginta, conſilio & virtute Athenienſium, ad Salaminem Perſę victi ſunt. Qua in conſideratione cogitemus inſtabilitatem rerum humanarum, & conſideratione cauſſarum, nos ad veri Dei agnitionem & modeſtiam hortemur. Bellorum enim variæ vices ſunt, quia punit Deus ſcelera in vtraque parte. Tandē verò grauioribus & vltimis pœnis opprimūtur ij, qui iniuſta bella mouerunt, ſeu odio, ſeu cupiditate maioris potentiæ. Initium huius belli fuit ortum ab Athenienſibus, qui adiunctis Corcyreis potentiam augere conabantur, & Lacedæmonios contemnebant. Acceſſit & odium in Pericle aduerſus Megarenſes. Venit igitur in triſtem ſeruitutem Attica ciuitas. Et, vt intelligi poſſet, ſingulari exemplo, ſuperbiam punitam eſſe, ad cantum tibiarum muri euerſi ſunt, & naues crematæ.

Scriptores nominant hanc Athenarum deditionem, finē belli Peloponneſiaci, quia cæteri Græci aliquantiſper quieuerunt, cùm potentia Lacedæmoniorum formidabilis eſſet, & aſpera eſſent imperia. Nec multò poſt Ageſilaus exercitum in Aſiam duxit, Atticarum verò calamitatum nōdum finis fuit. Nam triginta tyranni, de quibus mox dicetur, plures ciues intra octo menſes trucidarunt, quàm decennio ab hoſtibus interfecti fuerant, vt narrat Xenophō. Poſtea recuperatio libertatis mirabiles caſus habet. Nunc annos annotabimus.

Captæ ſunt Athenæ

2 Anno Artaxerxis Mnemonis.
27 Anno, menſe ſexto, ab initio belli Peloponneſiaci.
77 Anno à Salaminia victoria.
19 Anno ante captam Romam à Gallis, vt Polybius ſcribit: Anno mundi 3563.

DE TRIGINTA TYRANNIS.

VT autem victores Lacedæmonij vbique potentiam plebis diminuebant, & oligarchias conſtituebant: ita & Athenis formam gubernationis mutarunt, & triginta viris Athenienſibus ſummam dederunt poteſtatem, & addiderunt Laconicum præſidium. Hi triginta initiò, ſuo

conſilio, ſine cognitione, turbulentos ciues, quos fuiſſe ſeditionum autores notum erat, interfecerunt. Nec id ægrè tulit populus, quia nemo ignorabat fuiſſe ſeditioſos, & neceſſe erat palàm ſeditioſos è medio tollere. Sed immoderata potentia non diu manet intra iuſtas metas. Aliquantò poſt igitur hi triginta viri etiam honeſtos ciues, quos metuebant, aut oderant, expulerunt ciuitate, aut interfecerunt. Et, vt ſe munirēt maiore præſidio, catalogum ſcripſerunt, tria millia ciuium, quos delectos ex cæteris exiſtimabant ſibi fore fideles, & cum his, bona damnatorum, & multorum aliorum partiebantur.

Erat inter hos triginta Theramenes, qui, vt erat aſtutus, & antea mutationes quaſdam rexerat, & arte deduxerat rem ad deditionem, vt vrbs ſeruaretur. Hic cogitās hāc ſæuitiam non poſſe diuturnam eſſe, & ſciens præſtantiam virtutis in Thraſybulo exule, fuit hortator moderationis. Metuens igitur Critias, qui inter triginta crudeliſſimus erat, ne, vt erat artifex Theramenes, contra hunc ſtatum aliquid moliretur, accuſat eum apud collegas, & petit eum interfici. Theramenes ſe excuſat, & reſpondet: Sua conſilia non contraria huic ſtatui, ſed potiùs ſalutaria eſſe, quia iniuſta ſæuitia non poſſit eſſe diuturna. Et noſſe ſe, inquit, magnitudinem animi, & conſilij in expulſo Thraſybulo, qui nactus exulum multitudinem, non ſit omiſſurus conſilia recuperandæ patriæ.

Denique lex tuebatur Theramenem recèns lata: Ne collegæ, aut illi, qui in catalogo ſcripti erant, ſine iudicio interficerentur. At ego, inquit Critias, ne hic lege ſe tueri poſſit, nomen eius deleo, & eum cōdemno. Tacent collegę, quia vident armatos ex catalogo circumſtare. Et cùm ad aram confugeret Theramenes, imperat lictoribus Critias, vt eū ab ara abſtrahant, & interficiant. Abſtractus ducitur ad bibendum venenum, quod cùm exhauſiſſet, & aliquantulū, quod reliquum erat, effudiſſet, iocans, inquit: Hoc propino Critiæ. Hic exitus eſt Theramenis, interfecti ſæuitia collegæ, propter moderata conſilia.

Fuerat autem & antea mutationum in republica, & author: & diſſolutor callidus, ſeu vt reipublicæ, ſeu vt ſibi etiam conſuleret, vt in comœdiis exagitatur, quod arte ſolitus ſit ſe ex periculis euoluere, & ſe ad occaſiones inflectere. Vnde & Cothurnus nominatus eſt. Et Ariſtophanes in Ranis ait, cùm venit in diſcrimen, arte eluctatum eſſe: Πέπτωκεν ἔξω κακῶν ὀ χῖος ἀλλὰ κῶος, alludens

ad

ad ludum talorum. Non vnitas, ſed ſenio victor. Accidit autem hoc in ciuilibus diſsenſionibus, vt moderati à vehementioribus opprimantur, vt dici ſolet; ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μήποτε γενήσεται δράκων.

DE THRASYBVLO ET ἀμνηστία.

ETsi autem, poſt hanc cladem, nec potentia prior Athenarum, nec virtus, nec authoritas reſtituta eſt, tamen vtcunque, Deo ita volente ſeruare vrbem, primùm exules, oppreſſis triginta tyrannis, recuperarunt patriam, & veterem formam gubernationis reſtituerunt, duce Thraſybulo. Aliquantò poſt & Conon eripuit imperium maris Lacedæmoniis, & rurſus ædificauit muros Athenienſes.

Horum duorum virtus, in reſtitutione patriæ, præcipua fuit.

Poſt interfectum Theramenem Critias, & aliqui eius collegæ, maiorem ſæuitiam exercuerunt, & ſcribitur iuſſiſse eos filias quorundam interfectorum ſaltare in cruore parentum, quæ ſe præcipites ex illis locis deiecerunt. Cùm igitur Thraſybulus ſciret, iam in odio eſse Critiam, & collegas, adduxit ſeptuaginta in Atticam, & oppidum Phylen occupauit. Qua re cognita, in ipſa vrbe multi ciues recuſant militare cum tyrannis. Accerſunt igitur tyranni Spartanum regem Pauſaniam, qui audiens ſcelera triginta tyrannorum, & intelligens, Thraſybulum velle ſocietatem cum Lacedæmoniis inuiolatam eſse, non impediuit eius reditum in patriam. Thraſybulus itaque dimicans cum exercitu tyrannorum, trucidauit Critiam & quoſdam eius collegas, & præconium fecit, ſe non gerere bellum cum ciuibus, ſed velle, vt patria veteribus legibus regatur: ita in vrbem rediit Thraſybulus cum cæteris exulibus, & leges veteres, ordinem magiſtratuum, & iudicia reſtituit.

Sed, vt ciuitas tranquilla eſset, decretum factum eſt de ἀμνηστίᾳ id eſt, vt obliuio eſset veterum iniuriarum. Et quia multi tenebant res alienas, quoquo modo tranſlatas, alij hæreditatibus, alij emptionibus, alij dotibus, alij aliter, & repetitio paritura erat noua bella, ſancitum eſt, ne lites mouerentur de præſentibus poſseſſionibus, ſed vt in poſterum nihil contra leges fieret. Hæc ἀμνηστία reſtituit Athenarum tranquillitatem. Sed in diſsenſionibus ciuilibus ſæpè decurſum eſt ad ἀμνηστίαν, vt futuræ paci conſuleretur, vt cenſuit Romanus Senatus, interfecto Iulio Cæſare.

Et in aliis hiſtoriis ſæpè dicitur : Pacem faciant ſinguli ἔχοντες ἃ ἔχουσι. Hæc exempla meminiſse vtile eſt.

Pauſanias poſtea in vrbe Sparta accuſatus, quòd non defendiſſet triginta tyrannos, ſe excuſauit : quòd iniuſta crudelitas ſociorum non fuerit approbanda, aut adiuuanda, & ſatis fuerit Athenienſes retineri in ſocietate Lacedæmoniis promiſsa. Ibi pares calculos tulit, quo more ſignificatum eſt, eum abſolui. Et docet exemplum, ſocios iniuſtam crudelitatem exercentes, non defendendos eſse. Sicut, etſi ſocij erant Conſtantinus & Licinius, tamen Conſtantinus defendit Eccleſiam contra Licinium. Socij Lacedæmoniorum & Thebani erant, cùm Thraſibulus in patriam rediret. Et mandauerant Lacedæmonij, ne Thebani exulibus Atticis præberent hoſpitium. Sed Thebani prorſus contrarium edictum propoſuerunt, ſe non impedire exules Atticos, gerentes arma contra triginta tyrannos, ac mandare ſe, vt nulla domus clauſa ſit exulibus Atticis. Sed fuerunt hæc exempla diuini iudicij, contra iniuſtam & atrocem ſæuitiam, ſicut ſcriptum eſt : Qui gladium acceperit, gladio peribit.

IMPERIVM LACONICVM.

TEnuerunt imperium Lacedæmonij annos nouem & viginti, poſt victoriam Lyſandri ad Ægos Potamos, vſque ad pugnam Leuctricam, quæ facta eſt initio Olympiadis centeſimæ ſecundæ, cum Helice & Bura biennio ante, quàm terræ motu abſorptæ eſsent, anno quarto Olympiadis centeſimæ primæ, vt diſertè inquit Pauſanias. Fuit autem aliquantiſper tranquilla Græcia, donec Ageſilaus rex Spartanus, & Lyſander duxerunt exercitum in Aſiam, qui, cùm domi pax eſset, adiicere imperio ſuo Aſiæ partem, & Perſicam potentiam debilitare, conabantur. Ac initia Ageſilao lætiſſima fuerunt, magnis aliquot præliis Tiſsaphernem vicit, propter quas clades iratus Artaxerxes, Tiſsaphernem interfici iuſſit, & ſucceſsorem miſit Tithrauſten.

Interea in Græcia tumultus orti ſunt inter Phocenſes & Locros. Quámque Thebani defenderent vicinos Locros, accuſantur a Phocenſibus apud Spartanos. Remiſerat autem Lyſandrum Ageſilaus in patriam, propter æmulationem. Etſi autem Spartani alioqui Thebanos oderant, tamen eos magis accendit Lyſander : qui & natura inquietus erat, & ſcribitur in ſenecta, propter aduſtam atram bilem, factus iracundior. Hic Thebanis magis, quàm cæ-

teri,

teri, iraſcebatur, propterea quòd Athenienſibus exulibus hoſpitium præbuerant, contra edictum Spartanorum. Decretum igitur faciunt ephori, vt Thebanis bellum inferatur. Hi ab Athenienſibus auxilium petunt, qui antea in Sparta petiuerant, ne bellum inferretur Thebanis, ſed vt iudicio controuerſia inter Phocenſes & Locrenſes dirimeretur. Poſtea cùm Thebani auxilium peterent, Thraſybulus memor beneficij Thebanorum, ſuaſor eſt, vt iuuarentur, & accedunt auxilia aliarum ciuitatum. Ita rurſus in Græcia ex leui cauſſa ingens bellum, & exitiale Lacedæmoniis ortum eſt. Duxit partem exercitus Laconici Lyſander. Is in oppugnatione Haliarti, erumpentibus Thebanis extra oppidum, in pugna interfectus eſt. Hic exitus eſt Lyſandri, qui Athenas ceperat, cuius virtute Spartani imperio potiti fuerant. Sed ſuperbiam pœna ſequuta eſt. Scribitur enim huic primo omnium Græcorum, diuinos honores habitos eſse.

Erant autem tam læti ſucceſsus Ageſilai in Aſia, vt procedere in regnum Perſicum cogitaret. Sed Spartani, creſcente potentia Thebanorum, reuocant eum, miſſa Scytala. Hìc tanta fuit modeſtia Ageſilai, vt relicta maxima ſpe occupandi Perſicum imperium, mox in patriam redierit. Hæc modeſtia, in tanta potentia, ita prædicatur, vt longè omnibus ipſius victoriis anteferatur. Tanta autem fuit de eius iuſtitia, fortitudine, & modeſtia opinio, vt Lacedæmonij ſummum ei imperium, & exercitum in terra, & claſses in mari, commendauerint. Et ſcribit Theopompus, fuiſse eum ſummum virum ſuæ ætatis.

Cùm autē in Aſia triennio fuiſset, & multas vrbes Perſis ereptas, imperio Laconico adieciſset, & ſociis iuſtè & moderatè imperaſset, diſcedens reliquit ſui diſſimiles, auaros, & crudeles Harmoſtas. Claſſi autem præfecerat Piſandrum vxoris fratrem.

Erat eo tempore Conon, exul Athenienſis, apud Euagoram regem Cypri, qui cùm octo nauibus fugerat ex pugna ad Ægos Potamos. Hic & Euagoræ & regis Perſici pecunia & nauibus inſtructus, mittitur cōtra Lacedæmonios, cùm Perſę viderent nimium creſcere potentiam Laconicam in Aſia. Conon, magno prælio, ad Cnidum vicit Laconicam claſsem, & interfecit Piſandrum. Hac clade accepta, Lacedæmonij rurſus maris imperium amiſerunt, & paulatim ciuitatum defectio ſequuta eſt.

Hæc clades annunciata eſt Ageſilao, in ipſo reditu, &

ad hanc alia clades acceſſit. Cùm enim in Bœotiam, in ipſa ſolis ecclipſi, perueniſset ad vrbem Coroneam, cum Thebanis & eorum ſociis dimicans, vulneratus eſt. Ac ſcribit Xenophon, tam acre prelium fuiſse, vt nullum ſuo tempore fuerit acrius. Ex eo prælio cùm multi in templum vicinum fugiſsent, iuſſit parci templo, & dimitti incolumes omnes, qui eò confugerant. Conceſſit & Thebanis petentibus cadauera interfectorum ad ſepulturam. Adeò non indulſit iræ, quanquam vulneratus erat.

Iam verò in Aſia inclinatione facta Laconicæ potentiæ, rediit Athenas Conon, & patriæ donans quinquaginta talenta, id eſt, triginta millia coronatorum, muros ea pecunia refici curauit, à Lyſandro euerſos. Ita Thraſybuli & Cononis virtute paulatim Athenæ rurſus erectæ ſunt. Nec multò poſt reditum Cononis, cùm Lacedæmonij claſsem repararent, miſsus eſt Thraſybulus ad impediendos Lacedæmonios, qui Byzantium recepit, & res multas feliciter geſſit. Sed cùm ad Aſpendum milites eius populati eſsent agros, Aſpendij irritati, noctu erumpentes, ſubito tumultu & Thraſybulum in ſuo tentorio, & milites aliquot interfecerunt. Hunc breui, ſed honeſtiſſimo teſtimonio ornat Xenophon lib. III. Θρασύβουλος μέν τοι μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι, οὕτως ἐτελεύτησεν.

Vt autem Lacedæmonij rurſus creſcentem potentiam Athenienſium, & refectionem murorum impedirent, accuſant Atticam ciuitatem, & nominatim Cononem apud Tyribazum ducem Perſicum, ac monent, periculoſam fore potentiam Athenienſium regno Perſico, præſertim cùm & Euagoram Perſæ metuerent. Mittunt igitur Athenæ legatos ad Tyribazum placandum. In his & Conon fuit. Hunc Tyribazus, contra ius gentium, captum in Perſiam ducit, vbi in carcere, ſeu necatus eſt, ſeu morbis extinctus. Accuſator autem fuerat Antalcidas, Spartanus legatus. Is deinde à rege Perſico, quia bello Thebano Lacedæmonij impares erant, impetrauit edictum, quo rex pacem Græcis omnibus imperat, & bellum minatur iis, qui non ſint obtemperaturi. Ac ſimul mandat Thebanis, vt arma deponant, & ciuitatibus priſtinam libertatem reddant, Quia verò Lacedæmoniorum conſilio, hæc pax impetrata fuerat, & adhuc magna erat ipſorum potentia, & Ageſilai præcipua authoritas, Lacedæmonij ſe oſtenderunt fore huius edicti regij defenſores, quod celebri appellatione nominatur pax Antalcidæ. Iurant igitur Græcæ ciuitates

omnes,

omnes, ſe obtemperaturos eſſe. Sed aſtutè Lacedæmonij huius pacis prætextu, ſuam potentiam rurſus confirmare conati ſunt: occupant fraude Cadmeam Thebarum arcẽ. Ibi & coniuges & filias honeſtorũ ciuium rapiunt,& Thebis expellunt,quos volunt. Ideò Pelopidas & Epaminondas,& alij exules,fœdere clam facto, magna prudentia, & fortitudine irrumpunt in arcem, & eiiciunt inde Laconicum præſidium,aliquot viris interfectis.

Dederãt autẽ hoſpitium Thebanis exulibus Athenienſes, qui & poſtea eos iuuant contra exercitus Laconicos. Tandem rex Spartanus Cleombrotus, cũ exercitu in Bœotiam veniens, non procul ab oppido, cui Leuctra nomen erat,cũ Thebanis dimicat.Ibi interfectis rege Cleombroto,& mille Spartanis, quorum præcipua erat nobilitas, & dilapſis eorum ſociis, victores fuerunt Thebani.

Ac locum tantæ cladis voluit Deus teſtem, ſeu monitorem eſſe de ſua ira. Nam aliquantò antè pugnam quidam ex Spartana nobilitate, hoſpitaliter excepti in Leuctris à Scedaſo, poſtea redeuntes, abſente patre, filias eius duas, vi ſtupratas,interficiũt,& in puteum abiiciunt. Pater deinde Spartam profectus, ac petens ſceleris authores puniri, deriſus eſt. Et narrantur alia exempla crudelitatis & libidinum,quibus in imperio Spartani & iram Dei irritarunt:& voluntates ciuitatum à ſe alienarunt.

Cũ igitur Deus in ipſo loco puniuerit Lacedęmonios, qui ſceleris veſtigiũ fuerat, voluit homines & de magnitudine perpetrati ſceleris, & de iudicio diuino commonefieri. Denunciata fuit antea pœna oraculo, quod recitat Pauſanias. Id his verſibus reddidi.

Leuctra mihi ſunt curę,& mors triſtiſſima gnatæ
Occiſæ Scedaſi quæ periere duæ.
Hic atrox fiet pugna & ſæuiſſima cędes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quam prius haud quiſquam norit,quàm Dorica pubes
Amittet robur,militiæq́; duces.

Facta eſt autem pugna Leuctrica,

Anno Artaxerxis 32.

Anno 29. poſt pugnam Lyſandri ad Ægos Potamos.

Initio anni ſecundi Olympiadis centeſimæ & ſecundæ, die quinto Iunij.

Anno ante initium regni Alexandri, triceſimo ſexto, quod omnium ſcriptorum conſenſu collocatur in annum primum Olympiadis centeſimæ & vndecimę.

Etſi autem vſque ad Leuctricam cladem numerãtur anni principatus Spartani, tamẽ non mox proceſſerunt Thebani in Laconicã, ſed Lacedęmonij, nunciata clade, multa grauiter fecerunt, & profuit hęc Ageſilai moderatio ad leniendam triſtitiam. Vſitatum fuit apud Spartanos, vt qui ex acie fugerant, iudicarentur infames. Qui quidem ab aliis ciuibus, diſcernebantur veſtitu & barba, ac licebat cuilibet prætereuntem verberare, nec licebat eis vxores ducere. Cùm autem multi nobiles, & fortes viri ex fuga domum rediiſſent, & eſſent, qui vſitatum morem de his, qui fugerant, ſeruari vellent, acceſſit ad concionem Ageſilaus, & iuſſit, vt ſinerent leges, eo die, dormire, quia calamitas accidiſset, non ignauia ciuium, ſed iniquitate fortunæ. In poſterum autem, ab eo die, leges ſeruandas eſſe. Hac ἐπιεικείᾳ reuerſos ciues infamia liberauit.

Cùm igitur mitteretur Archidamus filius Ageſilai cum exercitu Laconico in Bœotiam, accerſunt Thebani Iaſonem Phereum ex Theſſalia, cuius tanta erat virtus & authoritas, vt exiſtimaretur in Aſiam traiecturus eſſe, vt bellum Perſis inferret. Is cùm veniſſet ad Thebanos, hortator fuit eis, ne dimicarent cum Lacedæmoniis, qui irritati nunc, & cautiores & firmiores futuri eſſent. Et cùm vtriſque diſſuaderet prælium, perfecit, vt certis conditionibus pacem facerent. Ita ſine prælio Lacedæmonij domum redierunt & Iaſonis verba recenſentur apud Xenophontem: Solet Deus ex paruis magnos facere, & ex magnis paruos.

Hic Iaſon domũ reuerſus, fraude interfectus eſt. Cùmque in Teſſalia, contra tyrannos, aliquæ ciuitates à Thebanis auxilium peterent, profectus eò Pelopidas, poſtea à tyranno Alexandro Phereo captus eſt, cuius tanta fuit ſęuitia, vt homines viuos inſueret vrſorum pellibus, & canes contra eos incitaret. Ac in prima expeditione Theſſalica, cùm Pelopidam fraude captum eſſe, Epaminondas audiret, profectus eò cum exercitu, tántùm incuſſit Alexandro terrorem, vt redderet ipſi viuum & incolumem Pelopidam. Ita fide & virtute amici, Pelopidas tunc ſeruatus eſt. Sed poſtea reuerſus in Theſſaliam Pelopidas, in acie dimicans, à tyranni exercitu interfectus eſt. Tyrannus verò poſtea domi à coniugis fratribus, faces tenente coniuge, dormiens trucidatus eſt.

Interea dum Thebani occupati ſunt motibus Theſſalicis, & ipſi, & Lacedæmonij, & aliæ ciuitates oſtendunt, ſe

pacem

pacem Antalcidæ non violaturos eſſe. Mantinei exules, freti hac pace, conueniunt, & patriam Mantineam inſtaurare conantur. Fuerat autem Mantinea præcipua vrbs Arcadiæ, condita à filio Lycaonis, cuius nomen fuit Mantineus: quæ, cùm vicina eſſet Laconicæ, & tamen (vt gens Arcadica inquieta fuit, & mercede militare conſueuerat) ſæpè adiungeret ſe hoſtibus Lacedæmoniorum, & velut arx eſſet hoſtilium copiarum, à Lacedæmoniis euerſa fuit. Quare cùm viderent, non ſine periculo viciniæ, eã inſtaurari, Ageſilaus impedire inſtaurationem conatus eſt. Accerſit igitur gens Arcadica Thebanos. Ita nouũ bellum in Græcia accenſum eſt, in quo Sparta penè funditus periit. Nã Epaminondas, quẽ, propter ipſius virtutẽ, ſocij libẽter ſequebantur, exercitum in Laconicam duxit, quadraginta millium virorum, & vaſtata Laconica, & multis oppidis occupatis, ad Spartã acceſſit, nec tamen fluuium Eurotam qui niuibus intumuerat, tranſiit. Ac tantus terror incuſſus eſt Spartanis, vt ſeruos armarent, promiſſa eis libertate. Cúmque ſpeciem iuſti exercitus, ſex millia armatorum, in vrbe Ageſilaus haberet, diſpoſuit eos certis locis, quia Sparta ſine mœnibus erat. Ea res deterruit Epaminondam ne oppugnationem tentaret. Nec Ageſilaus, etſi conuitiis prouocabatur ad dimicandum, tunc iudicabat ex vrbe exercitum educendum eſse. Steterunt autem ambo in contrariis ripis Eurotæ, Ageſilaus & Epaminondas, ſeſe mutuò contuentes, & alter alterius virtutem admirantes, & fortunæ vices cogitantes. Erat enim triſte ſpectaculum, cùm anni ſexcenti eſſent ab Heraclidarum regno in Laconica, nec vnquam in ea cõſpecti eſsent hoſtiles exercitus, nec incendia, & populationes ab hoſtibus ibi factę eſsent, nunc totam regionẽ vri, & vaſtari: ac, vt Athenę ante triginta annos, deditione facta, imperium & libertatem amiſerant, ſic Spartę nunc penè ſimilem calamitatem eſse. Ipſe etiam Ageſilaus exemplum fuit inconſtantiæ rerum humanarum, qui & florentiſſimam patriam acceperat, & formidabilis fuerat regi Perſico, & ſuæ ætatis, propter virtutem, laudatiſſimus dux fuerat, nunc ſenex patriæ videt incendia, & ciuium funera. Profuit tamen patriæ animi robore, & cõſilio. Non enim deſeruit vrbem, & ciues armauit. Et cùm exercitum Epaminondas propius vrbem adduxit, emiſſis equitibus, & ex inſidiis adortus hoſtiles copias, terrorem eis incuſſit, ne procederent.

Commoratus autem Epaminondas ad vrbem Spartam

quatriduo, cùm & dilabi Arcades ad prædam videret, in regione opulenta, in qua ſpolia ex multis gentibus congeſta erant, diſceſſit inde ad alia oppida occupanda, fuítque in Laconica tres menſes. Interea Lacedæmonij ab Athenienſibus auxilium petiuerunt, facta cōmemoratione mutuorum beneficiorum, & orantes, ne hos, qui in maximis Græciæ periculis fuiſſent velut παραστάται Athenienſium, deleri ſinerent. Ibi cùm ciuitas Attica, vt ſæpè aliàs, oblita offenſionum, vellet Græciam ſaluam eſſe, decreuit, vt miſſo exercitu Lacedæmonij defenderentur. Miſit & Dionyſius Siculus pater, viginti triremes, in quibus fuiſſe Celtas & Iberos narrat Xenophon. Et quidem poſtea plurimum profuiſſe Lacedæmoniis Celtas inquit.

EPAMINONDAS.

POſtquam verò diſceſſit ex Laconica Epaminondas, Spartani, propter ſocietatem Athenienſium, & inſtructi auxiliis ex Sicilia miſſis, paulatim oppida ſua recipiunt. Hos cùm reprimere Arcades conarentur, nondum finis fuit belli. Cúmque Ageſilaus, propter ſenectam, ducere exercitum non poſſet, miſſus eſt filius Archidamus cum Spartanis copiis, & auxiliis Celticis aduerſus Arcades, quos ita vicit, vt magna hoſtium multitudine interfecta, & nullo Spartano amiſſo, nominata ſit illa pugna, ἄδακρυς μάχη Neq; tamē Arcades tumultuari deſierunt. Cúmque noua fœdera feciſsent cum Eleis, & aliis, & deinde Arcades ipſi inter ſe diſiuncti eſſent, vt ſemper fuit genus hominum inquietum & rapax, & pars (Mantinei videlicet) defeciſſet ad Lacedæmonios, alij à Thebanis auxiliū peterent, & Meſſanæ inſtauratio Thebanis curæ eſſet, rediit Epaminondas in Arcadiam, ducens ex Bœotia & Eubœa & Theſſalicis equitibus mediocres copias, quas, acceſſione ſociorum in Arcadia, auxit. Iam & Lacedæmonij mediocres copias habebant, quia equites Athenienſium, & pars Arcadum, Mantinæi & Achæi, ad eos acceſſerant. Eduxit igitur Ageſilaus exercitum ad Mantineam. Hic Epaminōdas ſperans ſe nactū occaſionem rei magnæ perficiendæ, videlicet occupandæ Spartæ, quia exercitus inde aberat, omiſſo prælio, iter ſuſcipit verſus Spartam. Sed re indicata à Cretenſi milite, Ageſilaus redit Spartam cum filio Archidamo, & paucis aliis. Quò cū Epaminondas veniſſet, acerrima pugna repulſus eſt. Hic rurſus ſenis Ageſilai virtute patria ſeruata eſt, non vt ante, ſine prælio. Scribit enim Xenophon diuinitùs factum eſſe, vt Thebani,

qui

qui antea Lacedæmonios vicerant, & ignem ſpirabant (his enim verbis vtitur, πῦρ πνέοντες) nunc tam paucis ceſſerint. Nam Archidamus pauciſſimos ex vrbe educẽs, cùm interfeciſſet aliquot Thebanos in prima acie, tantùm reliquis terrorem incuſſit, vt fugerent. Adeò nec fortunæ, nec viriũ magnitudini, confidendum eſt, ſed cogitandum eſt dictũ: Victoria à Domino eſt. Vterque autem dux in maiore admiratione fuit, alter propter conſilium oppugnandæ vrbis, alter propter celeritatẽ reditus, & defenſionem patriæ.

Regreſſus autem Epaminondas, etſi videbat, ſe non ſine periculo dimicaturum eſſe, tamen quia pugnandum eſſe ſtatuerat, nõ procul à Mantinea caſtra locat. Ibi intẽtus in occaſiones, adortus eſt hoſtes preter ipſorum opinionem, & arte aciem ita inſtruxit, vt robur hoſtilis exercitus pelleret. Eo in loco, cùm ipſe prælium cieret, & cedere hoſtes cogeret, vulnus accepit. Quia autem, propter vulnus ducis, milites non ſequuti ſunt hoſtem cedentem, minus magna ſtrages facta eſt. Epaminõdas viuens relatus in caſtra, non prius ſpiculum ex vulnere euelli permiſit, quàm interrogauit, vtri viciſſent. Cùm victores Thebanos eſſe diceretur, ſpiculo euulſo patriæ gratulans, placidè mortuus eſt. Hic eſt exitus Epaminondæ, qui non ſolum propter iuſtitiam, fortitudinem, modeſtiam, & fidem erga amicos valdè laudatur: ſed etiam quia doctrinas à Lyſide Pythagorico didicit: quarum ſtudiis in eius pectore magis confirmatus eſt amor iuſtitiæ, & modeſtiæ.

Cùm autem poſt Epaminõdæ mortẽ, vtrique ſe pro victoribus gererent, Thebani & Spartani, eáque ex re paſſim noui motus orirentur, inquit Xenophon in fine ſuæ hiſtoriæ: Confuſio & perturbatio maior fuit in Græcia poſt Epaminondæ pugnam, quàm fuit antè. Tales bellorum exitus ſæpè ſunt, vt hoc decennio vidimus bella ex bellis nata eſſe, ſicut Pindarus inquit: Facilè eſt cuiuis mouere vrbem, ſed in tranquillum ſiſtere, ſine Dei auxilio, nemo poteſt. Præcipua tamen fuit tunc potentia Thebanorum, qui, non multò poſt Epaminondæ mortem, contra Phocenſes, qui templum Delphicum ſpoliauerant, bellum mouerunt, Olympiadis centeſimæ quintæ anno quarto, quod nominatur Bellum ſacrum, cuius ſæpè fit mentio in authoribus. Pertinet autem hiſtoria belli ſacri ad Ochi tempora, vt poſtea dicam. Nunc breuiter eius mentionem feci, vt ſeries Græcorum bellorum facilius mente comprehendi poſſit, & conſidere-

tur, ſemel motis imperiis, non facilè pacem reſtitui poſse. Captis Athenis ſequuta eſt recuperatio, quam adiuuerunt Thebani. Inde Spartani Thebanos adorti, rurſus amiſerũt imperium. Poſtea in bello ſacro Thebani attraxerũt Macedones. Aliquantò poſt ab Alexandro Thebæ funditùs deletæ ſunt, & horribiles pœnæ per omnes Græciæ populos vagatæ ſunt, ac ſimul extincta eſt vbique vetus doctrina, ac diſciplina, & perpetua latrocinia in Græcia fuerunt. Has ruinas gentium intuentes, cogitemus de cauſis, & ſimilibus omnium temporum miſeriis, & petamus, vt Filius Dei ſit vmbraculum eccleſię ſuæ, ſicut texit in Ægypto domos ſanguine agni conſperſas.

RES ROMANÆ.

ANNO ab vrbe Roma condita trecenteſimo & ſexageſimo quinto, vrbs Roma à Gallis capta & incenſa eſt, Olympiade nonageſima nona, regnante in Perſia Artaxerxe Mnemone, anno viceſimo poſt captas Athenas à Lyſandro, vt Polybius ſcribit. Integra verò hiſtoria, apud Liuium legatur, vt res Romanæ alię. Hic tempora tantùm inſignium euentuum annotamus. Sed quia illa Celtarum expeditio in Italiam non breuis fuit, & magnarum mutationum & multorum præliorum cauſſa fuit, aliquid & de gente, & de occaſione expeditionis addam.

Veteres Græci regionem ad Alpes ſitam verſus Oceanum ſeptentrionalem & occidentalem, vno nomine Celticam nominarunt, videlicet totam oram ab Oceano Occidentali ad Harciniam vſque. Deinde ab Harcinia verſus orientem vno vocabulo Sarmatias nominarunt. Etſi vicinas aliquas Alpibus diſtinguũt, vt Boios, Noricos, & inde Pœonios, & Myſos. Inquit igitur Herodotus, oriri Iſtrũ in Celtis & Pyrene, quod hodie nominatur *vff der Bar*, & dirimere mediam Europam.

Nomen verò Κέλτος eſt à Γαλάτης. Et ſcribit Appianus, ſe nihil de origine nominis aut gentis veriſimilius reperiſſe, quàm hoc, quod Polyphemo in Sicilia duo ſint nati filij ex Galatæa, quorum alteri fuit nomen Γαλάτας alteri Ἴλλυρις. A Galata ortos eſſe Γαλάτας vnde poſtea factum eſt nomen Celti. Nos verò ſcimus eandem eſſe vocem Galli & *VVallen.* Significat igitur reuera Galli peregrinatores ſeu migrantes. Et quidem vocabuli origa Ebręa eſt.

Multæ autem & diuerſæ gentes conſederunt in vtraque ripa Rheni, & in illa vlteriore regione verſus Oceanum Occidentalem, & verſus mare Liguſticum. Nam &

Maſ-

Maſſilienſes fuerunt Ionum colonia. Et Vienna in Gallia Cretenſiũ colonia eſt. Fuit enim eodem nomine vrbs Cretæ, vt ſcribit Stephanus, dicta, quod ibi Othus & Ephialtes Martem ceperint. Qua narratione ſignificatum eſt, bella ibi fratrum iſtorum virtute, ſedata eſſe, vnde poſtea reliquiæ in Gallia conſederunt. Magnam Galliæ partem & Ligyes tenuerunt, quos Stephanus inquit ex Tarſo veniſſe. Tarſus autem dicitur à Tarſis filio Iauan.

Conſediſſe autem in ora ſeptentrionali Galliæ Senonas, certum eſt, qui fuerunt ex noſtra gente Teutonica, quæ nomen habet ab Aſcane Tuiſcones. Et non dubium eſt, vicinas gentes in Italiam, & poſtea in Græciam duxiſſe exercitus mixtos ex Teutonibus & Gallis.

De expeditione in Græciam poſtea dicemus, in qua Brennus, poſt Alexandrum, centum & quinquaginta millia peditum, & viginti millia equitum, & quadringentos, in Græciam duxit, de quibus ſcribit Callimachus, dicere Apollinem, ſuam & regis Ptolemæi communem fore victoriam, ſe ad Delphos fulmine interfecturum eſſe Celtas, ſed regem Ptolemæum interfecturum eſſe Celtas ad lacũ Serbonidem, id eſt, Aſphaltiten. Poſtea enim cùm in Aſiam attracti eſſent, Ptolemæus Euergetes multos interfecit ad Aſphatiten.

Ex his narrationibus apparet, & magnum robur harum gentium fuiſse, & magnam multitudinem ex patria eductam eſſe. Sed expeditionem in Græciam anteceſſit Italica, cui occaſionem præbuit pœna libidinis. Tenuerunt Italiæ oram ab Alpibus ad Tibrim vſque, tres gentes: Heneti ad ſinum Adriaticum: Ligures contrarium littus ad occaſum: Media ora, quæ & vbertate ſoli, & amœnitate longè excelluit, fuit Tyrrhenorum, quorum appellatio antiquiſſima. Vlterior Italiæ pars nominata eſt Auſonia, ab Auſone filio Vlyſſis, & Calypſus. Fuerunt autem Tyrrheni, Lydorum coloni. Lydi autem ab Ægyptiis orti ſunt. Et fuiſſe tetras libidinum confuſiones in Tyrrhenia, narrat Timæus, qui circa hæc tempora vixit. Occaſio autem, qua Celtæ & Senones in Tyrrheniam adducti ſunt, hæc fuit.

Adoleſcens nobilis Cluſinus, Lucumon, tutoris coniugem rapuit. Tutor hoc iuſto dolore incenſus, inuitauit Celtas, vt ſedes quærerent in ea parte Italiæ vberrima, & ſcelus Lucumonis punirent. Ita cùm Deus vniuerſæ gentis Tyrrhenæ ſcelera puniturus eſſet, egreſſi ex horridioribus locis Celtæ & alij, Tyrrhenos oppreſſerunt. Et cre-

dibile eſt non fuiſſe breuem, & ſubitam expeditionem, ſed paulatim plures exercitus ex Gallia & Teutonicis gentibus eò infuſos eſse.

Ab his, affirmant veteres ſcriptores Græci & Latini, conditas eſse vrbes, Senas à Senionibus, Mediolanum, Veronam & alias quaſdam. Qua autem occaſione Romam attracti ſint, narrat Liuius, apud quem integra hiſtoria legatur.

ARTAXERXES OCHVS PERSArum rex octauus.

REGNAVIT annos ſex & viginti, ac regnum occupauit, necatis duobus fratribus. Huius gubernatio, cùm plena fuiſſet crudelitatis aduerſus domeſticos, externas nationes, & aduerſus eccleſiam in Iudæa, quæ mediocrem tranquillitatem, & quaſi halcyonia habuerat, tandem ipſe à quodam ſuo duce interfectus eſt. Initio gubernationis, Sidonem proditione cepit, vbi cùm ſupplices interfeciſſet, irati Sidonij, ipſi vrbem incenderunt. Ac periiſſe ibi quadraginta millia hominum ſcribitur. Poſtea Euagoram Cypri regem, de quo extat Iſocratis oratio, cùm fuiſſet eius ſocius, interfecit.

DE SÆVITIA OCHI ADVERſus Eccleſiam.

RECVPERAVIT Ochus & Ægyptum. Cúmque in vicinia Iudææ bellum gereret, ſæuitiam in Iudæos etiam exercuit, quibus ad id tempus, à Longimano vſque, Deus tranquillitatem dederat, vt inſtaurari vrbes, templum, doctrinę ſtudia, & totus ordo gubernationis, poſsent. Sed tāta eſt humanæ naturæ infirmitas, vt in rebus ſecūdis lętitia afferat negligentiam in fręnandis cupiditatibus. Cœperunt igitur iam fratres de ſummo ſacerdotio certare. Summus ſacerdos erat Iohāna. Hunc vt frater eius Ieſus excuteret, petit à Vagoſe Perſico præſide auxilium, & conatur vi occupare templum. Ibi à fratre Iohanna frater in templo trucidatur. Talia peccata irritarunt iram Dei. Venit igitur Iereſolymam Vagoſes, & ingreſſus templum, inde ſpolia auexit. Qui cùm diceret Iohanna, impiè eum facere, reſpondet præſes Perſicus, illum verò magis impiè feciſse, qui ibi fratrem occidiſset.

Poſtea Ochus & annuas penſiones templo eripuit, donatas à Cyro & Longimano, & indixit tributa populo Iudæorum.

dæorum. Occupata etiam præfectura (id enim ſignificat ἀποδασμὸς) multa oppida deleuit, & multas familias procul tranſtulit in Hircaniam ad mare Caſpium. Rurſus igitur eccleſiam exercuerunt magnæ calamitates vſque ad Alexandrum Magnum, qui veniens Ieroſolymam, vt poſtea dicetur, reſtituit Iudæis αὐτονομίαν, & pacem, & tributa remiſit.

RES MACEDONICÆ.

NON dubium eſt, nomen Macedo factum eſſe à Kittim, vt veteres dixerunt μακέτας. Fuit autem Kittim filius Iauan. Et libri ſacri affirmant, Alexandrum ortum eſſe ex Kittim. Ac ſæpè fit mentio huius vocabuli. Significat autem Kittim percuſſores. Cùm autem deinceps in hiſtoria mundi rerum Macedonicarum præcipua ſit commemoratio, vtile eſt iuniores ſcire, quantùm de origine regum Macedonicorum tradita eſt.

Vetuſtas affirmat reges Macedonicos ab Hercule ortos eſſe. Et hanc ſeriem tradidit Herodotus.

HERCVLES.

HYLLVS.

CLEODEVS.

ARISTOMACHVS.

TEMENVS.

PERDICCAS. Hic primus in Macedonia rex factus eſt.

ARGÆVS.

PHILIPPVS.

ÆROPVS.

ALCETAS.

AMYNTAS.

ALEXANDER, qui, cùm eſſet in caſtris Mardonij, indicauit Ariſtidi, præliaturum eſſe Mardonium.

PERDICCAS & ALCETAS fratres.

ARCHELAVS, natus ex patre Perdicca & ancilla Alcetę, nothus, interfecit auunculum Alcetam, & eius filium Alexandrũ, & germanum fratrem Perdiccę filium. Tenuit regnum annos 24. Geſſit bella cum Thracum populis. Tandem interfectus eſt ab adoleſcẽte nobili, quem per libidinẽ contumelia affecerat. Eſtque de eo verſus traditus:

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει.

Archelai filij fuerunt, ORESTES, ARCHELAVS & PAVSANIAS, & ordine regnum annos octo tenuerunt. His extinctis, rediit regnum ad legitimos hæredes, videlicet ad Amyntam filium Alcetæ, interfecti ab Archelao.

Amyntas, cùm regnaſſet annos ſex, reliquit filios tres, Alexandrvm, Perdiccam & Philippvm. Cúmque patri Amyntę ſucceſſiſset Alexander, natu maximus, interfectus eſt à Ptolemæo Alorite. Hunc non multò poſt interfecit Perdiccas, quem deinde in prælio ceperunt Illyrici. Poſt hũc tertius frater Philippus, qui tũc obſes aliquantiſper Thebis fuerat, celeriter in patriam rediens, fratri in regno ſucceſſit. Fuerat autem adoleſcens ductus Thebas à Pelopida, qui pacem fecerat inter Ptolemęum Aloriten, & fratrem Philippi Alexandrũ. Vixit autem Philippus Thebis apud patrem Epaminondæ, quem habuit exercitiorũm ſocium, & exemplum virtutis. De morte autem Philippi poſtea dicemus. Prius enim pertexenda eſt poſteritas.

Philippo nati ſunt ex Olympiade, Alexander Magnus, & Cleopatra: item ex matre Theſſala, Thessalonice, quæ nupſit Caſſandro, interfecta à filio Antipatri, quem deinde interfecit frater ipſius Alexander. Hunc poſtea Demetrius interfecit.

Ex Cleopatra, ſobrina Attali, natus eſt Philippo filius Philippvs, quem Olympias, vnà cum matre, æneo vaſi incluſum, & in ignem coniectum, interfecit.

Poſtea interfecit Caſſander Olympiadem, & Roxanem, coniugem Alexandri, & filium eius Alexandrum, & Barſenen, alteram coniugem Alexandri, & eius filium Hercvlem. Antigonus verò iuſſit interfici Cleopatram, germanam ſororem Alexandri Magni.

Tales pœnæ vagatę ſunt per Philippi & Alexandri poſteritatem, quia magna gloria à Deo ornati, facti ſunt inſolentes, voluerunt ſibi tribui diuinos honores. Alexander etiam crudelitatem in amicos exercuit. Cogitemus autem, hæc triſtia exempla in tantis viris, & nobiliſſimis familiis, propoſita eſſe, vt alios homines de modeſtia commonefaciant.

Nunc ad Philippi hiſtoriam redeamus, qui inter reges præcipuos recenſetur, quia conſilio & fortitudine excelluit & paruis copiis magnos exercitus vicit.

Laudatus eſt in oraculo, in quo duo deſcribuntur Philippi, quorum priorem ait fore victorem multarum gentium, & felicem regem: poſteriorem verò videlicet illum, qui cum Romanis bellum geſſit, regni euerſorem. Verſus extant in Achaicis Pauſaniæ.

In Macedûm populis clariſſima regna tenebunt
Argiua de ſtirpe, bonum damnúmque, Philippi.

Horum

Horum qui prior eſt, gentes, vrbéſque domabit,
Sed veteris regni perdet decus omne ſecundus,
A populis victus, quos mittent veſper & ortus.

Initio autem regni vicit Athenienſes, qui Argęo regnũ tradere conabantur. Deinde, facta pace cum Athenienſibus, vicit Pæonas & Bardyllim regẽ Illyriorum, trucidatis in prælio 9. millibus Illyriorum, ac victor recepit oppida, quæ regno Macedonico Illyrij ademerant. Deinde cepit Amphipolin, & Pydnam, & oppidum Crenidas, vbi venæ auri erant, quod auxit, & nominauit Philippos. Ex iis venis quotannis Philippus reditum habuit mille talenta, id eſt, ſexcenta millia coronatorum.

In ea vrbe poſtea eccleſiam Paulus collegit, ad quam extat epiſtola ſcripta ad Philippenſes. Fuit autem antea nomen vrbis Δάθος vnde prouerbiũ eſt, Δάθος ἀγαθῶν. Poſtea accerſitus Philippus in Theſſaliam cõtra tyrannos, ciuitatibus libertatem reſtituit, & eas ſibi fœderibus adiunxit.

Circa id tempus ortum eſt bellum ſacrum in Græcia, cuius ſæpè fit mentio, quia magnarum calamitatum cauſſa fuit, & præcipuè potentiam Macedonicam auxit. Inchoatum eſſe Pauſanias ſcribit, anno quarto Olympiadis centeſimæ quintæ, & durauit annos continuos decem. Interuallum eſt autem inter pugnam ad Mantineam & belli ſacri, ſeu Phocenſis initium, anni quindecim. Tanta erant odia inteſtina Græcorum, nata ex ſuperioribus bellis, vt diu quieſcere non potuerint, & attraxerint externa auxilia & ſeruitutem.

Occaſio autem belli ſacri hæc fuit: In iudicio Amphictyonico damnati erant Phocenſes, & Theſſalis & Thebanis petentibus, vt magnam mulctam penderent. Hanc mulctam cùm dare nollent, quia & agri eis ademti erant, Lacedæmoniis clam eos incitãtibus, qui & ipſi magnam mulctam debebant, Philomelus Phocenſis, collecto exercitu columnas Amphictyonum euertit, in quibus decreta mulctæ ſcripta erant, & agros conſecratos recipit, aurum & argentum aufert ex templo. Addit & alteram cauſſam: Phocenſes, veteri more, defenſores eſſe Delphici templi, id ius eripi ipſis à Thebanis, queritur. Vt igitur opem ferrent iudicio Amphictyonico, & templo, vicini Locri, Thebani & Theſſali bellũ Phocẽſibus infeřũt. Philomelus victor tribus magnis præliis, quarto victus, ſeſe de rupe pręcipitem deiecit. Hic primi ducis Phocẽſium exitus fuit.

Secundus dux fuit Onomarchus, qui cùm in ſomno vi-

diſset, ſibi in templo datum eſse coloſsum, vt altiorem faceret, ſperauit ſuam potentiam maiorem fore. Sed tandem poſt multa prælia ſuſpenſus eſt. Ita coloſsum auxit.

Suppeditabant autem Delphici theſauri pecuniam ad conducendos & alendos exercitus. Nam æſtimatio auri & argenti, quod initio huius belli in Delphico templo fuit, ſcribitur fuiſse decē millium talentorum, id eſt, ſexaginta tonnarum auri. Vicit igitur Onomarchus Bœotios & cepit vrbem Coroneam. Vicit & duobus pręliis Theſsalos, & cum his Philippum regem Macedonum, quem accerſiuerant Theſsali ad belli ſocietatem, & multos Macedonas trucidauit. Sed tertio prælio in Theſsalia Philippus vicit Onomarchum, trucidatis ſex millibus hoſtium, & captum Onomarchum affixit cruci.

Necato Onomarcho, dux Phocēſium factus eſt Phayllus, cui Lacedæmonij pedites mille, Athenienſes quinque millia, & quadringētos equites, & Theſsali hoſtes Philippi duo millia miſerunt. Sed tribus præliis victus Phayllus à Bœotiis, ipſe poſtea vrbem Arycam in Locris cepit, & direptam funditùs deleuit. Sed cùm phthiſi mortuus eſset, dux Phocenſium factus eſt Phallæcus Onomarchi filius, cui Mnaſeas, propter adoleſcentiam, dux additus eſt. Sed Bœotij Mnaſeam, non multò poſt incautum oppreſserunt, & interfecerunt.

Poſtea cùm Phocēſes tres munitas vrbes in Bœotia tenerent, Orchomenum, Coroneam & Corſias, ex quibus facilè erat populari vniuerſam Bœotiam, Thebani, nec pecunia, nec viribus ſoli diutiùs belli molem ſuſtinere potuerunt. Petunt igitur ab Ocho pecuniam, qui mittit eis trecenta talenta, id eſt, centum & octoginta millia coronatorum. Accerſerunt & Philippum regem Macedonicū Thebani, qui magnum exercitum Macedonum & Theſſalorum adduxit in loca vicina Bœotiæ, vbi Phocenſium dux Phallæcus erat cum exercitu. Sed cùm Phallæcus non auderet dimicare, petiuit à Philippo pacem, qui conceſſit ea conditione, vt relicta terra Phocēſi & Bœotia, tranſiret in Peloponneſum. Ita ſine prælio Philippus finem belli fecit, Phocenſes in ſeruitutem redacti ſunt, omnia oppida deſtructa ſunt, & multitudo in villas diſtributa eſt, & agri eis traditi ſunt: ſed ita, vt quotannis penderent ſexaginta talenta, id eſt, triginta & ſex millia coronatorum. Iudicium Amphictyonum reſtitutum eſt, & decretum, vt Philippus ibi, & ſucceſsores reges Macedonici, duo ſuffra-

gia

gia haberent. Phocenſibus ademptum eſt ius ſuffragij. Decretum eſt etiam, vt Philippus Græcorum dux nominaretur. Finito igitur bello, Philippus in Macedoniam rediit: parta non ſolùm victoriæ gloria, in cauſſa iuſta & ſpecioſa, quod templum & iudicium Amphictyonum defendiſſet, ſed etiam moderationis in victoria.

Phallæcus poſtea in Creta militans, in quadam oppugnatione fulmine ictus periit, & incenſis machinis multi eius milites igni perierunt. Pauſanias ſcribit, finem belli ſacri fuiſse anno primo Olympiadis centeſimæ octauæ, ac fuiſse eum annum belli decimum. Fuitque hic annus Ochi regis Perſarum decimus nonus.

ARSAMES NONVS REX Perſarum.

OCHI crudelitatem & pœnæ ipſius & regni interitus ſequuntur, iuxta regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ochus interfectus eſt à principe Bagoa, qui cùm regnum in ſe transferre non poſset, regem fecit Arſamen Ochi filium. Qui, cùm annos quatuor regnaſset, etiam ab hoc ipſo Bagoa interfectus eſt, metuente filium, propter necẽ paternam. Hic finis fuit familiæ Cyri, in cuius conſideratione, deploranda eſt miſeria humana, quod etiã talium poſteritas citò degenerat, in quibus fuit vera agnitio Dei, & excellẽs virtus. Fuerunt autem in regno Perſico reges Deũ rectè colẽtes: Darius Medus, Cyrus & Artaxerxes Longimanus. Hi laudantur in libris Danielis & Eſdrę.

Interfecto Arſame, Bagoas ad principem Armeniæ regnum tranſtulit, qui non fuit ex poſteritate Cyri, ac nomẽ ei tribuit Darij. Hic Darius vltimus ab Alexandro victus, & regnum & vitam amiſit, vt poſtea dicemus.

Nunc ad res Macedonicas redeamus. Cùm Philippus Macedo finem belli ſacri, ſeu Phocenſis feciſset, anno primo Olympiadis centeſimæ octauæ, & pace cum omnibus Græcis facta, rediiſset in Macedoniam, poſtea multas vrbes in Thracia occupauit. Expulit etiam ex Eubœa tyrannum Galliam, de quo dicit Æſchines, fuiſse eum mutabiliorem euripo maris, cui vicinus fuit. Cùm autem Athenienſes creſcentem eius potentiam metuerent, & eum irritarent: & viciſſim & ipſe debilitare potentiam ipſorum conaretur, tandem rediit in Græciam Olympiade decima. Sunt igitur anni inter belli ſacri finem, de quo diximus, & poſtremum aduentũ Philippi in Græciam, circiter nouem.

Fuítque occaſio poſtremi aduentus hæc, aliena à cauſis prioris belli, in qua tamen etiam prætextus religionis oſtenſus eſt; vt ſæpè homines prauis cupiditatibus religionem prætexunt, quia videri volunt, ſe iuſtis & magnis cauſſis ad bella mouēda cogi. Hanc iuſtitiæ ſimulationem grauiores pœnæ ſequuntur. Et Deus ſinit homines in tales furores ruere, vt idolomaniæ puniantur.

Fuit oppidum in Locris, Amphiſſa, quod campum duorum milliariū Germanicorum cōſecratum occupauerat, & tradiderat ſuis ciuibus, vt ibi villas extruerent, & colerent agros. Hunc campum cùm reſtitui templo Delphico Amctictyones iuſſiſſent, armis etiam euertere villas conarentur, concurſu Amphiſſenſium repreſſa eſt turba, quàm Amphictyones adduxerant. Defenderunt autem & Thebani Amphiſſam, quia Locri Thebanis amici erant. Fit igitur decretum Amphictyonum de accerſendo Philippo rege Macedonico, præſertim cùm iam & ipſe in conſilio Amphictyonum duo ſuffragia haberet. Ac Demoſthenes inquit, quoſdam pecunia corruptos, aſtutè perfeciſſe, vt illud decretum fieret, vt eo prætextu Philippus accerſitus, Græciam opprimeret. Ego odio Thebanæ potentiæ, decretum illud à pluribus factum eſſe exiſtimo.

Vocatus igitur Philippus, exercitum abduxit in Græciā menſe Februario. Ac primùm Amphiſſenſes punit. Erant vtrique in metu: Thebani, quia Amphiſſenſes defenderant: Athenienſes, propter Eubœam. Mittunt igitur legatos ad Philippum, ac petunt ne pacem, quæ in fœderibus antea vtrinque promiſſa erat, violet. Interea Philippus vrbem Phocenſem Plateam vi capit, & totam regionem Phocenſem occupat. Cùm autem iam & Græciæ partem occupaſſet, & cæteri in metu eſſent, ſuaſor fuit Demoſthenes, vt Athenienſes & Thebani ſe coniungerent ad Græciæ defenſionē. Et menſe Maio decretum factum eſt, vt Philippus armis reprimeretur, & facta eſt cum Thebanis ſocietas. Poſtea die ſeptimo menſis Iulij ad Cheroneā, vrbem Bœotiæ, pugnatum eſt, fuítque tanta virtus Græcorum, vt diu anceps prælium eſſet, ac multis vtrinque cadentibus, trepidauerit Philippus, donec adoleſcens Alexander equites à fronte ad latus duxit, & in medium exercitum Græcorum irrupit. Ibi inclinatio facta eſt. Interfecti ſunt autem ciues Athenienſes mille, & capta duo millia: multò plures verò Thebani & interfecti & capti ſunt. Ac præſidium Thebis impoſitum eſt. Erat autem inter ca-

captiuos

ptiuos Athenienſes, Demades orator, qui Athenienſibus pacem impetrauit, & obtinuit, vt captiui ſine precio redderentur.

Poſt victoriam Philippus, conuocatis Græcarum ciuitatum legatis Corinthum, ibi dux Græcorum contra Perſas nominatus eſt, & conſtituta pace Græciæ, in Macedoniam rediit, ac tranſlaturus bellum in Aſiam, miſit eò partem exercitus. Sed dum commoratur domi, & oſtentat regium ſplendorem, cum aliis ſpectaculis, tùm verò etiã ſacrificio, in quo ſuam ſtatuam inter Deorum ſtatuas collocauit, in ſpectaculo quodam à ſatellite Pauſania interfectus eſt, non diu poſtquam ad Cheroneam vicit Atheniẽſes & Thebanos, ſicut oraculum prædixerat, victorem breui poſt moriturum eſſe. Flet victus, ſed victor mortuus eſt: Κλαίει ὁ νικηθεὶς, καὶ ὁ νικήσας ἀπώλετο. Ita rex præſtantiſſimus cõſilio & fortitudine, adhuc ætate florens (tantùm enim vixit annos 46. vt in Arcadicis apud Pauſaniam narratur) interfectus eſt, cùm & inter Deos coli vellet, & obſcœnis voluptatibus ſe dederet, quæ delicta Deus horribilibus exemplis punit, etiam in hac vita. Deinde & per coniuges & filios vagatæ ſunt pœnæ, vt ſupra diximus.

ALEXANDER MAGNVS.

EXTINCTO Philippo, filius Alexander ex Olympiade, quæ nobilitate alias coniuges antecelluit, regno Macedoniæ potitus eſt. Ac prodeſt meminiſſe tempus initij regni Alexandri, quia multa inde tempora, poſt eum ſumuntur.

Olympiadis centeſimæ vndecimæ anno primo cœpit regnare Alexander, cuius temporis, propter certitudinem, ſæpè fit mentio. Fuit autem annus à condito mundo 3628. A reditu Nehemiæ ex Babylone in Iudæam anno 88. Cùm in Iudęa Pontifex eſſet Iaddus, cuius frater Manaſſes aliud templum, contra legem Dei, in monte Samariæ, qui nominatur Garizin, prope Sichẽ, cõdidit. Ita tunc nõ diu poſt reditum ex Babylone, ambitio & diſcordiæ pontificum in Iudæa turbabant & politiam & doctrinam, & legitimos cultus. Quod eò magis mirum eſt, quia hæc tempora Nehemias attigit, qui vixit circiter annos 130. Huius tanti viri authoritatem in ſenecta ſpreuerunt iuniores, cupidi dominationis.

Supra dictum eſt, reges Macedonicos ab Hercule ortos eſſe, paterna origine. Olympias verò, mater Alexandri, ex Æacidis eſt hac ſerie:

Æacus.

Peleus, vicit Centauros.

Achilles filius Pelei, dolo interfectus à Paride.

Pyrrhus interfectus eſt ab Oreſte, propter Hermionem, filiam Menelai.

Moloſſus rex Epiri, & Pielus, nati ex Andromacha, olim Hectoris coniuge.

A Pielo ſcribitur ortos eſſe ſequentes reges in Epiro, vt narrat Pauſanias in Atticis:

Turymbam.
Alcetam. Ex hoc.
Neoptolemus & Amyntas.

Olympias Neoptolemi filia, mater fuit Alexandri magni, & ſoror Alexandri Epirotæ, qui cùm in Italiam traieciſſet, vt Tarentinis opem ferret, contra Brutios, in Brutiis periit.

Arymbæ filius fuit Æacides, pater Pyrrhi, qui Pyrrhus poſtea cum Romanis bellum geſſit.

Natus eſt igitur Alexander magnus ex duabus familiis, in Græcia præſtantiſſimis, videlicet ex Hercule & Æaci poſteritate.

DARIVS VLTIMVS REX Perſarum.

REGNAVIT annos ſex. Cœpit enim regnare eodem anno, quo Philippus mortuus eſt; à Bagoa, qui Ochum & Arſamen veneno ſuſtulerat, accerſitus ad regnum, propter opinionem virtutis. Cùm enim Artaxerxes bellum geſſit cum Caduſiis, & quidam Caduſius prouocaret vnum ex Perſicis ducibus ad monomachiam, hic Darius Caduſium victor occidit. Quare Armeniæ gubernatio ei commendata eſt. Etſi autem vocauerat eum ad regnum Bagoas, tamen, vt ſemper in metu ſunt homicidæ, hunc quoque metuens, veneno tollere Darium conatus eſt. Sed re indicata, Darius Bagoam venenum, quod in conuiuio regi daturus erat, bibere coëgit. Ita Bagoas extinctus, tandem ſcelerum ſuorum pœnas dedit.

Cùm autẽ ſciret Darius, iã à Philippo miſſos eſse exercitus in Aſiam, mittit & ipſe exercitus, & claſſis ducem facit Memnonem Rhodium, cuius peritia fuit excellens, & in Græcia, mortuo Philippo, concitauit contra Alexandrum ciuitates. Demoſthenes etiam, vt fuit inquietus, belli ſuaſor fuit, cui aduerſatus eſt Demades, qui ait, ſe reprehendiſse Demoſthenis decretum, quod fuerit tantùm

ὀνόμασι

ὀνόματι καλὸν, & fuiſſet exitioſum reipublicæ, ſi Athenienſes obtemperaſſent. Inquit etiam Æſchines, à Demoſthene adeò ſpretum eſſe Alexandrum, vt nominarit eum μαργίτην.

Cùm igitur multi in Græcia, florentem Perſarum potētiam intuerentur, & confiderent auxiliis Perſicis, hortatores fuerūt defectionis à rege Macedonico. Thebani igitur præſidium Macedonicum ex arce deiecerunt, & decretum fecerunt, vt qui Grçciæ libertatem defenſuri eſſent, ſe cum ipſis coniungerent. Hæc noua belli cauſſa fuit Alexandro.

Poſt mortem Philippi, gentes bellicoſæ, vicinæ Macedoniæ, res nouas moliebantur, Illyrij & Triballi. Horum ſedatis tumultibus, Alexander, initio regni, Syrmum quoque regem Getarum, à quo Syrmium poſtea nominatum eſt, coëgit pacem petere. Ibi cùm cognouiſſet Thebanos bellum mouiſſe, celeriter in Græciam rediit, & cùm aliquot prælia circa Cadmeam, & in portis Thebanis facta eſſent, infuſi milites Alexandri intra portas, ceperunt Thebas, vbi magna cædes in ipſa vrbe facta eſt. Interfecta ſunt ſex millia hominum, capta & redacta in ſeruitutem triginta millia. Vrbs Thebana funditùs deleta eſt, quam tamen poſtea Caſſander reſtitui iuſſit. Et de exulibus, qui effugerant, decretum eſt, ne vſquam eis in Græcia hoſpitium præberetur. Sed Athenienſes memores veteris beneficij, cùm contra Lacedæmoniorum decretum, Thebani ipſis hoſpitium præbuerant, nunc receperunt exules, nec eos expulerunt. Hanc gratitudinem poſtea Alexander comprobauit.

Anni ſunt autem ab eo tempore, quo captæ ſunt Athenæ à Lyſandro, ſexaginta, nec ſunt plures. Tam exiguo tempore primùm Athenæ & imperium amiſerunt & captę ſunt. Poſtea Sparta, amiſſo imperio, duriſſimè afflicta eſt. Nec multò poſt vrbs Thebana funditùs deleta eſt. Fuitq; annus tertius, poſt luctuoſam pugnam ad Cheroneam. Ita cùm floruiſſet Græcia, ſapientia & virtute, poſtea, laxata diſciplina, cùm petulantia iuniorum & ambitione, bella nō neceſsaria moueret, magnorum ſcelerum pœnas dedit, ſicut & hoc tempore Turcicam tyrannidem attraxit idolorum cultu, libidinibus & odiis domeſticis.

Dignum verò memoria eſt factum Timocleæ matronæ Thebanæ, à qua cùm poſceret quidam ex Alexandri ductoribus, quicquid habebat auri & argenti, & illa corpori metueret, dixit ſe monſtraturam, quò abiecisſet. E-

duxit igitur militem ad puteum in hortum, & ait, ibi occultatum eſſe. Cúmque oculi militis ad puteum conuerſi eſſent, ipſa eum impellit, & in puteum præcipitat. Poſtea ad Alexandrum adducitur matrona, qui audiens eius narrationem, & nobilitatem familię, iuſſit eam, cum filiis & filiabus, liberam eſſe. Reges enim, vt aliarum virtutum, ita & pudicitiæ defenſores eſſe debent.

Poſt Thebarum excidium, ab Athenienſibus petiuit Alexander, vt dederent oratores, Demoſthenem & Lycurgum, qui bellum ſuaſerant. Et cenſuit Phocion, ſicut olim Erechthei filię factæ eſsēt victimæ pro patria, ita ipſi quoque ad hoſtem accederent, ac ſe interfici paterentur, vt patria tranquilla eſſet. Hic Demoſthenes recitauit apologum de lupis, qui paſtoribus pacem offerebant, ea conditione, ſi canes dederent. Sed cùm populus dubitaret, orator Demades ad Alexandrum profecturum ſe eſſe promiſit. Huic populus dat mandata, vt pacem petat. Item, vt petat, ne cogantur exules Thebanos expellere. Quæ omnia Demadis legatione impetrata ſunt. Hæc Alexandri moderatio in victoria excellens virtus fuit, & opus Dei, qui incenderat eum ſingulari impetu, ad faciendam imperij trāſlationem, & puniendam ſæuitiam & luxum Perſarum, ſicut Syracides inquit capit. 10. Propter iniuſtitiam regnum à gente in gentem transfertur.

Pace conſtituta in Græcia, cōmuni decreto nominatus eſt Alexāder dux Græcorum contra Perſas, & ſecundo anno duxit exercitū in Aſiam, vbi, quæ prælia facta ſint, quæ vrbes, quāto labore captæ ſint, quanta victoris magnitudo animi, iuſtitia & modeſtia initiò fuerit, diſcendum eſt ex integris hiſtoriis. Modeſtię teſtimonium ingens eſt, quod, cùm Darij coniugē, filios & filias cepiſſet, curauit, vt regio more alerentur, & nulla contumelia afficerentur. Quod Perſicus nuncius narrās Dario, his eum verbis ornat, Alexandrum & in pręliis acerrimum, & in victoria clementem eſſe, δεινὸν μαχέσθαι, χρηστὸν δ' ἐν κρατοῦντα.

Quarto anno, cùm Aſiā & Ciliciam, magno labore domuiſſet, Tyrum, poſt longam obſidionem, ſeptimo menſe cepit, vbi ſeptem millia hominum in oppugnatione interfecta ſunt, duo millia poſtea ſtrangulata ſunt, tredecim millia in ſeruitutem redacta ſunt. Hæc calamitas ab Eſaia prædicta eſt, qui capite viceſimo tertio inquit, Venturos eſſe euerſores Tyri ex terra Cittim.

Inde Alexander ad Iudæam acceſſit, cui iratus erat, quia Iudæi,

Iudæi, in obſidione Tyri, reſponderant, ſe memores magnorum beneficiorum, quæ à regibus Perſicis acceperant, nihil facturos eſſe contra eos. Cùm autem, Tyro capta, Alexander in Iudęam veniſſet, placaturus eum Iaddus ſummus Sacerdos, ornatus veſte ſacerdotali, cum cœtu ſacerdotum & ſeniorum, proceſſit ei obuiam, & pacem petiuit. Ibi Alexander de equo deſcendens, ſummum ſacerdotem reuerenter ſalutat, & pacem promittit. Duces admirantes interrogant, cur tanto honore hunc ſacerdotem exceperit? Quibus reſpondet, ſe in Macedonia, ante bellum, dormientem vidiſſe talem ſpeciem numinis, ornatam ſimili veſte, vocantem eum in Aſiam, & iubentē, vt bellum contra Perſas moueret, & dextram porrigentem, tanquam ductricem. Eius ſpeciei cùm viderit hunc ſacerdotem ſimilem eſſe, exiſtimare ſe hunc populum Deo curę eſſe: ſéque ab huius populi Deo adiutū eſſe, quare ei parcere, & benefacere decreuiſſe. Poſtea hoſpitaliter exceptus, tributa ab Ocho tyranno impoſita, remiſit; compeſcuit etiam vicinos in Samaria, qui aduerſus Iudæos tumultuabantur. Credibile eſt etiam narraſſe ſacerdotes Alexandro Danielis prędictionem, qui ante annos 200. vaticinatus fuerat, regem Græcum potiturum eſſe imperio Perſico. Et non dubium eſt, de hac tanta generis humani mutatione, ſapientes multa collocutos eſſe.

Narrat enim & Diodorus, Seleucū ſcripſiſſe, Chaldæos ſacerdotes prædixiſse ſibi Alexandri interitum, & partitionem regni inter quatuor duces. Hæc exiſtimo ex Daniele ſumpta fuiſſe.

Præcipuè verò in hac hiſtoria conſideretur exemplum, quod in tanta mutatione generis humani, Deus eccleſiam, cùm nulla habuit humana pręſidia, clementer texit, & fuit mediocris eccleſiæ tranquillitas ſub Macedonicis regibus, ferè vſque ad Antiochi Epiphanis tempora, vt poſtea dicemus.

DE ÆGYPTO.

REGNVM Ægyptium, vt ſupra dictum eſt, inter prima & pulcherrima regna generis humani fuit: & quanquam bella geſſit cum Chaldæis & Aſſyriis, tamen vſque ad Perſica tempora, annos circiter mille, ſemper retinuit proprios reges, & veterem regni formam. Cambyſes verò, & deinde Darius regno Ægyptio potiti ſunt. Poſtea, cùm ſub Dario Notho defeciſſet, difficili bello, rece-

pit eam Ochus, & magnam ibi crudelitatem exercuit. Fuit autem vltimi Darij tempore præfectus ibi Mazabes, qui cùm ſciret Ægyptios odiſſe Perſicum imperium, & quia ad arcendum Alexandrum imparatus eſſet, venienti ex Syria dedidit ſeſe & Ægyptum, ſine certamine. Ita vetuſtũ & opulentum regnum Alexander occupauit, & fortunam ſapienter moderatus eſt. Non mutauit veterem formam gubernationis, ſed, veteri more, monarchas fecit, & quidẽ Ægyptios. Nec vni ex ſuis commendauit vniuerſi regni gubernationem, ſed præſidia impoſuit diuerſis locis, & his ductores præfecit: pacis tuẽdæ cauſſa. Ac ſcribit Arrianus, additos eſſe duos inſpectores, quos nominauit Epiſcopos. Quæ omnia ſic conſtituta ſunt, ne ſi vnus eſſet ſummus gubernator, regem ſe faceret. Et dicit Arrianus, Romanos Alexandri conſilium poſtea, in Ægypti gubernatione, ſequutos eſſe. Ita vetus doctrina in eo regno conſeruata eſt, inde vſque à Ioſeph ad Mahometica tempora, annis plus duobus millibus. Scribitur & reditus Alexandro indicatos eſſe ſex millia talentorum, id eſt, ſex & triginta tonnas auri.

DE PRÆLIO AD ARBELA.

CONſtituto regno Ægypti ex vrbe Memphi, quæ nunc eſt Alcairum, rediit Alexander in Syriam, anno ſexto, poſtquam regnare cœperat. Cúmque Tyrum rediiſſet, multis rebus in Aſia ordinatis, celeriter duxit exercitum aduerſus Darium. Cúmque ad Arbela in Aſſyriam veniſſet, vicina fuerunt Alexandri & Darij caſtra. Ibi menſe Auguſto, vt Plutarchus recitat, eclipſis lunæ conſpecta eſt, cuius & alij ſcriptores mentionem fecerunt, qui & eodem menſe, die viceſimo ſexto, pugnatũ eſſe dicit. Quo in prælio profligatus eſt ingens Darij exercitus, interfectis nonaginta millibus hominum. Fuerunt in acie Darij, cum Scythis, Dai & Sacæ, vt aliarum gentium nomina omittam. Acies ita inſtructa fuit, vt Alexander in medio eſſet cum Theſſalis equitibus, Clitus teneret dextrum cornu, Parmenio ſiniſtrum. Vbi etſi multi interficiebantur à Scythicis & Bactrianis equitibus, tamen Alexander rectà ad Darium acceſſit, mediam aciem tenentem, quo pulſo, & fugato, poſtea opem tulit Parmenioni, vbi acerrima pugna fuit.

Darius pulſus fugit per loca ardua, & aſpera in Medos, ſed Alexander rectà acceſſit ad Babylonem, & Suſa, quæ vrbes vltrò deditionem fecerunt. Poſtea duxit partem e-

exercitus

xercitus in Medos, vt Darium proſequeretur, quem Beſsus præfectus Bactrianorum, cùm intelligeret Alexandrum prope eſse, interfecit.

Etſi autem Alexander, poſt necem Darij, mox in eum locum venit, vbi tanti regis corpus vidit iacere cruentum, & ſine honore, tamē non vidit viuentem Darium: ſed ipſe regio honore ſepeliri eum curauit. Beſſum verò interfectorem comprehenſum, iuſſit diſcerpi, alligatum duabus arboribus inflexis.

Hic fuit exitus regis Darij, qui etiam eſt inſigne exēplū inconſtantiæ rerum humanarum. Et quidem tota mutatio imperij, deletis tot vrbibus, & trucidatis tot exercitibus, plena eſt multorum horribilium exemplorum, quæ ſunt commonefactiones de iudicio Dei, qui non leuiter mutat imperia propter multa magna ſcelera hominum, vt ſæpè dictum eſt: Propter iniuſtitiam mutantur regna.

DE TERTIA MONARCHIA.

MORTVO igitur Dario, anno ſuæ ætatis quinquageſimo, cùm regnaſſet annos ſex, tranſlata eſt monarchia à Perſis ad Alexandrum, cùm Perſæ tenuiſſent eam annos ducentos & paulò amplius. Eſtque initium Græcæ monarchiæ annus Alexandri ſeptimus.

Extincto Dario, anni aliquot conſumpti ſunt in expeditione Indica, in qua primum peruenit ad Taxilem, qui regnum habuit non minus Ægypto, & vbertate agrorū eximium. Is Alexandri fortunæ cedens, ad eum vltrò acceſſit, inquiens, nil opus eſſe bello, malle ſe beneficiis certare. Si ſit potentior, ſe daturum eſſe munera Alexandro: ſi inferior, ſe gratum fore, ſi beneficia ab ipſo acceperit. Alexander aduerſus vltrò cedentem, nihil hoſtile faciendum eſſe cenſuit, dedit & accepit regia dona, & regnum eum tenere iuſſit.

Deinde cum Poro rege Indorum bellum geſtum eſt. Nā is dimicare cum Alexandri exercitu auſus erat. Sed cùm captus eſſet: interrogat eum Alexander, quomodo captum tractare conueniat? Reſpondit ille: βασιλικῶς. Cúmque interrogaret Alexander, an præterea aliquid peteret, reſpondit Porus, omnia ſe cōplexum eſſe, cùm dixerit βασιλικῶς. Oſtendit igitur Alexander, clementiam præcipuè regiam eſſe, nec vitam, nec regnum ei ademit, tantùm, pro rege, nominari ſatrapam iuſſit.

Hæc ſapienter & clementer facta, maximè decebant

regem ad quem ſcribens Ariſtoteles, hortatur eum, vt cogitet, regnum à Deo ipſi datum eſſe, ad benefaciendum generi humano: πρὸς εὐεργεσίαν, οὐ πρὸς ὕβριν. Hæc ab Ariſtotele grauiſſimè ſcripta ſunt. Conſtituuntur enim regna diuinitùs, vt leges, pacem & diſciplinam cuſtodiant, & bene ſit communi honeſtæ ſocietati hominum, Sicut Paulus inquit ad Romanos 13. Magiſtratus Dei miniſter eſt tibi ad bonum. Et Danielis præceptum eſt, ad regem Chaldæum: Libera te à peccato, iuſtitia & beneficiis erga pauperes, id eſt, iniuſtè oppreſſos.

Hunc finem certè intelligere & intueri principes debent. Nec ſint imperia ſimilia latrociniorum, quorum finis eſt, tantùm nocere aliis. Nec rectè reſpondit Alexandro pirata captus, qui interrogatus, cur in mari latrocinium exerceret, reſpondit: Cur, cùm tu exerceas in terra latrocinium, mihi non idem in mari liceat; Non enim erat latro Alexander, ſed rex, legitimum imperium tenens, & gerens bella iuſta, in quibus Deus in eum tranſtulit monarchiam, vt Perſarum tyrannis puniretur, & reſtituerentur in genere humano leges & diſciplina. Nec de bellis Alexandri plura addam.

Poſt victorias autem, in vita domeſtica, mores ipſius valdè mutati ſunt, vt in ipſo pręcipuè conſpici poſſit, quod dicit Herodotus, etiam optimum virum, in tanta potentia corrumpi. Et nota ſunt dicta:

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis, &c.

Mirum eſt autem, non ſolùm corpora hominum, & poſſeſſiones mutari, & deleri; ſed etiam ſapientiam, & virtutem in anima, quæ ſunt res infirmiores, languefieri. Vt, minus mirum eſt, corpus Iulij interfectum eſſe, quàm ſapientiam & virtutem excellentem in Hercule extinctam eſſe, qui furens interfecit filios. Agnoſcamus igitur in his horrendis exemplis, imbecillitatem generis humani, & ſciamus petendum eſſe à Deo, vt & corporis & animi bona nobis ſeruet, & cogitemus dictum Ieremię: Scio Domine, non eſt hominis via eius: & Danielis: Deus dat ſapientiam ſapientibus.

Triſtius eſt igitur in Alexandro, quod tanta virtus languefacta eſt, quàm quod corpus immatura morte periit. Ante captam Babylonem fuit modeſtus, temperans, in imperio iuſtus, non indulgens iræ, vt iniuſtam crudelitatem exerceret, ſapiens in præficiendis gubernationibus. Nihil igitur in illo imperio pulchrius erat ipſo rege, propter virtutem. Poſtea nihil eò turpius, & deformius fuit.

Nominari

Nominari ſe Deum, & coli diuinis honoribus voluit. Hoc tantùm ſcelus pœnę ſequutę ſunt, certamina in ebrietate, in quibus iratus interfecit Clitum, à quo ſeruatus fuerat in pugna ad Granicum, & alia multa turpiſſimè fecit. Adorari voluit. Et Calliſthenem philoſophum, natum ex conſobrina Ariſtotelis, qui eum adorare recuſauit, includi in caueam iuſſit, & circumduci ſpectandum, ac tandem interfici, verſum addens:

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. hoc eſt, Odi ſapientem, qui ſibi non ſapit. Et creuit furor adeò, vt interficeret ſenem ducem optimè meritum Parmenionem, qui præcipuus inter duces Philippi, & ipſius Alexandri fuerat. Talis eſt præcipuè aulica beneuolentia, & gratitudo. Quare dictum eſt.

Sęuum prælustri fulmen ab arce venit. Et Pindarus inquit: Παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί. Antiqua dormit gratia, & homines ſunt immemores.

Cùm autem Alexander ex India reuerſus, acceſſiſſet ad Babylonem, Chaldæi vates dixerunt, moriturum eſſe breui, poſtquam vrbem ingreſſus eſſet. Hoc vaticinio motus, aliquot dies extra vrbem commoratus eſt. Poſtea Anaxarcho Phyſico, Epicureo & Cyclopico homine, deridente hęc vaticinia, ingreditur vrbem, & ibi legationes omnium gentium audit, cognoſcit cõtrouerſias, conſtituit prouincias, & legatos regiis muneribus donat. Poſtea dedens ſeſe voluptatibus, certamina potantium tanta inſtituit, vt aliqui in conuiuiis ſubitò extinguerentur. Ipſe tantùm ad duos Choas proceſſit, id eſt, octo ſextarios.

Tunc, autem, inter aulicos colacas, familiariſſimus ei fuit Theſſalus quidã, nomine Medius, cuius hoc eſt dictũ: Audacter calumniare, ſemper aliquid hęret. Ab hoc Theſſalo vocatus ad conuiuium, cùm largius bibiſſet, ſubitò ſenſit magnum cruciatum inter ſcapulas, in eo loco, qui nominatur μετάφρενον. vbi orificium ventriculi alligatum eſt ſpinæ dorſi, ſicut vſitatum eſt in eo loco cruditates ſentiri. Inde & febris ſequuta eſt, in qua non abſtinuit à vino. Initium febris fuit menſe Dæſio, qui cum noſtro Iunio congruit, die 18. Cúmque ægrotaſſet dies vndecim, die viceſimo octauo menſis Dæſij mortuus eſt.

Sic Alexander, cùm in tot præliis inuictus fuiſſet, periit immodico vino, ſicut Daniel Macedonicum regem Pardali ſimilem facit, quæ non capitur, ab armatis venatoribus (ipſorum enim iacula ſua celeritate eludit) ſed ſopita

vino,& venere.

Eſt autem & huius regis interitus inſigne exemplum inconſtantiæ rerum humanarum, & monet,ne exultantes lætitia,laxemus fręnos iniuſtis cupiditatibus,& pœnas attrahamus, ſed petamus nos à Deo gubernari,cogitantes & accidere poſſe ſubitas conuerſiones, ſicut dicitur: Magna momento ruunt,& Deum vindicem eſſe ſcelerum.

Vixit annos triginta duos,& menſes octo. Regnauit annos duodecim,& menſes octo. Fuit hic menſis primus Olympiadis centeſimæ quartæ decimæ, ante Chriſtum natum annis trecentis viginti quatuor.

Iam ſine certo rege erat maxima pars generis humani, & accidit quod Demades dixit, Alexandri exercitum,ipſo mortuo, ſimilem eſſe Cyclopi effoſſo oculo, ac membra rectore carentia, ruitura in mutuam perniciem, ſicut, interfecto Iulio,Romæ accidit, & multa ſunt ſimilia exempla. Conſtantino mortuo,filij inter ſeſe dimicarunt. Nunc quoque, poſtquam Carolus gubernationem depoſuit, Germania,Belgicum, Italia ſunt velut Cyclopis corpus amiſſo oculo. Prædixerat & ipſe Alexander,ſe ducibus ſuis relicturum eſſe magnum ἀγῶνα ἐπιτάφιον.

DE SVCCESSORIBVS Alexandri.

SIcut Daniel,ex Græco rege,quatuor cornua oriri vidit, ita accidit. Lacerata eſt enim eius Monarchia in præcipua,& maxima regna quatuor. Etſi enim vt fit,alia parua regna,inter tantos tumultus,orta ſunt;tamen cultiſſimam partem generis humani,quatuor regna complexa ſunt. Ægyptus,Syria,minor Aſia,& Macedonia. Quanquam autem variæ vices & in his regnis fuerunt, tamen Ptolemęus, & eius poſteritas, Ægyptum retinuit,vſque ad Iulium Cæſarem: Seleucus, & eius poſteritas,Syriam. Antigonus initiò minorem Aſiam tenuit, Antipater, Macedoniam. Poſtea deleta Antipatri poſteritate,Macedoniam tenuerunt poſteri Antigoni,donec Romani eam occupauerunt,rege Perſeo capto.

Fuerunt autem inter hos ipſos duces Alexandri, ſtatim poſt eius mortem, ingentia bella,dum quilibet ſolus Monarchia ſe potiturum eſſe cogitat.

Prima deliberatio, poſt mortem Alexandri hæc fuit, vt frater Alexandri, Arideus, Rex eſſet,& vt expectaretur hæres ex Roxane,coniuge Alexandri. Et quia Perdiccę ſumma

ma

ma fuit autoritas, hic præcipuus totius imperij gubernator erat, quia in Arideo erat mentis error. Sperans igitur Perdiccas, ſe imperio potiturum eſſe, coniugium petiuit Cleopatræ, ſororis Alexandri, & Ptolemæo Ægyptum eripere conatus eſt. Id initium fœderum, & bellorum inter duces fuit. Ibi enim Ptolemæus, & Antipater primum fœdus inter ſeſe fecerunt. Cùm igitur Perdiccas exercitum in Ægyptum duxiſſet, & ad Memphin vſque acceſſiſſet, cùm infeliciter pugnaſſet, à ſuis equitibus interfectus eſt. Nam & antea in odio erat, propter crudelitatem, & Ptolemæus, propter iuſtitiam & beneficentiam diligebatur. Ita Perdiccas, qui primus inter duces bellum mouit, primus interfectus eſt. Adiunxerat ſibi Antipater Craterum, cui dedit filiam, nomine Philam, cuius fuit excellens virtus. Sic enim de ea ſcribit Diodorus: Hæc mulier virtute excelluit, ſeditiones in caſtris ſedauit, ſororibus & filiabus pauperum militum dotes dedit, falsò accuſatos homines liberauit periculis. Sæpè & conſiliis eius in gubernatione, pater vſus eſt.

BELLVM LAMIACVM.

ANtipater & Craterus Atticam ciuitatem, rurſus mouentem bellum aduerſus Macedonas, proximo anno poſt Alexandri mortem, coëgerunt ad faciendam deditionem, exercitu in viciniam adducto. Vt enim ſæpè antea, multitudo Attica, ſomnians veterem libertatem, & Græciæ principatum, tumultuata eſt: ita tunc, mortuo Alexandro, ſperans, repreſſis Macedonibus, rurſus ſeſe dominaturam eſſe Græciæ, Ætolos & partem Theſſalorum ſibi adiunxit, & Antipatrum ingreſſum in Theſſaliam vicit, & in vrbem Lamiam fugere coëgit, quam Leoſthenes dux Atticus obſidione cinxit: erántque initia belli, Athenienſibus fœlicia. Sed cùm dux Atticus Leoſthenes, ante vrbem, lapide ictus, in capite vulnus accepiſſet, & poſt paucos dies mortuus eſſet, fortuna mutata eſt: Antipater enim obſidione liberatus eſt. Cúmque breui poſt ad eum Craterus firmum exercitum adduxiſset ex Aſia, magno prælio vicit Athenienſes ad Cranonē, vrbem Theſſaliæ. Inde Antipater & Craterus exercitum in Bœotiam ducunt. Ibi multitudo Attica, quæ antea Demoſthenis, & aliorū inquietorum cōſilia probauerat, metuens obſidionem, pacem expetiuit. ¶

Mittuntur ergo Legati, Demades, Phocion & Xenocrates philoſophus, qui ſemper conſilia belli improbauerant. Hos cùm audiuiſſet Antipater, reſpondit, ſe non aliter

conceſſurum eſse, niſi ea conditione ſe dederẽt, quam Leoſthenes ad Lamiã ipſi tuliſset, vt ſuo arbitrio omnia permitterẽtur. Cogebat neceſſitas Atheniẽſes, quoquo modo pacem facere : permittebant igitur ei omnia, vt ſtatueret de eis quicquid vellet. Sed Antipatri moderatio, ſalutaris fuit vrbi. Præſidium Macedonicum in vrbe collocatum eſt, & conceſſum Athenienſibus, vt ſuis legibus vterentur, ſed ita vt nõ admitterentur ad magiſtratus tenuiores, qui cenſum non habebant. Et multis ciuibus turbulentis, volentibus migrare, Antipater agros in Thracia dedit. Pecuniam, ne ciuitas Antipatro penderet, impetrauit Phocion.

Nominatim etiam petiuit Antipater, dedi ſibi Demoſthenem & Hyperidem oratores, quorum alter Hyperides poſt fugam, in Ægina captus eſt, & cùm ad Antipatrum miſſus eſſet, lingua ei exciſa eſt, poſtea trucidatus eſt. Demoſthenes cùm in fuga ſeceſſiſſet in templum quoddam, Archias ab Antipatro miſſus, egredi eũ hortatur. Sed Demoſthenes incumbens in librum, tanquam ſcripturus aliquid, venenum ex calamo hauſit. Sic extinctus eſt Demoſthenes, anno poſt mortem Alexandri proximo. Nam pugna ad Cranonem facta eſt menſe Iulio, Athenæ deditæ ſunt menſe Auguſto, Demoſthenes die decimo ſexto Octobris mortuus eſt, cùm nõ multò ante, decreto ciuitatis, reuocatus eſſet ex exilio. Fuerat enim, non multò antè mortem Alexandri, condemnatus à ſenatu Areopagetico, quod pecuniam ab Harpalo acceperat, qui cùm fuiſſet cuſtos theſaurorum Alexandri, cum magnis furtis in Græciã fugerat, & Athenis hoſpitium petiuerat. Is dederat Demoſtheni poculũ, & viginti talẽta, id eſt, duodecim millia coronatorum. Sed cum, moto bello aduerſus Antipatrum, Grȩcas ciuitates paſſim hortaretur ad ſocietatem Atheniẽſium, publico decreto reuocatus eſt. Incidit vrbis deditio in annum 2. Olympiadis centeſimæ decimæ quartæ.

Prodeſt & hoc conſiderare, quod memorabile iudicium, in quo Æſchines accuſauit Demoſthenem, quod ſuaſor fuiſſet belli contra Philippum, dilatum eſt in annum decimum Alexandri; in quo iudicio, Demoſthenes illam luculentam orationem, quæ extat, cui titulus eſt, pro Cteſiphonte, dixit in magna frequentia hominum, qui ex tota Græcia Athenas venerant, vt huius certaminis auditores eſſent. Et videtur tempus Demoſtheni profuiſſe, quia Alexander procul in India aberat, & dolor iam non erat recens, & multi ſeniores, recordatione honeſti conſilij,

conſilij, qualiſcunque fuerit exitus, lætabantur, & rurſus ciuitas nouas ſpes conceperat.

Poſt mortem Demoſthenis, non diu ſuperſtes fuit Antipater, ad quem profectus Demades orator, cum filio, ibi à Caſſandro, qui ſucceſſit Antipatro, trucidatus eſt: quia deprehenſæ erant eius epiſtolæ, accerſentes Antigonum ad defenſionem Græciæ, pendentis tunc, vt ipſe ſcripſerat, à veteri & putri filo, videlicet ab Antipatro. Ita profectione ſponte ſuſcepta in Macedoniam, tanquam fato tractus eſt ad exitium, cùm aliquantò ante ſcripſiſſet decretum de pellendo Demoſthene.

Addita eſt autem crudelitas ſupplicio, quòd filius Demadis in complexu patris prius interfectus eſt. Poſtea necatus eſt pater. Hic fuit exitus ſummorum oratorum: quæ cogitantes, primùm communia pericula oratorum conſideremus, qui plerumque inter certamina publica, velut inter contrarios fluxus, opprimuntur. Tales enim ſunt vices in diſſenſionibus, vt alias aliæ factiones vincant, vt dicitur:

Ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα. Deinde & hoc deplorandum eſt, quòd excellentia ingenia plurima inutilibus contentionibus conſumuntur, vt multi ſummi viri fuerunt velut parricidæ patriæ: vt Pericles, Alcibiades, Demoſthenes, Demades, & alij multi. Talia exempla intuentes, expaueſcamus, & ardentiſſimis votis Deum oremus, vt faciat nos vaſa miſericordiæ, & organa ſalutaria eccleſiæ, patriæ, & nobis.

DE CASSANDRO.

POſt mortem Perdiccæ, Crateri, Antipatri, tunc verò noua & atrox laniena ſequuta eſt. Caſſander occupauit Macedoniam, & tenuit eam annis octodecim. Duxit vxorem Theſſalonicam, Philippi filiam. Cúmque Olympias, mater Alexandri, conaretur regnum paruis filiis Alexandri tradere, vrbem Pydnam, in qua erat Olympias, Caſſander obſidione cinxit tandiu, donec multi homines fame morerentur, & milites hominum cadaueribus paſcerentur. Coacta igitur fame, Olympias deditionem fecit; poſtea eam Caſſander occidi iuſſit: cúmque milites primi ad eam trucidandam miſſi, reuerentia eius deterriti, non feciſſent mandata, miſſi ſunt alij, qui eam trucidauerunt. Deinde coniuges & filias Alexandri veneno ſuſtulit: Roxanen, quæ peperit Alexandrum: & Barſenen, quæ peperit Herculem. Etſi autem initio Caſſander ſo-

cius fuit Antigoni, tamen, cùm in Aſia Lyciam peteret, Antigonus ei hoſtis factus eſt, & vt honeſta ſpecie bellum ei inferre poſſet, accuſauit eum apud exercitum, quod interfeciſset Olympiadem, coniuges & filias Alexandri. Expulſi ſunt igitur Caſſandri exercitus ex Aſia, & ipſe, non multò poſt, phthiriaſi mortuus eſt.

Hæſerunt & in poſteritate maiores pœnæ. Filius Antipater occidit matrem, Alexander alter filius occidit fratrem Antipatrum, & Demetrium filium Antigoni in Macedoniam accerſiuit. Hic Demetrius hunc Alexandrum interfecit. Hæc omnia cõgruunt ad regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hæc triſtia exempla in hiſtoria Caſſandri commonefaciant nos de ira Dei, & hortentur ad timorem, & inuocationem Dei. Hoc tantùm laude dignum fecit Caſſander, quod reditum Thebanis, & vrbis inſtaurationem conceſſit, quam Athenienſes, & alij Græci adiuuerunt. Id factum eſt anno viceſimo poſtquam Thebæ ab Alexandro deletę ſunt, videlicet anno octauo poſt mortem Alexandri.

DE ANTIGONO.

OCciſis Caſsandri filiis, poſteritas Antigoni retinuit Macedoniam, vt poſtea dicemus. Qua in re iudicium Dei conſideretur. Rediit enim regnum ad eos, qui ex regia ſtirpe fuerunt. Omnes enim ſcribunt, Antigonum, filium fuiſse Philippi nothum, ac, inter duces, antecelluiſse eum virtute, magnitudo rerum geſtarum oſtendit. Ipſe etiam in edictis patrem nominat Philippum.

Geſſit primum bellum aduerſus Eumenem, quem Perdiccas ſibi adiunxerat, cùm bellum Ptolemæo inferret, monarchiam ad ſeſe tranſlaturus. Cúmque Eumenes contra Antipatrum & Craterum duxiſset exercitus, & Craterus in prælio periiſset, quem Macedones valdè dilexerant, irati exercitus Macedonici, ducem faciunt Antigonum contra Eumenem. Ita coniunxerunt ſe contra Perdiccam & Eumenem; Antipater, Antigonus, & Ptolemæus. Hæc prima contraria fœdera facta ſunt. Et initium bellorum ortum eſt à cupiditate dominationis Perdiccæ, qui, vt ſupra diximus, cùm ad Ægyptum acceſſiſset, à ſuis equitibus interfectus eſt.

Poſt triennium, Eumene victo, ſecundum bellum geſſit Antigonus, aduerſus Caſsandrum, ac victor ſperare Monarchiam cœpit. Profectus igitur in Syriam, prouincias vicinas occupauit, & Seleucum perterrefecit, vt ad Ptolemæum

mçum in Ægyptum fugeret. Ita diſiuncti ſunt, Antigonus, & Ptolemæus, qui defenſionem Seleuci ſuſcepit. Hoc tertium bellum aſperrimum fuit, in quo variæ vices fuerunt. Sed cum ingenti pugna nauali, ad Cyprũ, viciſset Demetrius, Antigoni filius, Ptolemæi claſſem, captis ſedecim millibus militum, & demerſis nauibus ducẽtis; Antigonus ſeſe, & filium Demetrium reges nominauit, & diademate regio vti cœpit. Horum exemplum & Ptolemæus imitatus eſt, & deinde Seleucus, recuperatis ſuis prouinciis. Sic noua regna, ex Alexandri monarchia, orta ſunt, ſicut Daniel prædixerat. Pugna ad Cyprum facta eſt poſt mortem Alexandri, circiter annum ſedecimum, videlicet Olympiade centeſima & decima octaua. Ac breui poſt conuerſa eſt Antigoni fortuna, vt ſuperbiam pœnæ comitantur. Nam & Cleopatram ſororem Alexandri, recens interfici Antigonus iuſſerat, propterea quod eius coniugium cæteri reges petebant, Cúmque iam potentia ſumma eſſet Antigoni, coniunxerunt ſe, aduerſus eum, cum Ptolemæo & Seleuco, Caſſander, & Lyſimachus, quos tamen ita ſpreuit Antigonus, vt diceret, ſe diſſipaturum eſſe eos, tanquam agmen auium, quæ ſpermologi nominantur. Quanquam autem aliquot magnis prælііs Antigonus vicerat, tamen tandem in acie, multis vulneribus acceptis, extinctus eſt, cùm attigiſſet annum octogeſimum.

Hic fuit exitus Antigoni, qui inter ſucceſſores Alexandri, virtute excelluit, ac donec vixit, minorem Aſiam & vicinas regiones, vſque ad Syriam tenuit. Poſtea filius Demetrius, amiſſa Aſia, regnum Macedoniç, extincta Caſſandri poſteritate retinuit. Sed cùm recuperare Aſiam conaretur, & varia fortuna bellum gereret, aduerſus Seleucum generum, cui Stratonicen filiam ſuam, natam ex Phile Antipatri filia, vxorem dederat, tandem à Seleuco genero captus eſt, apud quẽ, captiuus, anno tertio mortuus eſt, cùm vixiſset annos quatuor & quinquaginta, tantam expertus fortunæ varietatem, vt de eo verſus Sophoclis pronuntiati ſint, de Lunæ incrementis, & decrementis.

POSTERI FVERVNT REGES Macedoniæ.

ANtigonus Secundus, natus ex Phile, Antipatri filia, laudatus propter iuſtitiam & moderationem, Grçciç pacem reſtituit. Quare à Græcis nominatus eſt Εὐεργέτης. Ex hoc Antigono Secundo natus eſt:

Demetrius Secundus, qui non diu regnauit.

Philippus: Hoc impubere, tutor regnauit patruelis, cognominatus Doſon. Poſtea Philippus, accepto paterno regno, fuit crudelis, & à Romanis victus, pacem petiuit. Filiũ Demetrium, falsò accuſatum à Perſeo fratre interfecit.

Succeſſit Perſeus, captus à Romanis.

Hæc exempla congruunt ad regulam, quæ dicit: Iuſtitiâ ſtabiliri thronum, & regna propter iniuſtitiam mutari. Hæc de Antigoni poſteritate breuiter annotauimus, vt regum ſeries poſt Alexandrum, vtcunque conſiderari poſſit. Daniel, cæteris omiſſis, de regibus Ægyptiis, & Syriacis multa vaticinatur, quorum ſeries recenſenda eſt, vt libri ſacri intelligantur.

REGES SYRIACI.

SEleucus, poſt mortem Demetrij, tenens Babylonem, Syriam & Aſiam minorem, bellum geſſit cum Lyſimacho, in quo tandem Lyſimachus, anno ætatis ſeptuageſimo quarto, interfectus eſt. Fuitque in Seleuco tanta regni cupiditas, vt extinctis tot regibus, monarchiam ſperaret, anno ætatis ſeptuageſimo ſeptimo. Bellum igitur gerens cum Ptolomæo Κεραυνῷ primi Ptolemæi filio, fratre Philadelphi, interfectus eſt 7. menſe poſt Lyſimachi mortem. Et hunc Ptolomæum Κέραυνον aliquantò poſt Galatæ interfecerunt, infuſi in Macedoniam & Græciam.

Recenſui exitus præcipuorum principum, poſt Alexandrum: Perdiccę, Crateri, Eumenis, Antigoni, filiorum Caſſandri, Demetrij, Lyſimachi, Seleuci, quibus omnibus cupiditas dominationis exitio fuit. Et pertinent exempla ad regulas, quæ iubent quemque intra metas vocationis manere, & prohibent mouere bella non neceſſaria, & oſtendunt, iniuſtam cupiditatem dominationis, non habere placidos exitus.

Poſtquam Antigonus, vt dixi, interfectus eſt, & Demetrius eius filius captiuus mortuus eſt, & trucidatus Lyſimachus, addita eſt ad regnum Seleuci, videlicet ad Syriam & ad Babyloniam, Aſiæ pars, à Tauro monte vſque ad Ioniam, vt antea tenuerat Antigonus. Ita deinceps Seleuci poſteritas antecelluit potentia cæteros reges. Ac tempus apud Polybium, in ſecundo libro annotatum eſt, vbi inquit: Olympias erat centeſima vigeſima quarta, qua mortui ſunt Ptolemæus Lagi filius, Lyſimachus, Seleucus & Ptolomæus Κέραυνος.

Poſt Seleucum, rex Syriæ, Babylonis, & Aſiæ à Tauro

monte

monte vſque ad Ioniam , ſecundus Antiochus Soter, regnauit annos nouemdecim.

Antiochus Theos,regnauit annos quindecim. Habuit ex Laodice duos filios, Seleucum Callinicum , & Antiochum,cui cognomen fuit Hierax.Poſtea Ptolemæus Philadelphus dedit Antiocho Theo filiam Berenicen. Mortuo autem marito , Laodice filium Seleucum hortata eſt ad regnum occupandum , & ad capiendam nouercam. Hanc cum obſidione coëgiſſet ad deditionem , interfecit eam cum paruo filio,contra datam fidem.

Ab hac hiſtoria contexit Daniel vaticinia de bellis inter reges Ægypti , & Syriacos,quia Iudæa interiecta inter hæc regna duriter vtrinque quaſſata eſt. Prædicit igitur Daniel calamitatem reginæ AEgypti in Syria. Hæc enim poſtea cauſſa fuit, & initium, non tantùm bellorum inter vicinos reges , ſed etiam defectionis Babyloniorum ad Parthicum regem Arſacen,& Bithyniæ ad Eumenem.

Cùm autẽ Euergetes,rex AEgyptius,frater eſſet Berenices , intulit bellum regi Syriaco Seleuco Callinico , & ei magnam regni partem ademit, & coronatus eſt in Syria, vt rex vtriuſque regni nominaretur. Sed Seleucus Callinicus , rurſus collecto exercitu in Aſia , quam frater Antiochus Hierax in diuiſione hæreditatis nactus erat,recuperauit Syriam. Poſtea, cùm Ptolemæus Euergetes ceſſiſſet ex Syria , & pacem cum Seleuco fecisset, intulit Seleuco bellum Hierax frater,& Galatas attraxit in Aſiam,quos Brennus in Græciam duxerat , quos fuiſſe multitudinem collectam ex Teutonum gente, & ex vicinia, quæ nunc Gallia nominatur,lingua oſtendit. Et conſtat,vno nomine vetuſtatem nuncupaſſe vtramque gentem , Galatas & Celtas,citra & vltra Rhenum,vſque ad Danubium. Et vocabulum γαλάτης· ſignificat peregrinatorem , vnde & noſtrum nomen eſt *VVallen.*

Vt autem antea multitudo Celtica in Italiam infuſa eſt, quæ Romam cepit,& incendit: ita noua multitudo poſtea, ex Pœonia in Macedoniam progreſſa eſt peditum centum quinquaginta millia, & equitum viginti millia,vt numerũ Pauſanias exprimit. Ibi,interfecto Ptolemæo Κεραυνῷ,tranſiit multitudo in Græciam. Fama rerum geſtarum,magnitudo corporum,& multitudo,terrorem incuſſerunt Grȩcis ſimilem,vt cùm Xerxes in Europam venit.

Nomen autem & huius ducis Celtarum, Brennus fuit, qui tamen non eſt Brennus , qui Romam cepit. Anni e-

nim à Romã capta, vſque ad hunc Brennum interfectum, ſunt centum & nouem; quia Roma capta eſt, anno vrbis trecenteſimo ſexageſimo quinto, qui fuit annus primus Olympiadis nonageſimæ octauæ, quæ antecedit Philippum Macedonem, annos viginti octo. Scribit autem Pauſanias, pulſos eſſe Gallos ex Græcia, & ex vulneribus mortuum Brennum, anno ſecundo Olympiadis centeſimæ viceſimæ quintæ. Erit igitur interuallum, anni centum & octo. Quare diuerſis temporibus, duos Brennos fuiſse neceſſe eſt. Et conſentaneum eſt, has bellicoſas gentes, cùm progredi in alias regiones cœpiſſent, non citò quieuiſſe, ſed ſubinde nouas expeditiones ſuſcepiſſe.

Horum Celtarum reliquias attraxit in Aſiam Hierax, vbi, cùm latè graſſarentur, pars interfecta eſt à Ptolemæo Euergete. Quare Apollo, apud Callimachum inquit, communem eſſe victoriam ſibi, & Ptolemęo, quia magna pars Celtarum periit ad templum Delphicum, cùm Græci præliantes iuuarentur fulminibus, ventis & pluuiis. Partem dicitur trucidaſse Ptolemæus ad Lacum Serbonidem. Verſus Callimachi hi ſunt:

Contra hoſtem fient communia prælia nobis,
Celtica cùm contra Græcos gens bella mouebit.
Titanum ſoboles, extremo cardine terrę
Effuſa, Heſperias & ſedes effera linquet.
Continuas, denſáſque niues, vt ſpargere bruma,
Flante, ſolet, Borea, venient ſic agmina denſa.
Non tamen hæc ſtolidis Galatis via fauſta futura eſt.

Auxiliis igitur exercitus Galatarũ adiutus Hierax, fratrem Seleucum vicit. Poſtea ſedes ad Halyn fluuium huic peregrinæ genti datæ ſunt. Deinde Ptolemæi auxilio rurſus vicit Seleucus, & fratrẽ regno expulit. Fugit ergo Hierax ad Ptolemæum in Ægyptum, à quo cùm clam diſceſſurus eſset, quia ei diffidebat, retractus ex fuga, à militibus Ptolemæi interfectus eſt. Circa id tempus in Syria Seleucus, de equo lapſus, mortuus eſt. Hic exitus fuit duorũ fratrũ, qui inter ſeſe iniuſtis, & infelicibus armis dimicarunt.

Interea poſteritas Seleuci amiſit Babylonem, & vicinas prouincias, quæ ad Arſacen Parthum defecerunt, quem ſcribunt iuſtitia, & erga ſubditos beneficentia, & conſilio ac fortitudine in bellis excelluiſse. Denique, poſt eum Arſacidæ in illa parte orientis regnarunt, ex quibus natus fuit is qui interfecit M. Craſsum, & eius exercitum deleuit.

Alibi etiam Seleuco adempta eſt Bithynia, in qua regna-

re

re cœpit Attalus, cuius vetuſta fuit nobilitas, & præcipuè laudata eſt excellens eius iuſtitia. Ac oraculum ſignificauit ei, quàm diu poſteri eius regnaturi eſſent: Αὐτὸς καὶ παῖδες, καὶ παίδων ἐκ ἔτι παῖδες. Qui verſus memoria dignus eſt, quia in multis familiis hoc accidit, vt tertius aut quartus hæres fuerit vltimus. Vt Conſtantius, Conſtantinus & filij. Poſtea alieni ſucceſſerunt. Sic de primo Othone dici poſſet: Αὐτὸς καὶ παῖδες, καὶ παίδων ἐκ ἔτι παῖδες.

QVINTVS REX SYRIÆ, Antiochus Magnus.

ANtiochus Magnus intulit bellum Ptolemęo Philopatori, & victus pacem petiit. Sed cùm aliquantò poſt mortuo Ptolemæo Philopatore, rurſus ſperaret Ægyptium regnum, contra fœdera, bellum Ptolemæo Epiphani adoleſcenti intulit. Sed Romani, quibus eum commendauerat pater, iuſſerunt Antiochum abſtinere ab Ægypto. Ideò Antiochus, cùm & magnam Græciæ partem ſibi adiunxiſſet, ingens bellum aduerſus Romanos mouit, propter quod & Annibal ad eum profectus eſt. Sed tandem Romani cùm viciſſent eum multis magnis præliis, coëgerũt eum pacem petere, & ademerunt ei florentiſſimam regni partem, ab Ionia vſque ad Taurum montem. Poſtea hic Antiochus, cùm in Syria ſpoliaret templum Beli, interfectus eſt à multitudine, quæ caſu ad defenſionem templi concurrerat.

Hic fuit exitus tãti regis, qui rurſus cum Aſia, Gręciam coniũxiſſe videbatur, & ſperabat, ſe Romanam potentiam euerſurum eſſe: ſed initia belli fuerant iniuſta. Talis igitur fuit exitus, iuxta verſum:

Κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν.

Mediocris autem pax in Iudæa fuit ab Alexandri Magni initio, vſque ad hunc Antiochum Magnum, annos amplius centum. Et poſt Alexandrum Iudæi magis adiunxerunt ſe regibus Ægyptiis. Sed cùm interiecti eſſent inter Ægyptum & Syriam, duriter vtrinque quaſſati ſunt, ac ſæpè experti ſunt, verum eſſe quod dicitur: πῆμα κακὸς γείτων. Moto autem bello inter Antiochum Magnum, & Ptolemæum Epiphanem, dux Ægyptius Scopas, occupauit Samariam, & aliquot Iudææ vrbes, & Iudæos valdè adflixit. Poſtea cùm Antiochus Magnus Scopæ exercitum deleuiſſet ad Iordanem, eaſdem vrbes ſibi parere coëgit, & ad Ieroſolymam cum exercitu acceſſit. Sed Iudæi eum,

data pecunia,placarunt, & honorificè in vrbem admiſerunt, ac cum eo fœdus fecerunt. Ita rurſus aliquantiſper Iudæa tranquilla fuit, donec Pontificum furiæ maximas calamitates attraxerunt.

Antiocho Magno tres filij feruntur.
Seleucus Philopator,
Antiochus Epiphanes,
Demetrius.

Seleucus,poſt patrem, nõ diu regnauit.Alij duo fratres Romæ obſides erant.Huius Seleuci tẽpore,cum Heliodorus templum Ieroſolymæ ſpoliaturus eſſet, diuinitùs repreſſus eſt, vt narrat ſecundus liber Maccabęorum.

Cùm autem Antiochus Epiphanes, audiuiſſet patrem mortuum eſſe,clam ex vrbe Roma fugiẽs,regnũ Syrię occupauit, filio Seleuci pulſo.Huius Antiochi hiſtoriam neceſſe eſt conſiderare,& propter Danielẽ,& propter exempla calamitatum, & mirabilium liberationum eccleſiæ.

Narrat autem Polybius, tantam fuiſſe petulantiam in hoc Antiocho,vt pro Epiphane dictus ſit Ἐπιμανὴς,id eſt,furioſus.Interdum in conuiuia geſtatus eſt velut funus,& cũ ſcurris & mimis certauit.Talis fuit,qui Deo bellum intulit,& delere eccleſiã conatus eſt. Regnare cœpit,poſt mortem Alexandri,anno centeſimo & trigeſimo ſeptimo. Et cùm aſtutus eſſet, ac noſſet Romanorum potentiam,nihil contra Romanos mouit,ſed prætextu tutelæ adoleſcentis regis Ægyptij, exercitum in Ægyptum duxit.

Nupta fuerat Ptolemæo Epiphani Cleopatra,ſoror Antiochi Epiphanis.Ex hac natus fuit Ptolemæus Philometor,cuius ætas,cùm,mortuo patre, nondum matura eſſet gubernationi, ſimulat Antiochus, ſe,quia auunculus erat, tutorem fore adoleſcentis, & ſperat hoc prætextu ſe potiturum eſſe regno Ægypti.Cúmque veniſſet in Ægyptum, præſidia in Memphi, & in aliis quibuſdam vrbibus, tanquam tutor collocat.

Erat tunc ſummus ſacerdos Onias,vir ſanctus,qui,propter legationem,aberat. Quare eius frater Iaſon paciſcitur cum Antiocho,redeũte ex Ægypto,& promiſſa ingenti pecunia,petit ſibi tradi ſummum ſacerdotium. Excipit ergo in vrbe Ieroſolyma Antiochum, qui ingreſſus templum,multos homines interfecit, & ſpoliato templo,ſummum ſacerdotium Iaſoni tradidit.

Hic primus aduentus Antiochi Epiphanis in vrbem Ieroſolymam, qui incidit in annum ſextum regni Antiochi

chi

chi, etiamſi multum habuit ſcelerum, tamen ſecundus aduentus, poſt biennium, longè vicit crudelitate, & omnibus ſceleribus, & calamitatum diuturnitate.

Iaſon inuiſus populo, deinde expulſus, in Arabia exul periit. Succeſſit Menelaus, qui Oniam abſentem interfici curauit. Hũc Menelaum, cùm adiuuiſſet crudelitatem Antiochi, poſtea filius Antiochi interfecit.

Tales cùm fuerint ſummi ſacerdotes, parricidę, & ethnicorum ſocij, in cogendo populo ad cultum idolorum, non dubium eſt, in vulgo multos fuiſſe ſimiles ipſorum, vt dici ſolet.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Itaque cùm latè vagarentur contagia impietatis & crudelitatis in populo Dei, ſequutæ ſunt triſtiſſimæ pœnæ.

Poſt biennium, cùm Antiochus in Ægyptum rediturus eſſet, adeſt ibi legatus ſenatus Romani, Popilius, & pręcipit nomine ſenatus, vt ab Ægypto abſtineat, & ex Ægypto pręſidia abducat, quia ſenatus pupillum defenſurus ſit. Antiochus, vt eluderet Romana mãdata, tergiuerſatur, & ambiguè reſpondet. Ibi legatus baculo in puluere circulum pingit, circa Antiochum, & iubet eum planè reſpondere, priuſquam ex eo circulo egrediatur. Id niſi faciat, populum Romanum ei bellũ indicere. Antiochus metuens Romanos, promittit ſe imperata facturum eſſe. Rediẽs igitur Ieroſolymam, anno regni ſui octauo, iratus, fremens & egens, longè maiorem crudelitatem exercere incipit, quàm antea. Proponit edictum, vt relicta lege Moiſis, adorẽt omnes idolum Iouis Olympij, quod ipſe in templum Ieroſolymæ collocauit. Libros Moiſis & prophetarum vndique conquiſitos, igni conſumit. Munit idolum præſidiis ſceleratiſſimorum militum. Iubet Bacchanalia celebrari in vrbe Ieroſolyma. Interficit horrendis ſuppliciis multos ſenes, matronas, virgines nolẽtes deficere à lege Moiſis. Fuítque tanta calamitas huius populi, quanta nulla fuit antea, vt & verba Danielis prædicunt.

Cùm autem multa iudicent homines ex rebus ſecundis, & aduerſis, multos hæc triſtia ſpectacula mouerunt, vt à Deo deficerent, exiſtimantes nihilo magis hunc populum eſſe eccleſiam Dei, quàm alias gentes. Vt igitur pij confirmarentur, & ſcirent hanc pœnam breuem fore, ac ſequuturos lætos exitus, & Deum rurſus eiecturum eſſe idolum ex templo, prædixit Deus hanc calamitatem, & exitum, ſcripto Danielis, & quidem dierum numerum

expreſſit. Ait hunc tyrannum vaſtaturum eſſe Iudæam, & prophanaturum templum duobus millibus dierum & trecentis, id eſt, ſex annis & ſex menſibus. Súntque tot anni à tertio anno Antiochi ,r vſque ad octauum Antiochi, quo anno Maccabæus templum recuperauit. Hiſtoria perſpicuè recitatur in libris Maccabæorum, & annorum numerus congruit ad prædictionem Danielis. Ideò nunc præter hiſtoriam nihil addo.

Conſentaneum eſt autem, quod vetuſtas ſenſit, Antiochum eſſe typum Antichriſti & quidem regni Pōtificij. Alij accommodant ad regnum Mahometicum, de quo iam non diſputo, ſed relinquo iſtas accommodationes iudiciis eruditorum. Et ſigna cū Pontificio regno congruunt: idolum Maozim, prohibitio coniugij, aurea & argentea idola & ornamenta, quibus Pontificij colunt, & includunt Deū, ſicut ipſi loquuntur. Ac nomen Maozim ſonat, vt Maza, & vt Miſſa, vt in Miſſa pontificia, & circumgeſtatione adoratur panis. Et hic cultus horribili ſæuitia defenditur. Si quis igitur typum accommodare volet, prudenter conſideret verba Danielis.

☞ Anno poſt mortem Alexandri, centeſimo, quadrageſimo octauo, recuperauit templum Iudas Maccabæus menſe Kiſleu, qui ad menſem Nouembrem congruit, quod & nomen indicat. Eſt enim Kiſleu, nuncupatus ab Orione, quem Ebræi nominant Keſil. Fuit is annus trecenteſimus quadrageſimus octauus, poſt reditum ex Babylone. Fuit & centeſimus quinquageſimus ſecundus ante natum Chriſtū ex virgine. Quare recens memoria fuit huius calamitatis, cùm Chriſtus naſceretur. Cúmque recuperatio libertatis, tempore Maccabęorum, felix fuiſſet, multi inquieti homines, exemplo Maccabæorum, ex Iudæa Romanos eiiciendos eſſe diſputauerunt. Sed ſancti intellexerunt & cauſſas fuiſſe diſſimiles, & temporum aliam fuiſſe rationem. Nam Romani concedebant Iudæis αὐτονομίαν in cultibus, & mox finis erat futurus politiæ Moſaicæ. Antiochus autem non cōceſſerat αὐτονομίαν in cultibus, & adhuc multum temporis ad finem politiæ Moſaicæ tunc reſtabat.

Vt autem tota defenſio eccleſiæ tunc plena fuit mirabilium operum Dei, & teſtimoniorum præſentiæ Dei in his, qui non defecerant à lege Moiſis: ita tandem interitus tyranni, oſtendit eū diuinitùs repreſſum eſſe. Cùm audiret Antiochus, profligatos eſſe exercitus ſuos à Iudæis, & idolum ex templo eiectū eſse, iratus, nouam expeditio-

nem

nem ſuſcepit. In hoc apparatu excuſsus ex curru, magnis cruciatibus mortuus eſt, cùm regnaſset annos duodecim.

Poſt ipſum, vagatæ ſunt pœnæ ſcelerum ipſius, & per eius poſteros, & per totum regnum Syriacum. Filius Eupator, cùm duos annos tenuiſset regnum, interfectus eſt à Demetrio patruo, qui reuerſus ex vrbe Roma, Syriam occupauit. Hunc Demetrium interfecit Alexander, qui ſe filium Antiochi Epiphanis nominauit, & habuit vicinorum regum auxilia. Ptolemæus Philómetor etiam filiam Alexandro dedit, ſed poſtea & filiam & regnum ei eripuit, & tradidit Demetrio Nicanori. Alexander, acie victus, fugit in Arabiam, vbi interfectus eſt, & caput eius Ptolemæo miſſum eſt.

Demetrius, frater Antiochi Epiphanis, duos habuit filios, Demetrium Nicanorē, & Antiochum Sedeten. Expulit regno Demetrium, frater Antiochus Sedetes, adiutus à duce Tryphone, qui poſtea dominum interfecit, videlicet Antiochum Sedeten. Hic Tryphon poſt, cùm triennio regnaſſet, rurſus expulſus, à ſuis interfectus eſt. Ita continua fuerunt bella inteſtina, & parricidia in familia regum Syriæ.

Narrationes in hac hiſtoria, propter rerum cōfuſiones, ſunt obſcuriores. Ideò breuiſſimè excerpimus præcipua, vt in ruinis regnorum, & cauſſas & iudicium Dei conſideremus, & precemur Deū, vt nunc quoque ruentibus regnis, pœnas leniat, & ſeruet eccleſiæ reliquias.

Demetrij Nicanoris filius fuit Antiochus Gryphus. Antiochi autem Sedetis filius fuit Antiochus Cyzicenus. Hi duo inter ſe bellū geſſerunt de regno Syriæ, & vterque interfectus eſt, Gryphus ab Herodiano, Cyzicenus à Seleuco Gryphi filio. Horum etiam filij inter ſeſe dimicarunt, quorum tempore accerſitus Tigranes rex Armeniæ, Syria potitus eſt. Huic poſtea eam Lucullus ademit, ac deinde Pōpeius Syriam fecit Romanam prouinciam. Hic finis fuit regni Syriaci, poſtquam Romana Monarchia, deletis tyrannis in Aſia, vtcunque pacem reſtituit. Tunc quoque Pompeius ex vicina Syria ab Hircano accerſitus, reſtituit pacem Iudææ, vt poſtea dicetur.

REGES ÆGYPTI, POST Alexandrum.

PTOLEMÆVS filius Lagi, qui, inter Alexandri duces, iuſtitia & liberalitate excelluit, retinuit Ægyptum, cùm ei bellum inferret Perdiccas, vt ſupra dictum eſt.

II. Ptolomæus Philadelphus, quo regnante pax in Ægypto fuit. Cúmque antea in Ægypto doctrinarum poſſeſſio tantùm penes ſacerdotes eſſet, & lingua ac literis Ægyptiis contineretur, huius regis conſilio, doctrinæ in Græcam linguam trãſlatæ ſunt, & inſtituta ſunt ſtudia Alexandriæ, vbi deinceps communia fuerunt, omnibus diſcere volentibus, & rex vndique doctos viros accerſiuit. Bibliothecam inſtruxit copioſiſſimam, & inquiſiuit apud multas gentes vetera monumenta. Quare Callimachus librum ſcripſit de gentium originibus & migrationibus, & veterum vrbium conditoribus & legibus, quo libro amiſſo, multæ veteres hiſtoriæ interciderunt.

Quia verò intellexit Ptolomæus, habere Iudæos vetuſtam pattrum ſeriem, & vidit legem Iudæorum maximè congruere rationi, de vnitate Dei, & de honeſtis moribus, curauit & Iudæorum libros in Græcã linguam transfundi. Quare ad Eleaſarum ſummum ſacerdotem, & vaſa quæ olim Iudæis adempta erant, & alia ſplendida dona miſit, & ad ſe mitti interpretes petiuit. Miſſi ſunt igitur duo & ſeptuaginta viri, qui Moiſen, & cæterorum Prophetarum libros, & haud dubiè multa alia monumenta in Græcã linguam tranſtulerunt. Ita libri Prophetici multis gentibus facti ſunt notiores, & propagata latiùs vera de Deo doctrina. Et cognitis monumentis Iudæorum, rex Ptolomęus tanti iſtam fecit gentem; vt libertatem captiuis Iudæis in Ægypto donauerit.

Etſi autem multi diſputant de Græca interpretatione, quæ hodie extat, qui fuerint authores, & qualis ſit: tamen, cùm Paulus verba inde citet, apparet eam etiam ante Apoſtolorum tempora vſitatam fuiſſe. Et corpus narrationum non malè redditum eſt, etiamſi alicubi occurrunt aliqua errata. Eſſet & magis perſpicua lectio, ſi diligentiùs diſtincta eſſet. Summa tamẽ operis, eſt vtile teſtimonium de ſignificatione Ebræi ſermonis.

Huius igitur Regis Ptolemęi Philadelphi labore, & munificentia, generi humano reſtituta ſunt, & latè propagata doctrinarum ſtudia. Ac ſcribitur, motum eſſe conſiliis doctiſſimorũ hominum, Ariſtæ, Stratonis, & Demetrij Phalerenſis, qui apud eum exul fuit, pulſus Athenis. Fuerunt apud eum & alij docti viri, Callimachus, Apollonius, Aratus, Biõ, Theocritus, Conon & Hipparchus mathematici.

III. Regis Philadelphi filius fuit Ptolemæus Euergetes. Intulit bellum regibus Syriacis, propter interfectam

Berenicen,

Berenicen,quæ fuit ſoror Euergetæ, vt prędixit Daniel. Et ſupra narrata ſunt parricidia, quæ fecerunt Seleucus Καλλίνικος & Antiochus Ἱέραξ.Cúmque Antiochus Ἱέραξ,pulſus à Seleuco,fugiſſet ad Euergeten,ibi interfectus eſt.

Studia doctrinarum inſtituta Philadelphi tempore,maximè floruerunt Alexandriæ,regnante Euergete,qui & erga Iudæos beneficus fuit. Eius tempore collegit in Ægypto,Ieſus filius Syrach,ſententias,quæ adhuc extant,quas inquit ab auo ſuo ſcriptas,ſed à ſeſe auctas, & in Græcum ſermonem tranſlatas eſſe, quarum lectio,cùm ſit & vtiliſſima & dulciſſima,liber ille familiariſſimè notus ſit omnibus. Et ſciant iuniores, quod diſcrimen ſit inter gnomas eccleſiæ,& ethnicas.Nam ethnicę,vt Theognidis,tantùm ſunt præcepta, aut admonitiones pertinentes ad ſecundam tabulam Decalogi: ſed in eccleſia tradita ſunt præcepta, & admonitiones de vtraque tabula Decalogi , de fide,& de bonis operibus,vt Syracides inquit capite triceſimo ſecundo:In omni bono opere credas in anima tua.Hoc eſt enim ſeruare mandata,Qui credit in Domino,mandata eius curat,& confidens in illo,non peribit. Et in prouerbiis Salomonis multa dicta ſunt de Filio Dei, de verbo,de fide,de veris cultibus, valdè perſpicua.

IV. Ptolemæus Philopator vicit Antiochum magnum, afflixit Iudæos. Deinde Eurydice coniuge & ſorore interfecta,libidinibus,& cædibus contaminatus,veneno periit.

V. Ptolemæus Epiphanes ſucceſſit,cui Antiochus Magnus bellum intulit,ſed poſtea dedit ei filiam Cleopatram vxorem.

VI. Ptolemæus Philometor defenſus à Romanis, cùm ei Antiochus Epiphanes auunculus regnum erepturus eſſet.

VII. Ptolemæus Euergetes reſtituit in regnum Syriæ, Demetrium Nicanorem.

VIII. Ptolemæus Phiſcon , dictus à farcimine, propter tumidũ vẽtrem,duxit ſororem,eam interfecit,& filium ex ea natum,inter epulas ei offerri iuſſit. Regno expulſus eſt.

IX. Ptolemæus Alexander, frater Phiſconis , regnauit, pulſo fratre.Poſtea & ipſe expulſus eſt.

X. Ptolemæus Lathurus , id eſt, clam reuerſus, nominatur à Plutarcho Lamyrus,id eſt,dicax. Exulauit in Cypro. Poſtea rediens,triginta millia Iudæorum trucidauit, & coegit captiuos veſci interfectorum cadaueribus. Harũ horribilium calamitatum ſpectatores fuerunt multi ſancti homines,qui tũc vixerunt, Simeon, Zacharias,& multi a-

lij;quo tempore ſimul, in Iudæa,fratres inter ſe parricidiis certabant,Ariſtobulus,Antigonus,& Alexander Iannæus.

XI. Ptolemæus Auletes, pater Cleopatræ Antonij, exulans Romæ. Deinde reductus in regnum,per Gabinium.

XII. Ptolemæus Dionyſius, frater Cleopatræ,qui Pompeium interfecit, & poſtea,Iulium Cæſarem hoſpitio exceptum,opprimere conatus eſt.Sed cùm Iulius Cæſar,magnis præliis viciſſet exercitum regium, rex in ſcapha effugere conatus, inter colliſas naues,in tumultu fugientium, euerſa cymba, in mari periit. Poſtea dedit Iulius regnum Cleopatræ;quæ,poſt mortem fratris, vſque ad annum Octauij Auguſti duodecimum, regnauit, quo anno victi Antonius & Cleopatra,ſibi mortem conſciuerunt. Hic finis fuit regni, & poſteritatis Ptolemæorum in Ægypto. Poſtea, vt dicemus, Ægyptus facta eſt prouincia Romana ab Auguſto.

DVCES IVDÆORVM POST reditum ex Babylone.

ECclesiam, in exilio Babylonico, mirandis operibus diuinis,& ſeruatam,& ornatam eſſe ingenti gloria,inter magna pericula, dictum eſt ſupra in monarchia Perſica.Fuitque poſt reditum ex Babylone,mediocris tranquillitas Iudææ, vſque ad Ochi tempora. Nam & Nehemiæ longa ætas fuit, videlicet annorum centum & triginta, qui,ſi attigit tempora Ochi,vidit nouam populi calamitatem in vltima ſenecta.Teneantur autem nomina ducum, poſt Ieconiam. Etſi enim poſteri Dauid,vſque ad Maccabæos, fuerunt principes populi, tamen non nominarunt ſe reges, vt exiſtimo, propter reuerentiam Perſicorum regum,ne viderentur velle pares eſſe monarchis, præſertim, cùm ab eis ingentia beneficia accepiſſent.Süntque appellationes ducum in Luca.

Ieconias,id eſt, erectus, ſtabilitus, in exilio honoratus. Nominatur apud Lucam Neri,id eſt,Lucerna mea.

Huius filius fuit Sealthiel, id eſt,poſtulatus à Deo.Fuit autem in reditu dux primus,filius Sealthiel.

Zerobabel dux præfuit annos quinquaginta octo. Etymologia eſt: Alienigena Babylonis. Huius mentio fit in Haggæo,& Zacharia.

Reſa Meſullam,ſecundus dux,ſexaginta ſex annos. Etymologia eſt:Caput pacificum. Huius tempore veniebant Ieroſolymam Eſdras,& Nehemias.

Iohanna Ben Reſa,tertius dux, quinquaginta tres.

Iudas Hircanus primus, quartus dux, annos quatuordecim, fortaſſis eò dictus Hircanus, quod eius tempore Ochus tranſtulit partem Iudæorum in Hircaniam, iuxta mare Caſpium. Pręfuit Iudææ, cùm Alexander vicit Darium.

Ioſeph primus, quintus dux, annos ſeptem.

POST ALEXANDRVM.

ABNER Semei, dux ſextus, vndecim annos. Huius tempore Ptolemæus Lagi filius, Ieroſolymam fraude cepit in Sabbatho, ſimulans ſe ſacrificaturum eſſe.

Eli Matathia, ſeptimus dux, annos duodecim.

Aſar Mahat, octauus dux, id eſt, beatus percuſſor, annos nouem.

Nagid Artaxad, nonus dux, præfuit annos decem. Significat Nagid principem, Arta magnum, Heſid ſanctum. Huius tẽpore miſſi ſunt ſeptuaginta interpretes in Ægyptum ad Philadelphum, fuítque tranquilla Iudæa.

Haggai Eli, decimus dux, præfuit octo annos. Significat feſtum Dei mei. Lucas nominat Eſli, id eſt, ſeruatum.

Maſlot Naum, vndecimus dux, præfuit annos ſeptem. Significat dominum iucundum.

Amos Syrach, duodecimus dux, præfuit annos quatuordecim. Fortis præliator.

Matathia Siloah, tredecimus dux, Datus à Deo, felix, ſeu miſſus, præfuit annos decem.

Ioſeph Iunior, quartus decimus dux, nominatus Arſes, honoratus à Ptolemęo Euergete, præfuit annos ſexaginta.

Ianna ſecundus Hircanus, quindecimus dux, annos ſedecim, multis pręliis vicit Arabes. Poſtea in defenſione arcis cuiuſdam, quam oppugnauit Antiochus Epiphanes, interfectus eſt hic Ianna ſecundus Hircanus. Fuítque poſtremus ducum ex poſteris Dauid. Nam ſcelera pontificum attraxerunt Antiochum Epiphanem in Iudæam, quẽ cum armis reprimerent Maccabæi, poſtea principatum hi tenuerunt, cùm eſſent nati ex tribu Leuitica.

Poſt Maccabæos, Iudæam regendam dedit Iulius Antipatro Idumæo, cuius virtutem & fidem in bello Alexandrino expertus erat. Hic Antipater pater fuit Herodis primi. Ita prædictum fuerat in vaticinio Iacob, venturũ eſſe Meſſiam in fine politiæ Iudaicæ, cùm iam peregrini in Iudæa reges eſſent. Et tamen, ne ſtirps Dauid ignota eſſet, oportuit non longum tẽpus eſſe, à poſtremo duce ex ſtirpe Dauid, ad Chriſti natalẽ. Sũt autem anni centũ ſexaginta.

Erat igitur recens memoria poſtremi ducis, & familiæ eius.

Extat, iiſdem appellationibus ducum ſeries, apud Lucã & Philonem, vſque ad poſtremum ducem Iãna Hircanũ, filiũ Ioſeph. Deinde Lucas attexit quatuor patres, qui non fuerunt duces. Sed multi familiam noſſe poterant. Vt autẽ ſeries in conſpectu ſit, recitabo hîc & Maccabæos.

SERIES PRINCIPVM, ET REGVM qui ex Maccabæis orti ſunt.

NOmen Maccabæi ſumptum eſt ex literis pictis in vexillo, quæ ſignificabant: Quis ſicut Dominus in Iſrael? Extat autem ſeries familiæ in primo libro hiſtoriæ Maccabæorum.

Matathias contra Antiochi Epiphanis duces, primus arma cepit, & filiis hortator fuit, vt exercitus colligerent, & defenderent reliquias eccleſiæ; & rurſus expellerent Antiochi exercitus, ſicut Daniel futurum prædixerat: Iuuabuntur auxilio paruulo.

Sciendum eſt autem, eius temporis calamitatem, diſſipationes & liberationes, imaginem eſſe poſtremi temporis in eccleſia.

Iudas Maccabæus filius Matathiæ, fuit dux annos quinque. Cùm Antiochus, poſt ſecũdum reditum ex Ægypto, collocaſſet idolum in templo, anno 245. menſe Kiſleu, qui nobis eſt Nouẽber, ſequenti anno Iudas Maccabęus, collecto exercitu, defendere populi reliquias cœpit, & quatuor duces ordine, magnis prælijs vicit, Apollonium, Seronem, Georgam & Lyſiam. His profligatis, recuperauit, & purgauit templum, cremato idolo. Eſtque facta templi repurgatio in fine tertij anni, mẽſe Kiſleu, eodem die, quo idolum, ante tres annos, in templum collocatum fuerat. Circa id tempus & Antiochus Epiphanes mortuus eſt. Et iam ſpes erat pacis, ſed rurſus, ſcelere ſummi ſacerdotis Alcini, attracti ſunt hoſtes ex Syria, regnante Demetrio. Fuítque difficilius bellum, propter Alcini perfidiam, qui intra mœnia Ieroſolymæ inſidiabatur Maccabæis.

Fuit autem tanta ſuperbia ducis Syriaci Nicanoris, vt extenſo brachio, cõtra templum, iurauerit, ſe hoc templum igni deleturum eſſe. Sed huic Nicanori, in acie interfecto, præcidi victor Iudas caput, & brachia iuſſit, & ſuſpendi ea ante templum, vt conſpiceretur exemplum pœnæ blaſphemi hominis.

His tantis rebus diuinitùs, & feliciter geſtis, per annos

quatuor,

quatuor, deinde fœdus fecit cum Romanis. Poſt id fœdus, infeliciter pugnans, in acie occidit. Quia Deus voluit oſtendere, eccleſiam non debere confidere peregrinorum regum præſidiis, & fœderibus, ſed ab ipſo petere, & expectare defenſionem, iuxta dictum: Maledictus, qui confidit in homine. Nam & Ionathæ fratri poſtea, exitio fuit perſidioſa regum amicitia.

Ionathas frater Iudæ, dux fuit annos nouendecim. Fuit amicus regum Syriæ, Alexandri, & Tryphonis, de quibus ſupra in catalogo regum Syriæ. Etſi autem rurſus tunc mediocris ſtatus fuit Iudææ, tamen, cùm iam, velut conductitij, militarent apud Syriacos reges, inter ſeſe dimicantes, doctrina, diſciplina & mores in Iudæa magis corrumpebantur. Et Ionathas, Tryphonis inſidiis, interfectus eſt. Ita paulatim ſtatus Iudææ ruit in deterius.

Simon frater Iudæ Maccabęi, fuit dux annos octo. Repulit Tryphonem, & Antiochum Gryphum. Expulit ex arce Sion, & ex aliis locis reliquias præſidiorum Syriacorum, ita, vt ſub eo prorſus fuerint, ex Iudæa, peregrinæ gentes eiectæ.

Cúmque iam non ſolum pax in Iudæa eſset, ſed reſtituta etiam eſſet vetus forma reipublicæ, templi dignitas, & vſitati cultus, Simon à genero ſuo Ptolemæo, cui dederat præfecturam Iericho, interfectus eſt. Ita poſtrema ætas, in illo populo, valdè inquieta fuit. Et tamen, inter hos tumultus, mirabiliter Deus eccleſiæ reliquias ſeruauit.

Patri Simon ſucceſſit filius Iohannes Hircanus, qui fuit dux annis triginta vnum, excellens virtute & felicitate. Repulit Antiochum Gryphum, qui obſederat Ieroſolymã. Deinde cepit, & deſtruxit ipſe Samariam, quam obſederat totum annum: & templum ibi conditum, poſt Alexandrum, ab impiis, deleuit. Cepit & oppida quædam in finibus Syriæ & & Idumææ. Sed ſub eo, in illa gentis Iudaicæ ſenecta, inter bella, & in permixtione ethnicorum, dilacerata eſt Iudæa ſectis. Præcipuè verò nominantur Phariſæi, Zadducæi & Eſsæi.

Etſi autem nomen Phariſæorum aliqui fecerunt à ſegregatione, tamen multi deriuant ab exponendo, qui iudicant Phariſæos dictos eſse, quaſi expoſitores, ſeu interpretes ſcriptorum propheticorum. Et horum nomen antiquius cæteris videtur. Hi non abiecerunt libros propheticos, vt Zadducæi, ſed transformarunt doctrinam legis, & promiſſionem, prorſus in politicam, ſeu philoſophi-

cam doctrinam. Dixerunt lege Dei tantùm externam diſciplinam præcipi,& homines,diſciplina,mereri remiſſionem peccatorum,& iuſtos eſſe coram Deo,& hæredes æternæ vitæ. Item, Sacrificia mereri remiſſionem peccatorum. Et addiderunt multa exercitia ceremoniarum, ieiunia,& lotiones, quæ ipſi finxerunt, vt apud nos,monachi. De Meſſia docuerunt, occupaturum eſſe prouincias. Negarunt Meſſiam fore victimam ad placandam iram Dei. Amiſerunt doctrinam de natura diuina Meſſiæ, quæ loquuta eſt cum patribus,& prophetis, & ſemper adfuit eccleſiæ.Beneficia Meſſiæ ſomniarunt hæc fore:Ipſum mille annos in hoc mũdo viuẽtem regnaturum eſſe;lege Moiſis impoſita gentibus. Et Iudæos fore gentium principes, & longæuos fore trecentorum, aut quadringentorum annorum,& futuram eſſe dulcem pacem,& auream ætatem in toto genere humano.Poſtea ſequuturum eſſe poſtremum iudicium,in quo hoſtes populi Iudæorum,in æternas pœnas abiecturus eſſet,& ſuis daturus æterna bona.

Zadducæi, poſt Phariſæos orti, magnam potentiam in populis adepti ſunt, fuítque grata profeſſio. Quia, cùm Phariſæi nimis multis traditionibus oneraſſent populum, hi fecerunt laxationes. Ac non ſolùm traditiones Phariſaicas abſtulerunt, ſed etiam abiecerunt prophetas omnes, præter Moiſen. Hunc vnum ſe amplecti ſimulabant, & tamen negauerũt animas eſſe ſuperſtites, extinctis corporibus.Negauerũt & corporum fore reſuſcitationem. Dixerunt autem legi obtemperandum eſſe, quia obedientia mereatur tranquillitatẽ huius vitæ,& contumacia pœnas. Horum cùm & multitudo,& potentia magna eſſet, inter Phariſæos & ipſos aſſidua certamina fuerũt,vnde & in gubernatione crebri tumultus orti ſunt. Eſt autem horribile exemplum, quod in tam exiguo populo, non ſolùm dilaceratio tanta gentis facta eſt,ſed etiam doctrina tam variè à ſectis corrupta eſt. Denique quòd prophanitas adeò creuit,vt eſſent in hoc populo,qui nomen habebant eccleſiæ Dei,qui palam Epicureas opiniones defendebant. Plerunque autem peſsimi hypocritæ arrogãter ſibi glorioſiſsimas appellationes tribuunt. Ita Zadducæi nominarunt ſe à Zaddic,quod eſt iuſtus,quaſi nominati eſſent iuſti ſeu iuſtitiarij.Alij fecerunt alias etymologias,quas omitto.

Eſſæi, id eſt, operarij, ab Aſa, quos ſic dictos eſſe apparet, quia cùm viderent alios, aſsiduis contentionibus perturbare rempublicam, & retinere vitæ turpitudinem,ambitionem,

bitionem, luxum, odia, & alia vitia, ipſi amantes modeſtię, & pacis, diſceſſerunt ab illis: & oſtenderunt, ſe bonis operibus, non rixis, velle Deo ſeruire. Sed cùm pauci eſſent, nec peterent gubernationem reipublicæ, ſeceſſerunt ad loca vicina hortis Balſami, & Palmarum. Ibi & coluerunt hortos, & artem medicam didicerunt, & remedia appararunt, & cum laboribus medicationis, qui ſunt magni & grati, tùm aliis multis officiis beneficentiam erga multos re ipſa exercuerunt, diſputationum vanitate omiſſa. Diſtribuerunt diem in tempora precum, lectionum, laborum, cibi & potus. Lucra etiam contulerunt in commune ærarium ſine ſuperſtitione, vt inde ſuis, & aliis honeſtis in egeſtate, & in morbis opitularentur. Denique ſchola fuit medica, & eruditione, & exemplis virtutum excellens. In Euſebio legitur, dictos eſse, quaſi θεωρητικούς. Et dicuntur ὑπέρτεροι σφόδρα τῶν Φαρισαίων, id eſt, longè antecellentiores Phariſęis. Apparet autem Euſebium nomen feciſſe ab Aza, quod eſt conſiderare, ſpeculari.

Dolēdum eſt autē, quòd, cum manifeſto auxilio Dei Iudęa defenſa aduerſus Antiochum, & tandē liberata eſſet, mox in pace opinionum diſſidiis dilacerata eſt. Poſtea etiā bella ciuilia, & ſtatim fratrum parricidia ſequuta ſunt. Hę calamitates poſtremi tēporis in Iudęa, ſunt imago extremæ ſenectæ mundi. Vt autē tunc inter tot ſectas, & bella, mirabiliter Deus aliquas eccleſiæ reliquias ſeruauit, vt fuerunt Simeō, Zacharias, Eliſabeth, Anna, Maria, Ioſeph, & alij multi, alieni à deliramētis Phariſęorū, & Zadducęorum, ac retinentes propheticam doctrinā, ſine corruptelis, ſicut Eſaias inquit: Obſigna legem in diſcipulis meis. Ita nunc quoque Deus, immenſa bonitate reliquias eccleſiæ ſeruat, agmē exiguū, quod retinet fundamentum, & Deum rectè inuocat, & fugit idola, cùm interea ingēs multitudo ſit defendentiū idola, & hoſtium doctrinæ propheticæ, & apoſtolicę; qui ſunt parricidæ membrorum Chriſti, videlicet, Mahometici, Papa, monachi, & eorum ſatellites, & tota iſta colluuies defendentium idola. Monent autem illa vetera exempla, vt, in tantis diſſidiis, certò ſtatuamus, ſeruari tamen cœtum aliquem, qui eſt vera eccleſia Dei, & vt ſapiēter quæramus, quæ, & vbi ſit illa vera eccleſia Dei, & nos ad eam adiungamus, ſicut ſcriptum eſt: Oues meæ vocem meam audiunt. Item Pſalmo 83 Beati, qui habitant in domo tua, Domine. Item Pſalmo 91. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt.

REGES EX FAMILIA Maccabæa.

FIlivs Ioannis Hircani fuit Ariſtobulus, qui ſe regem nominauit primus, poſt reditum ex Babylone, oblitus modeſtiæ priorum ducum. Sed dedit pœnas ſuperbiæ. Nō enim diutiùs anno regnauit. Interfecit fratrem Antigonū, præſtantem virum, falsò ſuſpicans eum appetere regnum. Interfecit & matrem, à quo exiſtimabat adiuuari Antigonum. Poſtea cum, dolore conſcientiæ, in magnis cruciatibus eſset, iuſſit ſe in locum fraternæ necis geſtari, ibi vomēs ſanguinem, mortuus eſt. Hæc horribilia ſcelera in populo Dei fecerunt principes, nati ex viris ſanctis, optimè meritis. Tales calamitates poſtremi tēporis conſideremus, & petamꝰ nos regi à Deo, & ſeruari verę eccleſię reliquias.

Secundus rex, Alexander Iannæus, regnauit annos viginti ſeptem, filius Hircani minimus natu. Sub eo triſtiſſima clades accepta eſt, in qua Ptolemæus Lamyrus trucidauit triginta millia Iudæorum, & captiuos interfectorū carnibus veſci cepit. Propter ſeditiones motas à Phariſęis, qui regio nomini aduerſabantur, occidit ipſe ſex millia Iudæorum. Poſtea bellum geſſit feliciùs contra Arabes.

Succeſſit Alexandro, coniunx Alexandra, quæ & Salome nominatur. Gubernatio eius tranquilla fuit, quia adiunctos habuit Phariſæos, quorum conſilio rempublicam adminiſtrauit. Regnauit annos nouem.

Alexandri filij duo fuerunt, Hircanus, & Ariſtobulus. Etſi autem Hircanus maior natu erat, tamen Ariſtobulus, collecto exercitu, regnum inuaſit, adhuc viuente matre. Defenderunt autē Hircanum initiò, Antipater Idumæus, & Aretas rex Arabum. Poſtea, cùm Scaurus Pompeij legatus, & corruptus pecunia, iuuaret Ariſtobulū, miſit & Hircanus ipſe legatos ad Pompeium, qui, cognito iā negotio, Ieroſolymam acceſſit cum exercitu, & vrbe occupata in Sabbatho, tradidit Hircano gubernationem, & ſummum ſacerdotium, & abduxit Romam captiuos, Ariſtobulum, & eius filios, Alexandrum & Antigonum.

In his ſeditionibus, & fratrum parricidiis, nō ſolùm diſciplina Iudaica, ſed etiam doctrina magis extincta fuit. Nec finis fuit domeſticarum ſeditionū, donec Iudæa redacta eſt in formam prouinciæ. Ibi, quanquam peregrini magiſtratus dominarentur, tamen conceſsa eſt Iudęis αὐτονομία in doctrina, & cultibus, & mediocris tranquillitas fuit, ne eccleſia funditùs extingueretur.

Alexander

Alexander, cum patre Ariſtobulo, captiuus, cùm Romam duceretur, in Cilicia elapſus, rediit in Iudæam, & occupata parte Galilææ, à Gabinio captus eſt. Poſtea tēpore belli ciuilis Pompeiani, quia ſeditiones moliebatur, à Scipione, Pompeij ſocero, Antiochiæ ſecuri percuſſus eſt.

Antigonus à Iulio, poſt bellum ciuile Pompeianum, dimiſſus, Parthorum auxiliis recuperare Iudæam conatus eſt, præſertim mortuo Antipatro, cùm Iudæi mallent ipſi parere, quàm filiis Antipatri. Et ſenex Hircanus, patruus ipſius, ſummus ſacerdos, ab eo captus, & in Parthiam ſubductus eſt, præciſis auribus. Hunc Antigonum, tertio anno, poſtquam Herodes rex factus erat, Antonius capitali ſupplicio affecit. Herodes autem Hircanum, patruum Antigoni, reuocatum ex Parthia, interfecit octogenarium.

Hic triſtis exitus fuit familiæ Maccabęorū, quos Deus ornauerat ingenti gloria. Ex his orti nepotes, inter ſeſe horrendam lanienam exercuerunt, peregrinas gentes attraxerunt, & doctrinam, leges, & diſciplinam patriam valde labefactarunt. Quorum hiſtoria imago eſt poſtremi temporis in eccleſia, in qua etiam, certamina ambitionum inter doctores, corrumpunt doctrinam, & diſciplinam. Cúmque conſiderabimus, quàm turpiter degenerauerint Maccabæorum poſteri, non confidamus maiorum meritis, aut virtute, ſed ſimus eò modeſtiores, vt Dei dona à maioribus accepta retineamus.

HERODIS POSTERITAS.

CVM Iulius in Ægypto periculoſum bellum gereret, multum ei profuit Antipatri Idumæi prouidentia, & fides, quia regiones illæ huic notiſſimæ erant, & flexit ad amicitiam Iulij Memphitas, & alios. Ideò Cæſar Antipatro tradidit Iudæam regendam, ſine regio nomine, ſed nomine gubernatoris. Deinceps igitur Iudæa peregrinos principes ex ethnicis natos, habuit. Quod cùm ægrè ferrent Iudæi, ac diſputarent, tribui Iuda regnum promiſſum eſſe, donec Meſſias naſceretur, ſubinde atroces ſeditiones mouerunt. Ac Antipater, qui ſapienter & moderatè dominabatur, veneno necatus eſt à Iudæo Macho, quem poſtea Herodes prope Tyrum interfecit.

Herodes primus filius Antipatri, quem & Aſcaloniten nominant, ab Aſcalon, quæ fuit in Idumæa, viuo patre, Galilæam, magna cum laude virtutis, rexit, & ſeditionem motam à quodam Ezechia, oppreſſit. Cúmque poſt mortem Antipatri ſperarent Iudæi, ipſius filios excuti ex re-

gno poſſe, attrahunt exulantem apud Parthos Antigonũ, de quo ſupra, qui adiutus à Parthis, potitur vrbe Ieroſolyma. Sed cùm aliquot prælijs viciſſet Herodes, nominatus eſt ab Antonio, totius Iudææ Tetrarcha. Poſt paucos annos, cùm Romam veniſſet, Octauio & Antonio dominãtibus, regio nomine ornatus eſt, & rex tòtius Iudææ appellatus, in Capitolium ductus eſt, medius inter Octauiũ & Antonium, Olympiade centeſima octageſima quinta.

Tertio anno poſt, cùm Antonius veniſſet Antiochiam, ſecuri percuſſit Antigonum. Deinde Herodem aſſiduæ ſeditiones exercuerunt: ſed victor, occidit ſummum Senatum populi Iudaici, quem nominabant ſeptuaginta duos Seniores.

Anno triceſimo regni Herodis, natus eſt ex Maria virgine Filius Dei, Dominus Noſter IESVS CHRISTVS. Hic numerus anni à multis traditus eſt, quos ſequor. Nec diligentiam illorum improbo, qui tres annos adiiciunt, ſed diſputationem omitto.

Herodes filios Antipatrum, Ariſtobulum & Alexandrũ, propter ſuſpicionem inſidiarum, occidit. Succeſſerunt patri Herodi, tres filij, Archelaus, qui Iudæam tenuit, ſine nomine Regio, annos nouem. Huius fit mentio in Matthæo. Herodes Antipas, quem nominamus Secundum: qui Galilæam tenuit, à quo interfectus eſt Iohannes Baptiſta. Philippus, qui tenuit Trachonitida, ſiue Ituræam. Nomen Antipas mutilatum eſt ex ἀντίπατρος. Trachonitis Græcum eſt, confragoſa, aſpera ſeu ſcopuloſa. Idem ſignificat Ituræa Ebræis, à vocabulo Tira, quod ſignificat turrem, ſiue in montibus anguſtas fauces.

Archelaus, & Herodes Antipas relegati ſunt, cùm quidem Herodes Antipas Romam profectus eſſet, vt regnum impetraret: quo non impetrato, in reditu, Philippi coniugem, duxit vxorem. Poſtea relegatus, mortuus eſt in Gallia. Nomen tenuit Tetrarchæ, quod ſignificat principem, id eſt, non regem, ſed habentem regi ſimilem gubernationem, videlicet agricolas, opifices, curiam, & militiam, ſed ita, vt ſuperiori domino pareret.

Herodes tertius, cuius cognomen eſt Agrippa, filius Ariſtobuli (interfecti à primo Herode) qui interfecit Iacobum Apoſtolum filium Zebedæi. Hunc Herodem Agrippam Tiberius Romæ carceri incluſit, quod familiaris eſſet C. Caligulæ, quem Tiberius imperij ſucceſſorem eſſe non voluit. Poſtea Caligula eum liberauit ex carcere, &

dedit

dedit ei Trachonitidem, quam Philippus tenuerat, & attribuit regium nomen. Claudius addidit Samariam & Iudęam. Ita rurſus vnus fuit rex Herodes Agrippa, Iudęę, Samariæ, & Galileæ, qui regnauit annos ſeptē, punitus, poſtquam necauit Iacobum; ſicut narratur Actorum 12.

Poſt huius Herodis Agrippę mortem, cùm filius Agrippa eſſet adoleſcens, & Iudæa plena ſeditionum eſſet, rurſus per Romanos Magiſtratus adminiſtrata eſt. Sed Claudius tradidit huic Agrippæ Chalcidem in Syria, & regium nomen, & Trachonitidem. Nero addidit aliqua oppida in Iudęa. Huius Agrippæ tempore, Ieroſolyma deleta eſt. Fit eius mentio Actorum 21. Regnauit annos viginti ſeptem. Philo ſcribit, huic Agrippæ, filium fuiſſe alium Agrippam, ſocium ſeditioſi viri, qui tēpore Adriani Imperatoris magnum exercitum collegit, vt reſtitueret & politiam Iudaicam, & ſe nominauit Ben Cochab, id eſt, filiū ſtellæ. Poſtea, cùm infelix euentus fuiſſet, nominatus eſt Ben Cosban, id eſt, filius mendax, ſiue mēdacij. Cúmque Bethoron triēnio obſeſſa fuiſſet, domiti ſunt Iudæi, partim pręliis, partim fame, trucidatis amplius trecentis millibus ab Imperatore Adriano. Hic finis eſt familiæ Herodis, quæ annos cētum & tres dominata eſt, vſque ad finem Agrippę, qui fuit filius Herodis Agrippæ regis.

BELLA ROMANA TEMPORE tertiæ monarchiæ.

IN tertia monarchia breuiter recitaui Perſici regni finē, Alexādri victorias, & poſt eius mortem quatuor præcipua regna ſucceſſorū, ſicut Daniel prędixerat, Ægyptium, Syriacum, regnum Antigoni in minore Aſia, & Macedonicum. Diximus etiam, Iudææ & eccleſiæ mediocrem fuiſse tranquillitatem, tempore Alexandri, & proximorum ſucceſsorum, vſque ad Antiochū Magnum. Interea paulatim in Italia creuit Romana potentia. Fuit autem maximè memorabile bellum, quod Romani, tempore Philadelphi, geſſerunt cum rege Pyrrho, & Tarentinis, motum anno à cōdita vrbe quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo: quia Tarentini & claſſem Romanam diripuerant, interfecto duce, & legatos Tarentum miſſos pulſauerant. Vtile eſt autem totam hiſtoriam Pyrrhi noſse, quæ legatur apud Plutarchum. Virtus fuit excellens Pyrrhi. Sed cùm multa bella ſimul moueret, & inchoata non pertexeret, potentia ipſius paulatim languefacta eſt.

Poſt bellum Tarentinum,inſigne exemplum Romanæ iuſtitiæ narratur.Romana legio,quam nominant Campanam,præſidij cauſſa,in vrbem Rhegium collocata,Rheginos ciues interfecit,& eorũ bona & agros occupauit.Romani igitur, vt oſtenderent, ſe fidem ſociis debitam , non velle violare,punire ſuos milites decreuerunt,& potiti vrbe Rhegio,trecentos, quia non plures viui in conſulis poteſtatem venerant,ſecuri percuſſerunt. Cæteri ſceleris ſocij,in oppugnatione perierunt.

Poſtea anno vrbis quadringenteſimo,octogeſimo nono, motum eſt primum bellum Punicum, quia Carthaginẽſes Hieroni Syracuſano,ſocio populi Romani,regnum eripere conabantur. Etſi autem Carthaginenſes ſæpè magnis præliis victi ſunt, tamen Romanæ clades , propter crebra naufragia maiores fuerunt.Ac in primis Reguli fortuna,& fides,in primo bello Punico,inſignis fuit.

Anno nono eius belli , cùm duo conſules , Manlius & Regulus in Aphricam traieciſſent , & poſt reditum Manlij ad vrbem,Regulus in Aphrica manſiſſet , vicit acie duos, Aſdrubalem,& Amilcarem,patrem Annibalis. Trucidauit octodecim millia Pœnorum , quinque millia cœpit, & octodecim elephantos.

Sequenti anno Regulus victus eſt,& trucidata triginta millia Romanorum,capta quindecim millia,Regulus catenis vinctus eſt.

Anno quinto poſt hanc cladem , cùm Metellus viginti millia Carthaginenſium trucidaſſet, elephãtos interfeciſſet ſex & triginta, cepiſſet centum quadraginta ſex:Regulus miſſus eſt Romam,vt pacem, aut permutationem captiuorum Carthaginenſibus peteret ; diſſuaſit vtrunque. Nec tamen violauit datam fidem, de reditu ad Carthaginem. Reuerſus eſt igitur Carthaginem,vbi poſtea crudeli ſupplicio necatus eſt. Poſtea rurſus magnæ clades vtrinque acceptæ ſunt, ſed nono anno,poſt Metelli victoriam, Luctacius conſul,cùm vidiſſet Hannonem adducere nouã claſſem ad Amilcarem : priuſquam duo exercitus coniungerẽtur,ſtatim dimicauit,ad inſulas Ægates,cepit Punicas naues ſexaginta tres,demerſit cẽtum viginti quinque,cepit viginti duo millia hominum,trucidauit tredecim millia,poſtea properauit ad Amilcarem , & eum ex Eryce diſcedere coëgit. Pœni,qui fuerant in Eryce,venditi ſinguli denariis octodecim. Poſtea petentibus Carthaginenſibus, data eſt pax , fuitque hic finis primi belli Punici,anno vi-

ceſimo

ceſimo quarto, poſteaquam motum eſt. Eſtque hic annus Vrbis conditæ quingenteſimus duodecimus.

Ac præcipuè inſignia exempla ſunt in hoc bello, fortuna & fides Reguli, & celeritas Luctacij.

DE TEMPORE INTER PRIMUM bellum Punicum & ſecundum.

INTER finem primi belli Punici, & initium ſecundi, ſunt anni quinque & viginti. Súntque interea magnis præliis victi, prope Mediolanum, Inſubres, & Boij, & Gallorum, ac Teutonum noui exercitus; qui ad defendendos Inſubres iuga Alpium tranſierant, & iurauerant, ſe Romam deleturos eſſe. Nec contempſerunt Romani periculum, ſed magnos exercitus oppoſuerunt. Curius & Flaminius Coſſ. non procul à Mediolano trucidauerunt quadraginta millia Gallorum, & Teutonum Horum dux Ariouiſtus, quod eſt *Ehrnveſt* captus eſt, vt ſcribit Polybius.

Sequente anno Coſſ. fuerunt M. Claudius Marcellus, & Cn. Cornelius Scipio. Marcellus is eſt, qui deinde, poſt Cannenſem cladem, vicit Annibalem. Cn. Cornelius Scipio patruus fuit Aphricani, à quo in Aphrica victus eſt Annibal. Cùm autem, duce Viridomaro, quod eſt *Friedmeier*, id eſt, cuſtos pacis, rurſus triginta millia Gallorum & Teutonum ad Mediolanum accederent, & Coſſ. Mediolanum obſiderent, Marcellus partem exercitus duxit aduerſus Viridomarum. Cúmque hunc inſignem armis, auro ornatis, ante aciem vidiſſet, quia ducem eſſe ratiocinabatur, Marcellus rectà impetum in eum facit, & Ioui opima ſpolia vouet. Non fugit hoſtis, ſed acerrimè dimicans, tandem accipit lethale vulnus. Interea & exercitus inter ſeſe confligunt, ſed interfecto duce Viridomaro, prima acie perterrefacta, & turbata, Romani alacres inſtant cedentibus. Marcellus ſpolia hoſti detrahit, quę poſtea, reuerſus Romam, affixa querno trunco geſtat in Capitolium, exemplo Romuli, ſicut vouerat. Mox verò, poſt illam pugnam, triginta millibus hoſtium profligatis, ad obſidionem Mediolani redit, vbi cùm copiæ Coſſ. rurſus coniunctæ eſſent, vi captum eſt Mediolanum. Deinde vicina oppida deditionem vltrò faciunt. Ita, deletis peregrinis exercitibus, Italia ingenti terrore liberata eſt. Ac plurimum attulerunt momenti ad victoriam, conſilium, celeritas, fortitudo, & felicitas Marcelli, qui & anno, poſt

trucidatum Viridomarum, nono anno poſt cladem Cannenſem, tertio, vicit Annibalem.

Cùm talis excellentia in imperiorũ conſtitutione conſpicitur, cogitemus Deum conſtituere imperia, & id non fieri ſine ingenti labore, & Deum velle agnoſci ſuam præſentiam in illa virtutum excellentia, & in ipſa imperiorum cõſtitutione, qua fit, vt aliqua pars generis humani & honeſtæ ſocietates conſeruentur. Huius Marcelli mentio fit in ſexto libro Æneidos:

Aſpice, vt inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur: victórque viros ſupereminet omnes.
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallúmque rebellem,
Tertiáque arma patri ſuſpendet capta Quirino.

Hæc de Marcello diximus, quia valdè prodeſt excellentes viros in omnibus hiſtoriis conſiderare, propter eas cauſas, quas recitaui, quia diſcendum eſt imperia à Deo conſtitui, & Deum dare excellentem virtutem & ſucceſſus: & hæc dari non ignauis, ſed laborantibus, ſicut in Æſchylo dictum eſt, ἀλλ᾽ ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς καὶ θεὸς συνάπτεται.

Polybius inquit, huius belli Gallici pericula, & prælia, fuiſſe non minora, quàm vlla in cæteris fuerunt, ſed à Celtis omnia magis impetu, quàm cõſilio ácta eſſe: θυμῷ μᾶλλον, ἢ λογισμῷ βραβευθῆναι.

DE ARATO SICYONIO.

EXemplum eſt Aratus Sicyonius gubernatoris ſapientis, iuſti, moderati in victoria ciuili, & experti fortunæ inconſtantiam, & infidas regum familiaritates. Quem eò præterire nolui, quia Cicero eius mentionem facit. Et in eius hiſtoria conſpicitur, quàm varij tumultus, & quales tyrannides in Græcia tunc fuerint, cùm nondum à Romanis defenderetur.

Aliquantò ante bellum Gallicum, in quo Marcellus victor deleuit magnum exercitum Celtarum, id eſt, Gallorum, & Teutonum, clarus fuit in Græcia Aratus Sicyonius, natus patre Clinia, qui fuit princeps Sicyonius, quem cùm interfeciſſet Abantidas, qui rapuit dominationem, poſtea filius Cliniæ, Aratus exul, adiutus à cæteris exulibus, nocte conſcenſis muris, patriam cepit. Cúmque tyrannus fuga euaſiſſet, vetuit Aratus vllum ciuem interfici. Opes tyranni dedit exulibus. Quia verò exulum prędia iam ab aliis ciuibus poſſidebantur, & multa hęreditatibus, dotibus,

dotibus, aut venditionibus tranſlata erant eiectis poſſeſſoribus, noua bella ſequutura erant. Vt igitur paci ciuitatis conſuleret Aratus, adhibitis ſenatoribus, tranſactiones inſtituit. Precia numerat iis, qui volentes cedebãt, aut, ſi qui cedere nolebant, tantundẽ pecuniæ dat exulibus, quanti æſtĩmabantur fundi. Hanc ad rem ſumſit à Ptolemęo talenta centum & quinquaginta, id eſt, nonaginta millia coronatorum. Hac compenſatione pax ciuitatis retẽta eſt. Poſtea hic Aratus creatus dux Achæorum, liberare & vicinos inſtituit. Ex arce Corinthi, & ex Athenis eiecit Macedonica præſidia. Deinde Cleomenem regem Laconicum conatus eſt reprimere, qui & ephoros ſuſtulerat, & vicinis bellum inferebat, à quo magno prælio victus eſt. Cùm autem & Cleomenis audaciam, & robur Laconicum metueret, ad belli ſocietatem Antigonum regem Macedonicum inuitauit, qui adducto exercitu, magno prælio vicit Cleomenem: qui amiſſo regno, fugit in Ægyptum, vbi captus, mortem ſibi conſciuit.

Poſtea mortuo Antigono rege, ſucceſſit in regno Macedonico Philippus, Perſei pater. Cùm autem Ætoli renouarent bellum aduerſus Achæos, & eorum oppida caperent, & exercitus funderent, nec pares eſſent Achæi, rurſus accerſiuit Aratus auxilia Macedonica. Cúmque multa conſiliis Arati præclarè gererentur, factus inſolentior Philippus, crudelitatem naturæ ſuæ paulatim detexit: Meſſenios præcipuos, & alios paſſim iniuſtè interfecit: deinde & coniugem filij Arati corrupit. Quę ſcelera ſenex Aratus ægrè ferens, ſe ab eo diſiungit. Sed Philippus & patrẽ Aratũ, & filium veneno necauit. Cúmque ſanguinem vomeret Aratus pater, præſentibus amicis, ſolitus eſt dicere: ταῦτα τἀπίχειρα τυραννικῆς φιλίας, hæc ſunt præmia Tyrannicæ amicitiæ. Hic fuit exitus viri præſtantis Arati, cuius laudatur in recuperatione patriæ, & in multis aliis victoriis, moderatio. Eſtque in patria ei ſtatua poſita, cum hac inſcriptione:

Venit ad Herculeas quanquam tua fama columnas,
Dum patriam ſeruas, inclyte Arate tuam:
Nos tamen hanc ſtatuam pro libertate recepta,
Virtutis teſtem fecimus eſſe tuæ.
Communis tibi cum Diis ſeruatoribus eſto
Hic honor. In patriam nam pia iura refers.

Reprehenditur, quod Macedonas rurſus in Græciam attraxerit, qui mox Græciam ſeruitute oppreſſerunt. Et prudentia neceſſaria eſt, conſiderare quales nobis adiunga-

mus. Valdè enim infelix coniunctio fuit, cum Philippo Macedonico rege; qui & natura crudelis fuit, & obſcœnus. Quare dictum eſt, Aratum malè feciſſe, quod attraxiſſet Macedonas in Græcorum gynæcea. Quod verò ſocietates fecit cum inimicis, tempori, & ſæuitiæ nouorum hoſtium tribuitur, ſicut vſitatum eſt: vt Plutarchus inquit: καιρῷ δουλεύουσιν οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. Et apud Thucydidem, inquit legatus Athenienſis: ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ δεῖ πρὸς ἕκαστα φίλον ἢ ἐχθρὸν μετὰ καιροῦ γίνεσθαι. Sed poſtea tyrannus Macedo pœnas dedit, vt infra dicemus.

DE SECVNDO BELLO Punico.

ANNO ab vrbe Roma condita quingẽteſimo triceſimo ſexto, motum eſt bellum ſecundum Punicum, cùm Annibal Saguntum in Hiſpania deleuiſset. Anni ſunt, à fine primi belli Punici, ad initium ſecundi, quinque & viginti. Tanta odiorum incendia fuerunt in his ciuitatibus, de imperio dimicãtibus, nõ vt diu quieſcere potuerint. Et Deus creſcere Romanam potentiam volebat, vt regum tyrannides compeſceret. Durauit ſecundum bellum Punicum, vſque ad annum ſeptimum decimum. Ac numerari poteſt inter acerrima bella generis humani, propter magnitudinem prçliorum, & varias vices. Cúmque de multis magnis rebus cõmonefactiones, in tãtis calamitatibus, & mutationibus imperiorum proponantur, hoc præcipuè conſiderandum eſt, imperia non ſolum humanis conſiliis, aut viribus conſtitui, ſed Dei opera eſse, vt Daniel inquit, Deus tranſfert & ſtabilit regna. Et quanquam bellis horribilibus vtrinque ſcelera hominum puniuntur, tamen Deum victorias plerunque illis tribuere, qui, iuſtæ defenſionis cauſſa, repellunt vim iniuſtè illatam, iuxta regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.

Etſi autem perſpicua cauſsa eſt ſecundi belli Punici, tamen quæſita eſt illuſio. In fœdere Romanorum & Carthaginenſium, fuit hoc caput. Ne læderentur vtrinque ſocij. Erant autem Saguntini ſocij Romanorum, quos cùm Annibal crudeliter deleuiſset; Romani accuſarunt Carthaginenſes, violatum ab eis eſse fœdus. Carthaginenſes contrà diſputarunt; Saguntinos non fuiſse ſocios Romanorum, cùm illud fœdus fieret. Huic excuſationi cùm reſponſum eſſet, fœdus de præſentibus, & futuris ſociis loqui, & non dubium eſse, violatum eſse fœdus ab Annibale, vtrinque bellum motum eſt.

Legatur

Legatur autem hiſtoria integra, apud Polybium,& Liuium,& conſiderentur duces,& belli vices. Annibal excelluit calliditate,& audacia. Venit in Italiam menſe Octobri , & ſtatim ad Ticinum & Trebiam Romanos vicit. Poſtea ad Thraſimenum , in vere anni ſecundi, Conſule Flaminio interfecto, trucidauit quindecim millia Romanorum. Tertio anno, ad Cannas trucidauit quadraginta millia in exercitu Romano,& magna pars Italiæ ad Annibalem defecit. Ita fuerant initia Annibali læta. Poſtea fortuna paulatim conuerſa eſt. Adoleſcens Scipio, natus annos octodecim , patrem conſulem,in prælio ad Ticinum ſeruauit,cùm hoſtem,qui patrem vulnerauerat,repelleret. Hic Scipio adoleſcens,cùm tribunus militum eſſet,in pugna Cannenſi,& multi nobiles Romani,poſt infelicẽ pugnam , deliberarent de deſerenda Italia, ipſe interueniens coegit eos iurare,ſe patriam non deſerturos eſſe. Si quis nollet iurare,necem ei minatus eſt.

Nullo tempore maior virtus fuit Romanę ciuitatis,quã tũc,cum maximis præliis victa,amiſſa magna Italię parte, funditùs ruitura videbatur. Ibi diuinitùs, & excitata eſt magnitudo animorũ,& cõſtantia & vigilãtia,in rebus aduerſis,& dati magnanimi, ſapientes , concordes & felices duces , fuítque virtus magis conſpicua inter tantas aduerſitates,vt dicitur : ἐν δυστυχίαις λάμπει τὸ καλόν. Fabius cunctando,repreſſit Annibalem. Marcellus,anno quinto huius belli,primus vicit Annibalem prælio. Poſtea res ſecundæ multæ ſequutę sũt. Anno decimo huius belli,maximè languefieri Annibal cœpit , interfecto Aſdrubale fratre in Italia prope Senã. Hic exercitũ adduxerat in Italiã,& ſe fratri coniuncturus erat. Id cùm Claudius,interceptis literis, cognouiſſet;relicto Annibale, cui oppoſitus erat in Apulia, ſex dierum ſpatio emenſus Italiæ longitudinem,coniunxit ſe cum altero Conſule Liuio. Ibi cùm dimicaretur, Aſdrubal interfectus eſt,&exercitus eius deletus. Redit Claudius in ſua caſtra , & caput Aſdrubalis interfecti abiici ante caſtra Annibalis iubet , & duos captiuos mittit Annibali , ignoranti fratris aduentum & infœlicem pugnam , narraturos hæc,vt acciderant. Hic Annibal mœſtus,longius abduxit exercitum in Brutios, & gemẽs fortunam ſe Carthaginis agnoſcere dixit. Hoc Claudij conſilium maximè dignum eſt admiratione, in huius belli exemplis.

Obiter & hoc exemplum hic inſeram,de captis Macedonum , & Carthaginenſium legatis , quod narrat Liuius in

tertia decade, lib. 3. Etſi enim vſitatū eſt legatis parcere, tamen id intelligatur de iis, qui non moliuntur hoſtilia, vt tūc Macedones & Carthaginēſes fœdus factui erāt, contra Romanos. Ideò iudicatū eſt, iuſtè hos legatos captos eſſe.

Simile exēplum extat apud Thucydidem libro ſecundo, vbi narratur, ab Athenienſibus captos eſſe legatos Lacedæmoniorum, ituros ad Perſas, vt auxilia, contra Athenienſes peterent. Hi legati Athenas adducti, interfecti ſunt. Hæc exempla citantur, cùm diſputatur, in quibus caſibus, iuſtum ſit legatos capere.

Sed inter duces Romanos, qui tunc multi fuerunt præſtantes virtute, eminet Scipio virtute & felicitate, qui recuperauit Hiſpaniam, & poſtea in Aphrica vicit regem Siphacem & Annibalem. Fracti igitur his cladibus Carthaginenſes, anno ſeptimo decimo huius belli, pacem petere coacti ſunt; quam Romani, certis conditionibus, dederunt, videlicet, vt abſtinerent ab omnibus, quæ iam Romani tenebant, & ab eorum ſociis; & penderent, intra annos quinquaginta, decem millia talentorum; id eſt, ſexaginta tonnas auri. Scribit Liuius etiam poſtulaſſe Scipionem, vt ſibi traderetur Annibal; ſed reſponſum eſt, Annibalem non eſſe in Aphrica. Fugerat enim ad Antiochum in Aſiam, metu ſuorum ciuium.

Extat apud Appianum narratio, quomodo in pugna inter ſe ipſi dimicauerint, Scipio & Annibal, & deinde Maſiniſſa & Annibal. Scipio telum emiſit in clypeum Annibalis, Annibal equum Scipionis ſauciauit, & cùm vulnere equus turbatus, reſiliret, interuenit Maſiniſſa, qui cùm primùm telo ſcutum Annibalis percuſſiſſet, huius etiam equum Annibal vulnerauit. Relicto igitur equo, Maſiniſſa pedes adoritur Annibalem, & eius propugnatorem equitem interfecit, & nactus aliud telum, rurſus petit Annibalem, ſed hæſit telum in alio equite, qui & interfectus eſt. Tertium telū cùm rapere Maſiniſsa conaretur, vulnus accipit in brachio. Interea & Scipio redit, Maſiniſſæ opitulaturus, quem inuenit, iam obligato vulnere, redeuntem in prælium in alio equo. Hic acerrimum certamen inter Duces & exercitus ortum eſt, donec tumulum proximum Annibal aſcendit, non fugæ cauſſa, ſed vt inde commodiùs in hoſtes impetum faceret. Quia verò inde in exercitu Punico conſternatio, errore, orta eſt; Pœni, omiſſo prælio, diſſipati fugere cœperunt. Euaſit Annibal, ſequente Maſiniſſa vſque ad noctem.

Eſt

Eſt autem & Maſiniſſa, inter huius belli præſtantes viros numerandus; dignus laude, propter iuſtitiam, fortitudinem, & fidem, quam, in tuenda ſocietate Romana, præſtitit. Vixit annos nonaginta. Nomen Maſiniſſa ſignificat remittentem tributa.

Annibal cùm fugiſſet ad Antiochum, ac deinde ad Pruſiam Bithyniæ regem, anno, poſt finem huius belli, ſeptimo decimo mortuus eſt, ſumto veneno, cùm Pruſias eum Romanis dediturus eſſet. Et ſcribitur, eodem anno mortuos eſſe Annibalem, & Scipionem, qui non ſolùm fortitudine, ſcientia rei militaris, & felicitate excelluit; ſed etiam iuſtitia, continentia, & modeſtia, quam oſtendit, ſecedens in rus, nec mouens rempublicam, laceſsitus tribunitiis criminationibus.

DE BELLIS MACEDONICIS.

PAucis menſibus, poſt finem belli Punici ſecundi, videlicet anno à condita vrbe quingenteſimo quinquageſimo quinto, motũ eſt bellum aduerſus Philippum regẽ Macedonicum, patrẽ Perſei, qui initiò, cùm Arati Sicyonij cõſiliis regeretur, naturæ ſæuitiã non ſtatim oſtendit, erátq; de eo magna induſtrię, & virtutis opinio. Poſtea verò & libidinibus variè ſe polluit, & magnâ crudelitatem exercuit. Sed ſcelerum pœnas dedit. Vetus igitur vaticiniũ diſcernit Philippum Alexandri patrem, ab hoc poſteriore. Extant verſus apud Pauſaniam in Achaicis, digni memoria:

In Macedúm populis clariſſima regna tenebunt,
Argiua de ſtirpe, bonum damnúmque Philippi.
Horum qui prior eſt, gentes, vrbéſque domabit:
Sed veteris regni perdet decus omne ſecundus,
A populis victus, quos mittent veſper, & ortus.

Vicerunt enim hunc poſteriorẽ Philippum Romani, adiuti à ſocio rege Attalo, qui tenuit Pergamum & viciniam.

Occaſio belli hæc fuit: Philippus bellum intulerat Athenienſibus, vt reges conantur opprimere vicinas vrbes, opibus, & artibus florentes. Incitabat etiam eum κακοζηλία prioris Philippi. Quare Athenienſes à Romanis auxilium petunt; qui, cùm alioqui Philippum odiſſent, propter ſocietatem, quam cum Annibale fecerat, & glorioſum eſſet defendere Athenas, laudatiſsimam ciuitatem, à qua Romani leges, formam iudiciorum, & multa honeſta exempla acceperant, bellum aduerſus Philippum mouent. Ac initiò ſocios habuerunt regem Attalum, & Ætolos.

Fuit autem excellens virtus, felicitas, & moderatio du-

cis T. Quinti Flaminij conſulis,qui Philippum in faucibus Epiri, & deinde in Theſſalia vicit. Interea rex Attalus,& Lucius Quintus,frater cõſulis,nauali prędio,Philippi claſſem vicerũt,& Eubœam occuparũt. His cladibus fractus, pacem Philippus à Romanis petiuit: quæ ei,hac conditione,data eſt: vt à tota Gręcia abſtineret,& penderet Romanis mille talenta,id eſt,ſexcenta millia coronatorum.

Etſi autem hæc victoria Flaminij glorioſa fuit, tamen ſequens erga Græciam beneficentia,multò glorioſior fuit, cùm,ſuperato Philippo,Græcæ ciuitates ſe Romanis adiũgerent, & ipſe diſcordiarum inteſtinarum arbiter factus, dirimeret controuerſias,ſua moderatione,ſine bello. Poſtea in Iſthmiis, & Nemeis iuſſit decretũ populi Romani publicè pronunciari: Velle populum Romanum,& T.Flaminium, vt tota Græcia libera ſit, & ſuis legibus vtatur. Hunc tantùm honorem Roma Græciæ,propter doctrinas, leges,& maiorum virtutem,habuit;& præbuit imperiis exemplum moderationis in victoria, & monuit, aliter mîtiores, & bene meritas gentes tractandas eſſe, quàm illas, quas, propter crudelitatem, & turpitudines,opprimi aut deleri neceſſe eſt. Romani beneficij in Delphico templo monumenta ſuſpenſa ſunt,Clypei argentei,& clypeus Titi Flaminij,cum hac inſcriptione:

Tyndaridæ fratres quorum fuit inclyta virtus,
Cuſtodes inter quos modò Sparta colit.
Leges,libertas,& pax ſunt optima dona:
Hęc Gracæ genti dat Titus Æneades.

Mãſit in Græcia Titus Flaminius circiter quinquẽniũ. quia,poſtquam Philippo pax data eſt, cùm bellũ biennio duraſſet,reliqui anni cõſumpti ſunt in conſtituendo Gręcię ſtatu,occupandis aliquot Thraciæ vrbibus,& tyranno Laconico Nabide reprimendo. Poſtea Romam rediit,ſecúmque obſidem Demetriũ, filium Philippi,adduxit,quẽ tamen Senatus,aliquantò poſt,ad patrem remiſit.

Fuit pax Romanis opportuna cum Philippo,quia mox ſequutum eſt bellum cum Antiocho Magno, quo tempore,ſi coniuncti duo reges fuiſſent,multò difficilius bellum Romanis futurum erat. Motum eſt bellum cum Antiocho, tertio anno, poſt reditũ Titi Flaminij ex Gręcia,anno ab vrbe condita quingenteſimo ſexageſimo ſecundo:durauit biennium, ſuperato Antiocho a Scipione Aſiatico,fratre Aphricani, apud vrbem Magneſiam, anno quingenteſimo ſexageſimo quarto. Aſia citra Taurum montem adem-

ta eſt

ta eſt Antiocho. Ita paulatim regum potentia diminuta eſt, donec prorſus ſtirpes eorum deletę ſunt.

Philippus autem dolens Romanorũ potentiam creſcere, vt rurſus bellum moliri poſſet, annis aliquot in pace munit vrbes, colligit magnos aceruos frumenti, & pecuniæ, & vicinos Thraces, Pœonas, & alios barbaros ſibi adiungit, ac oſtendit, ſe bellum in Italiam tranſlaturum eſſe, Annibalis exemplo, & ingreſſurum Italiam circa Adriam; quare & Regem Illyricarum gẽtium, & Celtas vicinos Adriatico, ad ſocietatem tanti belli inuitat. Sed hæc apparans, moritur, cùm quidem filium Demetrium, excellentem virtute, reſciuiſſet, à fratre Perſeo falsò accuſatum, & dolo interfectum eſſe. Cùm enim Demetrius antecelleret virtute, & opinio eſſet, Perſeum non eſſe natum ex patre Philippo, inſidias Demetrio ſtruxit Perſeus, metuens eum in regno ſucceſſorem fore.

Mortuo patre, furiis vltricibus eum impellentibus, vt pœnas parricidij daret, & incitatus ab improbis, bellum Romanis infert, Theſſaliam & vicina loca vaſtat, duobus præliis Romanos vincit, & lęta ei initia tanti belli fuerunt, quod à Perſeo motum ſcribitur, anno ab vrbe condita quingenteſimo octogeſimo ſecundo. Vixerat autem Philippus, poſt reditum Titi Flaminij ex Græcia, circiter viginti annos. Durauit bellum Perſei annos quatuor.

Anno eius belli quarto, videlicet anno à condita vrbe quingẽteſimo octogeſimo ſexto, cùm prioribus annis Romani exercitus aliquoties infeliciter pugnaſſent, & Græci Romanorum ſocij magnis detrimentis adfecti eſſent, L. Paulus Æmilius, filius Pauli Æmilij interfecti in Cannẽſi pugna, conſul iterum factus eſt, anno ſexageſimo ſuæ ætatis, vt aduerſus Macedones dux idoneus mitteretur. Hic, cùm bellum ei mandaretur, publicè in concione dixit, ſi alium magis idoneum eligerent, ſe libenter ei ceſſurum eſſe. Sed ſi vellent ipſo duce hoc bellum geri, poſtulare ſe, vt exercitus obtemperarent, nec ſumerent ſibi ducis officia, nec impedirent eum ſua curioſitate, & ſuis fabellis; Μὴ παραστρατηγεῖν, μηδὲ λογοποιεῖν.

Menſe Septembri acerrimo prælio vicit Perſeum, trucidatis viginti millibus peditum. Ante id pręlium, ait Plutarchus conſpectam eſſe eclipſin lunæ; qua, ne perterrefierent milites, iuſſit Æmilius, pridie ante eclipſin, pręmoneri vocatos in concionem oratione Sulpitij Galli tribuni militum, qui & prædixit venturam eclipſin, & docuit ce-

to ordine motuum cœleſtium obſcurari lunam, incurrentem in vmbram terræ, nec rem in natura ordinatam, vt podigium metuendam eſſe. Seneca ſcribit, eodem tempore conſpectum eſſe Cometam, cui tribuitur nomen Hirci. Cùm autem mox non ſolùm finis regni Macedonici ſequutus ſit; ſed etiam Antiochus in Iudæa horrēdam ſæuitiam exercuerit, apparet ſigna non fuiſſe inania.

Rex Perſeus ex fuga retractus eſt, & ad Æmilium adductus cum duobus filiis, Philippo & Alexandro. Hi poſtea, cum patre Perſeo, in triumpho, ante currum ducti ſunt. Cúmque in carcerem ducti eſſent, impetrauit Æmilius, vt alibi in loco minus tetro à certis militibus cuſtodirentur. Perſeus & filius Philippus non diu ſuperſtites fuerunt. Alexander ſcriba magiſtratuum Romanorum factus eſt.

Ex regis theſauris, qui fuerunt ampliſsimi, dedit Æmilius ſtipendia militibus. Reliquam pecuniam in ærarium inferri curauit. Macedoniæ, deletis vrbibus, tributum impoſuit, dimidio minùs, quàm regibus dederant, videlicet centum talenta, id eſt, ſexaginta millia coronatorum. Ita Romana monarchia, initiò tyrannis deletis, leges, & iuſtitiam gentibus reſtituit, & expilationes moderata eſt.

Ex theſauris regiis Æmilius, libros regios iuſsit filiis ſuis attribui. Vixit poſt hāc victoriam annos decem, carus ſenatui & populo. Et poſtquàm cenſor fuiſſet, placidè mortuus eſt, relictis duobus filiis, quorum alterum adoptauit filius, eius Scipionis, qui vicit Annibalem. Hic enim habuerat coniugem Æmiliam, inde nomen eſt, Scipio Æmilianus. Facultates Æmilij, vt Plutarchus narrat, non ſuperauerunt triginta millia coronatorum, & ſeptem millia, cùm in ærarium intulerit plus, quàm quinquagies centum millia coronatorum. Adeò præſtantes ciues, tunc magis augere rempublicam, quàm priuatas opes, ſtudebant.

Hoc ipſo tempore, quo, Æmilio, duce, Perſeus victus eſt: Antiochus Epiphanes iuſſus eſt à Popilio legato populi Romani, ex Ægypto diſcedere, & abducere inde præſidia. Et tergiuersāti, Popilius circulum virga circumſcripſit, ac reſpondere eum iuſsit, antequam inde egrederetur. Cùm igitur rediret Ieroſolymam Antiochus, ardens ira, magnā ibi ſæuitiam exercuit. Et initia præliorum Iudę Maccabæi conferuntur in annum ab vrbe condita quingenteſimum octogeſimum ſeptimum.

TERTIVM PVNICVM BELLVM.

Anno à condita vrbe Roma ſexcenteſimo quarto, anno,

no,

no, poſt finem belli Punici ſecundi, quinquageſimo ſecundo, motum eſt bellum Punicum tertium. Eius belli anno quarto, Carthago vi capta & deleta eſt, duce Scipione Æmiliano, qui natus eſt patre Paulo Æmilio, ſed adoptatus à Scipione, nato ex Scipione victore Annibalis.

Cauſſa belli fuit, quòd regi Maſiniſſæ, ſocio populi Romani, bellum intulerant, miſſo exercitu in eius fines quinquaginta & octo millium hominum, qui tamen circumſeſſus ab exercitu Maſiniſſæ, magna ex parte fame periit. Poſtea, cùm legati à Romanis miſſi, viderentur æquiores eſſe Maſiniſſæ bene merito, conditiones pacis Carthaginenſes repudiauerunt. Sequuta eſt igitur, poſt legationes aliquoties miſſas, deliberatio, non tantum de bello, ſed etiam de vrbe Carthagine delenda, quia non quieſceret. Ea de re diſſenſio Romæ in ſenatu fuit. Scipio Naſica ſenſit, non delendam eſſe, quia nimis atrox exemplum eſſet, & non conueniens Romanæ clementiæ, tantam hominum multitudinem perdere. Deleta etiam ea vrbe, Romanos faciliùs ciuilia bella moturos eſſe: quia illa imperij æmula ſublata, foris neminem formidaturi eſſent. Catonis fuit cõtraria ſententia: Quia virtus Romana paulatim fieret languidior; Carthaginem, occaſione recuperandi imperij aliquando vſuram eſſe.

Conſules in Aphricam miſſi biennio vicina oppida occuparunt, & aliquoties infeliciter tentarunt oppugnationem Carthaginis, ac virtute Scipionis Æmiliani, qui tunc tribunus militum erat, bis, magna cum gloria, ſeruati ſunt Romani exercitus. Poſt biennium hic Scipio, ante conſularem ætatem, creatus conſul, & miſſus in Aphricam, alio conſilio vſus eſt, quàm priores duces. Totam vrbem circumuallauit, ne frumentum inuehi poſſet. Id opus difficile, & magna arte, & magno labore perfectum eſt. Fuit enim ambitus vrbis ſex milliarium Germanicorum. Diameter igitur fuit circiter duorum milliarium. Interea ſæpè dimicatum eſt acerrimis præliis, præſertim naualibus. Sed tandem vrbs vi capta eſt, cæde intra mœnia horribili facta. Priuſquã autem diriperetur, & inflammaretur, iuſsit edici Scipio, vt fugerent, qui vellent. Fugerunt igitur ex vrbe quinquaginta millia hominũ, reliqui aut interfecti, aut flammis abſumpti ſunt. Vrbs inflammata, arſit dies ſedecim. Scribit autem Polybius, ſe Scipioni aſtitiſſe, ſpectãti vrbis incendiũ. Qui, cùm lachrymans verſum recitaſſet *Illa dies veniet, cùm fato Troia peribit*: interrogat Poly-

bius, quid lachrymæ, hi gemitus, & hæc dicta ſignificent? Reſpōdet Scipio: Se cogitare miſerabiles generis humani caſus, & futurum aliquando ſimile vrbis Romæ excidium, ſicut & Totilę Gotthici regis tempore accidit, circiter annum ſeptingenteſimum, poſt hunc Scipionem. Steterat autem & Carthago, annos circiter ſeptingentos; condita ante vrbem Romam, anno centeſimo & paulò ampliùs.

Aſdrubal dux Carthaginenſium ſupplex ad Scipionem confugit. Eius vxor, dira marito imprecata, ſe, cum paruis filiis in medium ignem præcipitauit. Poſtea & ipſe Aſdrubal ſibi mortem conſciuit. Et leguntur alia horribilia exempla, quæ acciderunt in eo excidio, quæ oſtendunt iram Dei aduerſus delicta, & monent, ne, ſpreto Dei iudicio, cæcis cupiditatibus indulgeamus.

Carthaginem non multò poſt reſtituere conatus eſt Caius Gracchus, deducturus eò coloniam. Sed Lupi ſigna, quæ murorum ſpacia ſignificabant, eruerunt. Poſtea à Iulio & Auguſto reſtituta eſt, & eò deducti ſunt coloni.

EXCIDIVM NVMANTIÆ VRBIS.

SCIPIO Æmilius quarto decimo anno, poſt euerſam Carthaginem, deleuit vrbem Numātiam, ſitā in Celtiberia, vbi Romani exercitus aliquoties trucidati fuerant.

Huius autem vrbis excidiū terribilius exemplum eſt, excidio Carthaginis. Quia, cùm, propter famem, defendere vrbem ciues diutiùs non poſſent, inflammarunt eam ipſi, & ſeſe, partim igni, partim ferro, partim veneno perdiderunt. Poſtea Scipio ruinas funditùs deleuit, & agros vicinis attribuit, & ordinata prouincia, pacem in ea parte Hiſpaniæ reſtituit.

Abſente eo, Romæ, magnæ ſeditiones motæ ſunt, propter leges Agrarias: quas initiò, bono ſtudio, Tiberius Gracchus tulerat, fauentibus etiam Lælio & Scęuola. Sed ad bonam cauſſam poſtea Gracchus addidit turbulenta conſilia, & contentione diſcordia creuit, pluréſque cauſſæ cumulatæ ſunt, ſicut Homerus de Lite inquit:

Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.

Et ſæpè bona cauſſa, malè agendo, corrumpitur. Quare dicitur à Solomone: Quod iuſtum eſt, iuſtè perſequaris.

Sciant autem iuniores, in aliis hiſtoriis, Agrariam legē ſignificare diſtributiones poſſeſſionum, in quas noui coloni introducebantur. Sed in Tiberij hiſtoria, lex Agraria ſignificat pręfinitionem numeri agrorum. Fuerat enim

vetus

vetus lex : Quando deletis hoſtibus, agri publici diuiſi erãt, nemini ciuium Romanorum licebat ex his plus, quàm quingenta iugera poſſidere. Nec licebat diuitibus emere pauperum ciuium agros, & ſuis addere, & per mãcipia colere, ne pauperum ciuium familiæ redigerentur ad egeſtatem, & Italia repleretur peregrinis & ſeruis.

Eſt autem iugerũ quadratum; cuius vnum latus eſt centum viginti pedum, Græcè πλέθρον, id eſt, ſexta pars ſtadij.

Hac veteri lege neglecta, diuites multorum ciuiũ agros emebant, quos deinde per ſeruos colebant. Ita multorum ciuium familiæ nullos fundos retinebant. Cùm igitur Tiberius in prouinciam proficiſceretur, paſſim in viis occurrebant ei ciues, cum paruis filiis, & matribus: & querebantur, ſe vagari extorres, qui ſanguinem pro patria profudiſſent, teneri agros à diuitibus, & petebant vetuſtam legem reſtitui, cõſuli ſaluti Italiæ, ne deeſſent milites, & ne Italia ſeruis, & hominibus barbaris impleretur. Motus miſericordia Tiberius, pollicetur, ſe hanc cauſsam acturum eſſe. Et reuerſus ex prouincia, cùm factus eſset tribunus plebis, fert rogationẽ, de veteri lege reſtituenda, quę modũ agrorum præſcribit. Dicit in cõcionibus, iniuſtam eſſe ducum orationem, cùm iubent milites præliari pro aris & focis, cùm nec aras, nec focos habeant. Queritur pręliari eos non pro patria, ſed pro fœneratorum rapacitate. Sed aduerſabantur legi diuites, & tribunum Octauium ſibi adiungunt interceſsorem, qui ſuffragationem prohibeat. Huic, nouo exemplo, tribunatum Tiberius abrogauit. Cùm autem viſus eſset violentiùs agere, creuerunt diſcordiæ.

Tulit & aliam legẽ Tiberius, vt pecunia legata populo Romano, ab Attalo rege, egẽtibus ciuibus diuideretur. Denique contra leges, prorogare ſibi magiſtratum conatus eſt. Ea res, cùm ſpeciem haberet tyrannicam, ſenatui iuſta cauſsa viſa eſt, armis opprimendi Tiberiũ Gracchum. Etiã tota Italia mouebatur. Ideò Senatus hortatur Mutiũ Scæuolam conſulem, vt arma capiat ad ſedandum tumultum. Qui, cùm nollet in Vrbe, nouo exemplo, præliari: Senatus ipſe, hortante Scipione Naſica, pontifice maximo, cũ magna multitudine amicorum aſcendit in Capitoliũ, ad interficiendum Tiberiũ Gracchum. Cúmque populus accedenti Senatui cederet, & ſeſe deſertum, Tiberius Gracchus peti videret, fugit. Sed fugientem interfecit collega ipſius Saturnius. Sunt & alij trecenti ciues interfecti, & corpora in Tiberim abiecta. Hæc, in ciuilibus ſeditionibus, Romæ

prima cædes facta eſt. Poſtea ſequutę ſunt magis cruentæ ſeditiones. Etſi autem, vt populus placaretur, Senatus legem de modo agrorum recepit extincto autore, tamen odia non ſunt extincta.

Interfectus eſt Tiberius Gracchus anno Vrbis ſexcenteſimo viceſimo, conſulibus Mutio Scęuola & Calpurnio Piſone, cùm abeſſet Scipio Æmilianus ad Numantiam, qui cùm audiuiſſet acta, & necẽ Tiberij Gracchi, recitans Homeri verſum, oſtẽdit ſe quoque ſeditiones improbare:

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Perdatur ſimili pœna qui talia fecit.

Deinde, cùm Romam Scipio Æmilianus rediiſſet, & certamina eadem, de agrorum diuiſione, renouata eſſent, & acceſſiſſent aliæ turbulentæ leges; quarto anno poſt reditum Scipionis Æmiliani, Tutidano & Aquilio conſulibus, anno vrbis ſexcenteſimo viceſimo quarto, cùm Carbo tribunus plebis rogationem tuliſſet, vt liceret eundẽ creari tribunum plebis, quoties vellet, & ſuaderet eam legem Caius Gracchus, Tiberij frater, diſſuaſit eam acerrimè Scipio Æmilianus; quia ea rogatio contra veteres leges, de tribunis, ferebatur, & turbulentos tribunos perpetua potentia armabat. Dixit etiam Tiberium Gracchum iure interfectum eſſe. Poſt hanc contentionem, manè Scipio inuentus eſt in cubiculo ſuo mortuus, cùm pridie rectè valuiſſet, fuitque ſuſpicio, ab aduerſariis veneno necatum eſſe. Hic fuit exitus præſtantiſſimi ciuis, anno ætatis ipſius quinquageſimo ſexto. Breuiter autem vtrumque Scipionem commemoraui, victorem Annibalis, & alterum Æmilianum: quia, cùm in ſecundis, in magna gloria & rebus geſtis, quæ profuerunt patriæ, iuſti & modeſti fuerint, exempla eorum nota eſſe omnibus vtile eſt.

Carbo poſtea ſibi mortem cõſciuit, Caius Gracchus, & Fuluius, cùm ſeditioſè Auentinum montem, cum armata multitudine, occupaſſent, ab Opimio cõſule interfecti sũt, & trucidata ſunt in eo prælio vrbano, tria millia hominũ.

Caij Gracchi eloquentia ſic laudatur à Cicerone: Grandis eſt verbis, ſapiens ſententiis, genere toto grauis, manus extrema non acceſſit. Legendus eſt hic orator. Non enim ſolùm acuere, ſed etiam alere ingenium poteſt, &c. Apud Gelliũ lib. 11. cap. 10. hæc eius verba recitantur: Omnes nos, qui verba facimus, aliquid petimus, neque vllius rei cauſſa quiſquam ad vos prodit, niſi vt aliquid auferat. Ego ipſe non gratis prodeo. Verum peto à vobis, non pecuniam,

ſed

ſed bonam exiſtimationem. Qui prodeunt diſſuaſuri, ne hanc legem accipiatis, pecuniam petunt. Qui autem ex eodem loco, atque ordine, tacent, hi vel acerrimi ſunt, nam ab omnibus precium accipiunt, & omnes fallunt.

DE BELLO ACHAICO.

SVPRA dictum eſt, pace facta cum Philippo rege Macedonum, Romanos Græciæ, qui ab ea doctrinas, & leges acceperant, pacem & libertatem reſtituiſſe, & decretũ T. Flaminij publicè recitatum eſt in Iſthmiis, anno vrbis Romæ quingẽteſimo quinquageſimo ſeptimo Hoc tanto beneficio, Gręcia vniuerſa frui, & retinere dulcẽ tranquillitatẽ poterat; ſed inquieta ingenia ſubinde nouos tumultus mouebant. Et plerunque homines, ſingulari petulantia, fatales pœnas attrahunt, ſicut Lucanus inquit:

Hoc placet, ô ſuperi, cùm vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nociturâque poſcimus arma.

Statim poſt pacem cum Philippo factam, rebellarũt Ætoli. Sed longè maius bellum poſtea mouerunt Achæi, & Bœotij, anno quinquageſimo poſt libertatem à Tito Flaminio Gręcis reſtitutam. In eo bello & Achæorum, & Bœotiorum exercitus citò trucidati ſunt. Dux Dięus interfecit coniugem, ne fieret captiua, & venenum hauſit ipſe. Corinthus deleta eſt à conſule Mumio, nec longum fuit: quia & Romana potentia tunc florebat, & horum hoſtium non magnæ vires erant. Ideò Pauſanias inquit: θρασύτης, μετ' ἀσθενείας μανία δή qui & finem Achaici belli fuiſſe ſcribit, Olympiade centeſima & ſexageſima, maximéque tunc, ait debilitatas eſſe Græciæ vires. Nec tamen quieſcere in ea factioſi ciues potuerunt.

Fuit poſt annos quinquaginta, anno vrbis Romæ ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, bello Mithridatico philoſophus Athenis, nomine Athinio, qui conductus magna pecunia, à Mithridate, ciuibus ſuaſit, vt à Romanis ad eũ deficerent, quia melius eſſet vnũ eſſe orbis monarcham regẽ quã tot auaros dominos Romanos. Et nominabat Romanum imperium ἀναρχίαν. Iámque Mithridates magnam Aſiæ partem, & Thraciam tenebat, ac multi ſperabant, euerſurum eſſe Romanum imperium. Hic philoſophus aliquádiu, velut tyrannus, ſeptus armato ſatellitio, dominatus eſt Athenis, interfecit multos ciues, multorum facultates diripuit, & magnis aceruis pecuniæ in Delum miſſis fugit.

Succeſſit Ariſto tyrannus, ſentiens cum Mithridate,

conflatus, vt Græci ſcribunt, ex petulantia & crudelitate. Hic prohibuit, ne Athenæ Romano duci Syllæ ſe dederent. Quare Sylla vrbem terra marique circumſidens, tandem eam vi cepit, & magnam ciuium multitudinem in vrbe trucidauit. Multi antea fame perierāt. Medimnus enim frumenti vendebatur mille drachmis, id eſt, centum coronatis, qui mediocribus annis æſtimabatur quinque drachmis. Ariſtion ab ara auulſus, necatus eſt.

Poſtea Sylla in Bœotiam tranſiens, vicit Archelaum ducem Mithridatis, duobus magnis prælijs, & partem vrbis Thebanæ prorſus diruit, & Thebanis dimidiam Bœotiam ademtam, attribuit Phocenſibus. Ita Græcia & vires ſuas, & libertatem, & veterem reipublicæ formam amiſit, cùm bella non neceſſaria, & iniuſta, ciues aliqui, priuatis cupiditatibus, mouiſſent.

Hæc de Græciæ ruinis vno in loco breuiter annotaui, etſi in ſerie hiſtoriæ, nondum ad Syllæ tempus peruenimus: ſed in hiſtoria continua melius conſpici poteſt, has fatales pœnas paucorum furoribus attractas eſſe, qui fuerunt patriæ ἀλάστορες. Retinenda eſt igitur modeſtia, propter noſtram & patriæ ſalutem.

DE CIMBRICO BELLO.

SVPRA dictum eſt, infuſas eſſe in Italiam gentes Celticas tempore Camilli, cùm vrbs Roma incenſa eſt. Olympiadis nonageſimę octauę anno primo, anno vrbis Romæ trecēteſimo ſexageſimo quinto: in qua expeditione & Brenni ducis mentio fit, & Senonū, quos fuiſſe olim Albi vicinos, nihil dubiū eſt. Eſtque vrbs Roma incenſa à Gallis, ante Alexandrum, regnante Artaxerxe, cuius cognomen fuit Μνήμων, anno nono decimo, poſtquam Athenæ à Lyſandro captæ ſunt.

Sequuta eſt alia Celtarum expeditio, qua Græciam vaſtarunt, & ad Delphos interfecti ſunt, Olympiadis centeſimæ viceſimæ quintæ anno ſecundo, vt narrat Pauſanias, videlicet poſt incenſam Romam anno centeſimo ſeptimo. Fuit igitur alius hic Brennus, qui Galatas in Gręciam duxit, & trucidauit Ptolemæum Κεραυνόν. Infuſa eſt autem & in Aſiā hæc multitudo, & pars ibi à Ptolemæo Euergete trucidata eſt, vt ſcribit Callimachus, apud quem inquit Phœbus:

Contra hoſtem fient communia prælia nobis,
Celtica cùm contra Græcos gens bella mouebit.
Titanum ſoboles, extremo cardine terræ

Effuſa

Effuſa, Heſperias & ſedes effera linquet,
Denſáque ſic veniens latè trahet agmina, ſicut
Spargit bruma niues Boreæ ſpirantibus auris.

Nec verò dubium eſt, apud veteres ſcriptores, Celtarũ nomen commune fuiſſe gentibus in vtraque ripa Rheni, vſque ad Oceanum Occidentalem, & vſque ad Harcynios mõtes, qui nũc Boiemici, Turingici & Harcinij nominãtur.

A clade Celtarum accepta in Delphis, vſque ad Marcellum cõſulem, qui interfecit Viridomarum, ſunt anni ſexaginta. Hęc in Italiã ſecunda Celtarum expeditio celebratur, in qua nomẽ ducis Teutonicum eſſe manifeſtum eſt.

A nece Viridomari, vſque ad primam victoriam Cimbrorum in Italia, Syllano conſule interfecto, ſunt anni cẽtum & tredecim. Durauit autem bellum Cimbricũ, à Syllani conſulatu, annos octo, vſque ad conſulatum Marij quintum, à quo tandem, ad flumen Atheſin, deleti ſunt reliqui exercitus Cimbrorum, Teutonum & Ambronum. Sit igitur hęc tertia in Italiam expeditio earum gentium, quæ terras ab Alpibus verſus mare Septentrionale tenuerunt, quę omnium maximè terribilis fuit.

Cimbrorum nomen retinet Cherſoneſus Cimbrica. Itaque non obſcurum eſt, quæ gens fuerit Cimbri. Sed tunc magnã partem littoris tenuerunt. Strabo nomen eſſe dicit à Cimmeriis factum, quos ſupra Thraciam habuiſſe ſedes, nomen Boſphori Cimmerij teſtatur. Et Herodotus lib. 4. collocat eos ad Araxen fluuium. In 3. libro inquit, in Lydiã infuſos eſſe, & à Lydorum rege iterum inde expulſos. Conſentaneum eſt nomen eſſe à Gomer, filio Iaphet, & ex oriente progreſſos eſſe Cimmerios ad hoc noſtrum littus, ſicut & aliæ gentes vicinæ progreſſæ ſunt; Getę, Dai, Syeui. Non enim dubium eſt, Getas eſſe Gottos, Daos, Danos, & Syeuos, quos nũc Suecos, ſeu Suedos nominamus, Vetuſtas nominauit Sueuos & Suionas. Getæ ſignificat milites; Dai ſcientes, Danai iudices, Sueui raptores.

Teutones hîc primùm nominantur in hiſtoriis. Id nomen in noſtra lingua nunc multis ſeculis multas gentes complectitur. Nec tamen extat veſtigium in tanto ſpacio, vnde ſciri poſſit, quæ fuerit vetuſta & præcipua ſedes Teutonum. Adeò ſunt inſtabiles & caducæ res humanæ, vt mutatis imperiis, magnæ gentes ita deleantur, aut diſſipentur, vt nec veteres earum ſedes ſciri poſſint. Sed ex Cornelio Tacito, & Ptolemæo cõſtat, Teutones Weſtualiam & viciniam ad Viſurgim tenuiſſe. Nam Cornelius

Teutoburgũ in Weſtualia collocat, vbi Quintilij Vari legiones ab Harminio trucidatæ ſunt. Et inde eſt nomen ſuburbij ad Coloniam *Teutſch.*

Origo nominis fit, vt multi exiſtimãt, ab Aſcanes, Tuiſcones, quaſi dicas, *die Aſcanes.* Legimus autem in ſacris libris, fuiſſe filium Gomer, Aſcanes. Et appellatio diu manſit in Phrygia, vbi nomen vſitatum fuit Aſcanij, vt ex Homero intelligi poteſt. Interpretor nomen ſiue ſacerdotẽ ignis, ſiue cuſtodẽ ignis, videlicet ſacri. Significat igitur talem virum, cui ſacrificia commendata fuerunt. Hac appellatione delectemur, & ſciamus reuerẽtiam ſingularem rerum ſacrarum, in illis vetuſtis maioribus noſtris fuiſſe.

Ambronum nomen prorſus interiit. Sed exiſtimo ſignificari Rheni accolas, Cleuenſes & Iuliacenſes, & Tencteros, quaſi dicas, Ambrones, *Am Rhein,* ad Rhenum. Et fortaſſis inde eſt vrbs Embrica. Non procul ab aquis Sextiis, vbi Marius vicit exercitum Teutonum, & Ambronum, vrbs eſt Ambrona.

Romani, poſt Iulium Cæſarem, nomen Germaniæ tribuerunt multis gẽtibus, intra Harcynium ſaltum & Viſtulam, & mare Septentrionale. Etſi autem in noſtra lingua nunc non eſt vſus huius nominis, tamen non exiſtimo Latinam originem eſſe, ſed vt Cimbri, Dai & Sueui ex oriente ad hoc littus Septentrionale acceſſerunt, ita progreſſos eſſe ex Aſia Germanios & Sacas exiſtimo. Nominat Germanios Herodotus in 1. libro, & cognatum nomen cum Carmanis, quorum fortitudo laudatur à Strabone.

Etymologia nominis concinna eſt, *Herman,* vir exercitus, id eſt, militaris, vt vetus appellatio apud Plinium eſt, Hermiones.

In hiſtoria Perſica celebratiſſimi ſunt Sacæ, & apud Cyrum res magnas geſſerunt, inde nomen eſſe Saxonum, iudico. Et eſt Sacæ, aut habitatores, aut pares.

Germanos, vetuſtas diſtinxit à Noricis & Rhetis. Nec dubiũ eſt Noricos tenuiſſe eas regiones, quæ nũc ſunt Bauaria inferior, & Auſtria, & vicina pars Alpiũ. Nomẽ reliquum eſt in extrema ora, citra Noribergam. Eſt autem etymologia Norici à *Nort,* id eſt, Septentrione, *am Ort* vel *nach* Arcto. Eámque appellationem veteribus Græcis notã fuiſſe exiſtimo, & quidam ſic interpretantur apud Homerum Νώροπα χαλκὸν de Noricis ferramentis.

Rheti tenuerunt Alpes, Galliæ propiores, & regiones vicinas, vſque ad Auguſtam, quam vetuſtas nominauit Augu-

Auguſtam Rheticam. Appellatio adhuc in extrema ora hæret prope Noribergam, & claram fuiſse gentem, inde apparet; quia inter Gigantes, & Centauros, Græci nominant Rhetum, id eſt, impetuoſum.

Poſtea autē magna eius regionis pars, Sueuia dicta eſt, quia Auguſtus tranſtulit in eum locum Sueuos, qui ex Pomerania progreſſi erant in Weſtualiam, & Romanæ prouinciæ ad Rhenum bella inferebant.

Exiſtimo autem cum Getis, & Henetos, veteribus temporibus, à Viſtula paulatim progreſſos eſſe ad regionem Albi vicinam, & ad littus Septentrionale, vbi vetuſtas nominat Venedos, ad ſinum Venedicum. Et lingua Heneta oſtendit eam gentem, etſi clara & potēs nunc quoque eſt, tamen eſſe aliam, quàm ſit illa, quæ noſtra lingua vſa eſt, quam nominamus Teutonicam.

Nomē Heneti ſignificat vagabundos, Νόμαδες id eſt, qui latè ſparſi, diuerſas regiones occuparint. Celebrata eſt gēs apud Homerū, & Herodotum. Poſtea Ptolemæus inquit, Henetos, maximam Sarmatarum gentem eſſe, vt hodie Ruſſiam & Poloniam tenet, & magnam regionem à Viſtula ad Viadrum & ad Albim. Retinet autem nunc quoque gens Heneta eam regionē, quæ antea à Boiis Boiemia dicta fuit. Sunt igitur vicinæ gētes, Teutonibus, & Cimbris mixtæ; & alicubi nomina mutata ſunt imperiis, ac migrationibus. Quæ cogitantes, agnoſcamus inſtabilitatem rerum humanarum; & bella, ac migrationes maiorum, fuiſſe triſtes pœnas, cùm tot exercitus Romani, Cimbrici & Teutonici trucidati ſunt. Cogitemus autem & hoc, non tantùm ad has miſerias conditum eſſe genus humanum, ſed inter tantas confuſiones, tamen miranda bonitate, ſeruari reliquias, vt eccleſia colligatur, & Deo gratias agamus, quod nos quoque ad agnitionem Filij vocauit, & diu iam honeſtas politias, inde vſque à Carolo primo, tribuit; etſi poſtea quoque magnę vaſtationes factę ſunt. Et virtutem principum celebremus, quos Deus armauit & adiuuit in patriæ defenſione, & expectemus æternam patriam, in qua erit dulciſſima conſuetudo cum Deo, qui erit omnia in omnibus beatis.

Hæc cogitanda ſunt, cùm legimus veterum & bella & migrationes. De reliquis appellationibus partium Germaniæ dicam in hiſtoria Harminij.

Anno vrbis ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Manlius & Seruilius Cepio procōſules, à Cimbris, in aditu Alpium

victi ſunt, & trucidata ciuium, & ſociorum Romanorum octoginta millia. Cepio, cùm ei imperium abrogatum eſſet, in carcerem ductus eſt, & à carnifice necatus, & cadauer ad ſcalas Gemonias abiectum; triſte ſpectaculum fuit, & inſigne exemplum inconſtantiæ fortunæ. Nam antea & conſul, & pontifex maximus fuerat. Narrant autem punitum eſſe, quod aurum ex templis Toloſanis abſtulerat, quod antea Galli ex Delphis rapuerant. Et accommodatur prouerbium ad pœnas ſacrilegij.

Anno poſt infelicem Cepionis pugnam, Caius Marius conſul ſecūdùm factus eſt, & mādatum eſt ei bellū Cimbricum. Hic non ſtatim dimicauit, ſed vſus conſilio mulieris fatidicæ Marthæ, quam Iudæam fuiſſe exiſtimo, primùm poſt biēnium dimicauit, ad aquas Sextias, cum Teutonibus & Ambronibus, & trucidauit ducenta millia hoſtium, & cœpit nonaginta millia. Interea Cimbri ingreſſi Italiam, per Noricum, Catuli exercitum ab Alpium faucibus pepulerunt, & ad Atheſin flumen caſtra fecerunt. Huc properè veniens Marius, & exercitū Catuli cum ſuo coniungens, trucidauit centum quadraginta millia Cimbrorum, & ſexaginta, die viceſimo nono Iulij. Liberata igitur Italia Cimbricis terroribus, Marius & Catulus Romam ad triumphum redierunt.

DE BELLO SOCIALI, ET BELLIS ciuilibus poſt Cimbricum bellum.

ADVERSVS externos hoſtes magnæ res geſtæ ſunt, vſque ad finem belli Cimbrici. Iámque, velut parto ſummo imperio, orta ſunt bella inteſtina inter Romanos, & ſocios Italicos, & deinde inter Romanos ipſos, quæ fuerunt plena crudelitatis. Hæc exempla oſtendunt, imperia non humanis conſiliis ſeruari, ſed donec durant, ſeruari diuinitus, & tamen interea horribiles pœnas accedere. Nec tantum iram Dei aduerſus peccata conſpici, ſed hoc quoque, quòd inter tantos fluctus, ipſe tamen ſeruet imperia, donec durant. Omnia hæc bella, Sociale, Syllanum, & Iulianum, laniena fuerunt ciuium, nobilium & plebis, qualis non alia legitur.

Cæteris autem omiſſis, pauca de Syllano bello dicam, vt duorum ducum naturæ, magnitudo rerum geſtarum, & vitia conſiderentur. In Mario, qui Cimbros vicerat, calliditas, crudelitas & ambitio ingens fuit. Hæc cæca ambi-

tio

tio in ſene, cauſſa fuit poſtea ſæuiſſimi belli ciuilis. Cùm Sylla dux contra Mithridatem miſſus eſſet, impulit Marius Sulpitium tribunum plebis, vt legem ferret, de reuocando Sylla, & mittendo Mario ad gerendum bellum Mithridaticum. Huic legi cùm conſul Q. Pompeius aduerſaretur, filium conſulis, generum Syllæ, occidit Sulpitius. Tãto vrbis tumultu cognito; Sylla, priuſquam in Gręciam nauigaret, Romam cum exercitu rediit, & damnatis Mario & Sulpitio, reipublicæ tranquillitatem reſtituit; Sulpitium tribunum interfecit. Marius clàm fugit in Aphricam.

Deinde Sylla profectus contra Mithridatem, recuperauit Græciam, & alias prouincias à Mithridate occupatas.

Interea Romæ, cùm Cinna nouos tumultus moueret, vt Italicis iura ſuffragij daret, conſul Octauius eum vrbe expulit. Nactus exercitum Cinna, rediit ad vrbem, & reuocato ex Aphrica Mario, præcipuos viros Romanę nobilitatis interfecit: Octauium conſulem, Antonium Oratorẽ, Luciũ & Caium Cęſares fratres, Catulum, & multos alios.

Cùm Cynna vrbem obſideret, duo fratres, alter ex Cinnæ exercitu, alter ex contrario, inter ſeſe dimicarunt, cùm neuter alterum agnoſceret. Poſtea victor ſpolians interfectum, agnouit fratrem, & rogo extructo ſeſe impoſitum corpori fratris transfixit. Talia ſunt ſpectacula bellorum ciuilium.

Marius pater, proximo anno poſt reditum, ſeptuagenarius, & errans mente, mortuus eſt.

Deinde Cinna, & Carbo ſeſe, ſine comitiis, cõſules crearunt in biennium. Cúmque Cinna, metuẽs Syllæ reditum, ad quem plurimi nobiles viri confugerant, aduerſus eum ducturus eſſet exercitum, milites nolentes ingredi naues, eum interfecerunt. Ita pœnas dedit ſuæ crudelitatis, cùm initio collegam conſulem Octauium, & deinde innumerabiles præcipuos viros curaſſet interfici.

Poſt tertium annum Sylla redit in Italiam, facta pace cum Mithridate, L. Scipione & Norbano Coſſ. ducens triginta millia militum contra duos conſulares exercitus, in quibus erant ducenta millia. Sed L. Scipionis exercitus vltrò ad Syllam tranſiit. Norbani exercitum acie vicit trucidatis ſeptem millibus. Hic Norbanus poſtea in Rhodum fugiens, cùm à Sylla depoſceretur ad ſupplicium, in foro Rhodio ſibi mortem conſciuit.

Carbo fugit in Siciliam, vbi à Cnęo Pompęio captus & interfectus eſt.

Deinde & Marius filius acie victus eſt, ac ſcripſit Sylla, ſe tantum viginti milites in eo prælio amiſiſſe, hoſtium verò viginti millia cęſa eſſe, & octo millia capta. Marius filius, cùm in oppidum Preneſte fugiſſet, & circumſeſſus non poſset effugere, ſibi mortem conſciuit.

Cùm aduerſarios Sylla intra biennium à reditu viciſset, ſenatus, comitiorum cauſsa, interregẽ creauit L. Valerium Flaccum, qui legem ad populum tulit, Syllam videri è republica eſse, dictatorem dici, qui perturbatam rempublicam rurſus ordinaret, de qua lege Cicero inquit, contra Rullum: Omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimámq; legis eſse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex, de Sylla tulit, vt omnia, quæcunque ille feciſset, eſsent rata.

Sylla dictator factus, anno vrbis ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio adiunxit ſibi Coſs. Tullium Deculam & Dolabellam: ipſe, regio more, ſupra eos ſedit. Dictaturam tertio anno depoſuit: interea leges neceſsarias tulit. Donec enim vult Deus imperia ſeruari, flectit ſummos victores, ad hanc curam vt leges, iudicia, & legitimas pœnas reſtituant. Id fit aliàs mitiùs, aliàs aſperiùs. Et cùm Sylla neceſſariò coërceret inquietos ciues, multi etiam iniuſtè necati ſunt, cùm à Sylla, tum ſcelere eorum, qui familiares erant Syllæ, & aliorum opes occupabant: vt quidam modeſtus ciuis Aurelius, cùm interficeretur, clamauit: O villa Aurelia, quare occidis dominum tuum! Tantámque crudelitatem in proſcriptione exercuit, vt poſtea ſcriptum ſit: Exceſſit medicina modum.

Retinentur & hodie in Pandectis leges Corneliæ, de ſicariis & de falſariis. Sed tulit alias multas, legem maieſtatis, & de magiſtratuum ordine, de iudiciis, de repetundis, ſumptuariam, & alias, quarum pleręque poſtea, cùm in bellis ciuilibus iterum abolitæ eſsent, a Iulio, & deinde ab Auguſto renouatæ ſunt.

Tribunitiam poteſtatem Sylla non prorſus ſuſtulit. Permiſit enim, vt tribuni crearentur, ſed duos neruos incidit: Non conceſſit, vt prouocatio ad eos fieret, nec conceſſit, vt nouas leges ferrent, ſed reliquit ei ius conuocandi Senatus, vt intercederent, ſi quis videretur iniuſtè opprimi. Ideò Cicero, de Syllana lege inquit: Syllam probo, qui tribunis plebis iniuriæ poteſtatem ademit, auxilium ferendi reliquit. Profuit frænari nimiam vulgi poteſtatem, & augeri Senatus authoritatem, & tamen huic quoque frænum iniici, interceſſione tribunorum, vt ἀριστοκρατία eſset temperata

perata

perata, nec tamen infinita eſſet vulgi potentia. Eſt enim, vt Ariſtoteles dicit, mera δημοκρατία, extrema tyrannis. Et apud Herodotum grauiſsima eſt oratio, contra democratiam, Ruere inquit, vulgus, & impellere negocia ſine mente, vt feruntur magno impetu flumina. Pompeius autem reſtituit tribunitiam poteſtatem. Poſtea Auguſtus totum ius tribunitiæ poteſtatis ad ſeſe tranſtulit, ſimul vt prorſus aboleret eam, & prætextu illo retineret ius conuocandi Senatus.

Hæc conſilia conſiderentur in hiſtoriis, præſertim cùm ſimilia multa omnibus temporibus accidant. Vno, & eodem die, vrbs Noriberga, & Auguſta Rhetica, petiuerunt contraria à Sigiſmundo Imperatore. Auguſta petiuit inſtitui, ne quid Senatus conſtitueret, niſi tribunis opificum approbantibus. Noriberga petiuit, ne liceret tribunis impedire Senatus decreta. Nunc Carolus poteſtatem tribunitiam Auguſtæ rurſus ſuſtulit. Et apparet Ariſtocratiam in magno cœtu optimam eſſe.

Sylla depoſita dictatura, vixit biēnium. Fuit tanta in eo animi magnitudo, non ſolùm vt pericula contemneret, viuens ſine præſidiis, ſed etiam vt dixerit, ſe rationem rerum geſtarum redditurum eſſe. Etſi autem valdè cruenta fuit eius gubernatio, tamen Mario anteferendus eſt, qui primùm, priuata ambitione, rempublicam turbauit, nec egit hoc, vt leges, & iudicia valerent: ſed Sylla Marium iniuſtè turbantem rempublicam repreſsit: poſtea direxit victoriam ad hunc finem, vt leges, iudicia & legitimæ pœnæ reſtituerentur, quæ officia Deus gubernatoribus commendauit.

BELLVM CIVILE GESTVM, DVCIBVS Pompeio & C. Iulio Cæſare.

POſt Syllę mortem, anno triceſimo, bellum ciuile mouerunt Pompeius, & C. Iulius Cæſar, cuius hæc fuit cauſſa. Cæſar petiuerat ſe abſentem fieri conſulem, antequam ex Gallia decederet; quia, ſi priuatus in Vrbem rediiſſet, inimici eum accuſaturi & oppreſsuri erant. Populus igitur, rogantibus tribunis, & conſule Pompeio aſſentiente, iubet Caij Iulij Cæſaris abſentis rationem haberi. Poſtea inimici ſunt hortatores, ne Senatus id permittat, & Coſſ. Lentulo, & C. Marcello, ſit ſenatuſconſultum, vt ante certum diem Cæſar exercitum dimittat: ſi id non faciat videri eum contra rempublicam facere, & Pompeium ini-

mici Cæſaris ſibi adiungunt. Aduerſantur ſenatuſconſulto tribuni plebis, Marcus Antonius, Q. Caſſius, & Curio, & contendunt, ne beneficium antea promiſſũ Cęſari eripiatur. Mox & hoc decretũ ſenatus facit, vt videant Coſſ. & cæteri magiſtratus, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. Hac forma verborum Senatus vtebatur, quoties, tanquam aduerſus ſeditioſos, præcipiebat conſulibus, vt arma caperent, & vim habebat ſimilem proſcriptioni, vt nos nominamus, ſeu interdictioni aquæ & ignis. Diſcedunt igitur ex Vrbe tribuni ad Cæſarem. Statim & prouincia Gallia L. Domitio decernitur, & delectus tota Italia à conſulibus, & à Pompeio habentur. Cæſar, permiſſurum ſe iudicium populo, oſtendit, & Cicero æquas pacis cõditiones proponebat, vt & Cæſar, & Pompeius exercitus dimitterent, & Pompeius in prouinciam ſuam Hiſpaniam proficiſceretur, & Cęſar conſul fieret. Has conditiones recepturus erat Cæſar: ſed Pompeiani aduerſabantur. Cùm igitur intelligeret Cæſar & Senatuſcõſulti atrocitatem, & iam delectus haberi videret, iuſtam ſe cauſſam, ſeſe defendendi habere exiſtimans, cum exercitu procedit ad loca vicina vrbi Romæ. Cognito Cæſaris aduentu, Conſules, & Pompeius ex Italia fugientes in Epirum, traiiciunt ad vrbem Dirrachium, vbi exercitus, quantos poſſunt, ex Græcia, & Aſia contrahunt. Hæc initia fuerunt huius belli, quo, mutata veteri forma reipublicæ, deinceps, in imperio Romano, cœpit vnius eſſe ſumma potentia, vt in regno.

Cæſar antequã Romam venit, properauit ad retinẽdum Pompeium, qui adhuc Brunduſij erat, eámque vrbem circumſedit. Sed clam, nocte, diſcedente Pompeio, Brũduſini Cęſari ſe dediderũt. Poſtea primùm Cæſar vrbem Romam adiit, & in Senatu narrat, ſe neceſſariam defenſionem ſuſcepiſſe, nec ſe crudelitatem Syllæ & Marij imitaturum eſſe; hortatur, vt ſecum rempublicam gubernent, & legatos de pace ad Pompeium mittant. Nec tunc noui aliquid Romę conſtituit, ſed properans ad Pompeij exercitum, qui in Hiſpania erat, vrbem Romam Lepido commendat, Italiam M. Antonio. Ipſe poſt paucos dies in Hiſpaniam proficiſcitur, in qua exercitus Pompeij fame coëgit ad deditionem, & Hiſpanos ſibi adiunxit. Deinde & laudatiſſimã vrbem Maſſiliam, veterem Ionum coloniam, ſociam Romanorum, vi cepit. Interea Romę Lepidus rogationem tulerat, vt Cæſar dictator crearetur. Rediens igitur Cæſar

Romam;

Romam , comitia conſularia habuit,& quædam de iudiciis,& de frumento aduehendo in vrbem, tanquam dictator,ordinauit. Conſules creauit ſeſe, & Seruilium Iſauricum, ac dictaturam poſt diem vndecimum depoſuit,contentus nomine ordinariæ poteſtati conſularis, & vrbem ac Italiam conſuli Seruilio commendauit. Cúmque multi turbulenti ciues , ſpe nouarum tabularum,cumulaſſent æs alienum , legem tulit , de emptionibus & vſuris,paci vtilẽ,vt æſtimatio rerum eadẽ maneret, quæ fuiſſet ante bellum : ac in vſuris, ſi quid ſupra centeſimam ſolutum eſſet, in ſortem computaretur, & vt legitimis iudiciis,debitores cogerentur numerare,quæ debebãt. Hæc iudicia defendit poſtea Seruilius conſul, qui vrbe expulit Cęlium prætorẽ, qui plebem, ſpe nouarum tabularum , contra Cæſarem,ad mouendam ſeditionem ſollicitabat.Cęlius ſe cum Milone coniunxit,contrahẽte fugitiuorum exercitum,vt Romam rediret,ſed ambo interfecti ſunt,Milo & Cælius.

Anno igitur ſeptingenteſimo quinto, menſe Ianuario, Cæſar conſul nauigauit in Epirum, aduerſus Pompeium. Et cùm Pompeius Dirrachium teneret, Cæſar eò acceſſit. Ibi cùm multa caſtella faceret, incluſurus Pompeium, etſi in aliquot paruis præliis ſuperiores eius milites fuiſſent, tamen vno prælio maiore victus eſt Cæſar , in quo nongẽtos milites amiſit. Ex eo igitur loco in Theſſaliam diſcedit , cùm quidem & fames eum cogeret loca vberiora quærere. Sequitur eum Pompeius,ſpe elatus,propter Dirrachinum prælium.Cùm igitur ad Pharſalum ventum eſſet , nec plus Germanico milliari caſtra diſtarent , in ea Theſſaliæ ora vicit Cæſar , trucidatis quindecim millibus in exercitu Pompeij , & captis viginti quatuor millibus. Nam fugientibus , & diſſipatis hoſtibus, clamabat Cæſar; Miles,parce ciuibus.

Pompeius fugiens,acceſſit ad Lariſſam.Inde nauigauit Mitylenem, vbi eius coniunx Cornelia erat. Diuertit autem in hortum Cratippi Philoſophi , nõ ingreſſus vrbem: apud quem , cùm de fortuna quæreretur , diſputauit an ſit prouidentia,cùm in cauſſa meliore victus eſſet: Reſpondit Cratippus, fatales eſſe imperiorum periodos, & iam conuerti Romanam rempublicam in monarchiam.

Cùm autem exiſtimaret,ſibi in Ægypto futurum eſſe fidum hoſpitium,& ibi poſſe nouos exercitus colligi,eò acceſſit. Vbi, quia Ptolemæus adoleſcens regebatur alienis conſiliis , deliberarunt Pothinus eunuchus , & præceptor

adoleſcentis regis, Theodotus, Caius, & Achillas, qui præerat exercitui, an recipiendus eſſet Pompeius, quia videbant molem belli attrahi in Ægyptum, ſi reciperetur. Ac re diu diſputata, ſuaſit Theodotus, vt interficeretur Pompeius, addens dictum: Νεκρὸς οὐ δάκνει. Et apud Lucanum Photinus inquit:

Exeat aula, qui vult eſſe pius.

Nulla fides vnquam miſeros elegit amicos. Et Pompeium accuſat, qui, cùm Senatus Romanus velit Ægyptum quietam eſſe, ipſe eò bellum transferat.

Miſſi ſunt igitur, ad interficiendum Pompeium, Achillas & Septimius tribunus militum, qui olim fuerat centurio in exercitu Pompeij. Hic Romana lingua primùm alloquitur Pompeium, deinde Græca Achillas, iubent eum ex ſua naue, in qua cum coniuge & filiis vehebatur, egredi in regiam nauem. Pompeius, nihil hoſtile metuens, tranſit in aliam nauem, cum liberto Philippo, ſed exiens recitat Sophoclis verſus:

ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται
κείνου ʼστὶ δοῦλος κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Agnoſcit deinde Septimium, & alloquitur. Cúmque legeret orationem Græcam, qua Ptolemæum allocuturus erat, Septimius à tergo eum gladio transfodere cœpit, deinde labentem fodiunt Achillas & alij. Ipſe, in tam triſti exitu, nullam deformitatem oſtendit, ſed gemitum edens, caput inuoluit veſti, qua indutus erat. Poſtea transfoſſo, & necato, præcidit Septimius caput.

Conſideretur autem temporis breuitas, quo hæ tantæ res in Epiro & Theſſalia actæ ſunt. Cæſar conſul venit in Epirum menſe Ianuario. Pugna Pharſalica eo anno in Septembri, aut paulò ante facta eſt. Pompeius interfectus eſt primo die Octobris, cùm inchoaret annum nonum & quinquageſimum. Natus eſt enim die vltimo Septembris. Hic fuit exitus Pompeij, qui res magnas, patriæ vtiles, ante bellum ciuile geſſit, & vſque ad id tempus felix, & valdè carus omnibus gentibus fuerat, in hoc extremo actu, perfidioſè necatus eſt à filio eius regis, quem ipſe in regnum reſtituerat. Eſt autem inter inſignia exempla, quæ monent, non ſolùm fortunam inſtabilem eſſe, ſed etiam ſapientum magna & triſtia errata eſſe, ſicut dicitur οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ὁ πάντα σοφός. Nec Cæſar quicquam aſperiùs ei obiecit, quàm quòd dicit, hoc bellum ab eo non neceſſariò motum eſſe, & tamen magis accuſat incitatores,

tatores, quàm ipſum.

Statim autem Deus interfectores puniuit, cùm Cæſar menſe Octobri veniſſet in Ægyptum, & ipſi quoque inſidias ſtruerent Achillas, & Photinus; qui, vt videtur, hanc gloriam auferre voluerunt, quòd duos ſummos duces Romanos ſuſtuliſſent, iuſsit eos interfici. Ptolemæus ipſe fugiens, obrutus fluctibus, in mari periit, cùm Cæſar exercitum Ægyptium ad Alexandriam profligaſſet. Theodotum, poſt aliquot annos, Brutus, cùm, poſt interfectũ Cæſarem, Sardes occupaſſet, cruci affixit.

Hoc etiam conſiderandum eſt. Pompeium penè in conſpectu Ieroſolymæ interfectum eſſe, quam ante annos quindecim ceperat, in ipſo Paſchate. Et quanquam non ſpoliauit templum, tamen, dehortante ſummo ſacerdote, in Sanctum ſanctorum ingreſſus eſt. Hãc templi violationem ſequutæ ſunt pœnæ, conſiliorum errores, & inſolentia, qua pericula, non neceſsariis cauſsis, attraxit, vt de Bellerophonte dicitur, cùm res magnas, Pegaſo inſidens, geſſiſset, poſtea cum in cœlum Pegaſo vehi vellet, excuſsus, pedem fregit. Ac noſtra ætas ſimilia exempla vidit.

Coniux Pompeij Cornelia, cum ingenti dolore, ſpectatrix fuit necis mariti, in ea naue, in qua cum ipſa Pompeius vectus fuerat. Poſtea mox cum filiis in Cyprum rediit, inde eos in Aphricam miſit, ad Scipionem & Catonem. Maior natu filius Cn. Pompeius in Hiſpania, anno quarto, poſt pugnam Pharſalicam, magno prælio victus eſt, & fugiens retractus à Cæſarianis, interfectus eſt. Vixit diutius alter filius Sextus Pompeius, qui Auguſtum, & Antonium, poſt Iulium interfectũ, annos octo, variis bellis exercuit; occupauit Siciliam, tenuit mare, rediit in Bithyniam, & occupauit Niceam, & Nicomediam. Sed deceptus à Titio, duce Antonij cum ſe ei dedidiſset, ab ipſo perfidiosè interfectus eſt. Hic fuit exitus duorum filiorum Pompeij, ſúntque procul diſsitis locis interfecti, & ſepulti, pater in Ægypto, maior natu filius in Hiſpania, minor natu filius in Aſia. Hæc triſtia exempla intuentes, ſimus memores regulæ, ne extra metas officij ruamus, nec moueamus non neceſsaria. Et illud Euripidis ſæpè cogitemus: εἴ τις αὖ μεγάλα διώκων, τὰ παρόντα οὐχὶ φέρει, μαινομένων οἵδε τρόποι.

Cum autem, poſt Pharſalicam pugnam Iulius Conſul, eo anno; mẽſe Octobri, Alexandriam veniſset, primum otioſus, vt ſcholaſticus, in turba, lectiones doctorum audiuit. Sed inſidias ei ſtruxerunt illi ipſi, qui Pompeium in-

terfecerant. Ab his inſidiatoribus, cùm exercitus regij aduerſus eum contracti eſſent, magna virtute, & felicitate ab eo profligati ſunt. In eo bello, multùm adiutus eſt Antipatri principis Idumęi cõſiliis, & fide: qui fuit pater Herodis. Quare ei Cæſar Iudæam regendam, & fruendam tradidit.

Interea Romæ Cæſari in conſulatu ſucceſſerunt, anno ſeptingenteſimo ſexto, Calenus, & Vatinius. Vt autem Cęſar nomen haberet legitimi magiſtratus, dictator à M. Antonio, abſens, creatus eſt in annũ. Ac rediens eo anno Romam, ibi manſit aliquot menſibus.

Proximo anno, ſeptingenteſimo ſeptimo, tertiùm Conſul factus eſt Cæſar, cum Lepido. Eo anno in Aphrica difficile bellum geſſit, aduerſus reliquias Põpeianas; ſed vicit tandem. Ibi Petreius Iubam regem, & ſeſe interfecit. Scipio quoque, & Cato, ſibi mortem conſciuerunt. Afranius, cùm in poteſtatem Cæſaris veniſſet, interfectus eſt. Inde Romam reuerſus Cæſar, anno ſeptingenteſimo octauo, creatus eſt dictator tertiùm, in annos decem, & conſul quartùm, ſine collega factus eſt. Egit cenſum, ordinauit iudicia, ſuppleuit Senatum, & tempora rectoribus prouinciarum præſcribit.

Anno ſeptingenteſimo nono menſe Aprili, dimicauit ad Mundam cum filiis Pompeij, magno cum periculo. Nam cùm primus impetum in hoſtem faceret, ducenta in eum tela coniecta ſunt: & ſerò ad veſperam vicit, trucidatis triginta millibus hoſtium.

Recepta Hiſpania, & pacatis omnibus prouinciis, Romam, menſe Octobri rediit, vbi ei noui honores decreti ſunt, vt dictator perpetuus, & imperator nominaretur, & ſacroſanctus eſſet, id eſt, inuiolabilis, ἱερὸς καὶ ἄσυλος, & vt magiſtratus iurarent in ipſius acta. Ita, ſumma poteſtas ei attributa eſt vniuerſæ gubernationis. Eo tempore leges Iulias tulit. Et annum ordinauit, quo hactenus vniuerſa poſteritas vſa eſt, qui & annus Iulianus appellatur; cuius rationem perturbatam, in bellis ciuilibus, Auguſtus reſtituit. Nã, ante Iulium Romani, mẽſibus duodecim lunaribus annum finiebant; & quia ſuperſunt vndecim dies, qui nominantur ἐπάκται intra octo annos addebantur tres mẽſes intercalares, quos nominabant ὀκταετηρίδα, ita, vt tres anni poſtremi haberent ſinguli tredecim menſes. Hęc ratio, cùm eſſet confuſior, nec initia annorũ in diem certum inciderent, Iulius, hanc politiam, & ſolaris anni rationem, de conſilio Soſigenis mathematici, inſtituit, quem ex Alexandria

lexandria Romam duxerat. Nam, in imperiis, certã annorum rationem eſſe, propter multas magnas cauſſas, iudicia, contractus, hiſtorias, neceſſarium eſt.

Semper autem etiam, mediocres gubernatores in magnis periculis ſunt. Caſſius igitur, cum non obtinuiſſet præturam vrbanam, quam appetebat, & alioqui Cæſarem odiſſet, primus fuit autor conſilij de interficiendo Cęſare, & arte Brutũ ad ſocietatem huius conſilij pertraxit. Deinde Bruti autoritas cæteros adiunxit. Facta igitur arcana conſpiratione, Idibus Martiis, Iulius Cæſar, in curia Pompeij, à Caſſio, & Bruto, & cæteris, huius conſilij conſciis, interfectus eſt, acceptis viginti tribus vulneribus.

Hic exitus tanti viri, inter inſignia exempla eſt, non ſolùm inſtabilitatis fortunæ, ſed etiam ingratitudinis humanæ, & perfidiæ. Quia plurimi interfectores à Iulio non ſolùm ſeruati, ſed etiam honoribus & potentia ornati fuerunt. Nec, eo ſublato, pax eſſe potuit, etſi Cicero & alij ſenatores pacem facere conati ſunt. Ac ſtatim poſtridie in Senatu factum eſt decretum de ἀμνηστίᾳ id eſt, vt omnium priorum offenſionum, & cædis obliuio eſſet, & forma reipublicæ non mutaretur, nec noua bella mouerentur.

Quàm breuis fuerit dominatio Cæſaris, poſt reditũ ex Hiſpania, pacatis omnibus prouinciis, intelligi poteſt ex temporum ſerie. Menſe Octobri Romam reuerſus, proximo Martio interfectus eſt, anno ætatis ſexto & quinquageſimo. Anno belli ciuilis, à fuga Pompeij ex Italia, ſexto. Nec intexam diſputationem de iure. Etſi fecit quædam inſolentiùs, tamen multò moderatior fuit Sylla, & Mario, & aliis; qui antea in ciuilibus bellis rempublicam oppreſſerunt. Et cùm reuera Iulius magiſtratus eſſet, decreto publico confirmatus, quo ei tributa erat ſumma poteſtas, & quo ſanxerat Senatus eum inuiolabilem eſſe, iniuſtum fuit eum interficere. De initio belli, etiam iudico, eum, in caſu legitimæ defenſionis, arma cepiſſe. Sed ſciamus res humanas, quamlibet florentes, facillimè euerti, deſerente Deo, ſicut ſcriptum eſt: Scio, Domine, non eſt hominis via eius, &c. Et meminerimus dictum Herodoti in Polymnia: Θνητὸν οὐδένα εἶναι, οὐδ' ἔσεσθαι τῷ κακὸν ἐξ ἀρχῆς γινομένῳ οὐ συνεμίχθη, τοῖς δὲ μεγίστοις, μέγιστα.

Interfecto autem Iulio, pax teneri non potuit. Senatus ad reprimendum Antonium, adiunxit ſibi Octauium Cæſarem. Poſtea ſe coniunxerunt Octauius Cæſar, Antonius, & Lepidus, menſe Decembri eiuſdem anni, quo Iu-

lius interfectus fuit. Horum triumuiratus plenus fuit crudelitatis. Multi pręcipuę nobilitatis Romæ proſcripti, & interfecti ſunt. Tunc & M. Cicero, ingreſſus annum ſexageſimum quartum, menſe Ianuario, interfectus eſt, cuius caput, cum dextra, in roſtris poſitum eſt.

Anno ſeptingenteſimo duodecimo, Antonius & Octauius Cæſar, Brutum, & Caſſium, bello perſequuti ſunt. Caſſius ſibi ipſe mortem conſciuit. Brutus poſtea quoque ſe interfici à Stratone iuſſit, cùm aliquantò ante Brutus recitaſſet hunc verſum.

Ζεῦ μὴ λάθοι σὲ, τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν : quo verſu, mala imprecatus eſt autori tantarum calamitatum.

Tandem & inter triumuiros diſſenſiones ortæ ſunt, vt dicitur:

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit. Cúmque Antonius, ſperans ſe ſolùm potiturum imperio, ex Ægypto magnum exercitum Romam adduceret, Octauius Cæſar, cum exercitu, in Epirum traiecit, vbi victum, & fugatum Antonium, ſequutus eſt Alexandriam. Ibi, ante aduentum Octauij Cæſaris, domunculam extruxerat, in qua, velut in ſeceſſu, dicebat ſe Timonis *μισανθρώπου* vitã acturum eſſe. Poſtea ab Octauio circumſeſſus, cùm aliquoties infeliciter dimicaſſet, & ei falsò nunciatum eſſet, Cleopatram ſibi conſciuiſſe mortem, ipſe ſeſe interfecit, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto, anno autem duodecimo poſt mortem Iulij Cæſaris. Deinde & Cleopatra ſibi aſpides admouit, quæ eam necarunt. Hæc facta ſunt anno Vrbis ſeptingenteſimo viceſimo ſecundo. Poſtea ſolus tenuit imperium Octauius Cæſar, cui Senatus tribuit nomen Auguſti.

DE IVDÆA ET DE ECCLESIA.

CVm, in hiſtoria, conſideratio eccleſiæ præcipua eſſe debeat, diſcamus etiam in hac vniuerſali mutatione generis humani, cùm intra paucos annos, & ceſſiſſet Romanæ potentiæ penè totus orbis terrarum, nobis cognitus, & ipſi inter ſeſe Romani ciues, moto bello domeſtico, collegæ, magnas vaſtationes in toto imperio feciſſent, an Iudæa fuerit tranquilla; vbi ſedes fuerit veræ eccleſiæ.

Incidit autem in hanc vniuerſalem generis humani mutationem, & finis propriæ periodi regni Iudaici, de qua dictum fuit: Non auferetur ſceptrum à Iuda, donec venerit Siloh. Quare, cùm articuli illi mutationum maximè

mè ſunt turbulenti,Iudæa etiam fuit inquieta , ſed ipſa,vt fit,domeſtica fratrum diſcordia, attraxit ingentes calamitates,quas tamen Deus mitigauit,ne funditùs eccleſia deleretur. Primùm autem de eccleſia in ea ſede hæc conſiderentur. Sacerdotia tenebant homines prophani , doctrinæ genus,quòd latiſsimè vagabatur in populo,erat Pharifaicum.Nec tamen exigua multitudo amplexa eſt Epicuręos furores Zadducęorum. Ita in magna multitudine extincta fuit vera inuocatio Dei,partim ſuperſtitione Phariſęorum,partim Epicuręa prophanitate Zadducęorũ. Seruauit tamen Deus pias reliquias , Simeonem, Zachariam, parentes Mariæ, & cœtum aliquem,qui horum doctrinam piè,& conſtanter amplexus eſt, & verè Deum,cũ ipſis,inuocauit, in agnitione & fiducia Filij Dei, & ab erroribus Phariſæorum & Zadducæorum abhorruit, & eos,quoties fuit occaſio,refutauit.Hic pius cœtus,in quantis fuerit periculis,intelligi poteſt, ex morte Zachariæ patris Baptiſtę. Credo enim vetuſtati, quæ narrat Zachariam,propter piã confeſsionem, interfectum eſſe. Accedebant autem aliæ magnæ calamitates,propter aſsidua bella , donec Iudæam Auguſtus in prouinciæ formam redegit. Poſtquam enim Pompeius,capta Ieroſolyma , anno quindecimo,ante bellum ciuile ſuſceptum aduerſus Iulium;Hircano ſummum ſacerdotium reſtituit, & Ariſtobulum, cum duobus filiis, Alexandro & Antigono, Romam abduxit , rurſus bella in Iudæa mota ſunt , anno, poſt iter Pompeij,ſeptimo,ab Ariſtobulo, qui ex vrbe Roma,clàm fugiens , in Iudęam rediit.

Cúmque Alexander biennio in Iudæa graſſatus eſſet, peruenit in amicitiam Craſsi, cui fuit incitator,vt Ieroſolymam ingrederetur , vbi magnam pecuniam auferre poſſet. Facilè perſuadet auariſsimo duci,qui templum violauit atrociùs,quàm Pompeius. Nam & in adytum ingreſſus eſt,& abſtulit decem millia talentorum,id eſt,ſexaginta tonnas auri & alia ornamenta. Eius ſacrilegij poſtea pœnas dederunt & Craſſus , & hic Ariſtobuli filius , Alexander,interfectus à Scipione, qui initio belli Pompeiani, Syriam regebat.Pater Ariſtobulus,ſecundò reuerſus in Iudæam,cum duabus legionibus , à Iulio datis, veneno extinctus eſt à Pompeianis.

FugeratAntigonus, Ariſtobuli filius ex vrbe Roma,cum fratre Alexandro. Cúmque Iulius ex Ægypto in Iudæam veniſſet , petiuit ſibi regnum tradi , quod Pompeius Hir-

cano patruo tribuerat; ſperans,odio Pompeij,Iulium fore ſibi æquiorem.Sed Iulius prætulit Idumęum Antipatrum, cuius ſapientiam & fidem probabat. Etſi Antipater moderatus erat; tamen Iudæi,impatienter ferentes peregrinum dominũ,ſubinde ſeditiones mouerunt. Ezechiam ducẽ ſeditioſorum fortiter oppreſſit Herodes,cui pater Galilæam tuendam cõmendauerat.Poſtea,interfecto Iulio,cũ ſperarent inimici Antipatri nouã rerum conuerſionem,necatur Antipater veneno, a Malcho: qui cùm regnum appeteret, Caſſio,interfectori Iulij, miſſo in Syriam,ſe adiunxit. Sed Caſſius ſeditioſum hominem Malchum interfici iuſsit.

Tertio anno,poſt interfectum Iulium,cùm rex Parthorum ſperaret ſe potiturum eſſe Syria, cum & Caſsius iam, poſt pugnam in Macedonia, periiſset,adduxit exercitũ in Syriam.In tantis confuſionibus totius orbis terrarum,nouas ſpes & Antigonus habet:impetrat auxilia à Pacoro rege Parthorum,& Ieroſolymam in Pentecoſte occupat,fitq; magnum prælium intra mœnia. Cúmque Phaſelus,& Hircanus,ad Pacorum fraude adducti eſſent, rex Pacorus regnum Iudęę tradit Antigono,& retinet captiuos Hircanum,& Phaſelum. Hircanus truncatur auribus:& in Parthos mittitur:Phaſelus contumeliarum impatiens,in vinculis,capite alliſo ad parietem,mortem ſibi conſciuit.

Interea,magno cum periculo,primum in Idumęam fugiens Herodes euaſit.Poſtea ad vrbẽ Romam acceſsit,vbi laudata patris fide,erga Iuliũ,& commemorata ſocietate Antigoni cum Parthis, Antigonus iudicatur hoſtis populi Romani,& Herodes rex Iudææ appellatur. Et egreſsus ex curia,medius inter Antonium, & Octauium præcedẽtibus conſulibus,Domitio Caluino,& Aſinio Pollione,& comitátibus reliquis magiſtratibus, & ſenatoribus,in Capitolium ad ſacrificium deducitur. Hæc acta ſunt anno quarto poſt interfectum Iulium, ante natum Chriſtum triceſimo ſeptimo. Initium enim regni Herodis ab hoc anno ſumitur, quo rex à Senatu Romano appellatus eſt. Interea in Iudæa regnat Antigonus,& regnum ante annos quinque tenuit. Sed inter aſsidua bella, & inter tantas vaſtationes, & petulantiam militum, qui ex crudeliſsimis gentibus collecti erant,Iudæis,Parthis, Arabibus,Syriacis & Romanis,familias pias, vt Zachariæ, Simeonis, parentum Mariæ, & ſimiles protectas, & ſeruatas eſſe, valdè mirum eſt. Verum hęc imago docet nos, eccleſiam à Deo protegi, & ſeruari inter horribiles ruinas imperiorum

etiam

etiam deſtitutam humanis præſidiis.

Rediit Herodes ſtatim in Syriam, cum Ventidio miſſus aduerſus Parthos, & quanquam acceperat partem copiarum à Ventidio, tamen intra biennium recuperare Ieroſolymam non potuit. Interea milites in vtraque parte trucidabant, & ſpoliabant multos inermes, & multorum coniuges, & filias rapiebant, quia dux, Herodi additus, Silo, pecunia corruptus erat ab Antigono. Tandem cùm Antigonus veniſſet in Syriam, ducem Soſium cum duabus legionibus Herodi adiungit. Has copias cùm adiunxiſſet Herodes cum ſuo exercitu, Ieroſolymam quinque menſibus circumſidet, & factis aliquot præliis, ſexto menſe eam capit, eodem die & menſe, quo eam ceperat Pompeius, ante annos ſeptem & viginti. Magna cædes in vrbe facta eſt. Antigonus abducitur ad Antonium Antiochiam, & ibi, iubente Antonio, tanquam hoſtis populi Romani, ſecuri percuſſus eſt.

Facta igitur regni & regij nominis tranſlatione ad peregrinam ſtirpem, nemo poſtea ex ſtirpe Iuda regnauit. Summum ſacerdotium etiam dederunt reges, quibus libuit, contra legem Moſaicam. Hircanum reuocauit Herodes ex Babylone, datis muneribus regi Parthorũ, ſed propter mutilationem aurium: nõ reſtituit ei ſummum ſacerdotiũ. Poſtea octogenariũ interfici iuſſit. Deleuit & ſummum Senatum populi Iudęorũ, videlicet ſeptuaginta duos ſeniores, quem Senatum Iudęi nominarunt Sanhedrin, vocabulo facto ex Græca appellatione συνέδριον.

Cùm igitur magna multitudo populi errores Phariſæorum, & Zadducæorum amplexa eſſet, & in aſſiduis ſeditionibus & bellis, inter impios milites creſceret prophanitas, & multi pij interficerentur, & ſtudia veræ doctrinæ extinguerentur, quàm fuerit exigua vera eccleſia, cogitandum eſt. Fuit tamen aliqua, in qua manſerunt lux veræ doctrinæ de Deo, & de Filio Dei de lege, de promiſſione gratiæ, de veris cultibus, & vera Dei inuocatione, & initia ſalutis æternæ: ſcilicet Zacharias, Elizabet, Simeon, parentes Mariæ, Maria virgo, ſoror eius, & cœtus, qui horum doctrinam amplexus ęſt.

Sciamus autem, illud tempus imaginem eſſe huius ſenectæ mũdi. in qua etiam vniuerſalis mutatio generis humani in conſpectu eſt. Latiſſimè vagatur doctrina Monachorum, & Papę, vt Phariſæorum, & Zadducæorum, quæ pugnat cum lege Dei, ac euangelio, & iubet idola cole-

re: & delere nomen Filij Dei palàm conantur Gog & Magog, id eſt, Turci, & alij Mahometici; & ſtabiliunt idola plurimi reges, principes & eorum doctores. Inter has confuſiones ſeruat tamen Deus aliquam veram eccleſiam, quę ſonat veram doctrinam, & rectè inuocat eum in agnitione & fiducia Filij, ſicut expreſsè dicitur de extrema ſenecta mundi: Erit ſicut in diebus Nohæ, vnus aſſumetur, alter relinquetur. Confirmemur autem exemplo triſtiſſimi temporis Zachariæ, ne cogitemus nullam eſſe eccleſiam Dei; quia adeò exiguam eſſe videmus, & oppreſſam ingentibus calamitatibus, ſed firma adſenſione, quotidie pronunciemus articulum in Symbolo: Credo eſſe eccleſiam Catholicam, & diſcamus, quæ, & vbi ſit vera Dei eccleſia, & nos in eam includamus, ſperemus Filium Dei nos protecturum & ſeruaturum eſſe. Et vt nos protegat & ſeruet, aſſiduis votis, & gemitibus petamus, ſicut dixit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

DEO GRATIA.

CHRO-

SECVNDA PARS
CHRONICI
CARIONIS,

A
PHILIPPO MELAN-
THONE AVCTI,
& expoſiti.

EPIGRAMMA

DE MONARCHIIS.

ASpicis vt iaceant diſiecti membra coloſſi,
Quem rex Chaldæa vidit in arce ſenex.
Stat tantùm pars ima pedum, ferróque, lutóque
Mixta, ſtatim rimis corruitura ſuis.
Deleuere vrbes Turci, populóſque potentes,
Nec gens imperium ſæuior vlla tenet.
Sunt igitur Turci magnę pars ferrea plantæ,
Et ſunt infirmum cętera regna lutum.
Sed lapis abſque manu celſo de monte reuulſus,
Móxque aderit iudex Filius ipſe Dei.
Totius & plantæ delens ferrúmque, lutúmque,
Regna dabit populo non peritura ſuo.
Ergo Dei Gnato dedant ſe pectora noſtra,
Ipſius & diſcant iuſſa verenda ſequi.
Ω λόγε, Gnate Dei, noſtris in mentibus adſis,
Et flatu accendas pectora noſtra tuo.

Philippus Melanchthon.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI, ET Domino; Domino Sigiſmundo, Archiepiſcopo Meideburgenſi, Primati Germaniç, Adminiſtratori Halberſtatenſi, Marchioni Brandeburgenſi, Duci Pomeraniæ, Sileſię,&c. Burggrauio Noribergenſi,&c. Principi clementiſſimo S.D.

NON dubium eſt, fateri ſanos omnes, neceſſariam eſſe cognitionem hiſtorię omnium tẽporum, de Eccleſia pręſertim, & de ſerie Imperiorum, quę fuerunt in genere humano pręcipua, quantum ſciri poteſt. Sed noſtrę commemorationes, de vtilitate lectionis hiſtoriarum proponuntur iuniorum cauſſa, vt ad hanc conſiderationem inuitentur, quam ſi qui nõ expetunt, amentia eorum & deteſtanda, & deploranda eſt. Aliquid igitur in veſtibulo primæ partis huius compendij, de ſerie temporum mundi, de vtilitate huius lectionis dixi, iuniorum cauſſa, meáſque adhortationes multis prodeſſe optarim.

Ego quidem bono ſtudio, hoc compendium inſtitui, ſed fateor quod res eſt: vt in longo itinere, ita in hoc opere, quò longiùs progreſſus ſum, eò magis defatigatus ſum. Initia mundi & Imperiorum habent & res ſplendidiores, & ſcriptores meliores.

Quanta magnitudo eſt diuinorum operum, in eductione Eccleſię ex Ægypto, in conſtitutione, & defenſione politiæ Moſaicę: quanta virtus in Monarchiis, in Cyro, in Dario Hiſtaſpis, in Philippo Macedone, in Alexandro, Antigono, Pyrrho: in Atticis ducibus Miltiade, Themiſtocle, Cimone, Ariſtide: in Romanis Camillo, Fabiis, Marcellis, Scipionibus, Æmiliis, Pompeio, Iulio, hos vtcunque complexi ſumus in priore libello. Et quid dulcius eſt lectione ſacrorum ſcriptorum, ex quibus illorum hiſtoriæ excerpendę fuerunt, vt Prophetarum, deinde Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Diodori, Liuij, Iulij. At poſt Auguſtum, præter initia Eccleſię Chriſti, quid in cæteris eſt, quod delectare legentem poſſit.

Cohorreſco, intuẽs illa monſtra Imperatorum, quæ ſequuntur plurima, ac deploro hanc ingentem calamitatem generis humani, quod in ſummo faſtigio conſpici ſapientiam, & virtutẽ,

Deus velit, tamen plurimi Imperatores ſpurciſſimę belluæ fuerunt. Nec habet ſequens ætas poſt Auguſtum, ſcriptores diſertos, quia ἀπὸ ἔργων οὐ καλῶν οὐκ ἐστὶν ἔπη καλά, *& quia deterrebantur idonei ſcriptores metu tyrannorum. Præterea, quàm triſtia ſpectacula ſunt laniena Theologicę, Hæreticorum rabies, vlulatus furiarum in impiis dogmatibus, Sinonia conſilia in incitandis aulis, præſtigia ſophiſmatum in tuendis manifeſtis mendaciis. Quare hic mihi labor, priore multò & difficilior & moleſtior fuit. Pertexui tamen & hanc partem, quia literarum ſtudioſos neceſſe eſt, integram temporum ſeriem noſſe.*

Quod autem, voce diuina, prædictum eſt: In ſenecta mundi maiores fore Imperiorum, & Hiſteriæ cõfuſiones, id in hac parte Eccleſiæ conſpicitur. In dilaceratione Romani Imperij, quantùm initio ſeditionum fuit, poſtea, quàm multæ gentes, antea ignotæ, inter ſe orbem terrarum partitæ ſunt. Interea & doctrinæ extinctæ ſunt, & ἀναρχία *licentiam prębuit malis ingeniis, ſpargendi infinita deliria. Harum calamitatum conſideratio ad quid prodeſt, inquies?*

Exiſtimo bona ingenia moneri primùm, vt magis cogitent, quantis periculis viuant: deinde vt nauigantes in ſæuiſſima tẽpeſtate, duas res adhibeant, inuocationem Dei & diligentiam, qua, ſuo quiſque loco, mandatas operas modeſtè facit, ne in ipſa naue ſeditioſi tumultus oriantur. Ita nunc & aſſiduis votis petamus, vt filius Dei ſuam cymbam gubernet, & ſemper inter nos aliquam ſibi Eccleſiam colligat, & præbeat ei mediocria hoſpitia, nec ſinat fieri infinitas diſſipationes. Deinde accedat hæc diligẽtia: Vt gubernator nauis, ſeu ex ſtellis, ſeu ex magnetis acie iudicat, quà dirigenda ſit nauis: ita nos, magna cura, circumſpectemus quæ & vbi ſit vera Eccleſia, Deum rectè inuocans, quod iudicari ex genere doctrinę poteſt. Non enim ſunt aut paruæ, aut obſcurę res, de quibus diſſenſiones ſunt.

Facilè eſt iudicium, qui homines, in quibus locis, manifeſta idola, & manifeſtè abſurda tueãtur, & qui ad defenſionem errorum, parricidia addant. Hęc non tegi poſſunt grandiloquentia Staphyli, aut præſtigiis ſophiſtarum, qui ſui theatri plauſus captant. Simus memores vocis Pſalmi: Beati, qui habitant in domo tua, Domine. Et rectè Nazianzenus:

Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως [illegible] ἀγνὸν ἀλύξω.

Deinde cùm conſtiteris in hac naue, quę verè eſt eccleſia, modeſtè facito mandatas operas, non moueto ſeditiones inter remiges, quædam incommoda ſapienter feras, coniunctionem tuearis, circumſpectes quales ſint qui ſeditiones mouent, & quas cauſſas habeant. Quidam inſcitia peccant, ſed multò plures ambitione,

bitione, cupiditate vindictæ, & auaritię, qui morbi facilè deprehendi poſſunt. Samoſatenum, ambitio, & aulica potentia, apud Zenobiam, impulit, vt Iudaicas corruptelas ſereret.

Quàm multi apud Conſtantinum, & deinde apud Iulianũ, vt potentiam aut opes venarentur, veritatem abiecerunt: non indulgeamus his cupiditatibus, de quibus inquit Naziãzenus: Ταῦτα μὲν οἷσι φίλον καὶ κερκώπων κράτος εἴη. Αὐτὰρ ἐγὼ Χριστοῦ πλάσομαι ἀτρεμίαν. *Anteferamus vniuerſæ Eccleſiæ ſalutem noſtris commoditatibus. De hoc enim ferè dici poteſt illud Sophocleũ:*

Ἥδ' ἐστὶν ἡ σῴζουσα, καὶ ταύτης ἔπι
Πλέοντες ὀρθῆς, τοὺς φίλους ποιούμεθα.

Eſt hiſtoria pictura generis humani, in qua & Imperiorum & Eccleſiæ ærumnæ, & pericula cernuntur, quæ aſpicientes, & in ciuili conſuetudine, & in Eccleſia modeſtiſsimus, intuentes & noſtram & alienam infirmitatem, cogitantes etiam illud, exorta incendia non facilè reſtingui, & ferè ſemper ex vno tumultu, longi temporis bella, & orbis mutationes ſequi. Quantã ruinam traxit Ariana diſcordia? ex qua poſtea Mahometici furores orti, maximã partem generis humani à Deo auulſerũt.

Hæc cogitanda ſunt in lectione hiſtoriarum, & mentes ad modeſtiam flectendæ ſunt. Prodeſt etiam ſcire in Eccleſia, quid ſaniores, quolibet tempore, iudicauerint, & quæ ipſi vetuſtiora teſtimonia protulerint. Neceſſe eſt enim, noſſe primæ, & purioris Eccleſiæ ſententias. Spero igitur & hunc noſtrum laborem ſtudioſis profuturum eſſe, &, vt proſit opto.

Volui autem, & in hac editione, mentionem tui nominis facere, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Princeps: propter eaſdem cauſſas, quas expoſui in priore editione, ac Celſitudinem Tuam oro, vt honeſtas doctrinas, & rectè docentes, authoritate tua, contra rabiem ſophiſtarum, qui & doctrinas & diſciplinam delere conantur, tuearis.

Toto pectore autem Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, ſedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, oro, vt ſemper in his regionibus Eccleſiam ſibi colligat, eámque gubernet, & protegat, Amen. Anno 1560. Die 25. Martij, quo die Filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ante annos 1526. in cruce pro nobis victima factus eſt. Et ſcribitur, eo die creatos eſſe Adam, & Heuam, ante annos 5522.

Illuſtriſſ. Celſitudinis
Tuæ ſeruus,

PH. MELANCHTHON.

LIBER TERTIVS, DE QVARTA monarchia.

CVM Daniel quartam Monarchiam nominat, & pingit, non tantùm à Iulio, aut Auguſto eam orditur, ſed complectitur tempus, quo vrbs Roma ſummum imperium tenuit, etiam ante bella ciuilia. Et cùm adeò terribilem ſpeciem pingit, ſignificat bella ciuilia; & deinde ſæuitiam, quam tyranni in illo Imperio, in Eccleſiam exercuerunt; quia hæc duo mala maximas vaſtationes, in genere humano, ante Gotthica. Sarracenica, & Turcica tempora, fecerunt. Iterum verò conſideremus, quare Deus notam voluerit eſſe ſeriem Monarchiarum: videlicet, quia vult ſciri, has generis humani confuſiones non fore ſempiternas, ſed aliquando finem futurum eſſe, & ſequuturam meliorem eccleſiæ vitam. Vult item ſciri, quo tempore Filius Dei, ſe oſtenſurus fuerit hominibus, & poſtea in fine mũdi ſit iudicaturus. Ideò Monarchias diſtinguit, vt monſtraret tempus aduentus Filij. Ac prædicit Filium in quarta Monarchia venturum eſſe. Non igitur deficiamus à Deo, ſed expectemus aliam vitam, & ſciamus illud tempus melioris vitæ, non procul eſſe. Hæc, & alia multa conſideranda ſunt, in lectione Danielis. Nos ad ſeriem redeamus. Vſitatum eſt ordiri quartam Monarchiam à Iulio, vel Auguſto, eam conſuetudinem nos quoque ſequimur.

ANNOTATIO ANNORVM.

Ab initio Iulij inchoãtur anni Auguſti, cum Auguſto tribuuntur anni quinquaginta ſex.

Imperator Octauius Cæſar Auguſtus tenuit Imperium, ab interitu Iulij, anno 56. In his annis incluſi ſunt anni 12. in quibus habuit collegam Antonium.

Cùm autem inchoãtur anni Auguſti, ab interitu Iulij, initiũ erit ab anno vrbis Romæ ſeptingẽteſimo vndecimo.

Anno mundi ter milleſimo, nongẽteſimo viceſimo tertio.

Anno à morte Alexandri, vſque ad interfectum Iulium, vt Ptolemæus

Ptolemæus numerat, ducenteſimo octogeſimo ſecundo.

Anno, ante Chriſtum natum ex virgine Maria, quadrageſimo ſecundo, ab interitu Iulij.

Eſtque diligenter obſeruandum, vbi anni Antonij includantur, aut non includantur.

Mirandi ſucceſsus Auguſti conſiderentur in integris hiſtoriis, & opera Dei eſſe agnoſcamus, conſtitutionem Imperij in horribilibus confuſionibus, quales tunc fuerunt, Bruto, Caſſio, Dolabella, Lepido, L. Antonio, Sex. Pōpeio, M. Antonio paſſim bella mouentibus. Hos omnes diuinitùs oppreſſit Auguſtus : cùm adoleſcens primùm conſul factus fuiſſet, natus annos viginti.

Nomen Cæſaris habuit, propter adoptionem ; quia Iulius eum, cùm natus eſſet ex Accia filia ſororis Iulij, adoptauit, & hæredem ſcripſit. Ideò fuit hoſtis interfectorum Iulij.

Iula, ſoror Iulij, Accius Balbus, maritus Iuliæ.

Accia, filia Iuliæ, & Accij Balbi, nupta Octauio.

Octauius Auguſtus, filius Octauij, & Acciæ.

Bellis ciuilibus finitis extincto Antonio, præcipua bella geſsit Auguſtus per Tiberium, in Pannonia, & Norico. Item per Druſum Germanicum in Rhetia, & Vindelicis. Poſtea, non procul à Moguntia, Druſus cùm in prælio crus fregiſſet, mortuus eſt. Strabo inquit lib. 7. inter Salam, & Rhenum præliātem, læſum eſse. Suprà autem de Norici, & Rhetiæ appellationibus dictum eſt. Noricum, eſt inferior Bauaria, & Auſtria. Rhetia, quæ ab Alpibus vſque ad Auguſtā Rheticā porrigitur, Tirolenſis regio, & vicinia. Anno Auguſti Imperatoris quadrageſimo ſecundo, natus eſt ex virgine Maria, Filius Dei, Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui eſt λόγος æterni Patris, ac protulit ex ſinu æterni Patris, promiſsionem gratiæ, & alloquutus eſt primos Patres, & ſemper colligit æternam Eccleſiam; & aſſumſit humanam naturam, vt eſſet Mediator, Redemtor, & Saluator, merito, & efficacia: de qua, tota doctrina Euāgelij cognoſcenda eſt, ſicut præcipit æternus Pater: Hic eſt filius meus dilectus, quo delector: hunc audite. Vt autem prædictum fuit, natus eſt Chriſtus ex Virgine, in fine politiæ

Moſaicæ, cùm iam peregrinus Rex eſſet Herodes, ſicut prædictum fuit: Non auferetur ſceptrum à Iuda, nec Magiſter à pedibus eius, donec venerit Siloh.

In dicto Eliæ, etiam tempora mundi ſic diſtributa ſunt, vt ſignificetur, Meſſiam ſe oſtenſurum eſſe mundo, poſt quatuor millenarios. Natus eſt Chriſtus ex Virgine, anno mundi ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo tertio. Ita apparet ferè completos eſſe quatuor millenarios. Eſtque hic annus, à morte Alexandri, annus treceteſimus viceſimus quartus. Annus vrbis Romæ, ſeptingenteſimus quinquageſimus primus.

DE HARMINIO DVCE Cheruſcorum.

DIon ſcribit, Quinto Sulpitio, & Poppeo Sabino Conſulibus, trucidatas eſſe Romanas legiones in Germania: quarum dux fuit Quintilius Varus. Incidit autem horum Cōſulatus, in annum vndecimum ætatis Chriſti; quo tempore Iudæa tranquilla erat. Cùm enim Archelaus tria millia ciuium, qui in templum confugerant in Paſchate interfeciſſet, & ſummum ſacerdotium traderet, & eriperet, quibus vellet, & magna ſæuitia multitudinem irritaret, vnde crebræ ſeditiones oriebantur: Auguſtus, vocatum Romam, relegauit in Galliam, & dedit rectorem Iudææ, Coponium. Ita nunc primùm in formam prouinciæ Iudæa redacta eſt, conceſſa tamen genti αὐτονομία in religione, & iuriſdictione inferiore. Hoc modo pacem Deus Iudææ tribuit, per Romanos Magiſtratus, vt Eccleſiæ reliquię ſeruarentur, & Zacharias, Simeon, Iohannes, Chriſtus, & deinde Apoſtoli aliquantiſper locum docendi haberent. Nam Herodes, & eius poſteri, non faciebant finem laniénæ, trucidabant præcipuos viros, & aſſiduis ſeditionibus occaſionem præbebant.

Cùm igitur pax eſſet, Coponio regente Iudæã, Chriſtus, anno duodecimo ſuæ ætatis, Ieroſolymæ in tẽplo docuit.

Ante eum annum, aut circiter, in Germania tres legiones Romanæ interfectæ ſunt ab Harminio, quem nominãt Ducẽ Cheruſcorum, quos fuiſſe inter Salam, & Harciniam ſyluam, verſus Goſlariam, non dubium eſt. Et vox Cheruſci adfinis eſt appellationi huius temporis *Hertziſche*. Iam enim Romani, domitis Noricis, & Rhetia, procedebant in arctoam Germaniæ oram, quam & propriè Germaniam vetuſtas nominauit. Sintq; notæ appellationes.

Nomen,

Nomen & regionem Bohemiæ, adhuc nouit hæc ætas. Quia Boij, gens Alpina, in ea loca tranſierant, ad ſyluam Gabretam, quæ nunc Bohemica appellatur. Marcomanni vicini ſunt, nunc Moraui.

Ab altera parte fuerunt Hermunduri, qui nunc Miſnēſes nominantur: quia expreſsè inquit Tacitus: Albim in Hermunduris oriri. Et Strabo, vicinos eſſe, dicit, Hermunduros Longobardis, quorum ſedes fuit à confluente Albis & Salæ, in ripa Albis occidentali, quæ nunc eſt regio Meideburgenſis, & Halberſtadienſis.

Vltra Salam, ad Harciniam, fuerunt Cheruſci, ad Northuſen & Goſlariam.

Sub Cheruſcis, & Longobardis, fuerunt Bructeri, in regione Brunſuicenſi, vbi adhuc reliqua eſt appellatio montis Bructeri. Sic & Claudianus: *venit accola ſyluæ Bructerus Harciniæ.*

E regione Longobardorum, in ripa Albis orientali, fuiſſe Senonas, manifeſtè adfirmat Strabo; quæ regio nunc appellatur vetus Marchia, circa Stendaliam, & vicinas vrbes. Ac gentis integritatem ita prædicat, vt fingat etymologiam à σεμνὸς quod eſt à σέβειν.

Sub Bructeris fuerunt Cauci, ſeu Cayci, ad Viſurgim, vſque ad Bremam. Eſt autem vetus appellatio. Nam cùm nominat Homerus Pœonas, & Myſos, adiungit eis Cauconas. Quare inde ad noſtrū littus, cum Cimbris, aut Henetis, progreſſos eſſe, exiſtimo.

Caucis proximi ſunt Friſij. Deinde Teutones & Ditmarſi, qui tamen progreſſi à littore, tenuerunt oram Weſtualiæ, & oram Cleuenſem. Fuerunt in Weſtualia & Angriuari, vnde reliquum nomen eſt *Engern.* Et appellatio Angli huic adfinis eſt.

Sicambri, Geldrenſes. Et videtur nomen factum, vel à Lacubus, & mari, *See am Meere,* vel à victoribus Cimbris.

Cimbri magnam partem littoris, ad Cimbricam Cherſoneſum, tenuerunt: videlicet tractum Megalburgenſem. His vicini, ſupra Roſtochium, fuerunt Burgundi.

Verſus orientem, in littore, fuerunt Sueui, qui nunc Pomerani nominantur, & pars Pruſſiæ.

Deinde Cetæ, quos Plinius Guthones appellat. Obſeruandum eſt enim nomina eadem, alios magis, alios minus agreſti, & horrido ſono pronunciaſſe. Placet etymologia Gedani, quod dicunt à Getis & Danis nominatum eſſe, nec aliud nomen Gothinos, quàm Getas eſſe iudico.

Progreſſiones gentium etiam conſiderandæ ſunt. Nam, Iulij tempore, Sueui in Weſtualiam tranſierunt. Poſtea eis, ab Auguſto, ſedes datæ ſunt in Rhetia, vbi nunc reliquum eſt nomen Sueuiæ.

Catti, ſunt Heſsi, & aliquouſq; vicini, vnde eſt Catthẽelnbogen. Et nomen Catti, idem eſt, quod Haſsi, aliquantulum mutata veteri pronuntiatione. Hos ſcribit Tacitus, cum Cheruſcis bella geſsiſſe de fontibus ſalis. Intelligo igitur, Heſſos & proximos Turingos, geſsiſſe bella, cùm Harciniis, de ſalinis, quæ ſunt nobis vicinæ, in ripa Salæ,

Cattis, verſus Rhenum, vicini fuerũt Tencteri, qui ſunt, à Francofordia, quæ eſt in ripa Meni, verſus Moguntiam, & ripam Moſellæ, vſque ad Coloniam Agrippinam; tractus *VVederavv*, & Naſsaënſis, & Vuidenſis.

Idem nomen eſſe iudico, Tencteros, & Tungros. Nominantur autem Tungri, infra Coloniam, Iuliacenſes: etſi poſtea longiùs progreſsi ſunt.

Sunt, è regione Coloniæ, verſus Occidentem, Vbij, *die Eiffel.* Supra Vbios, ſunt Treuiri, & Vangiones, *von Gavv*, qui ſunt Wormacienſes.

Supra hos, ſunt Nemetes, Spirenſes.

Charitini, tractus Vuirtebergenſis. Idque nomen factum eſt ab Hortis, *Gertner.*

Supra hos, ad meridiem, ſunt Rhetij.

Ad occidentem ſunt Eluetij.

Ad ſeptentrionem, ſunt Vſipij, qui nunc Franci nominantur. Sunt autem multa nomina, gentium migrationibus, & imperiis nouis, mutata:, vt, cùm Frãci latè dominarentur, magna pars Germaniæ, & Galliæ, Francia dicta eſt.

Heneti, à Viſtula ad Albim procedentes, dederunt nouas appellationes Sileſiis, & multis vicinis, etſi ego quidẽ exiſtimo, Henetos, etiam ante Gotthica tempora, mixtos fuiſſe gentibus Teutonicis: quia Dion expreſsè ſcribit, Albim oriri in montibus Vandalicis.

Apud Tacitum ſunt Elyſij, videlicet Sileſij, aut Lyſatij, mutata voce in ſonum elegantiorem.

Hac breui nominum explicatione, in hoc compendio, contenti ſimus.

Pugna Harminij, facta eſt in Weſtualia, non procul à Padelborn, inter fluuios Lippiam, & Amiſiam. Sic enim Tacitus expreſsè inquit: Quacunque vaſtatum, haud procul Teutoburgenſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionum, eǽque inſepultæ, dicebantur. Ibi Harminius dux Cheruſcorum,

ſcorum, & Longobardorum, vt Velleius narrat, id eſt, harum regionum inter Albim, & ſyluam Harciniam, quæ nunc propriè nomen habent Saxoniæ, ſeu regionis Meideburgenſis, Gaſlarienſis, & Brunſuicenſis; deleuit tres Romanas legiones. Quintil. Varus ſibi ipſe mortem conſciuit. Romæ ideò tanta conſternatio fuit, vt Auguſtus ſæpè exclamaret, Quintili, redde legiones: quia metuebant, Harminium rectà in Italiam tranſiturum eſſe, vt olim Cimbri fecerant. Sed arte regreſſus eſt Harminius, quia aduerſus eum vicini conducti ſunt, ab altera parte Boiemi, ab altera Sueui.

His hoſtibus domitis, creuit Harminij potentia, cùm jam teneret has regiones continuas, quæ nunc nominantur Weſtualia, Harcinia, Saxonia, Marchia, Myſnia & Bohemia, quarum, ſi ſunt coniunctæ, & concordes, magnum robur eſse, manifeſtum eſt.

Quum autem annos duodecim, poſt deletas Quintilij legiones, patriam, & vicinas regiones, victor tenuiſset, & non ſolùm virtus eius, ſed ætas etiam formidabilis eſset, dolo Tiberij Imperatoris, cognati ipſius conducti domi eum interfecerunt. Et narrat Tacitus interfectum eſſe anno ætatis ſuæ triceſimo ſeptimo. Fuit igitur ſingularis naturæ pręſtantia, cùm iuuenis res tantas geſſerit. Tantùm enim biennio ſuperauit Alexandri ætatem.

Exiſtimo Virgilium ad hunc Harminium alludere, cùm alium quendam, hoc nomine, deſcribit. Fuit enim Cheruſcus Harminius Romæ obſes.

Deijcit Harminium, nudo cui vertice fulua
Cæſaries, nudique humeri, nec vulnera terrent,
Tantus in arma patet.

Hæc de Auguſti temporibus annotaſſe ſatis ſit, de quo cogitantes, præſentiam Dei in Imperiis agoſcamus. Cùm totus orbis terrarū, extincto Iulio, ciuilibus bellis arderet, Deus hunc iuuenem, qui non erat præliator, mirabiliter texit, & adiuuit, & per eum reſtituit in Imperio, pacem, leges, iudicia, & gubernationis ordinem, quo ſtetit aliquantiſper ad poſteros hæc Monarchia. Eſt igitur Auguſtus inter ſapientes, bonos, & vtiles generi humano Principes numerandus: & conſiderandum eſt, magnam ſequentium diſſimilitudinem eſſe: vt dona Dei diſcernamus à peſtibus generis humani.

Anno mundi ter milleſimo, nongenteſimo ſeptuageſimo nono.

Anno à condita Roma ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

Anno à nato Chriſto ex virgine ſeptimo decimo.

TIberius Imperator ſucceſsit Auguſto: & ſtatim initio, Senatus in eius acta iurauit. Fuerat autem adoptatus ab Auguſto, cùm eſſet Liuiæ filius, & prudentiam, ac circumſpectionem eius, in regendis exercitibus, Auguſtus probaſſet. Tenuit Imperium annos viginti tres.

Mores priuati quales fuerint, ſignificanter oſtendit deſcriptio præceptoris, cùm nominauit eum, lutum ſanguine maceratum. Fuit enim natura inſuauis, ironica, & ſæuitiã aliquantiſper occultans, & tamen impura, ſæua, ac lupina.

Anno quintodecimo Tiberij, Chriſtus, anno triceſimo ætatis ſuæ, baptizatus eſt à Iohanne Baptiſta. Súntque illuſtria teſtimonia baptiſmo addita, in quibus ſe Deus manifeſtè patefecit: quæ cogitanda ſunt quotidie, in inuocatione, cùm diſcernimus noſtram inuocationem ab Ethnica, agnoſcentes æternum Patrem, Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum, & cogitantes, cur miſerit æternus Pater, Filium, & Spiritum ſanctum.

Hic rurſus admonendi ſunt iuniores, de prædictione Danielis, cuius verba, cùm de multis magnis rebus nos doceant, & confirment, ſæpè cogitanda ſunt, complectuntur enim Euangelij ſummam, & ſimul indicant tempus, quo Meſſias, & concionaturus, & paſſurus erat, ſtante adhuc Ieroſolyma, & adfirmant futurum, vt poſtea deleatur politia Moſaica.

Hæc prædictio perſpicuè refutat multos Iudæorum errores. Negant natum eſſe Meſſiam, negant paſſurum eſſe, ignorant doctrinam de remiſſione, & de iuſtitia, quam donat Meſſias, ſomniant inſtauraturum eſſe politiam Moſaicam. Hæ blaſphemiæ omnes refutantur teſtimonio Danielis, quod extat in capite 9. his verbis: Septuaginta Hebdomades præfinitæ ſunt, ſuper populum tuũ, & ſuper vrbẽ ſanctuarij tui, vt finiatur præuaricatio, & obſignetur peccatum, & fiat propitiatio pro iniquitate, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & compleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum.

Scito igitur, & intelligito: Ab exitu ſermonis, vt redeat populus, & ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & habitabitur, & ædificabuntur plateæ, & muri in anguſtia temporum.

Et

Et, poſt hebdomades ſexaginta & duas, excindetur Chriſtus. Et non erit ei populus & ſanctuariũ. Et vaſtabit populum dux veniens. Et finis eius in inundatione. Et poſt finem belli, definita deſolatio.

Et confirmabit teſtamentum multis, hebdomade vna. Et in dimidio hebdomadis, ceſſabunt hoſtia, & ſacrificiũ. Et ſuper aram erit abominatio deſolatrix. Et vſque ad finem durabit præfinita deſolatio.

Expreſsè inquit: Poſt hebdomades ſeptem & ſexaginta duas, id eſt, poſt hebdomades ſexaginta nouem paſſurum eſſe Meſſiam. Et inſigni verbo vſus eſt, Karath, quo ſignificat excindere.

Intelligantur autem annorum hebdomades, vt, Leuitici viceſimo quinto capite, lex loquitur. Nec de initio horum annorum prolixè diſputabo.

Etſi Cyrus conceſſerat Iudæis reditum in patriã, tamen, abſente eo, res impedita eſt. Quia Cambyſes, mouens bellũ aduerſus Ægyptios, noluit Iudæos cũ Ægyptiis cõiungi.

Rurſus autẽ, poſt annos quadraginta ſex, cùm anno ſecundo Longimani decretũ eſſet, vt Iudæis reditus concederetur, ædificatio tẽpli, & reditus proceſſerunt. Nam anno Longimani ſexto, templum completũ eſt. Eo tempore, per prophetas, Zachariam & Haggęum promiſsus eſt reditus.

Ac rectiùs eſt ſumere initium hebdomadum à diuino ſermone, videlicet prophetico, à ſecundo anno Longimani, aut à ſexto.

Sunt autem ab anno Longimani ſecundo, iuxta Metaſthenem, ad initium Alexandri, centũ quadraginta quatuor. Ab initio Alexandri, poſt Darij mortẽ, iuxta libros Maccabęorum, & Ioſephum; ſunt anni trecenti & decem, vſque ad Chriſtum natum. Adde trigiata annos à Chriſto nato, vſque ad eius baptiſmũ. Erunt igitur à ſecũdo Longimani anno, vſque ad baptiſmũ Chriſti, quadringenti octoginta quatuor. Sunt autem hebdomades ſexaginta nouem anni, quadringenti octoginta duo. Deinde in dimidio ſequentis hebdomadis, Chriſtus concionatus, & paſſus eſt.

Nec magna diſcrepantia erit computationũ, ſi certiores hiſtorias ſequamur, etiamſi exiguæ differentiæ occurrent, quia in regum annis, interdum pars anni, duobus attribuitur. Hæc annorum Danielis congruentia cum tempore aduentus Chriſti, piis grata ſit. Deinde excidiũ vrbis Ieruſalem perſpicuè teſtatur, Meſſiam exhibitum eſſe, cùm exhiberi eum, adhuc ſtante politia Iudaica, oportuerit, in

qua, cùm eſſet inchoata Euangelij prædicatio, poſtea, deleto hoc populo, Eccleſia colligitur ex gentibus.

Hic conſiderandum eſt, & quę ſint diſcrimina doctrinarum Legis, & Euangelij: quod ſit diſcrimen verę Eccleſiæ, à politia Iudaica: & quomodo Eccleſia inde vſque ab initio generis humani collecta ſit.

Anno Chriſti triceſimo quinto; anno Tiberij decimo nono, Paulus, iter faciens ad Damaſcum, conuerſus eſt ad agnitionem Chriſti, cùm iam annus, poſt Chriſti reſurrectionem, exactus eſſet.

Commoratus aliquot diebus in vrbe Damaſco, cùm oſtenderet ſuam confeſsionē, Iudæi, hoſtes Euangelij, ſtruxerunt ei inſidias. Demiſſus igitur ex muro in calatho, diſceſſit in Arabiam, & ibi triennio docuit.

Poſtea venit Ieroſolymam, & ibi quindecim dies, apud Petrum manſit. Hic congreſſus Petri & Pauli, factus Ieroſolymæ, incidit aut in vltimū annum Tiberij, aut in Caligulæ initia, videlicet in annum Chriſti triceſimū octauum.

Deinde Paulus Tarſum profectus eſt, vnde rediit in Syriam, regnāte Claudio, cum Herodes Agrippa phthiriaſi mortuus eſſet, & in Seleucia, & in Cypro docuit. Sunt autem ab initio Caligulæ, vſque ad mortē Herodis Agrippæ, anni octo, videlicet vſque ad annum Chriſti, quadrageſimum ſextum, qui eſt annus Claudij quartus. Tamdiu Paulus in ora vicina Tarſo, in Cilicia docuit.

Ex Syria rediit in Ciliciam, quo tempore in Iconio, & Lyſtris cōcionatus eſt. Inde rediit Antiochiam in Syriam, vnde miſſus eſt ad ſynodum Apoſtolorum, cuius mētio fit in Actis capite 15. Ea ſynodus incidit in annum Chriſti quinquageſimū primum, qui eſt annus Claudij nonus. Annus à conuerſione Pauli ſedecimus. Ideò Paulus inquit, ſe, poſt quatuordecim annos, rurſus Ieroſolymam veniſſe, & ibi cum præcipuis viris, de doctrina colloquutum eſſe.

Eo tempore fames in Aſia, & Europa fuit tanta, vt modius ſex drachmis emeretur, cuius precium mediocribus annis erant tres ſeſtertij, id eſt, numuli noſtrates viginti quatuor. Erat, lege, modius tribus ſeſtertiis, inquit Cicero, in Verrinis. Drachmæ autem precium eſt, tres noſtrates groſſi. Plus igitur quintuplo ſuperabatur vſitatum preciū. Ideò in Apocalypſi dicitur de fame, in qua chœnix, cuius precium erant tres noſtrates nummuli, valeret denario, id eſt tribus groſsis. De hac fame loquuntur & liber Actorum Apoſtolorum, & Suetonius, & Dion.

Poſt ſynodum Paulus rediit in Lyſtram, & ſibi Timotheum adiunxit, anno à ſua conuerſione ſedecimo, & longiùs proceſsit in Galatiam, Phrygiam, & Myſiam.

Inde traiecit ad vrbem Philippos, anno decimo ſeptimo à conuerſione. Liberatus ex carcere, diſceſsit ex Philippis ad vrbem Theſſalonicen, vbi, cùm Iudæi contra eum concitaſſent populum, à nobilibus defenſus eſt.

Inde Athenas nauigauit, vbi amplexus eſt eius doctrinam Dionyſius, qui fuit Senator Areopagiticus. Inde Corinthum venit, anno à conuerſione decimo octauo, vbi commoratus eſt annum, & ſex menſes. Corinthi ſcripta eſt epiſtola Pauli ad Romanos, circiter viceſimum annum à conuerſione.

Poſtea rurſus in Aſiam nauigauit, & Epheſi biennio, & tribus menſibus commoratus eſt. Adiit & Laodiceam, vbi ad Timotheum ſcripta eſt prior epiſtola. Inſpexit & Galatarum Eccleſias. Expreſsè enim in Actis cap. 19. dicitur, diu commoratum eſſe in Aſia.

Inde ſecundò rediit in Europam, ac, in vrbe Philippenſi, ſcripſit duas epiſtolas ad Corinthios. Rurſus ex Philippis in Aſiam nauigauit, anno à conuerſione viceſimo quarto, aut circiter, quo tempore Neronem tenuiſse Imperium Romanum, annorum ratio oſtendit. Nauigatio in Paſchate inchoata eſt, vt expreſsè in Actis dicitur, voluiſse Paulum ante Pentecoſten Ieroſolymam venire: quò cùm veniſset, captus, tota æſtate circunducitur. In hyeme nauigat Romam, cùm quidem in itinere tres menſes in inſula Melite Paulus & cæteri, qui ſimul nauigauerant, commorati eſsent.

Romæ fuit in libera cuſtodia, vbi ad eũ accedere multi poterãt. Et à Nerone interfectus eſt, anno Chriſti ſeptuageſimo, qui fuit poſtremus annus Neronis. Et quidem poſt paucos menſes, Nero ſeſe ipſe interfecit, cùm pridie ingẽs terræ motus fuiſset, in quo ſpecies Neroni fugienti obuerſata eſt, quaſi dehiſceret terra, & erumperent animæ interfectorum ab ipſo, impetum in eum facturæ. Ita ſenſit Nero initia æternorum cruciatuum.

Tantum fuit curriculum Pauli, in quo bonam partem Aſiæ minoris peruagatus eſt, & bis in Europam venit, antequam Romam miſsus eſt, vbi narrat liber Actorum, biennio eum habitaſse in domo conducta. Oſtendit autem temporum ratio, aliquãtò diutius eum ibi fuiſse. Nec verò tantum voce multos docuit, ſed etiam optimis ſcri-

ptis doctrinam Eccleſiæ illuſtrauit. Et Deus eius miniſterium reſuſcitatione mortuorum, & aliis teſtimoniis confirmauit.

Hæc ingentia Dei beneficia, grati celebremus, & conſideremus ad quarum rerum intellectum Pauli ſcripta præcipuè conducant. Non tantùm dimicat de abrogatione ceremoniarum, vt eũ Monachi interpretati ſunt, ſed doctrinam omnibus temporibus neceſſariam tradit. Planiſſimè oſtendit Legis & Euangelij diſcrimen. Pugnat de excluſiua Gratis, vt diſcernat promiſſionem Gratiæ, à Legis promiſsionibus. Docet, quæ ſint beneficia propriè per Euágeliũ donata. Quomodo homo ſit iuſtus coram Deo. Quomodo tollatur peccatum, & reddatur iuſtitia ſempiterna. Quid interſit inter iuſtitiam Spiritus, & iuſtitiam politicam. Harum maximarum rerum doctrina, omnibus temporibus neceſſaria, illuſtratur à Paulo, qui quidem eſt lumen propheticarum concionum, & eo lecto, prophetę intelliguntur, & conſenſus agnoſcitur.

CATALOGVS ANNORVM Pauli.

Anno Chriſti	Anno poſt conuerſ. Pauli.
35	1 *Annus conuerſionis Pauli.*
36	2 *Iuit Paulus in Arabiam.*
37	3
38	4
39	5 *Iuit in Tharſum, Actor.* 9.
40	6
41	7
42	8 *Barnabas Paulum ex Tharſo Antiochiam ducit, Act.* 11.
Anno Chriſti,	Anno poſt conuerſionem Pauli.
43	9
44	10 *Iuit in Cyprum, Act* 13. *comitante eum Barnaba, & iubente Spiritu ſancto. Ibique Sergius proconſul conuertitur.*
45	11 *Profectus eſt in Pergen Pamphyliæ, Antiochiam Piſidiæ, Iconium, & vicinas vrbes, Actor.* 14.
46	12
47	13
48	14 *Fames prędicta ab Agabo, totum terrarum orbem affligit.*

		affligit. Ioſephus.
49	15	
50	16	
51	17	*Synodus Ieroſolymæ, cui Paulus interfuit, Act. 15.*
52	18	*Rediit in Iconium, & Lyſtram, vbi Timotheum ſibi adiunxit, & traiecit in Macedoniã. Et fuit Corinthi, vbi ſcripſit epiſtolam ad Romanos.*
53	19	
54	20	
55	21	*Rediit in Aſiam, & cùm fuiſſet biennio, Epheſi, Timotheo Eccleſiam, abiens, commendauit.*
56	22	*Rediit in Phrygiam, vbi Laodiceæ ſcripſit primam epiſtolam ad Timotheum.*
57	23	*Rediit Paulus in Macedoniã, prius peragrata Phrygia, & finibus Galatarum, cúmque veniſſet in*
58	24	*Macedoniam, ſcripſit in Philippis, vtràmque epiſtolam ad Corinthios non longo interuallo. Poſtea rediit in Aſiam, ac venit Mitylenem. Item in Samum, & Miletum, Actor. 20.*
59	25	
60	26	*Poſtremum iter ad Ieroſolymam, quò cùm venit, capitur, & biennio Cæſareæ captiuus tenetur.*
61	27	
62	28	*Remiſſus Romam. Sed tunc liberatus ex ore leonis, vt 2. Timoth. narrat.*
63	29	
64	30	
65	31	
66	32	
67	33	*Fuit biennium in conductu.*
68	34	
69	35	*Interfectus Paulus à Nerone, paulò ante eius mortẽ.*
70	36	*Decimus quartus Neronis, quo Nero ſibi conſciuit mortem.*

Dion ſcribit, auem, quæ nominatur Phœnix, ante poſtremum annm Tiberij conſpectam fuiſſe. Quod, ſi verum eſt; cùm Phœnix ſit pictura renaſcentium ex morte, ſignificatum eſt, eo tempore, Chriſtum ex morte reuixiſse, & doctrinam Euangelij ſpargi, quæ affirmat mortuos reuicturos eſſe.

Anno mundi quatermilleſimo primo.

Anno Romæ, ſeptingenteſimo, octogeſimo nono.

Anno Chriſti, triceſimo nono.

CAIVS CALIGVLA.

CAius Caligula ſucceſſit Tiberio, tenuit Imperium annos tres, menſes decem. In cuius hiſtoria vtrumque deplorandum eſt, quod horribiliter degenerant nati ex parentibus qui excelluerũt naturæ bonis, & quod in faſtigio rerum humanarum ſæpè tetra portenta dominantur. Natus fuit C. Caligula ex laudatiſſima ſtirpe.

Druſus frater Tiberij, mortuus in Germania, accepto vulnere. — Antonia coniunx, filia Antonij ex Octauia.

Claudius Imperator,

Germanicus mortuus in Syria, veneno interfectus à Piſone, iuſſu Tiberij. Excelluit virtute, rexit Germaniam, & inde Armeniam & Syriam, Latino carmine reddidit Aratum.

Agrippina vxor Germanici, Agrippæ & Iuliæ filia: vnde nomen eſt Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum.

Ex his natus eſt Caligula teterrima bellua.

Voluit ſe adorari. Statuam ſuam miſit collocandam in templum Ieroſolymæ. Tres ſuas ſorores ſtuprauit. Multos Senatores & alios crudeliter interfecit: cuius dictum eſt: Oderint dum metuant. Conatus eſt abolere Homerum, & Virgilium, & libros Iuriſconſultorum. Sed cùm non diu regnaſſet, interfectus eſt à Phereo tribuno militum.

Anno mundi, quater milleſimo quinto.
Anno Romæ, ſeptingenteſimo nonageſimo tertio.
Anno Chriſti, quadrageſimo tertio.

CLAVDIVS.

CLAVDIVS ſucceſſit Caligulę. Tenuit Imperium annos tredecim, menſes octo, & dies viginti. Vixit annos ſexaginta quatuor, natus patre Druſo, quem ſupra diximus, inter Salam & Rhenum vulnus accepiſſe: patruus Caligulæ. Regnare cœpit, cùm annum ageret quinquageſimum. A militibus ex latebris eſt tractus, ac primus Imperium mercatus eſt, promittens ſingulis militibus quaterdena ſextertia, id eſt, trecẽtos coronatos & quinquaginta.

In ſtudiis eloquentiæ eò proceſſit, vt hiſtorias ſcripſerit: qua in re magiſtrum habuit Liuium. Sed fatuitas eius multipli-

multipliciter exagitata eſt, cùm præcipuè regeretur à libertis, quorũ ingentia furta, & ſycophantiã populus deteſtabatur. Fuitque in eos pronunciatus verſus in Theatro: Ἀφόρητος ἐστὶν ἀτυχῶν μαστιγίας, vt vulgò dicitur: Aſperius nihil eſt miſero, cùm ſurgit in altum.

Claudij tẽpore dira fames fuit in Aſia, & Europa, vt ſuprà diximus, in qua fame modius frumenti emptus eſt ſex drachmis, cùm aliàs, mediocribus annis, vſitatum precium tres ſeſtertij eſſent, id eſt, noſtrates nũmi viginti quatuor. Eius famis initium fuiſse anno quinto Claudij, ſcribitur.

In Eccleſia hæc facta ſũt: Maria virgo, mater Chriſti, ex hac vita diſceſſit, Claudij tẽpore, cùm, vt Nicephorus ſcribit, annum ageret nonum & quinquageſimum. Fuit ergo ſuperſtes, poſt reſurrectionem Filij, annos aliquot, & vidit initia Eccleſiæ eius temporis; multa ingentia miracula, & ſupplicia ſanctorum, & conſiliis ſuis rexit Apoſtolos.

Apud vicinum Clementẽ legitur, & Petri coniunx affecta eſſe ſupplicio, vbi dicitur: Voce Petri confirmata eſt, qui iuſſit eam recordari Domini. Id ſi verum eſt, circiter idem tempus factum eſſe videtur, quo Maria deceſſit.

Sub Claudio, & Iacobũ interfecit rex Herodes Agrippa, qui & ipſe non multò poſt, phthiriaſi periit. Deinde Claudius Iudæam rurſus in formam prouinciæ redegit.

Nec multò poſt ſynodus fuit Apoſtolorum, anno, poſt reſurrectionem Chriſti, ſedecimo, qui fuit annus Claudij octauus, aut circiter. In ea Synodo doctrina de gratia, & fide repetita eſt; & aſſeueratio tradita eſt, non eſſe neceſſariam obſeruationem ceremoniarum Moſaicarum. Hanc aſſeuerationem Apoſtoli, non authoritate humana, condiderunt; ſed cùm ſcirẽt doctrinam de fine politiæ Iudaicæ, & de diſcrimine regni politici, & regni Chriſti, & iuſtitiæ ceremoniarum, & iuſtitiæ æternæ, à Deo, per Prophetas, reuelatam eſſe; has diuinas prædictiones repetiuerunt, & illuſtrauerunt.

Sed hi, qui contendunt Synodos, & Epiſcopos habere authoritatem condendi nouas leges, quas amplecti Eccleſiam neceſse ſit, citant decretum in ea Synodo factum, de Idolothytis, ſcortatione, ſuffocato, & ſanguine. Ad hanc obiectionem reſpondendum eſt: Scortationem, & eſum Idolothytorum, prohiberi vniuerſaliter, omnibus temporibus, autoritate decalogi. Ergo quod ad iſta attinet, nihil noui conſtituerunt Apoſtoli, ſed tantùm repetiuerunt decalogum, qui eſt lex æterna, & immutabilis.

Sed de ſanguine, & ſuffocato , conſuetudinem veterem traditam à Noe,retinuerũt. Qua vſitatum fuit,cùm capiebantur vrbes ex Ethnicis , eis tàntum imponere præcepta moralia,non ceremonias Moſaicas.Has vrbes etiam volebant retinere conſuetudinem,à Noe traditam,ne homines veſcerentur ſanguine,& ſuffocato. Fuítque forma decreti Apoſtolici , ſumpta ex illa veteri forma,qua ſemper vſi erant Iſraelitæ,captis vrbibus Ethnicis. Quare nec in hac re aliquid noui conſtituerunt:ſed prohibitio Idolothytorum & ſcortationis , repetitio præceptorũ erat,de vitando cultu idolorum,& de vitandis libidinum confuſionibus.

Claudij tempore,& Simon Magus Romam venit, qui, magicis præſtigiis, tãtùm venerationis adeptus eſt, vt ſtatua ei,cum inſcriptione, poſita ſit : SIMONI DEO SANCTO , cum quo magna certamina Petro Apoſtolo fuiſſe, ſcribitur. Cúmque Simon Magus tandem iactitaret,ſe in cœlum aſcenſurum eſſe , ſublatus eſt à Diabolis in aërem. Sed Petrus imperauit Diabolis, vt eum abiicerent. Ita decidens in terram , extinctus eſt. Ac leguntur, illis primis temporibus,contra Apoſtolos, à Diabolis multa hoſtium genera excitata eſſe. Iudęi & Ethnici manifeſtam ſæuitiã, contra veram Eccleſiam, exercebant. Magi,& Hæretici, variis præſtigiis,eam turbabant. Multi ſeditioſi,prætextu nouæ libertatis , magnos tumultus mouebant ; vt Ægyptius,qui à Fœlice præſide oppreſſus eſt.

Hæc exempla conſideranda ſunt,ne multitudine hoſtiũ frangamur hoc tempore: ſed quæramus veram Eccleſiam, quæ perſpicua teſtimonia habet,ex ſcriptis Propheticis,& Apoſtolicis,& Symbolis.Huic nos cõſtanter adiungamus, etiamſi aliæ factiones, quarum magna potentia,& multitudo,eam oppugnant.

Anno mundi,quater milleſimo nono.
Anno vrbis Romæ,octingenteſimo ſeptimo.
Anno Chriſti,quinquageſimo ſeptimo.

DOMITIVS NERO.

CVM Claudius veneno necatus eſſet , à coniuge Arippina;Imperator factus eſt à militibus , Domitius Nero,anno ſeptimo decimo ætatis,cùm promiſiſſet eis tantundem pecuniæ, quantum Claudius dederat , videlicet, ſingulis trecentos quinquaginta coronatos. Vixit annos triginta,menſes nouem. Regnauit annos tredecim,menſes octo. Interfecit matrem , duas coniuges,Octauiam,

& Po-

& Popeam, & multos præſtantes viros. Exercuit magnam ſæuitiam in Chriſtianos, hac occaſione, quòd, cùm magna pars vrbis Romanæ incendio periiſſet, quòd, ipſo volente, eius familia, direptionum cauſa, excitauerat, falsò dixit authores eſſe Iudæos, quo nomine & tunc Chriſtianos comprehendebant. Interfecit Paulum, & Petrum. Et quidem, de Paulo, idem omnes affirmant.

Reliquam Neronis hiſtoriam omitto, in qua repetenda eſt querela; & quòd degenerant tam multi à maioribus, qui naturæ bonis, & virtute excelluerunt: & quòd in ſummo faſtigio generis humani, in quo præcipuè eminere ſapientia & virtus debebant, tam multa tetra portenta dominantur.

Anno Chriſti, ſexageſimo tertio, videlicet, poſt reſurrectionem Chriſti, triceſimo, Iacobus, filius Alphæi, Epiſcopus Eccleſiæ in Ieroſolyma collectæ, interfectus eſt, ſæuitia Ananiæ ſummi Sacerdotis, qui & iuuenis, & Sadducęus erat. Etſi enim non licebat Iudæis quenquam vltimo ſupplicio afficere; tamen, abſente præſide, multùm valuit authoritas ſummi Sacerdotis, præſertim, cùm alioqui Iudæa plena eſſet ſeditionum.

Erat autem mortuus Feſtus, & nondum venerat Ieroſolymam ſucceſſor Albinus. Hac vſus occaſione Ananias, ſuam factionem incitat, ad interficiendum Iacobum, & alios multos accuſatos, propter Euangelium, ſuppliciis afficit; etiam contra Romanorum iudiciorum ordinem. Hæc acta ſunt anno decimo, ante excidium Ieroſolymæ. Anno Neronis ſeptimo.

Poſt Iacobum, frater eius Simeon, filius Cleopę, Epiſcopus Ieroſolymę factus eſt, qui vixit vſque ad Traiani tempora, functus Epiſcopi officio plus quadraginta annis. Eduxit Eccleſiam ex Ieroſolymis, aliquãtò ante obſidionem, trans Iordanem, in oppidum Pellam. Deinde multos reduxit ad ruinas, vbi eum Iudæi, odio Chriſtiani nominis, apud Traianum accuſauerunt; quod, cùm eſſet ex ſtirpe regia, videretur nouã ſeditionem moliri. Quare, cùm annos centum & viginti vixiſſet, vltimo ſupplicio affectus eſt.

Hic exitus duorum fratrum fuit, qui ſanguine proximi fuerunt Chriſto. Nati ſunt enim ambo ex vna matre, ſorore Mariæ virginis: ſed Iacobi pater, fuit Alphæus: Simeonis Cleopas.

Cur autem Eccleſia cruci ſubiecta ſit, diſcendum eſt ex fontibus doctrinæ, quam Deus, in Euangelio patefecit;

vbi dicitur : Oportere nos ſimiles fieri imaginis Filij Dei.

Neronis tempore, arſit ingens cometa, ſex menſibus: progrediens ab ortu ad occaſum, nonnihil deflectens ad meridiem, vt ſcribit Seneca, quem vellem tempora certiùs cõmemoraſſe, & dixiſſe, quo in loco, prope quas ſtellas accenſus eſſet. Quid ſignificauerit, euentus oſtenderunt: multorum ciuium interitus, in mutatione Imperij, poſt Neronem; vt poſtea dicemus. Sequuta eſt & totius Iudææ vaſtatio.

Erat autẽ Galliæ præſes, vir iuſtus, & fortis, Iulius Vindex, qui, cùm non toleranda eſſe Neronis ſcelera, palàm oſtenderet, præſertim, cùm & Gallia nouis expilationibus oneraretur; facilè perſuaſit vniuerſæ Galliæ, & ſuis exercitibus, vt à Nerone deficerent, fuítque hortator Sergio Galbæ in Hiſpania, vt contra Neronem, ad vrbem Romam accederet, & orbem terrarum tam tetro Tyranno liberaret, ſéque promittit, ſuos exercitus ipſi adiecturum eſse. Defecerunt à Nerone & Germanici exercitus.

Interea & Senatus legatos ad Sergium Galbam mittit: & Neronem iudicat hoſtem : & Hiſpanici exercitus Sergium Galbam nobilitate, & autoritate prę́ſtantem ſenem, qui iam ſeptuageſimum tertium annum attigerat, Imperatorẽ ſalutarunt. In conſenſu Senatus, præcipuorum Ducum, & exercituum, iuſtè decretum eſt, vt Tyrannus tolleretur. Quia ſummus Senatus, & ſummi duces debent punire Tyrannos, manifeſtam crudelitatem, ſine fine, exercentes. Et in hac pœna, Deus oſtendit vtrunque, conſeruare ſe Imperia, honeſtorum Ducum conſenſu, & tamen punire crudelem, & obſcœnum Tyrannum.

Cognito aduentu Sergij Galbæ, Nero fugit ex vrbe Roma. Qua in fuga, ingens terræmotus factus eſt. Et terra Neroni dehiſcere viſa eſt, & ſpectra occurrerunt interfectorum ab eo. Cùm autem audiuiſſet, prope eſſe equites, à Senatu miſſos, ad eum interficiendum, ipſe gladio ſe transfixit. Hic exitus teſtimonium eſt iudicij diuini, & congruit ad regulas, Omnis, qui gladium acceperit gladio peribit. Et, Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, eradicabitur. Fuit autem poſtremus eorum, qui ex Augusti filiabus & neptibus nati ſunt.

Domitius Nero, pater Neronis

Agrippina, vxor Domitij, filia Germani-
Impe-

Imperatoris, ci,proneptis Auguſti.

Nero Imperator.

Poſt eum, multiplex laniena ſequuta eſt. Sergium Galbam interfecit Otto. Deinde,ſuperatus Otto,prælio,à Vitellio,qui rexerat Germaniam, ſeipſum occidit. Vitellius, aduenienteVeſpaſiano,fugiens,ex latebris extractus,à militibus interfectus eſt, & cadauer à canibus laceratum eſt.

Anno mundi,quater milleſimo triceſimo tertio.

Anno vrbis Romæ,octingenteſimo viceſimo primo.

Anno Chriſti,ſeptuageſimo primo.

VESPASIANVS.

HOc anno inchoamus imperium Veſpaſiani , mox à Neronis interitu. Etſi enim, amplius anno,durauerunt bella ciuilia, Galbæ, Ottonis, Vitellij:tamen,his præteritis,quia eodem anno inter ſe dimicarunt,mox à Nerone Veſpaſianum numeramus,qui illis viuentibus,in Iudęa Imperator ſalutatus eſt. Regnauit annos decem , minus ſex diebus. Per hunc Deus reſtituit formam Imperij , ordinem prouinciarum , diſtinctionem exercituum,leges,& iudicia,cùm,ſub tot portentis,Caligula,Claudio,Nerone, & in laniena Ottonis,& Vitellij , magnæ confuſiones , in toto genere humano,extitiſſent.Sed tamen aliqui fuerunt in prouinciis honeſti Magiſtratus,quorum virtus retinuit vtcunque imperij ſpeciem. Nam Veſpaſiani conſiliis, & virtute melior ſtatus eſt. Numeratur ergo inter ſapientes, iuſtos & vtiles Principes. In aureo eius, eſt capricornus, globum tenens,prioribus pedibus.

Cùm ex Iudæa diſcederet , Romam profecturus , filio Tito mandauit , vt bellum Iudaicum gereret, quod,viuo Nerone,inchoatum erat. Cùm enim Flori,quem Nero in Iudæam miſerat, rapacitas , & crudelitas præbuiſſet occaſionem mouendi ſeditiones,& Ceſtius, Syriæ præſes vicinus, & Florus infeliciter cum Iudæis pugnaſſent ;multitudo Iudæorum palàm rebellare cœpit , nacta Ducem turbulentum Manaimum,id eſt,Caſtrenſem,qui milites Romanos , vbicunque deprehendit, occidit; & fuit hortator ad recuperandam libertatem. Hic , magnitudo periculi, coëgit in Syriam mittere Ducem virtute pręſtantem.Miſſus igitur eſt Veſpaſianus, qui initiò Galilęã recepit,deinde filium iuſſit obſidione cingere Ieroſolymam. Ea obſidio inchoata eſt in feſto Paſchatos , videlicet 14. Aprilis: anno ſecũdo Veſpaſiani,anno Chriſti, ſeptuageſimo ſecũ-

do, anno poſt reſurrectionem Chriſti, ferè quadrageſimo.

Initio belli, Manaimus occiderat ſummum ſacerdotem Ananiam, cum Romanis ſentientem. Sic Ananias, qui Iacobum Epiſcopum Ieroſolymæ, & alios ſãctos multos interfecit, pœnas dedit. Succeſſit ei ſummus ſacerdos Ananus Romanorum hoſtis. Hunc Zelotæ, aliquantò poſt interfecerunt. Nam Iudæi, & inter ſeſe, & cum Romanis dimicarunt. Legatur autem integra hiſtoria, & non ſolùm magnitudo calamitatum, ſed etiam cauſſæ conſiderentur. Oſtendit Deus, in hoc horrendo exemplo, iram ſuam aduerſus omnia peccata, & præcipuè aduerſus ſæuitiam, quę exercetur contra veram Eccleſiam Dei. Vocátque Deus, hoc triſti ſpectaculo, omnes homines ad conuerſionem, ac denunciat pœnas æternas, & præſentes omnibus, qui non confugiunt ad Mediatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ſecundus Pſalmus expreſsè concionatur. Oſculamini Filium, ne quãdo exardeſcat ira eius, &c.

Cogitemus autem, cùm Deus non pepercerit illi ſtirpi, quam antea prætulit omnibus gentibus, in qua multa de ſeſe teſtimonia ediderat, ex qua nati erant Patres, & Prophetæ: quantò minùs parcet aliis regnis, & gentibus, quæ habẽt ſimilia delicta: vt & Paulus monet: Cum naturalibus ramis non pepercerit, nec tibi parcet. Voluit autem Deus & alia multa ſignificare, de deletione politiæ Iudaicæ.

Primùm, vult hanc vltimam euerſionem teſtimoniũ eſſe, quòd miſſus ſit Meſſias, quem ſtante hac politia, cõſpici, & audiri docentem, & oſtendentem teſtimonia, & monẽtem; & reſuſcitatum oportuit, vt Daniel prædixerat.

Secundò, hæc rudera, & hi cineres oſtendunt, Meſſiam non miſſum eſſe ad conſtituendum regnum politicum, ſed ad reſtituenda bona æterna, vt Daniel inquit: Adducetur iuſtitia ſempiterna.

Tertiò, hæc rudera, & cineres oſtendunt, ceremonias, & forenſes leges Moſis, non oportere imponi Eccleſiæ, vt & tunc multi contendebant, & ſæpè, aliis temporibus, ea quæſtio præbuit occaſionem magnis tumultibus.

Die decimo Auguſti, Templo ignis iniectus eſt, à quo conflagrauit, nec poſtea vnquã reſtitutũ eſt; etſi Iudæi politiã ſuam, & Templũ, magnis ſeditionibus motis, ſæpè reſtituere conati ſunt. Sed euẽtus oſtendit, omnes humanos conatus, contra decretum Dei, infelices, & irritos eſſe.

Deinde die octauo Septembris, quãtum vrbis reliquum fuit, combuſtũ eſt. Sunt autẽ anni, ab exercitu ex Ægypto,

vſque

vſque ad hanc vltimam politiæ Iudaicæ deſtructionem, mille quingenti octoginta duo. Hic numerus diligenter conſiderandus eſt, vt nunc quoque non procul abeſſe tempus cogitemus, quo Filius Dei rurſus ſe generi humano oſtendet, & omnia regna impia delebit. Hæ commonefactiones, in hac inſigni hiſtoria, adiungendę ſunt, ad triſtiſſimi exempli lectionem. Interea tamen & Eccleſia, quæ Ieroſolymæ fuerat, ſeruata eſt trans Iordanem. Et poſtea, cùm mediocris tranquillitas rurſus in Iudæa eſſet, ad Ieroſolymæ ruinas rediit.

Anno mundi, quater milleſimo quadrageſimo tertio.
Anno Romæ, octingenteſimo triceſimo primo.
Anno Chriſti, octuageſimo primo.

TITVS VESPASIANVS.

Titus Veſpaſianus patri ſucceſſit. Tenuit imperium annos duos, menſes duos, dies viginti. Vixit annos triginta nouem, menſes quinque, dies viginti quinque. Laudatiſſimus fuit, ac propter iuſtitiam, & beneficentiam, nominatus eſt, Amor & Deliciæ generis humani. Patrem viuentem debita pietate coluit, & tamen conſilia gubernationis adiuuit. Cúmque diſertus eſſet in Latina, & Gręca lingua, plurima edicta formauit, & plurimas orationes, in Senatu, Patris nomine habuit.

Imperium eius fuit incruentum, nec recepit accuſationem contra eos, qui dicebantur maledixiſſe Imperatori; inquiens: Ego, cùm nihil faciam dignum, propter quod contumelia afficiar, mendacia nihil curo. Delatores etiam, qui, propter prædam, alios accuſabant (nam pars bonorum delati, ad delatorem perueniebat) cæſos flagellis aut fuſtibus, deportari iuſſit. Fratri Domitiano, cùm inſidias ei ſtrueret, pepercit; eúmque lachrymans, hortatus eſt ad mutuum amorem, cùm quidem ſucceſſorem eum iam nominaſſet. Sed tamen opinio fuit, veneno extinctum eſſe Titum, quod frater dari curaſſet.

Anno mundi, quater milleſimo quadrageſimo quinto.
Anno Romæ, octingenteſimo triceſimo tertio.
Anno Chriſti, octogeſimo tertio.

DOMITIANVS.

Domitianus ſucceſsit fratri. Tenuit imperium annos quindecim, diſsimilis patri, & fratri; crudelis, occultator, diffidens, ſuſpicax, & inſidiator, obſcœnus & rapax.

Domitiani tempore, bellum, aduerſus Romanos, motũ eſt à Decebalo, qui Daciam, & vicinas regiones tenuit ad Iſtrum. Nec dubium eſt, tunc Daciam dictam eſſe, quæ nunc eſt, partim Tranſſyluania, partim Walachia.

Virtus Decebali, à Dione, his verbis deſcripta eſt:

δεινὸς μὲν συνεῖναι πολέμια, δεινὸς δὲ καὶ πρᾶξαι, ἐπελθεῖν εὔστοχος, ἀναχωρῆσαι καίριος, ἐνέδρας τεχνίτης, μάχης ἐργάτης, καὶ καλῶς μὲν νίκῃ χρήσασθαι, καλῶς δὲ καὶ ἧτταν διαθέσθαι εἰδώς.

Tanta virtus cùm fuerit Decebali, Romanos exercuit, annos circiter ſedecim, & vix tandem à Traiano Imperatore victus eſt, vt infrà dicetur. Etſi autem Domitianus, aduerſus eum ſuſcepit expeditionem, tamen non acceſſit ad hoſtes, ſed abdidit ſe in luſtra libidinum, & multos amicos interfici iuſſit. Cúmque C. Fuſcus, miſſus contra Decebalum, cum legionibus trucidatus eſſet, pecunia pacem emit, ac rediit triumphaturus, & paſſim trophæa victoriæ collocauit. Poëtæ etiam, quia videri non rudis poeticæ voluit, fictis laudibus, vtranque expeditionem, priorem aduerſus Cattos, & poſteriorem contra Dacos, celebrant, vt Statius inquit:

------Frena tenentem,
Rhenus, & attoniti vidit domus ardua Daci. Item:
Et coniurato deiectos vertice Dacos.

Sed de expeditione in Germaniam, contra Cattos, Dion inquit: Profectus in Germaniam, ne quidem conſpectis hoſtibus, rediit. Cattos autem tenuiſſe Haſſiam, & vicinas aliquas regiones, veſtigia veterum appellationum indicant, Caſtella, & Cattenellenbogen. Et Traianus poſtea, cùm eos compeſceret, in vicinis locis exercitum habuit, & in vrbe Colonia Agrippina primùm, accepit decretum de ſucceſſione in Imperio.

Exercuit autem Domitianus multiplicem crudelitatem. Trucidauit multos Chriſtianos, Iudæos, & Ethnicos. Fortaſſis autem, & propter Iudæorum tumultus, aſperior Chriſtianis factus eſt: quos paſſim interfici iuſſit. Hęc, poſt Neronem, proxima perſequutio in Chriſtianos numerata eſt, in qua & Iohannes Euangeliſta, cùm Eccleſiam Epheſinam doceret, relegatus eſt in inſulam Pathmon.

Cum autem Domitia coniunx reperiſſet catalogum interficiendorum, ſcriptum in pagella, in quo & ipſius, & multorum amicorum, & libertorum nomina erant: re deliberata cum illis, liberti Domitianum interfecerunt. Sed amici prius cum Nerua egerunt, vt Imperium, illo interfecto,

interfecto, reciperet, ne milites ſeditionem mouerent.

DE ECCLESIA EIVS TEMporis.

DOmitiani tempore, ſuperſtites fuerunt in ea parte orbis terrarum, quæ nobis, propter Romanum Imperium, nota eſt, Iohannes ſcriptor Euangelij, qui, poſt reſurrectionē Chriſti, vixit annos ſeptuaginta duos. Dicitur enim ex hac vita diſceſſiſſe, anno quarto Traiani; anno Chriſti cētesimo ſecūdo, anno ętatis ſuę octogeſimo nono.

Simeon filius Cleopæ, Epiſcopus Ieroſolymæ, interfectus tempore Traiani, cum attigiſſet annum centeſimum viceſimum.

Ignatius Epiſcopus Antiochiæ, qui affirmat, ſe Chriſtū, poſt reſurrectionem vidiſſe.

Clemens, Epiſcopus vrbis Romæ, cuius mentionem fecit Paulus in epiſtola ad Philippēſes. Et hic, Traiani tempore, epiſtolam ad Corinthios ſcripſit, quam diu Eccleſia Corinthiorum, quotannis relegere ſolita eſt.

Titus in Creta, qui attigit annum ætatis ſuæ nonageſimum quartum. Et his adiuncti fuerunt multi eorum auditores, qui, cum eis, incorruptam Euangelij doctrinam retinuerunt.

Polycarpus, auditor Iohānis, paſſus ſub Marco Antonino Philoſopho, & Vero, Imperatoribus. Hi, & ſimiles multi, & auditores, cum eis conſentientes, fuerunt vera Dei Eccleſia. Et hi doctores, quos nominaui, teſtes, & aſſertores fuerunt veræ, & incorruptæ doctrinæ.

Simul autem illo tempore, horribiles confuſiones fuerunt. Ethnici & Iudæi palàm erant hoſtes Filij Dei. Deinde alia organa Diabolorum tetros furores ſparſerunt. Ita multos diuerſos hoſtes Eccleſia habuit: ſicut nunc, non ſoli Turci, & Papiſtæ, ſunt hoſtes veræ Eccleſiæ, ſed etiam multi fanatici homines, Anabaptiſtæ, Seruetiſtæ, Stenckfeldiani, &c. Plurimi autem impoſtores tunc, Domitiani tempore, exorti ſunt, &, vt fit in erroribus, & diſſenſionibus, vno capite Hydræ præciſo, poſtea tria nata ſunt. Nec ſingulorum furores recitabo, ſed hanc conſiderationem iudico vtilem eſſe, de quibus controuerſiis, præcipua fuerint certamina in Eccleſia, quorum ſimilia deinceps mota ſunt, & hoc tempore mouentur.

Quatuor fuerunt præcipuæ controuerſiæ.

Prima de Filio Dei. Cerinthus & Ebion contenderunt, tantùm eſſe humanam naturam in Chriſto. Et nihil eſſe

Chriſtum, antequam ex virgine natus eſt: ſicut & poſtea Samoſatenus, & recèns Seruetus contenderunt.

Secunda controuerſia fuit ſimilis Anabaptiſticæ, vt Carpocratis, & multorum, qui finxerunt, Chriſtianos oportere facultates conferre in commune, & probauerunt confuſiones libidinum.

Tertia fuit Ebionis, & multorum aliorum, qui contenderunt, oportere ſeruari ceremonias Moſaicas.

Quarta fuit tetra confuſio, orta ex quæſtione de cauſſa mali. Marcion, & ante eum, Baſilides, poſuerunt duo principia contraria, coæterna, bonum & malum, φῶς καὶ σκότος, & finxerunt Stoicam neceſsitatẽ in bonis, & malis actionibus, & multa portentoſa deliramenta addiderunt.

Harum quatuor ſectarum contagia, ſemper poſtea hæſerũt in Eccleſia. Omnes autem ſectæ, de iuſtitia communem errorem habuerunt, homines eſſe iuſtos, propter propria opera: & alij impoſtores plus, alij minus præſtigiarum addiderũt; vt Menander fuit Magus. Aliqui imitati Theogoniam Heſiodi, finxerunt magnam turbam Deorum, quam allegoricè interpretati ſunt, vt eluderent doctrinam de Filio Dei, & de Spiritu ſancto.

Hæc præfari in genere volui, quia Diabolus ſimiles furores, omnibus temporibus, ſpargit, paulùm mutata ſpecie. Neceſſe eſt igitur conſiderare integrum corpus veræ doctrinæ, & tenere confirmationes, & refutationes.

Primùm autem confirmentur pij, aduerſus hoc ingens ſcandalum, videlicet, quòd, in tot diſsidiis, dubitatio oritur, vbi ſit veritas, & an aliqua ſit Eccleſia Dei, diſtincta à cæteris gentibus. Huic ſcandalo opponamus articulum fidei: Credo eſſe Eccleſiam ſanctam catholicam: & quæramus, quæ & vbi ſit illa eccleſia, ſcilicet, quæ retinet ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola: & intueamur miracula, quæ Deus voluit eſſe teſtimonia huius doctrinæ. Diſcamus etiã ex ipſa doctrina à Deo tradita, ſemper horribile odium eſſe in Diabolis, & eius organis, aduerſus Eccleſiam, vt in prima concione dicitur: Inimicitias ponã inter ſerpentem, & mulierem. Non igitur excutiant nobis fidem hæc triſtia ſpectacula. Cogitemus & hoc, cùm in illo flore Eccleſiæ, tantùm fuerit diſsidiorum, hanc vltimam ſenectam non fore tranquilliorem.

Quia verò eaſdem controuerſias Diaboli ſæpè renouant, pertinet ad hiſtoriam ſciri, qui fuerint aſſertores veritatis, quibus vſi ſint teſtimoniis. Iohannes refutauit

Cerinthum,

Cerinthum,& Ebionem. Fuit auditor Iohannis Polycarpus Epiſcopus Smyrnę: Polycarpi,Irenæus, cuius extat liber,qui perſpicuè defendit hãc ſententiam: Quod in Chriſto,nato ex virgine Maria,ſint duæ naturæ: λόγος & natura humana,aſsumta ex virgine: Et quod λόγος non ſignificet ſermonem euaneſcentem, ſed λόγον ὑφιστάμενον,qui sẽper adfuit Eccleſiæ, & cùm Abraham, & aliis patribus locutus eſt. Huius ſcriptoris teſtimonium prodeſt,ad confirmandam veritatem, περὶ λόγου, quæ poſtea in Symbolo Niceno recitatur. Nam Irenæus anteceſsit Synodum Nicenam ferè ducentis annis.

Scribit idem libro tertio: Polycarpum narraſſe hiſtoriã de morte Cerinthi. Cùm Iohannes Epheſi, veniſſet in balneum,& ibi videret ſedere Cerinthum, inter ſuos applauſores, diſputantem & blaſphemias contra Filium Dei ſpargentẽ,dixit Iohannes ſuo comitatui: Diſcedamus,quia ſtatim domus obruet ſonantem has blaſphemias, & auditores. Egreſso Iohanne, domus ſtatim collapſa, Cerinthum & turbam reliquam oppreſſit.

Sunt apud Irenæum & aliæ refutationes, vtiles noſtris temporibus, aduerſus Anabaptiſtas,& alios,de Magiſtratibus,& ceremoniis Moyſis. Rurſus autem infra,de pleriſque controuerſiis. Hæc nunc monuiſse ſatis ſit,de controuerſiis temporum Domitiani.

Anno mundi,quater milleſimo,ſexageſimo primo.
Anno vrbis Romæ,octingẽteſimo quadrageſimo nono.
Anno Chriſti,nonageſimo nono.

NERVA.

NERVA Cocceius,interfecto Domitiano,ſucceſſit,agens annum ſextum,& ſexageſimum. Tenuit Imperium,annum vnum,menſes quatuor,& dies nouem. Princeps iuſtus,& beneficus fuit,iniuſtè damnatos ſub Domitiano reſtituit. Prohibuit ſæuitiã,quę in Chriſtianos exercebatur, & ſycophantas quoſdam occidi iuſsit,inter quos fuit & Sura Philoſophus. Iuſsu eius,delecti ſunt Senatores, qui agros emerent, data pecunia ex publico,& diuiderent egenis ciuibus. Suſtulit ſumtuoſa ſpectacula: Marcum Vlpium Traianum,natum in Hiſpania, propter virtutem,adoptauit,& ſucceſsorem fecit,pręſente Senatu,eíque inſignia Imperij miſit in Germaniam,ad vrbem Coloniam Agrippinam. Poſtea febre mortuus eſt.

Scribunt Suidas, & Nicephorus, Neruę tempore, Io-

hannem Apoſtolum , ex Pathmo Epheſum rediiſſe , vbi poſt reditum,annos quatuor vixit. Et reditum eius ornauit Deus illuſtri teſtimonio , quia Druſinæ, quæ efferebatur,cùm Ioannes in vrbem ingrederetur, per eum vita reſtituta eſt.

Anno mundi,quater milleſimo,ſexageſimo ſecundo.
Anno vrbis Romæ,octingenteſimo,quinquageſimo.
Anno Chriſti,nonageſimo nono.

TRAIANVS.

VLpius Traianus Hiſpanus , anno ſuæ ætatis quadrageſimo ſecũdo,imperare cœpit,cũ ad eum Nerua decretum,de adoptione, ad vrbem Coloniam Agrippinam, miſiſſet. Tenuit Imperium annos nouemdecim,mẽſes ſex, dies quindecim. Princeps ſapiens,iuſtus,conſilio,& fortitudine,in bellis excellens. Neruæ acta confirmauit,reductis exulibus iniuſtè condemnatis,& Romę leges,& iudicia reſtituit,ius frequenter ipſe dixit. Eſtque,Senatus decreto, hic honos ei habitus , vt Princeps optimus nuncuparetur. Bibliothecas inſtruxit,inter quas vnam,à gẽtilitia appellatione, Vlpiam nominauit. Familiarem doctorem habuit Plutarchũ,cuius extãt vtilia ſcripta. Præfecto prætorio tradẽs gladium,dixit:Hoc gladio pro me vtaris,donec iuſta facio:ſi iniuſta fecero,contra me vtaris. Hęc verba,ſi intelligantur de depulſione notoriæ, & atrocis iniuriæ,iuſta oratio eſt,præſertim ad Duces exercitus.

Bella tria præcipua geſsit. Primum,contra Decebalum, qui circiter annos ſedecim , Romanos bello exercuerat,& recèns Iazygas, qui nunc Tranſyluani nominantur,vexauerat.Tandem mora,& præliis aliquot victus,mortem ſibi conſciuit.

Põtem fecit, quo Iſtri ripas coniunxit in Bulgaria, magno,& mirando opere , nec procul inde Nicopolin condidit,ad quam , magno prælio,victus eſt Sigiſmundi Imperatoris exercitus,à Baiazete Imperatore Turcico.

In ſecundo bello , orientem adiit,vbi Armeniam occupauit:& progreſsus in Aſsyriam,ad Arbela vſque,Parthos repreſsit. Ac,vt gloriæ fuit auidior, dixit ſe,Alexandri exemplo,in Indiam proceſsurum eſse,ſi eſset iunior. Fuit autem fatalis limes Imperij Romani,Aſsyria.

Et vt ingens felicitas, nec diuturna eſt, nec ſine aliqua inſigni calamitate : ita Traianum tunc fortuna deſeruit. Quia & ipſe ſæuitiam aduerſus Eccleſiam exercuerat.

Nume-

Numeratúrque ea perſequutio Tertia, in qua Simeon, filius Cleopę, natus ex ſorore Mariæ virginis, Epiſcopus Ieroſolymæ, anno ætatis ſuæ centeſimo, & viceſimo, interfectus eſt, cùm quidem Iudæi eum accuſaſſent, quod natus ex poſteris Dauid, videretur aliquando ſeditionem moturus eſſe.

Eſt & Ignatius, Antiochenus Epiſcopus, Romam ductus, & beſtiis obiectus, iam ſenex: qui familiaris fuerat Apoſtolis, & epiſtolas ad Eccleſias aliquot ſcripſit, in quibus teſtimonia sũt, de Filio Dei, quod ſit λόγος οὐ σπώδης. Hoc enim vocabulum extat in quadam eius epiſtola.

Reuocarunt autem Traianum ex Aſsyria, crudeliſsimæ ſeditiones Iudæorum, qui in Ægypto, & Cyrene, & Cypro quadraginta millia hominum, tanta immanitate, trucidarãt, vt carnes interfectorum comederint, & cruore eorum facies ſuas pinxerint. Hic furor Iudæorum eò magis admirandus eſt, quod recens adhuc erat memoria excidij Ieroſolymæ. Nam à ſecundo Titi anno, vſque ad Traiani decimum octauum, tantùm ſunt anni triginta quatuor.

Sed cùm impendent fatales pœnæ, homines abiecti à Deo, ſingularibus furoribus attrahunt exitia, vt oſtendũt, non ſolùm Iudæorum, ſed etiam aliarum gentium hiſtoriæ. Talia exempla intuentes, cohorreſcamus, & metuentes iram Dei, doctrinæ diuinæ obtemperemus, & regi nos à Deo, veris gemitibus petamus.

Hos Iudaicos tumultus, anteceſſit ingens terræmotus, in Syria, qui durauit aliquot dies, & multa ædificia euertit, quorum ruinis, magna hominum multitudo oppreſſa eſt. Ipſum Traianum, ſcribit Dion à ſpectro eductũ eſſe in locum tutiorem, ex domo Antiochiæ, in quam diuerterat.

Vt igitur ſeditiones, in ea vicinia, opprimeret, bellum mouit contra Agarenos: qui fuerunt pars Arabum, dicti ab Agar ancilla Abrahæ.

Exiſtimo autem eò colluuiem Iudæorum confluxiſſe. In eius belli apparatu, cùm cœpiſſet ægrotare hydrope Traianus, profectus in Ciliciã, ibi mortuus eſt, anno ætatis ſuæ ſexageſimo quarto, cùm imperaſſet annos decem & nouem, mẽſes ſex, dies quindecim. Ita, cùm poſtremam hanc expditionem, ad orientem, multæ calamitates exceperint, etiam in hoc Principe cernitur Fortunę incõſtãtia.

Anno mundi, quatermilleſimo, octogeſimo.

Anno vrbis Romæ, octingẽteſimo, ſexageſimo octauo.

Anno Chriſti, centeſimo, decimo octauo.

ADRIANVS.

PVblius Ælius Adrianus ſucceſſit Traiano. Tenuit Imperium annos viginti, menſes vndecim : filius Adriani Senatoris, qui conſobrinus fuit Traiani, fuitque paterna origine, ex oppido agri Piceni, Adria.

Diſcedens Traianus ex Syria æger, regendam eam Adriano dederat. Quare, moriente eo, cùm exercitus præcipui in iis locis eſſent, & magna eſſet authoritas Adriani, propter cognationem Traiani, & propter ipſius induſtriã, nemo ei prælatus eſt. Et adoptatus à Traiáno dicebatur, ſeu verè, ſeu fingente Plotina, coniuge Traiani, quæ amabat Adrianum. Scripſit ad Senatum, ſe non accipere imperium, niſi & Senatus id iuſſiſſet.

Initio Imperij, vt citiùs Romam venire poſſet, & prouinciæ in Oriente trãquilliores eſſent, cùm adhuc in Aſſyria eſſet, volens ceſſit de Aſſyria : & pacem fecit, contentus veteri limite : & Syriæ & aliis prouinciis, rectores dedit. Ipſe Romam venit, vt ibi iudicia reſtitueret, & prouincias ordinaret. Et quia Iudæi non deſinebant tumultuari, Iulium Seuerum ex Britannia accerſiuit, & in Syriam miſit, vt Iudæos opprimeret: qui, non auſus magna prælia facere, & dimicare cũ audaciſſimis latronibus, traxit bellum. Interea vires Iudæorum confirmatæ ſunt.

Vt autem, propter religionis ſpeciem, & plures concurrerent, & creſceret audacia, Dux ſeditioſorum tribuit ſibi titulum Meſſiæ. Et vt alluderet ad vaticiniũ: Orietur ſtella ex Iacob, nominatus eſt Bencochab, id eſt, Filius ſtellæ. Alij ſcribunt Barcochab, quod prorſus idem eſt. Nam & Ben, & Bar ſignificat filium. Hic, annos aliquot, in ipſa Iudæa, tenuit quinquaginta caſtella, & nongentos & octoginta vicos, & muniit oppidum Bethoron, ſitum in Beniamin, & Ephraim, quod olim & Salomon munierat. Ex ea arce, cũ irruptiones facerent, ſæpè Romanos profligarunt.

Sed rediit in Syriam Adrianus, & oppidum Bethoron obſedit annos tres, & ſex menſes. Ibi, cùm multi in prælis interirent, & plures fame, & peſtilentia morerentur, tandẽ oppidum vi captum eſt, & interfectus eſt Dux ſeditionis, Bencochab, quem poſtea Iudæi nominarunt Bencosba, id eſt, Filium mendacij, quod falsò iactitaſſet, ſe Meſsiam eſſe, & recuperatorem Iudææ.

Numerus interfectorum ſcribitur fuiſse, quinquies cẽtum millia hominum. Alij, qui peſtilentia, & fame perierunt, non potuerunt numerari.

In

In hoc bello, potentia Iudæorum, quanta reliqua fuit, fracta eſt. Et exemplum eſt dignum conſideratione, quod oſtendit, quales furores ſint in impiis, à Deo abiectis, cum fatalibus pœnis vrgentur: & ſimul monet, ne, falſo prætextu religionis, ſeditiones moueantur, ſicut, noſtro tempore, fecerunt Anabaptiſtæ Monaſterienſes, quorum rex verè fuit Cosba, id eſt, filius mendacij.

Iudæi ipſi hanc hiſtoriam atrociſsimè narrant, & dicũt, bellum hoc continuatum eſſe ſex annos. Ipſe Adrianus ſcripſit ad Senatum Romanum, ne hanc victoriam, paruo labore partam exiſtimarent: & ad pacem Orientis, ſcirent plurimùm conducere, huius ſeditionis oppreſsionem.

Nec tãtùm Romanis, ſed etiam Chriſtianis fuit hoſtis ille Ben Cosba: vbicunque enim occaſio fuit, crudeliſsimè interfecit Chriſtianos in Palæſtina. Cùm igitur poſtea Adrianus pelleret Iudæos, diſtinxit ab eis Chriſtianos: & cũ in Ieroſolymæ ruinis rurſus ædificari vrbem ſineret, quam nominauit à ſuo nomine Æliam, conceſsit vt ibi Chriſtiani habitarent: fuítque primus Epiſcopus ibi Marcus, nõ ex Iudæis parentibus natus. Adeò igitur tunc mutata eſt vrbs Ieroſolyma, vt nec ritus, nec ciues Iudæos, nec nomen vetus retinuerit, vt clarè conſpici poſſet, deletam eſſe politiã Iudaicam, & Deum nolle eam reſtitui.

Hæc Iudaica hiſtoria, in vita Adriani, præcipuè digna eſt conſideratione. In ipſo verò, quæ magnitudo ingenij, eruditionis, induſtriæ, & conſilij fuerit, legatur apud alios. Studia doctrinarum intellexit, & ornauit. Remouit à munere docendi parum idoneos, datis alimentis, & magis idoneos præfecit. Certauit cum doctis ſcribendo, & diſputando. Quotannis ſibi ſcripſit ipſe prædictiones aſtronomicas. Reſpondit & ineptè iocantibus. Quidam Poëta verſus ei exhibuerat:

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas. Huic mox reſpondit, deridens eius Cynicam ſimulationem:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas.
Culices pati rotundos. Moriturus, pronũciauit hos verſus:
Animula, vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?

Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt ſoles, dabis iocos.

Talis eſt querela, & dubitatio in mentibus non confirmatis luce doctrinæ Chriſtianæ. Mortuus eſt, anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio; Imperij, viceſimo ſecundo. Oſſa condita ſunt in mole Adriani, quæ nunc Romæ eſt Arx ſancti Angeli.

Anno mundi, quater milleſimo, centeſimo primo.
Anno Romæ, octingenteſimo, octogeſimo nono.
Anno Chriſti, centeſimo triceſimo nono.

ANTONINVS PIVS.

ANTONINVS Pius adoptatus ab Adriano, tenuit Imperium annos viginti tres. Solus omnium Principum, ſine ciuili ſanguine fuit. Senatus authoritatem plurimi fecit. In iudicando Iuriſconſultos adhibuit, Vlpium Marcellum, & Iabolenum. Stipendia literarum, & philoſophię doctoribus etiam in prouinciis, attribui conſtituit.

Nemini bellum intulit, ſed inferentes repreſsit: ac in limitibus, nominatim ſcribuntur repreſsi Daci, & Alani. Sępè repetiuit dictum Scipionis: Malle ſe vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Facetè dicta etiam placidè tulit. Ingreſſus in domum amici, cùm ibi vidiſſet porphyreticas columnas, interrogauit, vnde allatę eſſent. Reſpondit paterfamiliàs: In aliena domo ſurdum, & mutum eſſe decet; id eſt: Nec fabellas efferentem, nec curioſè ſciſcitantē aliena, nec petacem. Delectatus eſt Imperator hac libertate. Mortuus eſt, anno ætatis ſuæ, ſeptuageſimo.

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.

MArcus Aurelius Antoninus Philoſophus ſucceſsit Antonino Pio, volēte Senatu. Tenuit Imperium annos decem, & nouem, dies vndecim. Initio Imperij, collegam fecit fratrem, L. Verum. Ac primùm tunc regnare duo Auguſti, pari poteſtate cœperunt.

Sciendum eſt autem, non fuiſſe eos naturâ fratres, ſed adoptione. Et vt diſcerni familiæ poſsint, ſciendum eſt: ab Adriano adoptatum fuiſse initiò Ælium Verum, quo mortuo ante ipſum, deinde adoptauit Antoninum Pium.

Ælius Verus.	Antoninus Pius adoptauit Marcum Antoninum Philoſophum natū ex fratre vxoris Antonini Pij, videlicet ex Antonino Vero. Adoptauit Pius & L. Verum, filium Ælij Veri.
L. Verus natus ex Ælio Vero.	

Mores

Mores collegarum diſſimiles fuerunt: L. Verus voluptatibus deditus fuit, ſed Marci virtus texit vitia Lucij: & moderatione, ac patientia Marci, concordia retenta eſt, ſicut inter diſſimiles non poteſt retineri concordia, niſi alterius ſapientia, & ſanet, & ferat deteriorem.

Mota, & repreſſa eſt ſæuitia aduerſus Chriſtianos, Marci tempore; vt poſtea dicam. Sed in omnibus alijs partibus gubernationis, Princeps optimus fuit, ſapiens, iuſtus, modeſtus, beneficus, amans, & intelligens doctrinarum. Nec infeliciter geſſit bella. Extat eius laudatio inſignis, & digna memoria, apud Dionem, his verbis: ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη. οὕτως ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ ἦν, καὶ οὐδὲν προσποιητὸν εἶχε. πάμπολλα μὲν γὰρ καὶ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη.

Sunt autem duæ egregiæ virtutes, in magnis, & in paruis: conſtantia in perferendis aduerſis, quæ ferre neceſſaria cauſſa eſt, & miſericordia erga ciues, vbi decet leniri aſperitatem: vt Cyrus, Scipio, fuerunt firmi aduerſus hoſtes pertinaces, miſericordes erga cedentes, iuxta dictum:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Quia iuſtitia, & beneficentia ſunt neceſſariæ virtutes. Has enim prædicat in Antonino Dion, his verbis: Ὁ δὲ Μάρκος ἀπελκτὸς ὤν, οἷος ἅπασι τοῖς κινήσεις ἀντέχειν, ᾤχετο φερόμενος ὑπὸ τῶν παθῶν ἐς τὸ ἀνθεχόμενον. Acceſſit ad auditoria Philoſophorum, etiam cùm eſſet Imperator, egreſſus annum quinquageſimum. Et cùm ſumptuarias leges ferret, non caruit obtrectatoribus, qui calumnioſè interpetati ſunt eius ſeueritatem, & dixerunt, eum tyrannidem exercere, prætextu philoſophiæ, ſicut vſitatum eſt, rectiſſimas voluntates, calumniis lacerare.

Extat liber M. Antonini, de ſeipſo; qui & recèns editus eſt. In eo libro sũt commonefactiones de virtutibus Principi neceſſariis: de iuſtitia, de beneficentia, de patientia in ferendis iniuriis, ne maiora mala oriántur, iuxta dictum Periandri: μὴ ἴω κακὸν κακῷ.

Bella geſsit præcipua quatuor. Oppreſsit ſeditiones in Britannia. Cattos depulit à Rhetia, & cõpeſcuit. Aduerſus Parthos miſit fratrem L. Verũ, qui mãſit Antiochię, indulgens voluptatibus. Sed, duce Caſsio, Parthi repreſsi ſunt, & facta eſt pax, hac cõditione, ne in Syriam Parthi tranſirent.

Maius autem bellum fuit, ad quod ipſe, cùm fratre, profectus eſt, aduerſus Marcomannos, & Quados. Nec verò dubium eſt, Marcomannos fuiſſe eos, qui nunc Morani dicuntur, & vicinos aliquos. Quia Ptolemæus expreſsè inquit, fuiſſe Boëmiæ limites, Sudetes montes, qui ſunt

iuga verſus meridiem, Voitlandos, & Myſos. Et è regione, Syluam Gabretam, id eſt, altitudinem latam. Et ſub ea ſylua fuiſſe Marcomannos, vbi nunc eſt Morauia.

Vicini Marcomãnis fuerũt Quadi: videlicet Sileſię pars, & regio inter Vratiſlauiam, Cracouiam, & ad Carpathũ. In hoc limite imperij, ſemper bella difficilia Romani geſſerunt. Tunc verò ad alias difficultates acceſſerat tãta ſiccitas, vt milites & equi, ſiti perirent. Erat autem in exercitu Romano, Chriſtiana legio, quæ nomen habebat à Melite, vbi Paulus ſemina Euangelij ſparſerat. Hæc legio nõ ſolùm ferro, ſed etiam precatione præliabatur: & cùm publicam precationem indixiſſet, qua peteretur pluuia, & bonus exitus belli, mox ingens tempeſtas orta eſt, in qua ſimul Deus, & largam pluuiam Romano exercitui dedit, & crebra fulmina cõtra Quados iaculatus eſt. Hac victoria, precibus Chriſtianorum parta, Imperator huic legioni nomen dedit, κεραυνοβόλος, id eſt, fulminatrix.

Hoc exemplum memoria dignum eſt, quia oſtendit legitimam militiam Deo placere, & Deum propter Eccleſiam Imperiis ſæpè benefacere, ſicut benefecit Cyro, Conſtantino, Theodoſio, propter Eccleſiam, vt ſcriptum eſt: Si quis dederit potum aquæ, vni ex minimis meorum, habebit mercedem; ſicut exemplum viduæ Sareptanæ oſtẽdit. Ac poſt hanc victoriam, M Antoninus decreta contra Chriſtianos aboleuit.

In bello Marcomannico biennium conſumtum eſt. Fitque mentio, inter ſocias gẽtes, Hermundurorũ, & Nariſcorum. Certum eſt autem Hermunduros eſſe, qui nunc ſuperiora loca, in Miſnenſi regione, tenent. Nariſcos eſſe Voitlandos, & proximos vicinos, facta appellatione à Norico.

In reditu ex bello Marcomãnico, collega L. Verus mortuus eſt apoplexia. Marcus, cùm ſuperſtes fratri fuiſſet annos octo, mortuus eſt anno ætatis ſuæ, ſexageſimo primo.

Horum Imperatorum tempore creuit Eccleſia, non ſolùm multitudine, ſed etiam eruditorum numero: quia Principes eruditi fuerunt multi. Ad eos ſcripſerunt apologias, pro Chriſtianis, Iuſtinus, Ariſtides, Athenagoras, & alij, ferè ſimilibus vſi argumentis.

In collatione doctrinæ Chriſtianæ, & Ethnicæ oſtenderunt, rectiùs ſentire Chriſtianos, vnum eſſe Deum, omnium creaturarum conditorem: & improbarunt turbam Deorum quam finxerunt Ethnici. Oſtenderunt & leges Chriſtianorum de caſtitate, & coniugiis, honeſtas eſſe, & improba-

improbauerunt libidinum confuſiones, quas Ethnici admittebant,& probabant. Improbauerunt & gladiatorum pugnas, in quibus, per ludum, homines interficiebantur. Et hac demonſtratione damnarunt Ethnicas opiniones,& ſuperſtitiones, quod impoſsibile ſit, eſſe cœtum Deo placentem, qui probet legem contrariam legi naturæ. Iuſtinus etiam tempora confert, & oſtendit doctrinam Chriſtianã antiquiorem eſſe Ethnica, & hiſtoriam Moſaicam vetuſtiorem Græcis eſſe. Inde & dictum eſt Tertulliani: Primum quodque veriſsimum eſt.

Tempore M. Antonini, Romam venit & Polycarpus, Smyrnæus Epiſcopus, Iohannis Apoſtoli auditor, ac vidit, & ibi refutauit Marcionem Hæreticũ, & multos ab eo ſeductos ab errore reuocauit. Cùm Marcion, ei obuiam factus, interrogaſſet, an ſe agnoſceret? inquit ille: Agnoſco primogenitum Diaboli. Nam quęſtio, de cauſſa mali, tunc quoque ingentia certamina peperit. Marciõ cõſtituit duo principia pariter æterna, inter ſe pugnãtia, videlicet duos, quorum alterum dixit eſſe cauſſam peccati, ſicut poſtea Manichæi nominarunt ὕλην, & ortos ab hoc principio dixerunt non poſſe conuerti ad bonum. Alterum dixit eſſe bonum, quod Manichæi nominarunt lucem, & dixerunt, ortos à luce non poſſe damnari quicquid faciant: ac Stoicam neceſſitatem in bonis, & malis conſtituerunt.

Hæc tetra deliramenta latè ſparſit Marcion, in Aſia, & Romæ: quæ nata ſunt ex Stoicis diſputationibus, de neceſſitate, quæ eò ſunt pernicioſæ moribus, quia, cùm fundamentum hoc poſitum eſt; Omnia neceſſariò fieri, diligentia abiicitur regendi mores, & accedit aut deſperatio, aut in ſecuris confidentia. Si quis cogitat, ſe ab ὕλη ortum eſſe, non expetit conuerſionem.

Vt autem & ſpecies inuſitatę sãctitatis offũderetur hominum oculis, Marcion prohibuit cõiugiũ. Et tamen ipſe Diaconi in Cypro coniugem abduxit, quæ poſtea reuerſa ad maritum, narrauit magnam turpitudinem iſtius ſectæ.

Talia fuerunt certamina, in illa aurea ætate, primæ Eccleſiæ, mox poſt Apoſtolos, Polycarpus ſupplicio affectus eſt Smyrnæ, tempore M. Antonini, anno ſexageſimo poſt Iohannis Apoſtoli mortem, cùm quidem diceret, ſe octoginta ſex annos Deo ſeruire. Audiuit igitur Iohannem anno decimo ſexto ætatis ſuæ aut circiter. Doctrinam fuiſſe Polycarpi eam, quæ recitatur in Irenæo, non dubium eſt. Nec alia fuit Iohannis. Et quidem cum voce Eccleſia-

rum noſtrarum planè congruit Irenæus.

Anno mundi, quater milleſimo centeſimo, quadrageſimo tertio.

Anno vrbis Romæ, nongenteſimo, triceſimo nono.

Anno Chriſti, centeſimo octogeſimo ſecundo.

COMMODVS.

Commodus ſucceſſit patri M. Antonino Philoſopho. Regnauit annos duodecim, & menſes nouem, à prima ſtatim pueritia turpis, & crudelis. Videtúrque Romanę Monarchiæ tempus à Iulio, vſque ad M. Antoninum Philoſophum, velut ἀκμὴν fuiſſe. Poſtea plurima tetra monſtra regnarunt. Sequutæ ſunt aſſiduæ ſeditiones, & multa bella ciuilia. Nobilitas deleta eſt, partim à tyrannis, partim in bellis ciuilibus: exercitus ex barbaris gentibus collecti: diſciplina vetus extincta: magiſtratuum, & militum in prouinciis rapacitas, & libidines creuerunt.

Cũ autẽ tãtas in genere humano cõfuſiones intuemur, deploremus miſerias humanas, & cogitemus ſimul, nõ tamen vniuerſum genus humanum, tantum ad hęc horrẽda mala naſci: ſed verè Filiũ Dei miſſum eſſe, vt inde Eccleſiã æternã excerpat, cuius efficiamur ciues: & protegi ac ſeruari nos in ea petamus, ſicut Iſraelitæ ſeruati sũt intra domos, quarum limina ſanguine agni conſperſa erant.

Hæc breuiter dicere malui, quàm horrenda flagitia Cõmodi recitare, qui cum multos Senatores, & alios iniuſtè interfeciſſet, tandem per Præfectum prætorio Lætum, & concubinam Martiam ſtrangulatus eſt.

Interea tamen creuit Eccleſia. Nam, ſub Cõmodo, ſcribunt, magnam frequentiam fuiſſe Collegij Alexandrini: & floruiſſe eo tempore interpretes doctrinæ Propheticæ, & Apoſtolicæ, Pantænum, & Clementem, qui narrat, ſe fuiſſe auditorem Pantæni. Dicitur autem Pantænus poſtea Euangelium docuiſſe in India. Ac fuiſſe plures tunc, qui nominabantur Euangeliſtæ, id eſt, quorum ſinguli Euangelium in multis prouinciis docebant. Vnde intelligi poteſt, quid Paulus nominauerit Euangeliſtas, cùm diſcernit eos à Prophetis, Apoſtolis, Paſtoribus & Doctoribus.

Clemẽtis libri extant, in quibus refutationes ſunt Ethnicorum, Iudæorum, & multorum Hæreticorum, quorum plerique, doctrinam ſimilem Anabaptiſticæ, ſparſerunt, & addiderunt furores ſuperiorum, de duobus principiis contrariis & pariter æternis, Bono & Malo; & contenderunt

runt

runt in Chriſto tantùm eſse humanam naturam : prohibuerunt certos cibos : iuſſerunt omnia in commune conferri: alij coniugia prohibuerunt : alij promiſcuos concubitus approbauerunt.

Narrat, de prohibitione coniugij, Hęreticos citaſſe colloquium Chriſti, & Salomes , quod ait in Euangelio Ægyptiorum ſcriptum eſſe. Interroganti Salomæ, quando venturũ eſſet regnũ Dei, reſpondet Chriſtus : Cum ceſſabit opus mulieris. Inde ait Clemens, Hæreticos argumentatos eſſe, deſitura coniugia , poſtquam Chriſtus natus ſit, & iam inchoata ſit Euangelij prædicatio. Tales ludi ſunt Hæreticorum, detorquere dicta in peregrinas ſententias. Chriſtus nominat opus mulieris, ſcilicet Heuæ peccatum, & mortem : illi generationem interpretati ſunt , quæ eſt Dei inſtitutum, vt fiat, copulatione maris & fœminæ.

Sic & definitionem iuſtitiæ, malè detorſiſſe eos narrat: Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετ' ἰσότητος. Ergo omnes omnium rebus, & vxoribus æqualiter vtantur. Ac definitio, ſi non reiicienda eſt , loquitur de æqualitate ordinata lege Dei, quæ dicit: Non mœchaberis: Non furtum facies. Talis ſit æqualitas, qualis lege ordinata eſt.

Cæterùm ipſa definitio, ſi non inſulsè enarretur, Legalis eſt, non Euangelica, quia non facit mentionem Mediatoris, ſed loquitur de effectu, videlicet de nouitate, iuxta primam, & ſecũdam tabulam Decalogi. Nouitas, iuxta primã tabulã eſt, communicatio , qua ſe Deus nobis communicat, i d eſt, qua fulget in nobis, rectè agnoſcitur, & accendit in nobis, verbo, timorem , dilectionem, fiduciam Dei, &c. Deinde, in ſecunda tabula, iuſtitia eſt æqualitas, id eſt, dilectio proximi ordinata lege Dei. Hæc interpretatio congruit cum Oſiãdrica definitione, de iuſtitia eſſentiali. Neceſſe eſt autem prius teneri definitionem iuſtitię fidei, qua, propter Mediatorem , perſona placet Deo , per miſericordiam, iuxta dictum: Iuſtificati fide, pacem habemus.

Hæc de libris Clementis breuiter dixi , vt ſciant iuniores , contineri in eis & hiſtorias , & diſputationes aliquas conſideratione dignas.

Anno mundi, quater milleſimo, centeſimo, quinquageſimo ſexto.

Anno Romæ, nongenteſimo, quadrageſimo quarto.

Anno Chriſti, centeſimo nonageſimo quarto.

PERTINAX.

Pertinax ſucceſſit Commodo interfecto, regnauit men-

ſes duos,dies viginti quinq; , natus libertino patre,docuit grammaticam. Poſtea factus miles,virtute creuit. Rexit Rhetiam,Noricum,Myſiam & Daciam. Et quia Præfectus vrbis erat,interfectores Commodi,vt defenſionem haberent, Imperium ad eum detulerunt. Mox & à Senatu appellatus eſt Imperator. Sed cùm milites prætorianos , qui Commodi tempore infinitam licentiam habuerant, coërceret, venit in odium, & ab ipſo Læto Præfecto prætorio, qui eum Imperatorem fecerat,interfectus eſt, anno ætatis ſexageſimo primo.

DIDIVS IVLIANVS.

CVm autem in illa ſeculi turpitudine, nec in Principibus autoritas eſſet, nec in militibus modeſtia,Sulpitianus Præfectus vrbis, & Didius Iulianus palam , & impudenter mercati ſunt Imperium. Sulpitianus promiſit ſingulis prætorianis quingentos coronatos , videlicet ſeſtertia viginti. Iulianus promiſit ſexcentos coronatos, & viginti quinque , videlicet ſeſtertia viginti quinque. Ita vincit Iulianus,qui tenuit Imperium duos menſes, & dies quinque. Cúmque eſſet helluo,& aleator, nec daret promiſſa militibus,ſtatim venit in odium. Et alibi exercitus in Pannonia Imperatorem appellauit Seuerum , cuius fuit excellens ingenium, & virtus. Inde ciuile bellum ingens ortum eſt inter Seuerum,& Peſcenium Nigrum,Syriæ Rectorem,& Clodium Albinum Britanniæ Rectorem,quod ſignificarunt Parelia in primo ſacrificio Iuliani conſpecta.

Anno mundi,quater milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo.

Anno Romæ, nongenteſimo quadrageſimo quinto.

Anno Chriſti centeſimo nonageſimoquinto.

SEVERVS.

SEuerus Imperator ſucceſſit interfecto Iuliano. Regnauit annos octodecim. Natus fuit in vrbe Aphricæ Lepti , equeſtri loco , Romæ educatus à M. Antonino Philoſopho. Propter induſtriam , primum Quæſtor in Betica factus eſt : deinde quatuor legionibus præpoſitus eſt , in Hiſpania. Poſtea Lugdunenſem prouinciam, magna cum laude rexit : deinde Pannoniam & Germaniã. Cùm interfectus eſſet Iulianus, Romam acceſſit,& honorifice à militibus, & Senatu exceptus eſt , & Imperator appelatus.

Scribit Dion,ſe nullam vidiſſe ſplendidiorem pompam,

quàm

quàm ingreſſum eius in vrbem Romam. Vbi cùm ad portam veniſſet, deſcendens de equo, pedes acceſſit ad Capitolium. Deinde milites, qui Pertinacem interfecerant, exautoratos expulit ex Imperio. Interfecit & Lætum Præfectum prætorio, qui autor fuerat necis Commodi, & Pertinacis. Iudicia reſtituit, & pace in Occidente conſtituta, in Orientem profectus eſt contra Peſcenium Nigrum, qui ex Syriaco exercitu, Imperator appellatus erat. Cum hoc vetus ei amicitia in Gallia fuerat : & non defuit virtus Peſcenio. Vicit autem tribus magnis præliis Seuerus. Primo ad Cizycum : deinde ad Niceam : tertiò ad Iſſum in Cilicia, vbi Darium vicit Alexander. Cúmque in exercitu Peſcenij viginti millia trucidata eſſent, fugiens Peſcenius Antiochiam, ibi interfectus eſt, & caput pilo infixum circumlatum eſt.

Initio belli occupauerat Peſcenius Byzãtium, quod Seuerus obſidione cinxit totum triennium. Ac defenſum eſt tanta pertinacia, vt ad humanas carnes ventum ſit. Tandem verò, cum Byzantij, & fame, & tempeſtatibus coacti, deditionem facerent, Seuerus iuſſit demoliri muros. Ita vrbs à Carthaginenſibus condita, & quæ diu floruerat, deleta eſt. Nam à Philippo Macedone (quanquam vrbs multò vetuſtior eſt) ad Seuerum Imperatorem, ſunt anni circiter quingenti. Poſtea à Conſtantino inſtaurata eſt. Interuallum à Seuero, ad inſtaurationem, ſunt anni centum, & amplius triginta.

Cùm autem Seuerus iam maximam Romani Imperij partem teneret, rediens in Italiam, bellum mouit aduerſus Albinum, quem antea collegam fecerat. Rexerat Britanniam Albinus, & Friſios domuerat, ac propter nobilitatem, Romæ ſenatoribus carus fuit : Fítque primùm in hiſtoria Romana, Friſiorum mentio, in rebus geſtis huius Albini. Obiecit autem Seuerus Albino, quod ſocietatem non bona fide coluiſset.

Vicit Albinum ad Lugdunum, magno prælio, in quo ipſe Seuerus ictus, de equo decidit, & extinctus putabatur. Victor, Albini caput præciſum Romam miſit. Deinde ſolus tenens Imperium, magnam crudelitatẽ exercuit. Interfecit aduerſariorum amicos, & multos alios, prædæ cauſſa.

Vxorem habuit primam Martiam, quam Romæ duxit tempore Marci Antonini, ex qua ei filius natus eſt Baſſianus. Hac mortua, noluit vxorem ducere, niſi quæ haberet regiam γένεσιν, vt fuit ſtudioſus, & peritus aſtrologiæ. Du-

xit igitur in Syria Iuliã, ex qua natus eſt ei alius filius Geta, quem, vt poſtea dicemus, interfecit frater Baſsianus.

Poſtremam expeditionem Seuerus in Britãniam ſuſcepit, vbi mortuus eſt Eboraci. Vixit annos ſexaginta quinque, menſes nouem, dies viginti quinque. Moriturus, deplorans humanas miſerias, dixit: Omnia fui, & nihil mihi prodeſt: Πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ.

Filiis miſit legendam Micipſæ orationem, quæ extat apud Saluſtium, in qua hæc ſunt verba: Concordia paruæ res creſcunt: diſcordia maximæ dilabuntur.

Apud Dionem, hæc, de eo, verba ſunt: Erat corpore robuſtus, niſi quod ſenex podagra laborauit. Acies mentis fuit acerrima, & validiſsima. Doctrinas appetiuit, & intellexit, nec tamen garrulus fuit. Non ingratus amicis, ſed aduerſus inimicos acerrimus. Intentus in ea, quæ agenda erant, nihil morabatur fabellas, & rumuſculos, qui de ipſo ſpargebantur.

In eius hiſtoria, exemplum eſt inſigne aulici Plautiani, qui ſummam potentiam nactus, poſtea ea abutitur, & à domino tollitur.

Plautianus enim Afer, ex tenui loco, euectus eſt, ad ſũmam potentiam, & maximas opes, à Seuero: adeóque carus ei fuit, vt filiam eius, dederit Seuerus, Baſsiano. Sed ſcribit Dion, de Plautiano: Omnia concupiſcebat, omnia petebat, omnia accipiebat, nec gentem, nec vrbem vllam relinquebat non ſpoliatam, ſed omnia, & vndecunque rapiebat. Cætera magis tetra omitto. Talis cùm eſſet, non potuit diuturna eſſe felicitas. Sed primùm hoc furore punitus eſt, vt vitæ Seueri, & Baſsiani inſidias strueret: quibus deprehenſis, Plautianus à Seuero in Palatium vocatus, ibi interfectus eſt: & cadauer monſtratum Iuliæ, vt lætaretur, & filiæ Plautiani, vt dolore afficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui fiducia potentiæ ſuæ, nimiam licentiam ſibi ſumpſerat, oblitus huius præcepti:

Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

Exercuit Seuerus etiam ſæuitiam contra Chriſtianos, in qua Leonides, pater Origenis, propter confeſsionem, ſupplicio affectus eſt, qui quidem filium, magna cura doceri curauit.

Eſt igitur Origenes factus catechetes in Alexandrina Eccleſia, agens annum decimum octauum. Variam hiſtoriam continet tota eius vita, quæ legatur apud Euſebium.

Iuniores

Iuniores hoc ſtudij, & diligentiæ exemplum, meminerint, quod linguam Ebræam ſtudioſè didicit, & interpretationes contulit. Opus igitur contexuit, quod nominauit ἑξαπλον, id eſt, diſtinctum in ſex lectiones, ſeu columnas.

Prima erat Ebræa, ſcripta Ebræis literis.
Secunda, Ebræa, ſcripta Græcis literis.
Tertia, Græca interpretatio ſeptuaginta interpretũm.
Quarta, Aquilæ.
Quinta, Symmachi.
Sexta, Theodotionis.

Hoc modo voluit & linguam Ebræam conſeruare: & conſideratis interpretationibus, eligi maximè propriam: Hi libri in Ierichunte aſſeruati ſunt, quorum ſimiles adhuc Hieronymi tempore reliquos fuiſſe apparet, quia ſæpè recitat illorum interpretum verba. Tales libri non ſine magno ſumptu, & multorum collatis operis, adornari potuerunt. Quare inde illius temporis liberalitas, in iuuandis ſtudiis, æſtimetur.

De doctrina Origenis olim quoque magnæ contentiones fuerunt, ſed non multa ipſius ſcripta ad nos peruenerunt. Quæ in Latinam linguam conuerſa ſunt, apparet mutila eſſe, & non rectè conſuta. Poteſt etiam fieri, cùm tam multa ſcripſerit, vt non ſemper fuerit intentus, ſicut dicitur: χωρὶς τῶδε, εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια. Et manifeſtum eſt, eum in enarratione epiſtolæ Pauli ad Romanos ſcriptæ, ſæpè errare.

Hoc notum eſt, fuiſſe eum immodicum in allegoriis, quod ita accidit. Cùm Ethnici deriderent Moſaica ſcripta, propter ritus de cibis, & ſacrificiis, Origenes tradidit interpretationes allegoricas, vt conditam ſapientiam continere viderentur, ſicut Pythagoræ dicta, aut poëmata. Verum eſt autem, vmbras aliquas in ritibus, traditas eſſe, quæ aliud ſignificant, vt agni mactatio, ſignificat Chriſti mactationem. Cùm Pſalmus dicit: Aſperges me, Domine, hyſopo, & mundabor: Hyſopus tincta in ſanguine vituli, ſignificat ibi ſanguinem filij Mediatoris. Arca in adito templi ſignificat Eccleſiam, quæ eſt cuſtos doctrinæ à Deo traditæ, ſicut in arcam Tabulæ Decalogi collocatæ erant. Sed talium figurarum oportet concinnã accommodationem, ad res ſignificatas fieri, oportet etiam modum eſſe.

Sed Origenis tempore, guſtata harum picturarum dulcedine, hic ludus nimiũ creuit. Cùm enim ſolus homo habeat naturã imitatricẽ, vſitatũ eſt noua, & præſertim admi-

rabilia, vt in veſtitu, imitari. Quare ætas illa nimium delectata eſt allegoricis picturis, & amiſit principalem doctrinam.

Ideò Epiphanius, & multi alij reprehenderunt ſcripta Origenis, & monuerunt, non omnia in allegorias transformanda eſſe, ſicut eruditè inquit Epiphanius, τὰ ῥήματα θεοῦ οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ᾽ ὡς ἔχει· θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν. Hoc eſt, Verba Dei non omnia indigent allegoriis, ſed ſicut ſe habent. Indigent autem ſpeculatione, & ſenſu, ad ſciendam cuiuſlibet rei ſubſtantiam. Nam in articulis fidei, in lege morali, & in promiſſione gratiæ, neceſſe eſt retineri natiuam verborum ſignificationem. In aliis materiis, vt in ritibus picturę ſunt, quæ aliud ſignificant. Et tamen iudicio opus eſt, vbi etiam verborum proprietas retineatur.

Ait autem Epiphanius, ſpeculatione opus eſſe, id eſt, Grammatica, & Dialectica, videlicet conſideratione phraſis, collatione locorum, definitionibus, diſtinctionibus, & iuſta conſequentia in argumentis.

A[illegible] & ſenſu opus eſſe, id eſt, experientia monſtrante voc[illegible]la, vt experientia oſtendit, quid ſignificent, vita, mors, dolor, timor, conſolatio, lætitia, fides, &c.

Hæc de Origene ideò breuiter dixi, vt iuniores diſcernant materias, & conſiderent, vbi allegoriæ locus ſit. Quia non omnia in allegorias transformanda ſunt.

Anno mundi, quater milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto.

Anno vrbis Romæ, nongenteſimo ſexageſimo tertio.

Anno Chriſti, ducenteſimo decimo tertio.

ANTONINVS BASSIANVS.

ANtoninus Baſſianus Caracalla, Seueri filius ex prima coniuge Martia, regnauit annos ſeptem. Nomen Caracallæ habuit à figura veſtis, qua & ipſe vſus eſt, & cuius ſimiles militibus & populo donauit.

Crudeliſſimus & inceſtus. Initio Imperij fratrem Getã, natum ex Iulia, quem pater voluerat fratris collegam eſſe, interfecit pendẽtem è collo matris Iuliæ, & clamantem: Mater, opem fer mihi, interficior. Ac mater non tantùm ſanguine filij reſperſa eſt, ſed etiam vulnus in manu accepit. Hæc tamen poſtea priuigno Baſſiano nupſit, & quidem inuitans eum. Cùm enim, quaſi per negligentiam, coram eo nudaſſet ſinum, & ille diceret: Vellem ſi liceret, illa contra ait: Si libet, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe,

ſe, & leges dare, non accipere? Publicè igitur eam duxit, & vxoris loco habuit. Quare & poſtea Alexādrini eam Iocaſtam, & ipſum nominarunt OEdipum. Sed huius ioci magnas pœnas dederunt. Trucidauit enim, in vrbe Alexandria, Baſſianus multa millia ciuium.

Romæ iniuſtè plurimos Senatores, & alios interfecit, & inter hos Papinianum Iuriſconſultum Præfectum vrbis, docentem ius; quod excuſare necem Getæ noluit. Cùm enim iuſſus eſſet eam excuſare, recuſans, reſpondit: Non tam facilè eſt excuſare parricidium, quàm facere. Hæc fortitudo neceſſaria eſt, malle mori, quàm defendere iniuſtam cauſſam.

Cùm vellet Baſsianus, in omnibus rebus, imitator eſſe Alexandri, ſcholas Ariſtotelicas Alexandriæ aboleuit, & libros Ariſtotelis comburere conatus eſt, dicens, Ariſtotelem iuuiſſe conſilium, mittendi venenum, ad necandum Alexandrum.

Venit in Galliam, vbi Proconſulem Narbonenſem, & multos alios magiſtratus occidit. Inde acceſsit Rhetiā, & trucidatis aliquot millibus Germanorum, nominauit ſe Germanicum. Satellites etiam multos ex Germanis ſibi delegit. Poſtea trāſiuit in Aſiam, & mouit bellum Parthicum: vbi, cùm multa turpiter, & crudeliter feciſset, conſilio Macrini Præfecti prætorio, à ſatellite Martiali, cuius fratrem interfecerat, occiſus eſt.

Cadauer miſsum eſt nouercæ & vxori Iuliæ, quæ Antiochiæ erat. Illa, ſupra corpus Baſsiani iacens, ſibi mortem conſciuit. Hic fuit exitus inceſtæ conſuetudinis. Vixit Baſſianus annos quadraginta tres.

Anno mundi, quater milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo.

Anno Romæ, nongenteſimo ſeptuageſimo.

Anno Chriſti, ducenteſimo viceſimo.

POPILIVS MACRINVS.

POpilius Macrinus Præfectus prætorio, poſt Baſsiani necem, factus eſt Imperator ab exercitu, qui in Aſsyria erat, ne milites tam procul ab Italia, ſine Principe eſſent. Regnauit menſes quatuordecim. Fuit libertinus, & factus eſt tabellio ſub Cominodo. Fecit Cæſarem filium Diadumenum.

Initio Imperij ſui, & reipublicæ cōſulens, pacem emit à Parthis, data pecunia. Deinde Antiochiæ ludis deditus, ve-

nit in odium militum, propter aſperitatem, & tenacitatē.

Inter cætera eius facta, hoc narratur. Cùm duo milites hoſpitam vi compreſſiſſent, incluſit eos in duos boues, exertis capitibus, vt colloqui poſſent, donec extincti ſunt.

Quia autem Baſſiani memoria grata fuit militibus, & filius Baſſiani dicebatur in Syria eſſe, qui poſtea nomen habuit Heliogabali, exercitus pecunia corruptus ab auia Heliogabali, ad eum defecit, & mox ſeditionem mouit adverſus Macrinum, qui poſt infelicem pugnam, fugit in Bithyniam. Ibi, cùm audiuiſſet filium Diadumenum interfectum eſſe, latitans in ſuburbano quodam, Macrinus & ipſe interfectus eſt.

Hic fuit exitus eius, cùm non multò ante ſcripſiſſet ad Senatum Romanum, ſe nolle Imperium accipere, niſi volente Senatu. Quia multi mallent interfici Imperatores, quàm viuere, non potiti hoc ſummo faſtigio honorum, quod & ipſi accidit.

Etſi autem totam Heliogabali mentionem prodeſſet deletam eſſe, ex omnibus monumentis, propter horrendam ſpurcitiem, tamen ſtirps recitatur, propter Alexandrũ Seuerum. Quia ex eadem ſtirpe turpiſſimum monſtrum, & honeſtus Princeps nati ſunt.

Iulia, nupta Seuero, & deinde Baſſiano, de qua ſupra diximus, ſororem habuit Mæſam, quæ Romæ, apud Iuliam diu vixit.

Hæc Mæſa filias duas habuit. Alterius nomen eſt Soæmis, alterius Mammæa.

Soæmis conſuetudinem habuiſſe cum Baſſiano dicitur, cùm Romę adoleſcens eſſet. Inde natus dicitur hic Heliogabalus.

Auia, & mater, ſequutæ Baſſianum cum Iulia, redierunt ad vrbem Emeſam in Syriam.

Ibi & Mammæa vixit, nupta viro nobili, Vario Marcello. Ex hoc Vario, & Mammæa natus eſt Alexander Seuerus. Fuerunt igitur ſororum filij duo diſſimillimi cognati, Heliogabalus, & Alexander Seuerus.

Sorores.

Iulia nupta Seuero, deinde Baſſiano. Mæſa. filiæ

Soæmis concubina Mammęa nupta

Baſ-

Baſſiani — Vario Marcello.

Filius Heliogabalus. — Filius Alexander Seuerus.

Nomē Heliogabali eſt ab idolo, cuius ſacerdos fuit, hic Soæmidis filius. Fuit autem nomē vrbis in Phœnicia, Gebal, clara artificum induſtria. Inde nominatum eſſe idolū exiſtimo, El Gebal, id eſt, Deum Gebal. Poſtea Græci El mutarunt in ἥλιος. Fortaſſis partim Græca, partim Syriaca vox eſt, ἥλιος & Gabal, quod ſignificat terminū, ſeu metam: quia Sol terminator eſt, & metas annorum facit, fuítque ſtatua figura trianguli, vt Phœnicum, & Chaldæorum idola ſignificarunt multa de aſtris.

Anno mundi, quater milleſimo centeſimo octogeſimo quarto.

Anno vrbis Romæ, nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

Anno Chriſti, ducenteſimo viceſimo ſecundo.

VARIVS HELIOGABALVS.

VARIVS Heliogabalus, filius Baſſiani, vt exiſtimabatur, Mæſę auię calliditate, & largitionibus factus eſt Imperator. Regnauit biennium, & ſeptem menſes. Superauit turpitudine omnes, qui in hiſtoriis infames ſunt, propter libidines. Nominatus eſt Sardanapalus, ſed multò fuit contaminatior. Fecit Cęſarem conſobrinum Alexandrum, perſuaſus à matre, & Mammæa, quæ metuebant, oppreſſo iſto, Imperium peruenturum ad alienum. Sed poſtea miſit milites, qui Alexandrum trucidarent. Hoc, cùm prætoriani milites reſciuiſſent, qui Alexandri mores probabant: ipſum Heliogabalum, in cloaca, in quam fugerat, interfecerunt. Poſtea tractum per circum, carnifices in Tiberim abiecerunt. Deinde & mater Soæmis, & multi ſcelerum miniſtri interfecti ſunt.

Anno mundi, quater milleſimo, centeſimo, octogeſimo ſeptimo.

Anno Romæ, nongenteſimo, ſeptuageſimo quinto.

Anno Chriſti, ducenteſimo, viceſimo quinto.

ALEXANDER SEVERVS.

ALEXANDER Seuerus, natus ex Mammæa, factus eſt Imperator, conſenſu prætorianorum, & Senatus. Tenuit Imperium annos tredecim, menſes tres. Mores fuerunt caſti, & iuſti. Initio Imperij, mox remouit ab officio, infames, qui antea, ſub turpiſſimo Tyranno, creuerant. Delegit autem ex Senatu, & ex doctis viris, præcipuos, ex-

cellentes ſapientia,& virtute,quos ad conſilia adhibuit,& ad domeſticam familiaritatem. Græcè eleganter doctus fuit,adeò,vt vitas bonorum Principũ,Græco carmine deſcripſerit. Ex Latinis,legit plurimùm Ciceronis Officia,& libros de Republica. Familiariſsimus ei,ex omnibus iuriſconſultis, Vlpianus fuit,quem & cùm milites in eum impetum facturi eſſent, texit ſua purpura,& milites repreſsit.

Nihil fecit aſperius,toto Imperij ſui tẽpore, quàm quòd fumo necauit Thurinum Verconium,quia ſolitus eſſet fumos vendere,id eſt, fingere reſponſa Imperatoris, accepta pecunia; cùm cauſſas nunquam ad Imperatorem retuliſſet,iuſsítque præconem clamare:Fumo punitur,qui fumos vendit.Compererat enim, ſæpè eum,ab vtraque parte,pecuniam accepiſse. Supplicij exemplum ſumtum fuit ab Auidio Caſsio. Scribit autem Lampridius, Alexandrum deinceps, in cauendis fumi venditoribus,cautiorẽ fuiſſe,nec paſſum eſſe, vt de aliis quiſpiam malè apud ſe loqueretur. In eos,qui, corrupti pecunia, iniuſtè iudicauerant,duriter animaduertit,ſæpè hunc verſum recitans: ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Diſciplinam militarẽ ſeuerè rexit, exautorata ſemel integra legione, & Tribunis militum affectis capitali ſupplicio.Cum fuſtibus ſubiiciebantur milites,qui ſocios iniuria affecerant,iuſsit præconem clamare: Quod tibi non vis fieri,alteri ne feceris. Hæc mandata Tribunis militum dedit: Si vis Tribunus eſſe,imò,ſi viuere vis,manus militum contine:nemo ſegetes atterat: nemo ſalem,oleum,ligna auferat: nemo ouem alterius rapiat:annona ſua miles contentus ſit:ex præda hoſtium,non ex lachrymis prouincialibus habeat.

Stipendia conſtituit, non ſolùm docentibus literas, & arte, ſed etiam diſcentibus, pauperum ingenuorum filiis. In templa aurum inferri vetuit, recitans Perſij verſiculos ex Satyra ſecunda:

Dicite Pontifices,in templis quid facit aurum?
Quin ſuperis iuſtos mores,caſtóſque dicamus.

Expeditiones magnas duas ſuſcepit.Priorem,verſus Orientem,contra Perſas, vicit Artaxerxen,qui antea regem Parthorum Artabanum interfecerat, & à Parthis regnum ad Perſas rurſus trãſtulerat. Altera expeditio ſuſcepta eſt, verſus Occidentem,in Germaniam,vbi,cùm milites aſperius regeret, venit in odium, & quidem matris Mammææ accuſata eſt auaritia, quæ dicebatur expilare prouincias,

& im-

& impedire liberalitatem filij erga milites.

Erat autem barbarus Thrax inter Duces Maximinus, ad quem deferebatur Imperium. Hoc Duce, milites ſeditioſi, Moguntiæ, Alexandrũ, cum matre Mammæa, trucidarunt: Vixit annos viginti nouem, menſes tres, dies ſeptem, mortuus die ſuo natali, qui fuit dies mortis Alexandri magni, videlicet 28. Iunij.

Inter ſigna, quæ mortẽ eius præceſſerunt, fuit hoc quoque: Mulier fatidica, in Gallia, ex ſacerdotum familia, qui Druidę nominabantur, proficiſcenti in Germaniam, dixit: Vade, nec ſperes victoriam: nec confidas militi tuo. Fuerũt autem Druidæ, ſacerdotes gentis Gallicæ nominati, vt ego exiſtimo, à fidelitate, quaſi dicas, *Die Trevven*.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo.
Anno Romæ, nongenteſimo, octogeſimo octauo.
Anno Chriſti, ducenteſimo, triceſimo octauo.

MAXIMINVS.

MAximinus, occiſo Alexandro filio Mammææ, natus in Thracia, infimo loco, factus eſt Imperator, ſine Senatus authoritate. Regnauit annos tres. Filium Maximinũ Cæſarem fecit. Cùm Paſtor in Thracia fuiſſet, Romam venit, Seueri tempore, vbi, propter robur corporis, quum, curſu, pedes æquaret currentem Seueri equum, receptus eſt inter cuſtodes corporis Seueri. Poſtea, ſub Baſſiano, Tribunus militum factus eſt. Sub Macrino, rediit in patriã, & ditatus, prædia emit. Sub Heliogabalo, Romam rediit, ſed ſub tali portento militare noluit. Poſtea, ſub Alexandro, rurſus Tribunus factus, tanto in honore fuit, vt Alexãder ſororem, filio ipſius coniugem dare voluerit, niſi mater, ſoceri crudelitate, deterrita fuiſſet.

Cùm Imperator factus eſſet, non ſolùm in milites in caſtris crudelitatem exercuit, ſed etiam Romæ, delatos Senatores, citò multos interfecit, & multis facultates eripuit. Ac alij eum Cyclopem, alij Buſiridem, alij Antæum, propter ſæuitiam nominarunt.

Cùm igitur, in Africa, Procurator fiſci, quem ipſe eò miſerat, propter rapacitatem, interfectus eſſet; exercitus, qui ibi erat, ſenem nobiliſſimum, materna origine à Traiano ortum, Gordianum, propter iuſtitiam, Imperatorem fecit, recuſantem, quia iam octogenarius erat.

Erat autem tanta iuſtitia, & modeſtia eius, vt Africanæ ciuitates ſibi Scipionem, aut Lælium redditum dicerent:

Oppreſſi ſunt tamen Gordiani duo, pater, & filius à Capelliano duce Maximini. Sed Romæ Senatus eũ iudicauit hoſtem, & Imperatorem fecit Gordianum tertium, adiunctis ducibus conſularibus Pupieno Maximino Præfecto vrbis, & Cælio Balbino. Maximinus, iratus Senatui, & Romam ducturus exercitum, in via retinetur ad Aquileiam, quæ eum recipere noluerat. Hanc, cùm obſideret, cum filio, & fames in caſtris eſſet, milites, cognita voluntate Senatus, medio die quieſcentem in tentorio Maximinum patrem, & deinde filium interfecerunt. Hos verſus in theatro, coram ipſo, Græcè quidam recitauit, ſignificans eum crudelitatis pœnas daturum eſſe, quantumlibet confideret ſuo robore:

Elephas grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & occiditur.
Tignis fortis eſt, & occiditur.
Caue multos, ſi ſingulos non times.

Cùm autem Græcè loquentem non intelligeret Maximinus, & interroganti, alia ſententia diceretur, euaſit Mimus, ſine ſupplicio.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo tertio.
Anno Romæ, nongenteſimo, nonageſimo primo.
Anno Chriſti, ducenteſimo, quadrageſimo primo.

GORDIANVS TERTIVS.

Gordianus tertius, interfectis Maximinis ad Aquileiam, & Romæ, occiſis in ſeditione militari, Balbino, & Pupieno, imperare cœpit, anno ætatis ſuę ſedecimo. Regnauit annos ſex. Vixit annos viginti duos, amãs iuſtitiæ, pudicus, & alienus à crudelitate. Sapientem, & iuſtum gubernatorem habuit, ſocerum Miſitheum, quem fecit Præfectum Prætorio. Duxit exercitum contra Perſas, qui Antiochiam occupauerant, & eam recepit, profligatis Perſicis exercitibus. Sed mortuo ſocero Miſitheo, Philippus Arabs, cùm fieret Præfectus Prætorio, adoleſcentem Gordianum interfecit.

Triſtia ſigna initio Imperij Gordiani fuerũt: Eclipſis ſolis tanta, vt medio die, nocturnæ tenebræ fierent: & terræmotus tantus, vt magnæ vrbes corruerint, & multi homines ruinis oppreſſi ſint.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo nono.
Anno Romæ, nongenteſimo, nonageſimo ſeptimo.
Anno Chriſti, ducenteſimo, quadrageſimo octauo.

PHI-

PHILIPPVS ARABS.

PHilippus Arabs obſcuro genere natus, factus eſt Imperator, necato Gordiano. Regnauit annos quinque. Facta pace cum Perſis, acceſsit ad vrbem Romam; vbi, anno ſecundo Imperij ſui ludos ſeculares fecit ingenti pompa, Calendis Maij, cùm milleſimus annus eſſet vrbi Romæ. Quia Roma ædificari primùm cœperat, die viceſimo primo Aprilis, vt ſuo loco dictum eſt.

Diligenter autem hic milleſimus annus vrbis obſeruãdus eſt, quia temporum annotatio, in multis hiſtoriis, inde ſumitur. Magna pars vrbis Romæ in illis ludis ſecularibus, propter nocturnos lichnos, conflagrauit.

Narrant hunc Philippum Arabem primum, ex Imperatoribus Romanis, factum eſſe Chriſtianum. Qúumq; in Paſchate ad Cœnã Domini acceſſurus eſſet, non admiſſus eſt, ab EpiſcopoRomano Fabiano, niſi prius inter cæteros, quorum explorabatur pœnitentia, in templo ſtaret: ſicut mos fuit, reos manifeſtorum ſcelerum, per aliquot dies, ſtare certo loco, & egredi ex templo, ante adminiſtrationem cœnę Domini. Poſtea, cùm viderentur ſeriò emendationem promittere, ad cœnam Domini admittebantur.

Rituum pœnitentiæ memoria tradita eſt, & magna certamina tunc quoque fuerunt: An peccata remitterẽtur, ſine illis ritibus. Vnde ſatis apparet, tunc à multis non perſpicuè traditam eſſe doctrinam, de fide, gratis accipiente remiſsionem peccatorum, propter Mediatorem. Quid igitur intellexerit ille Arabicus miles, & qualis eius pietas fuerit, neſcimus. Sed tamen odio Chriſtiani nominis, defecit ab eo, Decius, qui regebat exercitum in Illyrico, vbi, cùm Imperator nominatus eſſet, aduerſus eum expeditionem Philippus ſuſcepit. Sed Veronę à ſuis militibus interficitur. Romæ filius Philippus, à prętorianis trucidatus eſt.

Anno mundi, quater milleſimo ducenteſimo decimo quarto.

Anno Romę, milleſimo ſecundo.

Anno Chriſti, ducenteſimo, quinquageſimo ſecundo.

DECIVS.

DEcius Imperator factus, regnauit annos duos. Natus in Pannonia inferiore, in familia nobili, creuit virtute, & ſcientia rei militaris. Filium Decium Cęſarem fecit, volente Senatu. Etſi autem breue eſt tempus Imperij illius, tamen duę magnę res, eius tempore acciderunt. Atro-

ciſſimam perſecutionem contra Chriſtianos Decius mouit. Occidit Romæ Fabianũ Epiſcopum: in vrbe Ieroſolyma Alexandrum: Antiochię Babylam ſenem, qui cũ tribus filiis ſuis, iuſſus erat ſacrificare idolis : quod cùm facere recuſarent, ducti ſunt ad ſupplicium pater, & tres filij. Cúmque ſupplicio afficiendi eſſent, pater petiuit prius interfici filios, ne ſpectantes patris necem, fierent languidiores. Ipſe interea, & mater aſtantes, confirmauerunt filios. Poſtea mater, cùm fuiſſet ſpectatrix necis mariti, & filiorũ, eos ſepeliit. Hæc conſtantia fidei, & fortitudo Babylæ Epiſcopi, & filiorum, in hiſtoria Decij, præcipuè recitatur, etſi paſſim magna agmina Chriſtianorum trucidata ſunt.

Interea Decius & Getas, qui poſtea Gotti nominati sũt, qui Iſtrũ tranſierant, reprimere conatus eſt. Et priore prælio triginta millia Gottorum interfecit. Ac in poſteriore prelio, cùm Gotti arte traxiſſent Decium in loca paluſtria, filius fortiter dimicans, in prima acie interfectus eſt. Pater, ira & dolore longius procedens, merſus eſt in paludem, & ibi periit, cùm vixiſſet annos quinquaginta.

In hac hiſtoria primùm ſcribitur, Gottos bellum intuliſſe Romanis, & intra limites Romani Imperij trãſiſſe. Nec dubium eſt, eandem gẽtem nuncupatã eſſe Getas, & Gottos: & linguam eorum Teutonicam eſſe, manifeſtum eſt. Vbi olim in Aſia ſedes fuerint, ex Herodoto apparet.

Inde progreſſi acceſſerunt ad Thraciam. Et poſtea longum tractum à Pannonia, vſque ad littus Balticum, & vicinas inſulas complerunt. Inde rurſus effuſi primùm Pannoniam, deinde Italiam occuparunt. Nomẽ Getæ, Gedid, militem ſignificat.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, decimo octauo.

Anno Romæ, milleſimo ſexto.

Anno Chriſti, ducenteſimo, quinquageſimo ſexto.

VALERIANVS.

Valerianus iam ſenex, ab exercitu in Rhetia, factus eſt Imperator. Regnauit annos quatuor, natus in familia Romana nobiliſſima, videlicet Cornelia, propter iuſtitiã, & fortitudinem Senatui adeò carus, vt antea Cenſor, conſentiẽtibus Decij imperatoris, & Senatus ſuffragiis, factus fuerit. Poſtea cùm alibi alij Imperatores ab exercitibus creati, & interfecti eſſent, hunc libenter & Senatus, & omnes exercitus receperunt.

Fuit initio mitis erga Chriſtianos,ſed poſtea à Mago Ægyptio incitatus eſt, vt perſecutionem moueret, qui perſuaſit etiam ei, vt humanas hoſtias mactaret. Non diuturnus fuit hic furor. Profectus enim anno quarto Imperij in Orientem Valerianus contra Perſas, victus,& captus eſt à Rego Perſico Sapore,qui aliquot annos,quoties equum conſcendit, pedem ceruici Valeriani imponens, pro ſcabello,eo vſus eſt.Tandem in extrema ſenecta,viuenti cutem,à ceruice ad pedes detraxit.

Id inſigne exemplum inconſtantiæ fortunæ conſideremus. Sed ſimul etiã iudicium Dei agnoſcamus,qui ſic puniuit crudelitatem, quam aduerſus Eccleſiam exercuit,& impietatem in mactatione humanarum hoſtiarum. Et deploremus tantos furores in ſummo Imperij faſtigio.

Eius tempore,Cyprianus in Africa trucidatus eſt.

Dionyſius Alexandrinus, qui multis erroribus aduerſatus fuit,in exilium pulſus eſt.

Cheremon Epiſcopus in vrbe Nicopoli, cùm in exiliũ pulſus eſſet, cum magna multitudine Chriſtianorum, & propter ſenectam, ipſe & coniunx procedere non poſſent, ſpectante multitudine, in cœlum ſublati ſunt Cheremon, & coniunx. Ita Deus teſtimonium præſentiæ ſuæ,inter exules,oſtendit.

Tempore Valeriani,&Nouatus presbyter Romanus,atrox diſsidium in Eccleſia excitauit, negans recipiendos eſſe lapſos, qui, cùm metu ſuppliciorum, negaſſent ſe Chriſtianos eſſe, poſtea ad pœnitentiam redibant. Hæc ſpecies ſeueritatis multos traxit,vt Nouati ſententiam ſequerentur.Et hæc durities poſtea tranſlata eſt ad alios lapſus. Quare nominabantur Cathari,qui non recipiebant lapſos in manifeſta delicta.

Non multò poſt,Alexandriæ,Meletius eodem dogmate Eccleſiam diſtraxit.

Sed refutauit hunc errorem, firmiſsimis teſtimoniis, DionyſiusAlexandrinus,citans etiam exempla ſuperiorum ætatum. Et exemplum Petri notum eſt, de quo, cùm antea dictum eſſet, Beatus es Simon, caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus cæleſtis: tamen ipſe poſtea & lapſus,& receptus eſt. Et Paulus recipit Corinthium,qui,poſt inceſtum,rediit ad pœnitẽtiam. Et dulciſſima vox omnibus nota ſit:Quoties remittam? Nõ ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Quibus verbis ſignificatur & ingẽs infirmitas,& ſimul ampliſsima conſolatio proponitur. Et

Apocalypſeos 3. dicitur: Age pœnitentiam; Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audiet vocem meam, & aperiet, ingrediar ad eum.

Recitatur & digna conſideratione hiſtoria, de Iohanne Apoſtolo, qui adoleſcētem ex ſodalitio latrunculorum reduxit: Sítque grata piis hæc vera commonefactio, & magis ament doctrinam, quæ in Eccleſiis noſtris, de hac quęſtione traditur, cùm videant Eccleſias noſtras conſentire cum iudiciis ſynceræ antiquitatis. Magis etiam ament ritum priuatæ abſolutionis, quia veteres etiam hunc ritum citarunt tanquam teſtimonium de recipiendis lapſis. Nota ſit autem integra explicatio controuerſiæ huius, alibi tradita, vt ſint præmuniti animi contra Anabaptiſtas, qui, noſtro tempore, etiam Nouati, & Meletij errorem ſparſerunt.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, viceſimo tertio.

Anno vrbis Romæ, milleſimo, vndecimo.

Anno Chriſti, ducenteſimo ſexageſimo primo.

GALLIENVS.

Gallienus filius Valeriani, patre capto, regnauit annos vndecim, ſimilis Neroni, aut Domitiano, deditus obſcœnis voluptatibus, & crudelis. Quare, cum Ducibus, & exercitibus inuiſus eſſet, numerantur, eius tēpore, triginta Duces, qui à ſuis exercitibus facti ſunt Imperatores, qui partim inter ſeſe dimicarunt, partim à ſuis militibus interfecti ſunt. Hæc laniena Ducum, vires Imperij duriter afflixit, & gubernationem vbique turbauit.

Vnus fuit ex Ducibus, excellēs vir, Poſthumus, qui Galliam rexit. Hic, cùm ſeptem annos teneret Imperatorium nomen, & Gallienus exercitū aduerſus eum miſiſſet, Francos ſibi adiunxit, qui tunc ad Rhenum acceſſerant. Hic primùm fit Francorum mentio, in bellis Romanis.

Semper autem prudentes viri quæſiuerunt gentium, ac præſertim maiorum ſuorum ſtirpes: & quia στοργὴ inuitat ad cogitationem de parentibus, & quia gratum eſt, virtutem, & honeſta exempla maiorum intueri, & quia honeſtæ gentes diſciplinam, maiore cura, retinuerunt.

Fuiſſe autem excellentem virtutem gentis Francicæ, oſtendit magnitudo rerum geſtarum, quod in Gallia regnū conſtituerūt, quo, multis ſeculis, nullum eſt in genere humano, magis ornatū legibus, doctrinis, & iudiciis, & quod Italia dignos eſſe cēſuit, in quos transferret Romani Imperatoris

peratoris dignitatem : & quòd voluit totius Europæ præcipuos cuſtodes eſſe.

Laudanda eſt igitur diligentia eorum, qui Franciæ gentis originem quæſiuerunt. Sed iuſtè reprehenduntur inepti ſcriptores, qui fabulas ex ſeſe finxerunt, de filiis Hectoris, quas omitto, & ex Troia Francos educunt.

Nomen Francorum celebre eſſe cœpit, tempore Gallieni Imperatoris, quia Poſthumus eos armauit contra Gallienum. Sed tunc fuiſſe eos in ripa Rheni, & vicinos Galliæ, Poſthumi hiſtoria oſtendit. Deinde expreſsè ſcribitur Aurelianum triginta millia Francorum, prope Moguntiã, trucidaſſe. Poſtea Conſtantinus dimicauit cum Francis, & Alemanis, & reges eorum captos, obiecit beſtiis. Et Hieronymus in vita Hilarionis inquit: Inter Saxones, & Alemanos, Franci ſunt, gens non tam lata, quàm valida.

Alemanos autem nominatos eſse, qui ſunt inter ſiluam Martianam, Alpes, & Noricum, non dubium eſt, propemodum vbi nunc ſunt Sueui. Interiecti autem inter Sueuos, & Noricos, & ſiluam Turingicam, ſunt Franci nunc quoque, ſicut & Strabo inquit, Frãcos eſse, inter Noricos, & Vindelicos, vt inter hos nunc quoque interiecti ſunt. Et nomen Francus eſt *Frey*, quod liberum ſignificat. Et Principum nomina ſunt noſtræ linguæ voces, *VVarmund, Ludvvig, Helffrich*, & alia multa.

Satis igitur perſpicuum eſt, non tranſiiſse Francos ex Gallia in noſtras regiones, inter Rhenum, & ſaltum Turingicum : ſed tranſiiſse eos ex noſtris regionibus, à ſaltu Turingico, ad Rhenum, & inde ad Galliam.

Sed quæ prima ſedes Francorum fuerit, dubitatur. Beatus Rhenanus vicinos Friſiis fuiſse, & inde ad ripam Rheni aſcendiſse exiſtimat: quia non dubium eſt, Conſtantini tempore, Francos tenuiſse Sycambrorum regionem, & Batauiam, id eſt, Hollandiam. Et Claudianus ſcribit ad Stilliconem:

-----Rhenúmque minacem
Cornibus infractis adeò miteſcere cogis,
Vt Salius iam rura colat, flexóſque Sycambri
In falcem curuent gladios, gemináſque viator
Cum videat ripas, quæ ſit Romana requirat:
Vt iam trans fluuium, non indignante Cayco,
Paſcat Belga pecus: mediúmque ingreſſa per Albim,
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Intelligi autem & Salios, Francos, ex Marcellino notum

eſt. Quod nomen, cum à Sala flumine factum eſſe ſcribatur, tunc quoque Francos regionem ad Salam, verſus Mœnum, & Rhenum tenuiſſe apparet, vnde & Salingi Franci dicti ſunt.

Oppidum eſt è regione Coloniæ Agrippinę, *Teutſch*, vbi tabula in veteri monaſterio reperta eſt, in qua ſcriptum fuit, eam arcem à Conſtantino extructam eſſe in terra Francorum, vt ibi præſidium ad defenſionem Coloniæ Agrippinæ collocaretur.

An autem deſcenderint à ripa Mœni, quæri poteſt. Strabonis, & Hieronymi dicta magis ſignificant, deſcendiſſe eos ad Rhenũ, quàm primùm in littore Friſiaco natos eſſe.

A Gallieni Imperatoris morte, ad Honorij Imperatoris tempus, ſunt anni circiter centum, & triginta. Intra hoc tempus, Franci, cum multis Imperatoribus dimicarunt, & latè in ripa Germanica Rheni proceſſerunt. Sed Honorij tempore, trãs Rhenum, potiti ſunt vrbe Treuirorum, & longiùs in Celticam, & in Belgium progreſſi ſunt.

Scribitur autem, hac occaſione, vocatos eſſe à Treuiris. Quia Præſes Honorij, Lucius, rapuerat vxorem viri nobilis. Vt igitur libidinoſus Præſes expelleretur, accerſita ſunt auxilia Frãcica, ſicut ſæpè, propter libidines, magna regna mutata ſunt. Primùm autem Regem, Franci, poſt trãſitum in Galliã, Warmundum nominant. Ab hoc initia pulcherrimi regni Francici, quod Celticam, & Belgium, & magnam Germaniæ partem tunc complexum eſt, recenſentur, vt poſtea ſub Honorio dicetur. Nunc ad ſeriem temporum redeo.

Poſthumus, cùm haberet auxilia Gallica, & Frãcica, ſeptem annos tenuit Imperium, & ſæpè vicit exercitus Gallieni. Tandem fraude interfectus eſt, Lolliani Ducis inſidiis, quem ſtatim Victorinus, Præſes Coloniæ Agrippinæ, interfecit. Gallienum poſtea interfecit, prope Mediolanũ, Cecropius Dalmata. Multiplex enim Ducum, inter ſeſe, qui tunc Imperatores dici voluerunt, laniena fuit.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, triceſimo tertio.

Anno Romæ, milleſimo, viceſimo primo.

Anno Chriſti, ducenteſimo, ſeptuageſimo primo.

FLAVIVS CLAVDIVS.

FLauius Claudius, Imperator factus eſt ab exercitu ad Mediolanum, cuius iudicium poſtea comprobauit Senatus. Regnauit annum vnum, & menſes nouem. Quanta

fuerit

fuerit ipſius virtus, ex Senatus teſtimonio apparet, in quo hæc verba recitata ſunt: *Claudi Auguſte, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu verè Princeps.* Hæc præconia, multas eximias virtutes complectuntur.

Dum autem Gallienus, in luxu, & popinis viuit, & per ſeditiones, multi ſe Imperatores nominant, & inter ſeſe dimicant, trecenta millia Gottorum, & Herulorum, ad fluuium Tyram collecta, tranſierunt, partim in Myſiam, partim in Macedoniam, & latè graſſati ſunt rapinis, & cędibus. Obſederunt etiam magnas vrbes, Theſſalonicam, & Caſſandream.

Aduerſus hos Claudius duxit exercitum, & magna celeritate, diſperſos in diuerſa loca, oppreſſit, tantámque multitudinem feliciter deleuit. Aliquantò poſt hæc prælia, morbo extinctus eſt. Poſt eius mortem, Senatus, honoris ipſius cauſſa, clypeum aureum, in quo imago eius expreſſa fuit, in Capitolio collocauit.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, triceſimo quinto.

Anno Romæ, milleſimo, viceſimo tertio.

Anno Chriſti, ducenteſimo, ſeptuageſimo tertio.

VALERIVS AVRELIANVS.

Valerius Aurelianus, natus in Syrmio, in familia ignobili: matre ſacrificula Solis, cùm, ſub Claudio, præcipuus Dux eſſet contra Gottos, & ductor equitum, poſt eũ ab exercitu Imperator factus eſt, cuius iudicium comprobauit Senatus. Regnauit annos ſex: Militari virtute excelluit, ſed propter crudelitatem, venit in odium.

Fuit autem digna laude ſeueritas eius, in regenda diſciplina. In pœna militis, qui hoſpitam per vim compreſſerat, imitatus eſt Beſſi ſupplicium: inflexis duabus arboribus eum alligauit, quæ, cùm rurſus erigerentur, miles diſcerptus eſt.

Antequam factus eſt Imperator Aurelius, pugnauit cũ Francis ad Moguntiam, vbi triginta millia Francorũ trucidata eſſe, ſcribitur.

Poſtquam autem ſucceſſit Claudio, terribilis expeditio Marcomannorum, & Sueuorum, retraxit eum in Italiam, qui iam Mediolanum ceperant, & terrorem vrbi Romæ, ſimilem Cimbrico, incuſſerant. Munito igitur limine Imperii, properans in Italiam, apud Placentiam deleuit Marcomannos, & Sueuos, ſed magna clade Romani exercitus prius accepta.

Fuerunt autem Marcomanni partim Boiemi, partim Moraui, & Auſtriaci, vt nunc nominamus: Sueui Alpibus vicini, qui ſe cum Marcomannis coniunxerant. Pacata Italia, Romam profectus Aurelianus, ſeditiones vrbanas ſedauit, & multis ciuibus interfectis, vtcunque iudicia reſtituit, & conſtituto vrbis ſtatu, duxit exercitum aduerſus Zenobiam, quæ Syriam, & vicina loca tenebat, & filiis regna quærebat.

Hæc regina, velut Semiramis, duxit exercitus, & antea fortiter repulit Perſas. Poſtea, cum Syriam Romanis adẽtam, tradere filiis conaretur, repetenti eam Aureliano, ceſſuram ſe eſſe negauit. Facta ſunt igitur aliquot prælia, in quibus, Zenobia duce, aliquoties Romani exercitus pulſi ſunt. Tandem circumſeſſa Palmyra, cùm Zenobia ex ea vrbe in loca tutiora diſcederet, conſpectam in eo itinere Aurelianus cæpit. Hic belli finis fuit. Viua Romam ducta eſt, vbi, in triumpho, ſplendidiſſimè ornata, currum Aureliani, in magna turba captiuarum, anteceſſit cum filiis, & filiabus. Poſtea conceſſum eſt Zenobiæ, vt Romæ, more priuatæ matronæ cum filiabus viueret.

Romæ Aurelianus, cùm alia quædam, paci vtilia, conſtituit, tum etiam ἀμνηστίαν ſanxit, ne audirentur, qui deferebant male locutos de principibus. Deinde rurſus ex vrbe ad bellum Vindelicum diſceſſit, vbi Boios, quos nunc Bohemos nominamus, egreſſos ex ſaltibus ſuis, & populantes oram Vindelicam, repulit. Inde rediturus in Orientem non procul à Byzantio, interfectus eſt à militibus, incitatis à ſcriba Mneſtheo, cui Aurelianus necem minitatus fuerat, ſed ſtatim exercitus de Mneſtheo pœnas ſumſit, eúmque beſtiis obiecit.

DE ECCLESIA.

DVM inter ſeſe Romani Duces, ſub Gallieno belligerantur, creuit Eccleſia. Multi enim libentius amplexi ſunt doctrinam de vero Deo, cùm viderent ſcelera, furores, & pœnas impiorum Principum, qui idola defendebant. Simul autem, vt fit in confuſionibus imperiorum, praua ingenia ſparſerunt impias opiniones. Ac præcipuè duæ furiæ, diuerſis locis, valde pernicioſæ fuerunt: Manes in Perſia, à quo Manichæi nominati ſunt, & Paulus Samoſatenus Antiochiæ. Attigit Aureliani tempora vterque. Impoſturæ autem diſſimiles fuerunt.

Manichæa pugnans cum iudicio rationis, & ciuili con-

ſuetudine

ſuetudine vitæ, abſurda, monſtroſa, barbarica, ſpectro ſimilis, ſeu Chimeræ, ſeu Empuſæ, conflata ex Stoicis deliramentis, & fanaticis furoribus, ac ſimulatis afflatibus.

Samoſatenica verò, vt bella meretricula, fucata philoſophicis coloribus, laſciuiens, & blandis illecebris inuitãs curioſa ingenia, non tunc primùm nata, ſed antea, Plotini diſputationibus, Alexandriæ compta. Cognoſci vtraque ex noſtræ ætatis ſpectaculis, poteſt. Furores Anabaptiſtici ſimiles ſunt Manichęorum. Seruetus Hiſpanus, qui diu fuit in Academiis Mahometicis in Numidia, Samoſatenicam illam meretriculam in theatrum reduxit.

Cùm autem neceſſe ſit, vetera certamina, & veræ Eccleſiæ iudicia noſſe, non prætereundæ ſunt hæ maximarum rerum controuerſiæ, præſertim cum res oſtendat, id, quod Thucydides inquit, accidere, vt donec eadem hominum natura manet, ſimilia multa accidant.

Vt autem, de noſtræ ætatis controuerſiis, rectiùs iudicare poſſimus, prodeſt collatio veterum certaminum, & iudiciorum.

Nec difficilis eſt refutatio Manichæorum, quia multi ſunt manifeſti furores. Et extant vetuſtæ refutationes ſcriptæ ab Irenæo contra Marcionem, & ab Auguſtino contra Manichæos, quas legere eruditos vtile eſt, & multæ recentes contra Anabaptiſtas.

Fuerunt autem hæc præcipua capita Manichææ ſectæ. Vt Stoici dixerunt: Duo principia eſſe pariter æterna, νοῦν καὶ ὕλην: Ita Manichæi duo principia pariter æterna, & inter ſe pugnantia finxerũt, Bonum & Malum. Bonũ nominarũt Lucem. Malum Tenebras & Materiam, quam dixerunt, malorum omnium cauſſam eſſe. Ortos à malo nominarunt χοϊκοὺς καὶ ὑλικούς. Hos dixerunt, quia haberent ſemina malæ materiæ, neceſſariò ſceleratè facere, nec poſſe ad Deum conuerti. Contra verò ortos à bono Deo, neceſſariò recta facere, nec damnari eos poſſe, quia ſint in eis lucis ſemina. Nec teneri eos Lege, etiam cùm contraria Legi faciant, quia lex tantùm iudicet ortos à materia.

Ita docuerũt omnia neceſſariò fieri bonas & malas actiones, & prorſus nullam eſſe humanæ voluntatis libertatem in bonis & malis actionibus, interioribus, & exterioribus.

Reiectis etiam Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, nouũ Euangelium ſcripſerunt, & vt antecellere communi hominum multitudini, & ſemidei viderentur, ſimularunt enthuſiaſmos, ſeu afflatus, ſubitò in turba ſe in terram

abiicientes,& velut attoniti,diu tacentes, deinde,tãquam redeuntes ex ſpecu Triphonio,& plorantes, multa vaticinati ſunt.Prorſus vt Anabaptiſtæ recens fecerunt, in ſeditione Monaſterienſi. Etſi autem in quibuſdam manifeſta ſimulatio fuit,tamen aliquibus, reipſa, à Diabolis furores immiſſos eſſe certum eſt. Finxerunt etiam coniugium, politicum ordinem,magiſtratus & iudicia, opera eſſe non Lucis,ſeu boni Dei,ſed mali principij.

Hi furores multa tetra ſcelera, libidinum confuſiones, & ſeditiones pepererunt, ſicut hiſtoriæ Clementis, Epiphanij, & Euſebij, inde vſque à Marcionis tempore, narrant,in quibus ſcribitur, colluuiem Marcionis, oppidum Phrygiæ Pepuzam nominaſſe Ieroſolymam, & ibi ſeditionem mouiſſe, prorſus vt Anabaptiſtæ ſeditionem in vrbe Monaſterienſi mouerunt.

Tandem verò Manes dicitur hoc modo periiſſe. Cùm ſe pro medico venditaret, apud regem Perſicum,& filium eius in curatione, ſeu dolo,ſeu inſcitia necaſſet, rex Perſicus cutem ei detrahi iuſſit,& ſic eum interfici.

Cohorreſcamus autem, hęc monſtroſa dogmata legentes, & conſiderantes, quanta multitudo faſcinatorum in ea ſecta fuerit, & quàm diu hæc peſtis durauit. Nam, vt Marcionis tempora omittam, poſt Aurelianum, Manichæi magnos cœtus in Perſia,Ægypto, Africa, & in multis Aſiæ locis habuerunt ampliùs ducentis annis.

Hæc cogitãtes,agnoſcamus & eſſe Diabolos, & horribiliter inſidiari Eccleſiæ, & non aſſentiamur inexploratis dogmatibus,ſed doctrinam Eccleſiæ rectè diſcamus,& aſſiduis votis à Deo petamus,vt nos doceat,& gubernet, ſicut propheta clamat:Fac cum ſeruo tuo,ſecundùm miſericordiam tuam,& iuſtificationes tuas doce me. Sintque in conſpectu firmæ refutationes, ſumtæ ex perſpicuis teſtimoniis diuinis, quæ affirmant eſſe vnum, & æternum principium bonum, Deum verum, creatorem omnium creaturarum, & vniuerſæ materiæ corporum. Nec eſſe aliud æternum principium, pugnans cum bono: nec peccatum ortum eſſe ab æterna natura, nec ex materia, ſed à voluntate Diabolorum, & primorum parentum,qui ſe liberè auerterunt à Deo, quia ſcriptum eſt: Non Deus volens impietatem tu es. Item Iohann. 8. Quando mendacium Diabolus loquitur,ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater mendacij.

Falſum eſt etiam, propter materiam diuerſam, alios

poſſe

poſſe conuerti, alios non poſſe conuerti, quia certum eſt, non eſse diſcrimen in propagatione hominum, propter diuerſas materias, quod ad peccatum attinet, ſed omnes homines ex Adam, & Heua propagatos, ex cõmixtione maris, & fœminæ naſcentes, adferre peccatum originis, vt capite quinto ad Romanos perſpicuè dicitur.

Rurſus etiam omnes, qui, in veris doloribus, voce Euãgelij, id eſt, promiſſione gratiæ, eriguntur, fiunt hæredes æternæ ſalutis, nec conſolatio excutienda eſt his imaginationibus, quę fingunt diſcrimen in hominum materia eſse, aut in Deo προσωποληψίαν. Sed vtraque cócio vniuerſalis eſt: Accuſatio peccati in omnibus, qui nati sũt ex commixtione maris, & fœminæ: & promiſſio gratiæ, iuxta hæc dicta: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Iohãnis cap. 3. Sic Deus dilexit mũdũ, vt vnigenitũ Filiũ dederit, vt omnis, qui credit in eum, nó pereat, ſed habeat vitam æternam. Item: Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Item: Non eſt in Deo προσωποληψία, &c.

Quod etiam Manichęi dixerũt: Omnia neceſsariò fieri, bonas & malas actiones; tetrum, & diabolicum mendaciũ eſt, contumelioſum contra Deũ, & pernicioſum moribus. Manifeſtum eſt enim Paulum affirmare, eſse aliquã iuſtitiam carnis, quæ eſt externa gubernatio, qua homo liberè regit externa membra, ne faciant contra legem Dei. Ideò inquit: Lex pædagogus eſt. Aliqua igitur libertas eſt, & in nó renatis, videlicet regendi externas actiones, ſeu, vt nos loquimur, regendi Locomotiuam.

Multò verius eſt libertas in renatis. Ioſeph adiuuatur à Spiritu ſancto, vt heri coniugẽ fugiat, & tamen liberè, & volens, non coactus fugit. Dauid liberè, & volens, nõ coactus, rapit alterius coniugem, & poterat imperare externis membris, ne alienam attingeret, præſertim cũ antea domiciliũ fuiſse: Spiritus ſancti. Poſse igitur labi renatos, oſtendunt exempla Aaronis, Saulis, Dauidis, Petri, & aliorum innumerabilium, quorum aliqui rurſus ad Deũ conuertũtur, vt Aaron, Dauid: aliqui ruunt in æternum exitium, nõ quod ſint ab alia materia orti, ſed ſuæ voluntatis malitia.

Errores Manichæorum de coniugio, & politico ordine, cùm manifeſtè impij ſint, teſtimonia ſunt, eam ſectã, & ſimiles, Diabolorũ organa eſse. Cùm igitur Filius Dei velit diſcerni veram Eccleſiam ab impia colluuie, doctrinarum voce, ſicut ſcriptum eſt: Oues meę vocem meam audiunt, Item: ex fructibus eorum cognoſcetis eos: ſciamus Mani-

chæos,& ſimiles, cùm manifeſtè impios furores defendãt, nequaquã eſſe ciues Eccleſiæ Dei, & fugiamus,& execremur eos,tanquam hoſtes Dei,& agmina Diabolorum.

Extant autem ſcripta de coniugio,& politico ordine,in noſtris Eccleſiis edita,quæ Manichæis, Anabaptiſtis,& aliis fanaticis opponi volo. Nam huius ſcripti modus,non patitur ea repeti : ſed nota ſunt piis, & alibi ſæpè repetita ſunt. Et mihi gratũ eſt,prorſus eadẽ ab Irenæo dicta eſſe.

Adiiciã pauca & de Paulo Samoſateno, qui blaſpemiã renouauit,quam nõ tantum ab Ebione, & Cerintho,poſt Apoſtolos,ſparſam eſſe iudico, ſed exiſtimo primũ à Diabolis impulſum eſſe Cain, vt doctrinam de Meſſia irrideret,& negaret tunc adeſſe Eccleſiæ Filium Dei. Deinde ſecutę ſunt maiores tenebræ,& Ethnica idola Poſtea in populo Iſrael,Phariſæi,& Zadducæi etiã negauerunt,in Meſſia fore diuinam,& humanam naturam. Ita deinceps ſemper habuit Diabolus ſua organa,quę Filium Dei contumelia affecerunt, ſpretis teſtimoniis Propheticis, & Apoſtolicis,donec tandem eam blaſphemiam,horribilis potentia regni Mahometici,latè propagauit,& ſtabiliuit. Hęc ingẽtia mala conſideremus,& Propheticæ, & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniis nos cõfirmemus,& ſimul petamus nos ab ipſo Filio Dei doceri,& confirmari.

Exiſtimo autẽ Samoſateno tunc fuiſſe hãc occaſionem ſpargendæ blaſphemiæ. Zenobia mulier Arabica,quę Antiochiam & Syriam tenebat,didicerat,vt multi alij Arabes, doctrinã Iudaicam.Huic reginæ,cùm familiaris eſſet Paulus Samoſatenus Antiochenus Epiſcopus,vt eam ad Chriſtianos inflecteret,doctrinam de Meſſia transformauit in Iudaicas opiniones.Et recèns,in Schola Alexandrina,Plotinus allegorias περὶ λό,ου ſuæ philoſophiæ miſcuerat. Et apparet, multorum diſputationibus hæc agitata eſſe. Inde ſumſit,præſtigias Samoſatenus, & contendit in Chriſto tantùm eſſe naturam humanam, & λόγον in Iohanne, non intelligi oportere,aliquid ſubſiſtens,ſeu ὑφιςάμενον,ſed poſſe intelligi decretum , ſeu ſonum euaneſcentem promiſſionis Hæc,in illo gynæceo Zenobiæ, & inter alios homines curioſos,magnos plauſus ciebant.Eſtque defenſus Samoſatenus à Zenobia,circiter decennium.

Aliquoties autem vicinarum prouinciarum Epiſcopi,ad refutandum Samoſatenum conuenerunt. Fuitque præcipua authoritas duorum, qui Samoſateno contradixerunt, Dionyſij Alexandrini,& Georgij Neocæſarienſis, qui mi-

raculis

raculis clarus fuit. Huius extat confeſsio, quam prodeſt omnibus notitiſsimam eſſe, quæ recitatur in libro ſeptimo hiſtoriæ Euſebij.

Vnus Deus, Pater Verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtẽtis, & imaginis ſuæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus, ſolus ex ſolo, imago Patris, verbum efficax, Filius verus veri Patris, & inuiſibilis ex inuiſibili, ſempiternus ex ſempiterno, immortalis ex immortali. Vnus Spiritus ſanctus, ex Deo ſubſtantiam habens, qui per Filium apparuit, ſanctificans, & per quem, Deus ſuper omnia, in omnibus cognoſcitur.

Talia vetuſtatis iudicia, & teſtimonia recẽſeri in hiſtoriis, vtile eſt: quia, cùm ſeruet Deus Eccleſiam, nec ſinat eam prorſus deleri, excitat aliquos, qui veritatem in Propheticis, & Apoſtolicis ſcriptis, & teſtimoniis traditã, retineant, & aliis oſtendant, ac in magnis certaminibus eos adiuuat, & ſuis teſtimoniis ornat. Hanc eccleſiam vult Deus, tanquam monitricem, audiri, ſicut ſcriptum eſt: Niſi vitula mea araſſetis, non inueniſſetis. Vult autem fontes conſiderari, ex quibus hi teſtes doctrinam hauſerunt. Tũc igitur oſtenderunt pij ſenes, ſemper & Prophetas, & deinde Apoſtolos idem docuiſſe: videlicet, miſſum eſſe ad Eccleſiam ab initio, Filium Dei, & hũc allocutum eſſe patres, & cuſtodem fuiſſe Eccleſiæ, ſicut Paulus inquit, adfuiſſe Chriſtum patribus in deſerto. Et Iacob inquit: Benedicat his pueris Deus, & Angelus qui eripuit me omnib. malis.

Ac dicta, quæ affirmant affuiſſe Eccleſię Meſsiam, antequam aſſumſit humanam naturam, perſpicuè oſtendunt, τὸν λόγον, qui aſſumpſit humanam naturam, nequaquam eſſe ſonum euaneſcentem, ſed aliquid viuum, intelligens, ſubſiſtens, & ὑφιστάμενον, ſicut ipſe Dominus inquit: Antequam Abraham natus eſt, ego ſum. Item: Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, antequam eſſet mundus. Item: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo deſcẽdit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Et dicta Prophetica multa congruũt, Mich. 5. Egreſſus eius ante dies mundi. Zachar. 12. Aſpicient me, quem confixerunt. Deinde omnia dicta in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, de omnipotentia, & inuocatione Meſſiæ, firma teſtimonia ſunt de eius diuinitate, qualia hæc ſunt: Ego vitam æternam do eis. Item: Sine me nihil poteſtis facere. Ego ſum vitis, vos palmites. Et Epheſ. 1. Qui eſt caput, omnia in omnibus perficiens. Et valdè illuſtria ſunt dicta Coloſſ. 1. Per Chri-

ſtum condita ſunt omnia,& ipſe eſt ante omnia,& omnia per eum conſiſtunt.Hæc,cùm de Chriſto iam manifeſtato,dicantur,neceſſe eſt in eo eſſe naturam diuinam. Et ad Ebræ.1.dicitur. Per quem ſecula fecit, qui eſt ἀπαύγασμα gloriæ, & character ſubſtantiæ eius, ferens omnia verbo potentiæ ſuæ,&c.

Talibus dictis nos confirmemus, & teſtimonia veteris Eccleſiæ adiungamus,Irenæi,& aliorum. Et quidem affirmat Irenæus, ſe doctrinam ſuam accepiſſe à Polycarpo Iohannis auditore.Diſcernit igitur Paulus Chriſtum à cæteris ſanctis: ait in eo habitare diuinitatem σωματικῶς quaſi dicat:In cæteris, vt in Elia,Dauide,habitat diuinitas effectiuè,& ſeparabiliter:at in Chriſto inſeparabiliter,& ita,vt humanæ naturæ vnita ſit,mirando modo, vnione hypoſtatica. Vetuſtas vſa eſt qualicunque ſimilitudine, quæ extat apud Athanaſium, Cyrillum,& Iuſtinum: Sicut anima geſtat corpus humanum, ſic geſtari,inquiunt,ab imagine coæterna Patri, naturam humanam in Chriſto. Verba apud Iuſtinum hęc ſunt: Τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς τὸ σῶμα νοήσαντες, ὅπως ἐκδεδώκασιν; καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.

Hæc breuiter inſerui hiſtoriæ, vt lectores & veteris Eccleſiæ iudicia conſiderent, & ab his commonefacti, teſtimonia in fontibus quærant, & confirment in mētibus, veras ſententias de Filio Dei, vt ardeat inuocatio,& alacriter confugiant ad eum,ſicut pręcipit: Venite ad me omnes, qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam vos.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo primo.

Anno vrbis Romæ,milleſimo,viceſimo nono.

Anno Chriſti,ducenteſimo,ſeptuageſimo nono.

TACITVS.

Tacitus Imperator factus eſt,ex Senatuſconſulto, cùm ſex menſibus, ſine Imperatore exercitus eſſent, & Senatui iudicium permitterent: qui,propter virtutem,elegit Tacitum. Sed & ſenex fuit,& ſexto menſe Imperij,mortuus eſt in vrbe Tarſo. Quanquam autem Florianus,Taciti frater, ſuccedere ei conatus eſt, tamen exercitus legit Imperatorem Valerium Probum, cuius virtus exercitibus nota erat.

Cùm igitur in concione militari dictum eſſet, quærendum eſſe Imperatorem fortem, ſanctum & PROBVM tota

multitu-

multitudo, quaſi omen ſequens, acclamauit. Probe Auguſte, Dij te ſeruent.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo ſecundo.

Anno vrbis Romæ, milleſimo, triceſimo.

Anno Chriſti, ducenteſimo, octogeſimo.

VALERIVS PROBVS.

Valerius Probus factus eſt Imperator, ſuffragiis exercitus, qui Tarſi erat, & libenter receptus à Senatu, & omnibus exercitibus. Regnauit annos ſex, & mēſes tres. Natus fuit in Syrmio, ex patre Tribuno, vir iuſtus, & fortis.

Initio Imperij, duxit exercitus ex Oriente in Galliam; quia & Franci eã inuaſerãt, & Lugduni Proculus, & Dux limitis Rhetici Bonoſus, nominauerant ſe Imperatores. Depulſis igitur ex Gallia Francis, & interfecto Proculo, pacata Gallia, Probus, Bonoſo, qui Rhetiam tenebat, & Alemanis bellum intulit, quos vltra Nicrum cedere coëgit.

In hac hiſtoria primùm inuenio nomen Alemanorum, quæ appellatio aboleuit nomen Rhetiæ. Nec dubium eſt, propriè hanc vocem in veteribus hiſtoriis, tribui populis, qui ſunt inter Alpes, & Moguntiam.

Vnde nomen factum ſit, quæritur. Quidam deducunt à lacu Lemano. Alij exiſtimant eſſe, quaſi *allerley man*, id eſt, promiſcuam multitudinem, quæ concurrit ad libertatem recuperandam, propter tyrannides Romanorum Ducum. Agathias, à Græca voce dictos eſſe, ſcribit, quaſi ἀλήμονας, id eſt, errantes, ſeu vagabundos. Ego exiſtimo idem nomen eſſe Alanorum, & Alemanorum.

Sunt autem hodie Alani, non procul à Conſtantinopoli, quorum tanta eſt virtus, vt adhuc retineant libertatem, & Eccleſias. Fuiſſe eos olim Getis, & Dacis vicinos, apparet ex Dionyſij verſibus, vbi dicitur:

Δάκων δ' ἥ τ' ἄπλετος αἶα καὶ ἀλκήεντες Ἀλανοὶ id eſt:

Lataque Dacorum regio, fortes & Alani Eſt & apud Marcellinum libro 21. longa Alanorum deſcriptio. Bella cum Hunnis geſſerunt, tempore Valentis.

Etſi autem nomen Alemani vicinum eſt, & effuſam eſſe Alanorum gentem in Occidentem conſtat: tamen non affirmo inde factam eſſe appellationem Alemanorum. Cæterum etymologia Ducis eſt, Al[illegible]n, ab Elã, quod eſt iuuenis, vnde & Alma eſt, quod virginem ſignificat.

Vt autem Francorum primùm fit mentio in Gallieni

hiſtoria: ita obſeruabis, inter gentes à Probo victas primùm nominari Alemanos. Repreſſit autem Probus vtramque gentem, Francos, & Alemannos, trucidatis quadringentis millibus hominum. Franci in Belgio victi ſunt, & receptæ Gallicæ ciuitates ſexaginta. Alemani ad Nicrum, profligati ſunt.

Simul in Rhetia Bonoſus, qui ſe Imperatorem nominauerat, & Alemanos concitauerat, victus eſt. Hic laqueo ſibi vitam finiuit. Et quia fuerat helluo, & habuerat vẽtrem deformiter tumidum, iocus militaris ſparſus eſt, Non hominem pendere, ſed amphoram.

Pacatis his regionibus, Probus in Aſiam duxit exercitus per Thraciam, vbi Gottos repreſſit, & multa millia in agris Imperij collocauit. Latrocinia in Cilicia ſuſtulit. Cùm Perſis, & Parthis pacẽ fecit, ac regreſſus ad bella magis neceſſaria, Sarmatica, & Gottica, cùm in Syrmio milites oneraret labore ſiccandi paludes, aliqui tumultuantes, ſeditionem aduerſus eum mouerunt, & fugientem Probum Imperatorem in ſpeculam interfecerunt. Reliquus exercitus dolens extinctum eſſe iuſtum, fortem, felicem, & vtilem Imperatorem, ſepulchrum ei fecit, cum hac inſcriptione: HIC PROBVS IMPERATOR VERE PROBVS SITVS EST, VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

Quanquam autem excellens in eo virtus fuit, & gubernatio felix: tamen exemplum eſt, non ſolùm inconſtantię fortunæ, ſed potius ingratitudinis, leuitatis, & furorum vulgi, quod eum temerario impetu, & ſeditioſè oppreſſit. Et ad regulam congruit: ὄχλος σὺν ἀμαθίᾳ μέγιστον κακόν.

Item:

λαῷ δὲ μὴ πίστευε, πολύτροπος ἐστὶν ὅμιλος.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo octauo.

Anno Romæ, milleſimo, triceſimo ſexto.

Anno Chriſti, ducenteſimo, octogeſimo ſexto.

CARVS NARBONENSIS.

CArus Narbonenſis, cùm præfectus prætorio eſſet, propter virtutem ſuffragiis militaribus Imperator factus eſt. Regnauit biennio. Filios nuncupauit Cæſares, Carinum, & Numerianum

Probus, honorificum teſtimonium, de eo, ad Senatum ſcripſit, his verbis: Felix eſſet noſtra Reſpublica, ſi plures

Cari

Cari ſimiles haberemus. Ideo Senatus libenter comprobauit militarem ſuffragationem, præſertim cùm virtus eius nobilitate generis, & eruditione ornata eſſet.

Quia vero, audita Probi morte, vicini Pannoniis Sarmatæ, rurſus in Pannoniam, & Thraciam irruptiones faciebant, primum omnium Carus Sarmatas repreſſit, ſedecim millibus interfectis, & viginti millibus captis.

Pacata vicinia, tranſiuit in Aſiam, ad bellum Perſicum. Cúmque ad fatalem Imperij Romani limitem, ad fluuium Tigridem perueniſſet, mortuus eſt.

Succeſſurus erat filius Numerianus, qui propter nobilitatẽ, optimos mores, eruditionẽ, & patris memoriã, à Senatu, & exercitu diligebatur: ſed eius ſocer, Arius Aper, vt Imperium in ſeſe transferret, occidit eum. Id, cùm comperiſſet exercitus, in concione, accuſato Apro, Imperatorem elegit Diocletianum, qui mox Aprum, palam ſpectãte exercitu interfecit. Id factum congruit cum vaticinio mulieris in Tungris, quæ vna Druidum fuit. Sunt autem dictę ſacerdotes Druidæ, à fidelitate *Trevv*, quaſi dicas, *Die vertravveten*. Hæc prædixerat Diocletiano, obiurgãs eum quod parcè ſolueret in hoſpitio, futurum eſſe Imperatorem, cùm Aprum occidiſſet.

Facta autem pace cum Perſis, Diocletianus exercitũ reduxit in Europam, & Carino in Dalmatia nominanti ſe Imperatorem, occurrit. Carinus diſſimilis patri, & fratri, cùm flagitioſiſſimus eſſet, & Heliogabali mores imitaretur, ab exercitu deſertus, & occiſus eſt.

Cùm igitur & Orientis & Occidentis exercitus, Diocletianum feciſſent Imperatorem, Senatus militarem ſuffragationem comprobauit.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo.

Anno vrbis Romæ, milleſimo triceſimo octauo.

Anno Chriſti, ducenteſimo, octogeſimo octauo.

DIOCLETIANVS.

Diocletianus natus in Dalmatia, patre ſcriba Senatoris Amilini, matre Dioclea, Imperator factus eſt. Regnauit annos viginti.

Initio Imperij, reducens exercitum ex Aſia, vicit Carinum in Dalmatia, qui patri Caro ſuccedere conabatur. Poſtea, cùm multi noui motus in prouinciis orti eſſent, & metueret futurum, vt alibi alij crearentur Imperatores,

maluit ipſe collegam fidum, ſuo iudicio, eligere. Adiunxit ergo ſibi collegam Maximianum, fortẽ, & peritum rei militaris, ſed truculentum & libidinoſum. Hunc, pari poteſtate, Auguſtum nominauit. Horum integra manſit concordia, & Diocletianus ſe Iouium nominauit: Maximianum, Herculeum. Cúmque propter diuerſarum gentium motus, opus eſſet pluribus fidelibus Ducibus, duo Auguſti, rurſus nominant duos Cęſares: Diocletianus Galeriũ Maximinum natum in Thracia Ripenſi. Maximianus, Flauiũ Conſtantium χλῶρον cuius virtus tanta fuit, vt Carus Imperator, ſi vixiſſet, interfecturus filium flagitioſum, decrecreuerit ſucceſſorem nominare hunc Conſtantium.

Coniugiis etiam fœdera confirmata ſunt. Diocletianus filiam Valeriam dat Maximino: Maximianus Herculeus, priuignam Theodoram Conſtantio. Duo in Orientem proficiſcuntur. Diocletianus Ægyptum recipit, obſeſſa Alexandria octo menſibus, magnam multitudinem trucidauit. Achillem, qui ſe nominauerat Imperatorem, obiecit beſtiis dilaniandum.

Maximinus contra Narſum regem Perſarum miſsus: primùm victus eſt. Poſtea vicit, capta regia Gaza.

Maximianus primùm in Occidente Galliam pacauit, oppreſſo Æliano, qui, vt ſe Imperatorem faceret, agricolas concitauerat. Deinde, cùm in Africa Milites Quinquagenarij ſeditionem mouiſsent, qui volebant dimiſſionem fieri, & dari agros Quinquagenariis, profectus eò Maximianus, eam ſeditionem repreſſit.

Difficillima pars bellorum, mandata fuit Conſtantio, vt Francos & Alemanos domaret; qui, cùm ſæpe cum eis conflixiſſet, tandem ſexaginta millibus Francorum, & Alemanorum trucidatis, recuperauit Belgium, & Rhetiam. Eo tẽpore, Spiram ad Rhenum condidit, vbi matrem Claudiam ſepeliit. Natus eſt enim Conſtantius ex Romana ſtirpe nobiliſſima, patre Eutropio, & matre Claudia, filia Imperatoris Claudij, qui anteceſſit Aurelianum.

Pacatis iã omnibus prouinciis, Imperatores Diocletianus, & Maximianus, cum circiter decem annos regnaſsẽt, Nicomediæ conueniunt, & de delendis Chriſtianis deliberant, quia diſsenſio religionis, magnas diſcordias in familiis, & in Imperio pariebat. Et quia, inter ipſos Chriſtianos, multa diſſidia erant, diuulſos inter ſeſe, faciliùs opprimi poſse, ſperabant, iuxta dictum: Concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Erant etiam mul-

ti

ti transfugæ, & alij ſycophantæ inter eos, qui Chriſtiani nominabantur, qui tanquam furiæ, & ἀλάστορες, incitabant, & armabant Imperatores.

Durauit hæc ſæuitia circiter decennium, & numerari poteſt, inter exempla, diuturnę crudelitatis, præcipua, quæ Eccleſia ſenſit, qualem in Ægypto, Pharaonum tempore, & deinde Antiochi experta eſt.

Edictum propoſitum eſt, ſimile Antiochi edicto: Vt omnes homines vbique ſacrificarent Diis Imperatorũ: non ſacrificaturi, afficerentur ſuppliciis: & vt templa, & libri delerentur. Nulla magna vrbs fuit, in qua non quotidie circiter centum raperentur ad ſupplicia. Conſpectum eſt, beſtias parcere multis, qui eis obiecti erant. Abſtinere etiã à ſanctorum cadaueribus. Ita oſtendit Deus, beſtias mitiores eſſe Tyrannis. Et tamen beſtiæ, ſæpè lacerarunt ipſos carnifices, & impios ſpectatores. Annotatum eſt, in vno menſe, ſeptemdecim millia, in diuerſis locis interfecta eſſe. Hæc fiebant Diocletiani, Maximiani, & Maximini crudelitate: poſtea etiã Maxẽtij. Cõſtantinus, qui Galliã, & Germaniam regebat, non fuit huius ſæuitiæ ſocius, ſed Chriſtianis in hac parte Imperij, quam ipſe tenuit, pepercit.

Militabat eius filius Conſtantinus, apud Diocletianum, in Ægypto, vbi & Diocletianus, & Maximinus inſidias ei ſtruxerunt, vt eum è medio tollerent, ſed effugiens, rediit ad patrem in Galliam.

Ita cùm in Aſia, Syria, & in Italia, nobiliſſimi homines interfecti eſſent, & in multis vrbibus ſolitudo eſſet, Diocletianus, & Maximianus Imperium, vno die, volentes, depoſuerunt: vel dolore, quod perfici non poſſe viderunt ea, quæ moliti fuerant, vel metu Conſtantini. Diocletianus ſibi ipſe poſtea mortem conſciuit, cùm Maxentium Conſtantinus interfeciſſet.

Qua in re, conſiderandæ ſunt vehementes naturæ, quæ incendia animorum diſſimillima habent, nec ſecũdas res, nec aduerſas, moderatè ferunt. Mouent iniuſtas res cæco, & ingenti impetu. Poſtea fruſtrati, opprimuntur magnitudine dolorum, ſicut accidit Antonio, & aliis multis.

Magis oſtẽdit metum Maximianus, qui Romam rediit, vt à Prætorianis reciperetur, & rurſus nominaretur Imperator. Sed cùm filius Maxẽtius eum expelleret, fugit Maſſiliam ad generum Conſtantinum, cui cùm ſtrueret inſidias, filia maritum patri prætulit, quæ detexit inſidias. a cùm Deus Maximianũ Cõſtãtino mirabiliter obtuliſſet,

interfectus eſt Maximianus Maſſiliæ. Hic exitus fuit duorum ſæuiſſimorum tyrãnorum, Diocletiani & Maximiani.

Romę Maxentius, Maximiani Herculei filius, eò dominabatur crudeliùs, quia Seuerum ad Rauennam vicerat, qui exercitum contra eum Romam ducturus erat. Cúmque & ſæuitiam contra Chriſtianos, Maxentius exerceret, & raperet honeſtas matronas, & virgines, & militibus concederet licentiam omnium ſcelerum, Senatus Conſtantinum ex Gallia accerſiuit, cui dubitanti an Romam duceret exercitum, oſtendit Deus illuſtre ſignum victoriæ. Nam medio die, in clara luce, vidit Conſtantinus in cœlo, igneam crucem, cum literis: Ε'Ν ΤΟΥ'ΤΩι ΝΙ'ΚΑ, id eſt, IN HOC VINCE.

Scribit Euſebius ſe hanc narrationem ex ipſo Conſtantino audiuiſſe.

Itaque, tanquam ducente Domino noſtro Ieſu Chriſto, Romam cum exercitu properat. Etſi Maxẽtius imparatus erat, tamen occurrere fortiſsimo exercitui, vſque ad pontem Miluium auſus eſt: Ibi prælio victus, & cum magna multitudine in flumẽ merſus, periit. Ideò Chriſtiani dixerunt, interitum Maxentij ſimilem fuiſſe pœnæ Pharaonis.

Suſtulit ergo initio Conſtantinus duos Tyrannos. Maximianum, & eius filium Maxentium, cùm quidem Conſtantinus à Maximiano, Cæſar nuncupatus eſſet. Cùm igitur potitus eſſet Conſtantinus Occidentis Imperio, tenerétque eã partem, in qua plurimum roboris erat: Italiam, Hiſpaniam, Africam, Galliam, Germaniam & Britanniam: cum Licinio, tenente Illyricum, quem Maximinus Cæſarem nominauerat, facit fœdus, eíque ſororem Conſtantiam dat vxorem, & mittit eum in Aſiam, contra Maximinum. Interea pacem in Occidente reſtituit: abolet decreta tyrannica, & vetat Chriſtianos iniuria affici: & in prouinciis iudicia, & præſidia ordinat.

¶ Victus autem Maximinus à Licinio ad Tharſum, poſtea phthiriaſi, inter ſæuos cruciatus, periit, cùm examina vermium ei in inguinibus nata eſſent. Quo pœnæ modo ſignificatum eſt, libidines eius puniri.

Extinctis igitur quatuor Tyrannis: Diocletiano, Maximiano, Maxentio, & Maximino, tenent Imperium poſtea collegæ, Conſtantinus, & Licinius, & pauliſper in imperio pax fuit.

Initium autem Imperij Conſtantini collocatur paulò ante Maxentium:

videlicet

videlicet in annum mundi, quater milleſimum, d ucenteſimum, ſeptuageſimum ſecundum.

Annum Romæ, milleſimum, ſexageſimum.

Annum Chriſti, treceteſimum decimum.

Sunt ergo, ab initio Diocletiani, ad hunc annum, qui eſt initium Conſtantini Magni, viginti duo anni. Intra hos annos, in toto genere humano horrendà lanienam aduerſus ciues, & hoſtes, & inter ſeſe, exercuerunt Imperatores.

Súntque anni à Iulij initio, vſque ad primum annum Conſtantini, trecenti quinquaginta ſeptem, qui mutationem in Imperio inſignem fecit. Ac à Iulij initio, vſque ad captam Romam ab Alarico, ſunt anni quadringenti ſexaginta, & vnus.

CONSTANTINVS MAGNVS.

CONſtantinus Magnus tenuit Imperium annos triginta duos, minus duobus mēſibus. Vixit annos ſexaginta ſex. Natus eſt in familia, cuius fuit præcipua nobilitas in Dardanis, ex Romana ſtirpe, cuius hæc ſeries traditur:

Eutropius. Claudia vxor, filia Criſpi, fratris Claudij Imperatoris.

Conſtantius χλωρὸς Imperator, conditor Spiræ: qui vicit Francos, & Alemanos.

Helena Britānica, prima coniunx Conſtantij. | Theodora Maximiani Priuigna, ſecunda coniunx Conſtantij.

Cōſtantinus Magnus. | Annibalianus Dalmatij pater. | Conſtantius pater Galli, & Iuliani. | Conſtantia Licinij cōiunx.

Conſtantinus Magnus.

Mineruina, prima cōiunx Conſtantini Magni. | Fauſta, ſecunda coniunx Conſtantini Magni filia Maximiani. Eius filij:

Criſpus. | Conſtantinus ſecūdus. | Conſtantius, | Conſtās. | Conſtātia coniunx Galli. | Helena coniūx Iuliani Imperatoris.

Dalmatium Orienti præfecit Conſtantinus patruus,ſed poſtea,regnante Conſtantio,interfectus eſt.Gallum Conſtãtinus Cæſarē fecit,& poſt Dalmatium Orienti pręfecit. Hunc quoque crudeliter dominantē,Conſtantius,interfici iuſſit.Iulianus poſt Conſtantium,Imperator factus eſt.

Poſt hunc, ſucceſſor Iouinianus Pannonius,ex alia familia fuit. Súntque anni,ab initio Conſtantini Magni,vſque ad mortem Iuliani,quinquaginta octo.

Poſt Maxentij interitum,rexit Occidentem Conſtantinus:Licinius verò Orientem , qui Maximinos deleuerat. Deinde pax fuit in Imperio Romano , & Imperatorum concordia circiter quinquennium.

Cùm verò Licinius paulatim odium aduerſus Chriſtianos oſtenderet , & aliquot nobiles viros , propterea quòd abiicere profeſſionē Chriſtianam noluerant, interfeciſſet, multorū etiam raperet facultates, & coniuges;multi exules,ad Conſtantinum confugiunt,& petunt ſuſcipi defenſionem Chriſtianorum. Erant fœdera inter collegas,Licinium , & Conſtantinum , & Licinius coniugem habebat ſororem Conſtãtini,Conſtantiam. Primum igitur hortatur Conſtantinus Liciniū,vt iuxta edicta,quę antea ſimul ediderant, parcat Chriſtianis. Ille contrà ſuperbè reſpondet : Se non impediendum eſſe in ea parte Imperij,quam regeret:& bellum minatur. Cùm autem iam Licinius, violato priori edicto,fœdus rupiſſet: & iuſta ſit defēſio,etiam contra ſocios , ad depellendam manifeſtam ſæuitiam, Conſtantinus,cum filio Criſpo,exercitum in Thraciā ducit,vbi ad vrbem Adrianopolim ; quæ nunc quoque nota eſt , fuítque olim Odriſſa , magno pręlio vicit Licinium, de quo & miracula narrantur : Conſpectas eſſe in aëre flammas,ſupra exercitum Conſtantini. Scribit Marcellinus,in exercitu Conſtantini,qui contra Licinium ductus eſt,fuiſſe Francorum auxilia,qua ex re apparet, Conſtantinum Francorum virtutem magni feciſſe.

Fugit ex Europa Licinius,in Bithyniam,& rurſus exercitum collegit. Sed ibi quoque victus, pacem petit,miſſa ad victorem ſorore ipſius, Conſtantia;quæ vitam Licinio marito impetrauit:ſed ita, vt priuatus Theſſalonicæ,cum coniuge viueret.

Aliquantò poſt Licinius , cùm res nouas moliretur , à Conſtantini præſidio Theſſalonicæ interfectus eſt.Extinctis igitur quinque Tyrãnis:Diocletiano,Maximiano, Maxentio , Maximino,& Licinio, tenet Monarchiam ſolus

Conſtan-

Conſtantinus, qui, cùm leges, & iudicia deleta eſſent, & non ſolùm bellis ciuilibus, ſed etiam ſæuitia, quam Tyranni contra Chriſtianos exercuerant, vaſtatę eſſent prouinciæ, victor Conſtantinus, & Eccleſias, & Imperium reſtituere cœpit.

Eſtque hęc mutatio, vna inter præcipuas generis humani mutationes, difficilior, quàm fuit Auguſti, victo Antonio, aut Iulij, victo Pompeio. Bellum certè cum Licinio, longè maius fuit, quàm vel Iulij vel Auguſti bella. Nam & Ducum par fuit magnitudo animi, & potentia, & cauſa maior fuit, quàm Iulij, vel Auguſti. Dimicarunt enim, in vtram partem fieret inclinatio, an deinceps totus orbis pareret Chriſtianis Principibus, deleturis Ethnicas religiones: an verò pareret Ethnicis, deleturis Chriſtianos. Et multi erant Duces, & milites nobiliſſimi in exercitu Conſtantini, quorum patres, & matres crudeliſſimè interfecti fuerant. Fuit igitur cauſſa longè maior, quàm vlla in Imperiis vnquam fuit. Et habebat robur Imperij Conſtantinus, vt de eo dici poſſit.

Et cauſſáque valet, cauſſámque tuentibus armis.

Vt autem Deus victoriam dedit Conſtantino, ita poſtea eum audiuit, in conſtitutione Imperij. Reſtituit leges, & iudicia, & multas nouas leges condidit: præſertim de coniugiis, & pudicitia ſanxit, vt capitali ſupplicio afficerentur mœchi, & omnes, qui ſe deinceps polluerent libidinibus contra naturam, & ſcorta maſcula iuſſit vbique interfici. Prohibuit & ciuibus Polygamiam. Sanxit, ne Chriſtiani, vlla iniuria, propter confeſſionem afficerentur: & vt ad honores admitterentur. Nominatim verò excepit Hæreticos. Curauit rurſus ædificari Chriſtianorum templa, & reditus attribuit Paſtoribus.

Pro militum vtilitate, ſanxit, vt prædia, ex quibus milites antea habuerant ſtipendia, tranſirent ad hæredes & fierent propria familiarum, ſed ita, vt certum numerum militum præberent. Id initium eſt eius moris, qui nunc ſeruatur in feudis, vt nominamus, id eſt, prædiis militum.

Hoc beneficio tenuit Conſtantinus obligatos omnes honeſtos milites. Ideóque hunc morem inſtituit, vt mallent in coniugiis honeſtè viuere, & procreare ſobolem, quam vagari vt antea.

Anno mundi, quater milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo ſeptimo.

Anno vrbis Romæ, milleſimo, octogeſimo quinto.

Anno Conſtantini, viceſimo ſexto.

PAcatiano, & Mecellio Coſs. inchoata eſt inſtauratio murorum Byzantij, qui à Seuero Imperatore deſtructi fuerant. Eſtque interuallum inter deſtructionem factam tertio anno Seueri, ad hanc inſtaurationem, anni centum, & triginta. Súntque ab inſtauratione, donec à Mahometo capta eſt, mille, centum, & octodecim anni. Capta eſt enim à Mahometo, anno milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo tertio.

Sunt vrbium, & imperiorum fatales periodi.

Et multa Heroici viri faciunt: fatali impetu, de quibus ſecus videtur aliis.

Verum eſt, vrbis Romæ, Italiæ, & Imperij ſtatum valde languefactũ eſſe, tranſlata dignitate, & tranſlatis familiis, & opibus ex Italia, in Thraciam. Nec quęro, quę res mouerit Conſtantinum. Etſi ſitus Byzantij valdè opportunus eſt, ad tuendum Occidentis, & Orientis Imperiũ. Et tunc, aſſiduis pręſidiis, in eo loco, aduerſus Gottos, & Sarmatas, opus erat, quæ quidem ibi commodiſſimè ali poterãt. Sed potiorem cauſſam tantæ mutationis, fatum fuiſſe, exiſtimemus. Cùm Deus puniturus eſſet Italiam, & Romam, aduentu peregrinarum gentium, prius voluit alibi arcem Imperij, & doctrinarum condere.

Ipſa vrbs Byzantium, olim à Carthaginenſibus condita eſſe ſcribitur, & nominis etymologia concinna eſt: Bethzona, id eſt, domus cauponæ, ſeu meretricis, quia, propter vbertatem ſoli, & loci opportunitatem, copia ibi magna eſt omnium rerum neceſſariarum.

Cõſtantinus nominauit νέαν Ῥώμην quia voluit has duas ciuitates vnam eſſe, & ciues in hac noua Roma, tam fieri conſules, quàm eos, qui in vrbe Roma nati erant, & habitabant. Vicit autem conſuetudo, vt hæc vrbs dicta ſit Cõſtantini vrbs; quæ quidem, ab inſtauratione, vſque ad hãc poſtremam expugnationem factam à Mahometo, etiam præcipua omnium doctrinarum ſedes fuit.

AN CONSTANTINVS VRBEM Romam, & Occidentis Imperium Romano Epiſcopo dederit.

VSitatè nominatur Liber decretorũ, in quo, & vetera, & recẽtia decreta multa, partim vera, partim commentitia, & notha, & ſententiæ ſcriptorum truncatæ recitantur. In eo libro diſtinct. 96. extat fabuloſa narratio,

in

in qua fingitur Conſtãtinus, Romano Epiſcopo Sylueſtro donaſſe vrbem Romam, & Occidentis Imperium, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, & alias vicinas prouincias. Huius fabulæ refutatio ſcripta eſt à multis doctis viris. Et has diſputationes noſſe, eo prodeſt, vt diſcrimen intelligatur poteſtatis politicę, & miniſterij Euãgelici, nec exiſtimetur Apoſtolis aut eorum ſucceſſoribus, mandatum eſſe, noua Imperia conſtituere, aut regna transferre, ſicut falsò dicitur in verſu:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Conſiderandum eſt igitur, in hiſtoriis, quomodo paulatim creuerint opes Epiſcoporum, & quando acceſſerint Imperia.

Paſtoribus, & aliis, qui in templis, & ſcholis docent, victus debetur. Quare initio contulerunt pecuniam homines locupletes, & benefici, & ad doctores alendos, & ad iuuandos egentes dignos publica beneficentia: videlicet ægrotos, & exules. Hæ collationes, omnibus temporibus, vſitatæ fuerunt, & lege Moſaica ordinatæ ſunt. Fuerunt igitur & in Eccleſiis publica æraria, ſicut & Tertullianus Stipis mentionem facit, & nomen Miſſa, tales contributiones ſignificat, Deuteron. 16.

Sed imperia nec Apoſtoli, nec Epiſcopi, nec Paſtores, nec Præfecti ærariis habebant: ſed hi, vt alij ciues priuati, parebant, quolibet loco, ſuis magiſtratibus armatis. Nec ante Pipinum, Caroli patrem, legimus habuiſſe Romanos Epiſcopos, Italiæ partem: aut tenuiſſe Imperium in ea parte. Sed cùm Longobardi, pulſis Hexarchis, qui Rauennam, & alias quaſdam vrbes rexerant, eam partem occuparent, & iam Romæ minitarentur, acceſſitus eſt Pipinus Caroli pater, qui repreſſit Longobardos, & vrbibus, quas Hexarchi rexerant, libertatem reſtituit.

Et quia magna erat Pontificum authoritas, vrbes, quæ Romæ propiores erant, cùm defenſione indigebant, ad Pontifices confugiebant. Ita paulatim aliquæ, velut propriæ Romanæ ſedis factæ ſunt. Poſtea igitur Ludouicus Pius, tenens omnia, quæ Longobardi tenuerant, & tenens cæteras vrbes, vſque ad vrbem Romam; expreſsè diſtinxit loca, quæ volebat Romanam ſedem, tanquam propria, tenere ab iis, quę voluit Imperij partem eſſe. His initiis, pars illa Romæ propior, cœpit eſſe propria Pontificum, non Pipini, aut Caroli donatione, ſed Ludouici Pij.

Præterea tradere Imperiũ, eſt iuramento obligare Sena-

tum Romanum & exercitus, vt illi obtemperent, cui Imperium traditur. Manifeſtum eſt autem, nec Senatum, nec exercitus tunc iuraſſe Romano Epiſcopo. Sed Conſtantinus, Iulianus, & deinde ſucceſſores, ſoli fuerunt exercituum domini. Romæ etiam Præfectos vrbis conſtituerunt: Conſtantius Leontium, qui ſeditiones Romæ ortas oppreſſit, & autorẽ ſeditionis vrbe expulit, & poſtea, cùm nobilem virginem vi ſtupraſſet, vltimo ſupplicio adfecit. Iulianus Imperator Præfectum vrbis conſtituit Aproniánum, & deinde alij alios. Iuſtinianus in Italiam miſit Belliſarium, qui & Syluerio Pontifici, Gottos reuocanti, ad Romam occupandam, dignitatem ademit, eumque relegauit. Poſtea Narſes, annos ſedecim Italiæ rector fuit. Deinde Hexarchi Imperatorum vicarij fuerunt, circiter annos centum, & ſexaginta, à Iuſtiniano ſecũdo, vſque ad Pipinum. Teſtis eſt igitur hiſtoria, Romanos Epiſcopos non tenuiſſe Imperium vrbis Romæ, aut Occidentis.

Additur & argumentum à perſona, ſeu officio Epiſcopi. Prímùm hoc manifeſte falſum eſt, quod multi ſcribunt, Petro datam eſſe ſummam poteſtatem, etiam Imperij conſtituendi. Quia hæc dicta diſcernunt miniſterium Euangelij, & politica Imperia: Sicut Pater meus miſit me, ita ego mitto vos. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Reges gentium dominantur, vos autem non ſic. Arma militiæ noſtræ, non ſunt carnalia. Ergo etiamſi mittitur Petrus ad miniſterium Euangelij, non tribuitur ei ſimul autoritas politica, conſtituendi, aut mutandi imperia, aut colligendi exercitus, aut bella mouendi. Sicut horum nihil fecit Paulus, etiamſi flagitioſiſſimam belluam Neronem tenere florentiſſimum Imperium videbat. Sed quanquam dolebat, talem peſtm, hoc faſtigium generis humani tenere: tamen ordinem politicum Imperij ſciebat Dei opus eſſe & venerabatur.

Quod verò in conſtitutione Bonifacij citant dictum: Ecce duo gladij hic: non ſequitur, hac voce armatum eſſe Petrum Imperio. Nam & ipſe Filius Dei, præliari eum prohibet. Et cùm Chriſtus inquit: Satis eſt: ſignificat quæ relam de duplici genere hoſtium. Satis eſt, & Pontificum, & Pilati gladios aduerſus vos ſtringi.

Cum autem diſtincta ſint officia: Euangelicum, & politicum: & de hoc politico expreſsè dictum eſt. Omnis anima poteſtati, quæ præeſt, ſit ſubdita: contrarium eſſet mandato diuino, & ſeditioſum, rapere dominationem, quã legitimus

legitimus magiſtratus tenet. Fuiſſet igitur ſeditioſus, & prædo Romanus Epiſcopus, ſi Conſtantini poteſtatē, aut exercitus, aut prouincias ſubditas, non donatas, ad ſeſe tranſtuliſſet, vt reuera ſeditioſi fuerunt deinde Pontifices, qui vrbem Romam, aut alias, quæ fuerunt propriæ Imperatoris, non donatas occuparunt.

II. ARGVMENTVM.

Etſi hiſtoria teſtis eſt, vt dixi, non eſſe factam donationem Vrbis, aut prouinciarum à Conſtantino: tamen etiamſi oblata eſſet potentia illa Sylueſtro, non licuiſſet eam ipſi accipere, in ea functione, in qua erat, & ſucceſſoribus tradere. Quia vnuſquiſque facere debet officia ſuę vocationis, iuxta dictū: In hoc ſitis ambitioſi, vt ſitis quieti, & faciatis propria: Paſtor debet docere: Rex gubernare exercitus, ſtipendia, bella, pacem corporum. Non ſunt hæc igitur mandanda paſtori, ſed vnuſquiſque ſuo loco memor ſit regulæ: Propria facite. Item: Vnuſquiſque, ſicut eum vocauit Deus, ita ambulet. Et Syracidę tertio. Qui amat periculum, peribit in eo. Altiora te, non ſtolidè quærito. Quæ tibi Deus præcepit, ea ſanctè cogita. Itaque dictum: Vos non ſic: non tantùm ſic intelligatur, quod, cùm miniſterio Euangelij, non tradat Chriſtus politicam poteſtatem, ſed etiam, ne accipiatur, & exerceatur à tenente miniſterium. Huc adiungatur dictum, Nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus. Ita nec Paſtores vult Paulus occupatos eſſe negotiis impedientibus miniſterium Euangelicum. Hæc breuiter commemoraui de fabula donationis, vt moniti iuniores, & hiſtorias conſiderent: & rectè diſcernant miniſterium Euangelicum, & politicam poteſtatem.

DE NICENA SYNODO.

FEcerat pacem in Imperio Conſtantinus, deletis Tyrannis, & tulerat honeſtas leges: & reſtituerat iudicia: prohibuerat ſæuitiam exerceri in Chriſtianos: fouebat Eccleſias, & attribuerat reditus: ademerat templa Hæreticis Marcionitis, Manichæis, & Samoſatenicis.

Hanc tranquillitatem, & Imperij, & Eccleſiarum, turbauit Diabolus, qui odio Dei, ab initio, poſt lapſum, contumelia affecit Deum, & primis parentibus exitium machinatus eſt. Idem ſemper agit. Ac tunc quoque horribile incendium in Ægypto excitauit, quod vagatum eſt per totum Orientem. Impulit presbyterum Alexandrinum Arium, vt ſereret impium dogma, aſtutè fucatum contra

diuinitatem Chriſti. Scribunt autem, dolore repulſæ, motum eſſe Arium, cùm non eſſet factus Epiſcopus, vt aduerſaretur Epiſcopo Alexandro.

Exiſtimo autem Arium, reipſa idem ſenſiſſe, quod ſenſerunt Ebion, Samoſatenus, & ſimiles, ſicut & Alexander Epiſcopus Alexādrinus de eo ſcribit: Scitis recèns motam doctrinam contra Eccleſię pietatem, eſſe Ebionis, Artemę, & Samoſateni contagium: qui in Synodis, & iudiciis Epiſcoporum, vbique ex Eccleſia eiecti ſunt.

Sed cum non auderet Arius, expreſsè negare, λόγον eſſe ὑφιστάμενον, aſtutè alia ſpecie ſtruit inſidias. Dicit non eſſe coæternum Patri λόγον, ſed ſummam creaturam, ex nihilo conditam. Et vſus eſt his formulis loquendi: ἦν πατὴρ ὅτε οὐκ ἦν λόγος· hoc eſt, Erat Pater, cùm nondum eſſet λόγος. Itē dixit, eſſe λόγον, ἐξ οὐκ ὄντων· ex non exiſtentibus, id eſt, nihilo. Hæc eſt ſumma ſententiæ Arij; quam, ſi quis propriè aſpiciet, deprehendet eam vicinam eſſe Samoſateni impietati. Negat autem reipſa Filium eſſe de eſſentia Patris, & omnipotentem, quia dicit, eſſe ἐξ οὐκ ὄντων.

Pij oppoſuerunt caput primum Ioannis, vbi dicitur: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Item dicta de omnipotentia Filij, vt mox Iohānis primo dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt. Itē: Ego vitam æternā do eis. Et: Sine me nihil poteſtis facere. Matthæi decimo octauo: Vbicūque ſunt duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi ſū in medio eorū. Adeſſe vbique, exaudire, & opitulari vbique, propria ſunt diuinæ naturæ, Col. 1. Omnia per ipſum, & in ipſum cōdita ſunt, & omnia per eum conſiſtunt. Ebr. 1. Per quem & ſecula fecit, qui eſt fulgor gloriæ, & effigies ſubſtātiæ eius, ſuſtentans omnia. Dicta etiam de inuocatione, teſtantur Filium omnipotētem eſſe, ſicut Ecceleſia ſemper dixit, Χριστὲ ἐλέησον.

Talia teſtimonia ſint in conſpectu, & in quotidiana inuocatione cogitentur. Ac confirmati teſtimoniis verę ſententiæ, legamus & hiſtoriam, & certamina.

Cùm autem Arius traxiſſet in ſuam ſententiam aliquot Epiſcopos, & iam non obſcura diſcordia eſſet: Conſtantinus edictū mittit in omnes regiones, quo cōuocat omnes Epiſcopos ad vrbem Bithyniæ, Niceam, vt ibi, in ſynodo, confeſſio ſingulorum, & confeſſionis teſtimonia audiātur, & quantum fieri poſſet, diſcordia tollatur. Curat & publicis vehiculis eos aduehi.

Conuenerunt igitur trecenti, decem & octo Epiſcopi. Inter hos, martyres multi fuerunt, mutilati aliqua corporis par-

tis parte, cùm adhuc ſæuitiam exercerent Maximinus, & Licinius. Aduenerunt Presbyteri Legati Epiſcoporum, qui propter ſenectam, & morbos, accedere non potuerāt. Adfuerunt & laici multi, viri docti, & pij. Hæc Synodus inchoata eſt anno trecenteſimo, viceſimo octauo Chriſti, anno Imperij Conſtantini, decimo nono.

Eſt autem digniſſimum opus, ſapiētibus, & magnis Regibus, iuſto modo, & ordine, tollere diſſidia Eccleſiarum: indicere, & rectè regere Synodos, ſicut fecerunt Conſtantinus, Theodoſius primus, & Theodoſius ſecundus, & Martianus: vt infra dicetur.

Nec rectè ſentiunt, qui dicunt, hanc curam indicendi Synodos, ad ſolos Epiſcopos pertinere: Quia lex diuina, & politicæ poteſtati, & doctoribus, præcipit tollere blaſphemias, & idola. Cùm igitur diſſidia oriuntur, etiam politica poteſtas curet legitimam cognitionem inſtitui, in qua doctores, & alia membra Eccleſiæ idonea, & ipſi Principes, re inquiſita, dicant ſuas ſententias. Quia iudicium illud non eſt vnius gradus, ſed omnium membrorum Eccleſiæ, quæ ſunt idonea ad iudicandum. Poſtea, cùm veritas patefacta eſt, fiat exequutio. Doctores refutēt, & damnent blaſphemias. Poteſtas politica prohibeat externam profeſſionem impiam, remoueat blaſphemos, ne virus ſuum afflent aliis.

Hanc ſententiam veriſſimam eſse, non dubium eſt. Et ſinguli Principes, in ſua ditione, piam concordiam, hoc modo, tueantur, ſed non ſeruiant alienis odiis: nec, ſine pia cognitione, gladios ſtringant: ſed audiant vtramque partē, ſicut Deus ſæpè præcepit. Et iuramentum Atticum erat: ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. & ſint normæ iudicij, ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola.

Aſsedit igitur Conſtantinus inter Epiſcopos, ſede non altiore: & initiò hortatus eſt eos ad placidam collationem & ad inquiſitionem veritatis, omiſsa ſophiſtica, & depoſita animorum acerbitate.

Primam ſentētiam dixit Εὐστάθιος Antiochenus Epiſcopus. Poſt longa certamina, ſcriptum eſt Symbolum Nicenum, quod adhuc in Eccleſiis retinetur, quod plurimi, ſua ſubſcriptione comprobarunt: & ſubſcripſit ipſe Conſtantinus, qui ait, ſe adfuiſse, ceu vnum ex ipſis: Ac valdè lętor, inquit, me fuiſse veſtrum comminiſtrum, donec omnium conueniens inquiſitio facta eſt, & veritate in lucem prolata concordia conſtituta eſt.

Tres autem fuerunt magnæ cauſsæ, quæ ad doctrinam pertinuerunt, de quibus præcipuè Synodus teſtimonia oſtendit. Rurſus damnatum eſt impiũ dogma Samoſateni. Deinde & Arianum. Poſtea & Nouati, & Meletij error damnatus eſt, qui docuerunt, lapſos redeũtes ad pœnitentiam, non recipiendos eſſe. Qua de re Imperator falsè reprehendens arrogantiam Aceſij Nouatianorum Epiſcopi, inquit: Scalas, Aceſi, admoue, & ſolus in cœlum aſcende. Hac ironia ſignificabat, illum falsò fingere, ſe & ſuos ſine peccato eſse.

Poſtea deliberationes alię acceſserunt: vt eodem die omnes Eccleſiæ Paſcha celebrarent: Nec alij Iudaicũ diem, alij aliũ obſeruarent. Item, vt Alexandrinus Epiſcopus inſpector eſſet Eccleſiarum Orientis, Romanus Occidentis.

Quædam etiam, de temporibus publicæ pœnitentię, ordinarunt, quod ritibus eius ætatis tributum eſt. Nec verò æſtimandum eſt, voluiſſe eos, hæc decreta paria eſſe articulis fidei.

Propoſitum etiam fuit à quibuſdam, vt Sacerdotibus maritis prohiberetur conſuetudo coniugalis.

Sed ſenex Paphnutius, cui & in confeſſione, oculus effoſſus erat, & qui Epiſcopus erat in Ægyptiaca Theba, diſſuaſit hanc legem, dicens coniugia non diſſoluenda eſſe, & coniugalem conſuetudinem caſtitatem eſſe. Synodus Paphnutij ſententiam ſequuta, cenſuit nequaquam recipiendam eſſe contrariam.

Decreta etiam hęc facta ſunt: Ne quis ſe caſtraret. Item: Ne Clerici vſuras acciperent, & ne haberent ſecum mulieres, quæ non eſſent coniuges. Inde apparet, in ea Synodo de multis negotiis deliberationes incidiſſe, quæ diſcernendę ſunt.

Accidit hoc quoque: Cùm multi Epiſcopi, priuatas inter ſe accuſationes, Imperatori exhibuiſsent, vt Imperator obſignatas omnes aſſeruari iuberet, dicens, Prius publicam cauſſam agendam eſse, deinde ſe de illis acturum eſſe. Hunc faſciculum, in exitu Synodi, proferri iuſſit, & adhuc obſignatum, in ignem coniici, inſpectantibus omnibus Epiſcopis, & addidit hæc verba: Sacerdotum crimina, non efferenda eſſe in publicum, quia, talibus ſcandalis, hominum animi à doctrina alienentur. Ad ἀμνηστίαν priuatarum offenſionum ſanxit: & hortatus eſt, vt eandem vocem doctrinæ ſonarent omnes & Eccleſiarum concordiam tuerentur.

Hic

Hic fuit exitus Synodi Nicenæ, quæ durauit triennium, & aliquantò diutius.

Ipſo Synodi tempore, Imperator celebrauit viceſimum annum Imperij ſui. Inde ſciri poteſt tempus, quo hæc Synodus conuocata eſt.

Profuit piis huius Synodi cõfeſſio, & prodeſt nũc quoque. Sed tunc, neque prorſus extinctum eſt Arianum incendium, & aliquantò poſt, latiùs in Aſia vagatum eſt, quàm antea. In ea diſtinctione Eccleſiarum, quia dubitatio odium doctrinæ parit; deinde multitudo pertæſa obſcurarum diſputationum, & rixarum inter Chriſtianos, libentius recepit Mahometi dogma, plauſibile prophanis ingeniis, quia tantùm eſt particula legis, propoſita ad tuendam pacem inter ciues.

Seneca inquit: Nunquam vitia, bona fide manſueſcunt, ac repreſſa aliquantiſper, tamen erumpunt: Ita, cùm aliqui impij Epiſcopi, clàm ſentientes cum Ario, metu Imperatoris, ſimularent, ſe Nicenum ſymbolum amplecti, paulatim ſeſe aperuerunt: Sicut in Euripidis verſibus dicitur.

ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο, πλὴν κακός·
ὁ δ' ἐσθλὸς ἐσθλὸς, οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.

Cúmque inflectere animum Imperatoris conarentur, nacti ſunt ad eam rem artificem idoneum, Sacerdotem, qui, apud Conſtantiam, ſororem Imperatoris, quæ fuerat nupta Licinio, erat. Is afflauit Conſtantiæ Arij contagia, & perfecit, vt fratri hortatrix eſſet, vt Arium ab exilio reuocaret, & cauſſam rurſus cognoſci iuberet. Accenditur & odium contra Athanaſium.

Procedunt in aula artificia Sinonis, & Aniculę. Reuocat Arium Conſtantinus, & mandat cauſſam rurſus cognoſci, in Tyro. Ac verba ſunt in epiſtola Imperatoris. Si quis recuſabit venire, mittam, qui eum doceant, non aduerſari huic edicto: & mandat ſeueriſſimè, Eccleſiã liberari à blaſphemiis. Cõfluunt ergo Epiſcopi, ſed præcipuè colludẽtes cum Ario, Et eò acceſſurus erat Imperator. Nam & in Iordane decreuerat baptiſmum accipere. Sed dum hæc apparat, in morbum incidit, in vrbe Nicomedia. Ibi, cùm baptizatus eſſet, aliquãtò poſt, in ſuburbano mortuus eſt, anno ætatis ſuæ, ſexto, & ſexageſimo, anno Imperij triceſimo ſecundo, minùs duobus menſibus.

Verùm ante mortem, vocauit Conſtantinopolim Imperator, Epiſcopos, qui in vrbe Tyro conuenerant. Ac ſimul

Arium ex Alexandria accerſiuit. Voluit enim coràm, huius iudicij gubernator eſſe. Eò cùm veniſſet Arius, ortum eſt ingens certamen inter Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, rectè ſentientem: & Euſebium Nicomedienſem, qui aſtutiſſimè ſubleuabat Arium. Cùm autem inſtaret magnum certamē, poſt aliquot dierum cōgreſſus, Alexāder Epiſcopus noctu manens in tēplo, precatur Deū, vt ipſe veritatē tueatur. Manè, cùm lōga eſſet expectatio, tandem factio Ariana, ad publicū conſeſſum accedit. In eo itinere, Arius deflectit de via, ſubita conſternatione oppreſſus, ac conſidens in latrinam, ibi effudit inteſtina, & extinctus eſt. Multitudo, cognito eius interitu, dilapſa eſt, & rurſus cœpit authoritas maior eſſe rectè ſentientium.

Id exemplum & pios commonefaciat, veritatis defenſionem petendam, & expectandam eſſe à Deo: & puniri inſignibus exemplis hoſtes veritatis, vt ſupra de Montano, & Priſcilla dictum eſt, qui ſibi ipſis fregerunt gulas laqueis. Ita & pœnas dedit Arius inſigni exemplo, quod penè ſimile eſt Iudæ exitio.

Aliquanto poſt, mortuus eſt Conſtantinus Imperator, cuius virtutem, & fortunam fuiſſe heroicam, euentus oſtendunt. Quia ſingulari fœlicitate, deletis Tyrannis, pacē orbi terrarum reſtituit: & fecit inſignem mutationem in Imperio Romano, quæ tamē poſtea profuit generi humano, cùm illa pars mundi, verſus Orientem, defenſa eſt per Conſtantinopolitanus Principes, Italiâ occupatâ à Gottis, & aliis peregrinis gentibus. Fuit iuſtus, & ſeuerus, ſed domeſticas duas calamitates inſignes habuit: Filium, prȩſtantem virum, Criſpum, natum ex prima cōiuge Mineruina, quem iam Cȩſarem nominauerat, falsò accuſatum à nouerca interfici iuſſit. Fuit autem nouerca, Fauſta, filia Maximiani Herculei, quæ ad ſuos filios transferre Imperium volebat. Poſtea Conſtantinus, deprehenſa calumnia, & coniugem Fauſtam iuſſit necari.

Nec tātùm his domeſticis calamitatibus, ſenectus Cōſtantini afflicta eſt: ſed acceſsit etiam conſiliorum inconſtantia, quæ auxit Eccleſiarum diſcordias. Arium exulantem reuocauit. Contrà verò, Athanaſium in exilium miſit in vrbem Treuirorum. Etſi igitur fundamenta concordiæ Eccleſiarū, in Synodo Nicena iecerat, & maximè cupiebat Eccleſiam relinquere tranquillam, tamen id non perfecit, ſed creuerunt diſcordiæ, Diabolorum fraudibus, qui organa habuerunt aliquot Epiſcopos, & ſycophantas,

qui,

qui, Sinoniis artificiis, ſenem Imperatorem deceperunt.

Nec Imperij pax, mortuo Cōſtantino, fuit diuturna: nec poſteritas eius felix fuit. Nam fratres ipſi inter ſeſe dimicarunt. Adeò nulla eſt, quantumuis magna felicitas, in hac vita, cui non multæ calamitates miſceantur. Súntque digna conſideratione, verba Herodoti, in Polymnia: εἶναι θνητὸν οὐδένα, οὐδ᾽ ἔσεσθαι, τῷ κακὸν ἐξ ἀρχῆς γινομένῳ οὐ συνεμίχθη, τοῖς δὲ μεγίστοις μέγιστα. Monent autem talia exempla, vt ſimus modeſti, retineamus timorem Dei, & non moueamus non neceſſaria, & ardentius petamus nos à Deo regi & protegi.

Anno mundi, quater milleſimo, treceteſimo tertio:
Anno Romę, milleſimo, nonageſimo primo.
Anno Chriſti, treceteſimo, quadrageſimo primo.

FIlij Cōſtantini ſucceſſerunt Patri, diuiſione Imperij in teſtamēto, hoc modo, facta: Conſtantinus natu maximus, tenuit Hiſpaniam, Galliam, Alpes, & Britanniam: Conſtans, Italiam, Africam, Græciam, & Illyricum: Conſtantius minimus natu, Orientem tenuit. Hic cùm non eſſet par ingenio fratribus, tandem Monarchia potitus eſt. Cùm enim maximus natu Conſtantinus ſuperbior, & inquietior eſſet cæteris, non contentus ſuis prouinciis, fratri Conſtanti bellum intulit, vt Italiam occuparet. Sed cùm ad Aquileiam perueniſſet, prælio victus eſt à Conſtantis exercitu: & cum equus vulneratus Conſtantinum excuſſiſſet, multis ictibus confoſſus eſt, anno ætatis viceſimo quinto: Imperij nondum finito triennio.

CONSTANS IMPERATOR.

ACceſſerunt igitur Conſtanti, ad ſuam partem, omnes prouinciæ, quas frater Conſtantinus tenuerat. Regnauit annos tredecim. Vixit annos triginta. Fratrem vicit, anno ætatis ſuæ, viceſimo. Fuit initiò iuſtus, & ſtrenuus; poſtea propter morbum articularē, deditus voluptatibus, neglexit gubernationem, & multa crudeliter fecit. Quare in vrbe Auguſta Rhetica, contra eum factus eſt Imperator Magnentius, qui tunc pręerat Rheticæ. Hic interfecit Cōſtantem, quieſcentem in cubiculo. Eſtque mors eius inſignior, quod Magnētium antea in Illyrico ipſe ſeruauerat, tectum ſua purpura, cùm milites eum interfecturi eſſent. Nunc talem gratiam ſeruatori reddidit, qualem Caſſius, & Brutus, Iulio reddiderunt: ſed ſeipſum quoque, aliquantò poſt, interfecit, vt mox dicam.

CONSTANTIVS IMPERATOR.

CONSTANTIVS enim tertius frater, vt puniret Magnētium, ſeptuaginta millia hominum aduerſus eum duxit. His occurrit in Illyrico, cum exercitu triginta millium, Magnentius, confiſus robore Gallico, & Germanico. Etſi autem victor fuit Conſtantius, tamen cædes tanta facta eſt, vt in eo pręlio, vires Romani Imperij ita cecidiſſe dictum ſit, vt peregrinæ gentes, quæ poſtea in Galliam, & Italiam infuſæ ſunt, reprimi non potuerint. Magnentius victus, Lugdunum fugit, vbi cùm necaſſet amicos, quorum ei fides ſuſpecta fuit, poſtea ſibi ipſe mortem conſciuit.

Solus igitur Conſtantius Monarchia potitus, regnauit annos viginti quatuor, mortuus anno ætatis ſuæ quadrageſimo. Succeſſit igitur patri, adoleſcens, circiter annum decimum octauum ętatis ſuæ, qua in ætate, facilè ab aſtutis hypocritis deceptus eſt. Ac idē ille Presbyter, qui Conſtantiam, ſororem Conſtantini Magni, ad Adrianos inflexerat, huius Principis animum ad eos inflexit, quia cuſtos teſtamenti patris fuerat. Idq; primum Cōſtantio exhibuit.

Fuit autem felix in bellis ciuilibus. Poſtea duxit exercitum aduerſus Alemanos, cum quibus, cùm pacem peterent, fœdus fecit. Id factum eſſe in Rauracis, ſcribit Marcellinus. Nec verò dubium eſt, Rauracos fuiſſe, vbi nunc vrbs eſt Baſilea ad Rhenum. Poſtea nominantur reges Alemanorum, ad Argentoratum, Feſtradus & Gnademarius. Vndecunque igitur appellatio Alemanorum fuit, tunc eas gentes complexa eſt, quæ ſedes tenuerunt ab Alpibus ad Moguntiam vſque. A Moguntia, Rheni ripam, & Belgiū, Franci tenuerunt. Hæ duæ appellationes, illis temporibus, præcipuæ fuerunt, in hac regione, quæ ab Alpibus inter Rhenum, & ſaltum Thuringicum, vſque ad mare porrigitur. Ac ſæpè, cum Romanis, Alemani, & Franci dimicarunt. Poſtea inter ſeſe, magna bella geſſerunt, donec Francorum fortuna fuit victrix.

Sed redeo ad Conſtantium. Is ex Oriente diſcedens aduerſus Magnentium, præeſſe iuſſit Orienti, filium Cōſtantij, qui fuit frater Conſtantini Magni, nomine Gallum, eúmq; adoptatum, Cæſarem dixit. Sed, multa crudeliter, & petulāter facientem, iuſſit interfici, cùm annos quatuor Orienti præfuiſſet. Deinde Iulianum Galli fratrem, natum patre Conſtantio, qui fuit Conſtantini Magni frater, (vt iam dictum eſt) adoptatum, Cæſarem dixit, eúmque

aduerſus

aduerſus Alemanos miſit, quos Iulianus, magno prælio, ad Argentoratum vicit. Idem poſtea deſcendens ad Agrippinam Coloniam, recepit eam, occupatam à Francis, quos Salios nominãt, à flumine Sala dictos, vt Marcellinus dicit. Hi Tungrorum ſedes, id eſt, regionem Iuliacenſem tunc tenebant. Poſtea & Francos Attuarios vicit, qui fuerunt, vbi nunc Leodium eſt.

Interea Cõſtantinus Imperator, bella cum Sarmatis, & Perſis geſſit. Cùm autem audiuiſſet, Iulianum Imperatorem, & Auguſtũ dici, & cum exercitu ad Byzantium accedere, relicto Perſico bello, exercitum contra eum duxit. Sed in reditu, in Cilicia febre extinctus eſt, anno Imperij viceſimo quarto, ætatis quadrageſimo primo.

Ipſe narrauit, ſe ſpeciem, quam antea, in ſecundis rebus, ſæpè lætam vidiſſet, tunc, cùm ægrotaret, vidiſſe mœſtam & lugenti ſimilem: qua de re eruditi diſputarunt, fuiſſe genium ipſius, qui ſolitus fuerit ipſum comitari: & citantur Græci verſus:

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ.
ἅπαντός ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

ECCLESIÆ CERTAMINA, POST mortem Conſtantini Magni.

ETiam ſapientum, & bonorum Principum animi ſunt mutabiles. Ita Conſtantinus Magnus, biennio ante mortem, à ſorore Conſtantia perſuaſus, exulantem Arium reuocauit, & Athanaſium relegauit. Ea mutatio voluntatis in Principe, rurſus accendit Ariana certamina. Nam, cùm, pulſo Athanaſio, reuerſus eſſet Alexandriam Arius, veluti triumphans, valdè confirmauit ſuam factionem: & multi Epiſcopi, qui antea, metu, tacuerant, apertè eius ſententiam propugnare cœperunt, præſertim poſt Conſtantini mortem.

Latuit autem exul Athanaſius apud Maximinum Epiſcopum Treuirorũ, annos duos & menſes quatuor. Nã filius Cõſtãtinus, vir magnanimus, qui, ex teſtamẽto patris, Gallias tenebat, perfecit vt Athanaſius in Alexandriam reduceretur. Iámque Arius mortuus erat, vt antea dictũ eſt: & adoleſcens Conſtantius nondum apertè tuebatur Arianos, etſi familiares ei erant Epiſcopi quidam Ariani.

Receptus Athanaſius, triennio retinet gubernationem. Interea artificiis Euſebij Nicomedienſis, & aliorum, magis alienatus Conſtantius ab orthodoxis, pellit ex Cõſtã-

tinopoli, Paulum, & ex Alexandria, Athanaſium, rectè ſentientes. Cum exercitu, Georgius quidam præficitur Eccleſiæ Alexandrinæ. Addidit igitur ſe in latebras Athanaſius, cúmque ab aduerſariis, ad necem ſtudioſè quæreretur, aliquantò poſt effugiẽs, Romam profectus eſt. Rurſus igitur exulat: & Romæ aliquantiſper manent apud Iulium Epiſcopum, & ipſe, & Paulus Cõſtãtinopolitanus. Deinde ad Conſtantem Imperatorem accedunt, qui victor Occidentem tenebat. Apud hunc tandem res eò deducitur, vt conſenſu fratrum Conſtantis, & Conſtantij, Synodus indicta ſit, quæ in Illyrico in vrbe Sardica conuenit, anno decimo, poſt mortem Conſtantini Magni, anno Chriſti trecenteſimo, quinquageſimo primo.

Conuenerunt, in vrbe Sardica, ducenti quinquaginta Epiſcopi. Inter hos fuerunt Athanaſius; & Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, quem Epiſtola Synodi dicit grandem natu fuiſſe εὐγηρέστατον, & maxime dignum honore, propter perpetuam conſtantiam in confeſſione veritatis, inter multas affectiones. Hæc Synodus teſtata eſt, ſe amplecti Nicenum Symbolum, & damnat ab eo diſſentientes. Extat Synodi decretum, apud Theodoretum, in quo hæc verba ſunt: Μηδὲ ποτὲ πατέρα χωρὶς υἱοῦ, μήτε υἱὸν χωρὶς πατρὸς, μήτε γενέσθαι μήτε εἶναι δύνασθαι.

Tanta fuit autem eius ætatis calamitas, vt eodem tempore ἀντισύνοδος in Thracia, in vrbe Philoppopoli conuenerit: quod accidit, quia non fuit vnicus gubernator, vt fuerat Nicenæ Synodi Conſtãtinus; & iam non erat Imperatorum conſenſus: & adoleſcens Conſtantius, à ſuis aſſentatoribus deprauabatur. Talia mala oriuntur ab iis, qui Principũ voluntates diſtrahunt. Et quarto anno, poſt hanc Synodum, ſequuta eſt Synodus Syrmienſis, cui interfuit Conſtantius, contraria Sardicenſi.

Cogitandũ autem eſt, quanta calamitas fuerit, cùm ſubinde concurrerent Synodi, Antiſynodi, & retractationes priorum Synodorum. Fuerũt enim impiæ Synodi frequentiores, poſt Sardicẽſem, ſex, corrumpentes Nicenum Symbolum, videlicet, in Syrmio, Arimino, Mediolano, Seleucia Iſauriæ, Conſtãtinopoli, Antiochia, de quibus mox pauca dicam, vt conſiderentur Eccleſiæ calamitates. Prius enim Athanaſij hiſtoriam breuiter complectar.

Poſt Sardicenſem Synodum, Conſtans Imperator, à fratre Conſtantio petiit, vt Athanaſio gubernationem Alexandrinæ Eccleſiæ reſtitueret: & palam minatus eſt, ſe

eum

ſuum reductum eſſe,ſi frater non reſtituat. Ibi , quanquam diu res differtur, tamen Conſtantij amici metuentes,fratri ſuadent, vt potius reditum Athanaſio concedat, quàm bellum ciuile attrahat. Tandem igitur concedit Athanaſio reditum Conſtantius , ſed aliquantò poſt mortuo Conſtante , rurſus iubet eum eiici Conſtantius , quia fuerit fratri incitator ad bellum mouendum. Exulat igitur tertiò Athanaſius,latitans in Lybia,ſex annos,vſque ad mortem Conſtantij.

Interea magnam crudelitatem exercuit Alexandriæ Epiſcopus Georgius.Virgines duxit ad ignes,minitãs eis necem, niſi iurarent,ſe abiecturas eſſe doctrinam Athanaſij.

Rediit autem Iuliani tempore , Athanaſius , & poſtea; quanquam Iulianus eum interfici iuſſerat , tamen manſit in gubernatione Eccleſiæ Alexandrinæ , vſque adannum ſeptimum Valentiniani. Súntque anni ſex,& quadraginta ab intio gubernationis Athanaſij , vſque ad eius mortem. Interea quantas viderit Eccleſiæ calamitates,& quas ærumnas in ſe tulerit, in quibus tamen diuinitus ſeruatus eſt,ſeries hiſtoriæ oſtendit.

Nicenæ Synodi finis,incidit in annum viceſimum, primum,Conſtantini. In annum Chriſti,trecenteſimum,viceſimum nonum.

Anno triceſimo Conſtantini , anno Chriſti trecenteſimo triceſimo nono,fuit ſynodus Tyria, & receptus eſt Arius,qui tamen,aliquantò poſt,Conſtantinopoli mortuus eſt,cùm ex Tyro Synodus eò vocata eſſet.

Anno decimo poſt mortem Conſtantini.

Anno Chriſti,trecenteſimo,quinquageſimo primo.

Anno poſt Nicenam Synodum , triceſimo primo, fuit Synodus Sardienſis,pia,confirmans Nicenam.

Anno Cõſtantij , quinto decimo, videlicet quinto,poſt Sardicenſem Synodum , fuit Synodus Syrmienſis , in qua & ipſe Conſtantius affuit, moto bello aduerſus Magnentium,contraria Nicenæ.

Sequũtur Syrmienſem , exiguis interuallis,Synodi impiæ Ariminenſis,Seleucienſis,& Antiochena.

Occaſio autẽ conuocandæ ſynodi Syrmienſis , hæc fuit: Vt ſemel motis rebus , multi exemplo fiunt audaciores,& nouos tumultus mouent , & [illegible] concedit licentiam: Photinus Syrmienſis Eccleſię Presbyter, & Arianos,& orthodoxos vituperare cœpit, & abiecta vtraque ſententia, renouauit blaſphemiã Samoſateni. Negauit eſſe duas na-

turas in Chriſto nato ex virgine. Ac λόγον in Iohāne, interpretatus eſt, decretum de redemptione hominis, & reſtitutione vitæ æternæ, per hunc hominem, quem ad id miſſurus eſſet. Et contendit, nequaquam eſſe λόγον ὑφιστάμενον, qui fuiſſet, antequam hic homo Chriſtus ex virgine natus eſt.

Fuit autem tanta Photini confidentia, vt ſe audiri corā ipſo Imperatore Conſtantio poſtularit. Aderant ex Aſia præcipui Epiſcopi, inter quos, cùm excelleret Baſilius; Ancyræ in Galatis Epiſcopus Arianus, hic acerrimè refutauit Photinum. In ea cauſſa, decreta facta ſunt, laude digna. Quod λόγος ſit ὑφιστάμενος. Extant ea decreta in Socrate Scholaſtico, quæ digna ſunt conſideratione.

I. DECRETVM.

Εἴ τις, τὸ, ΠΟΙΗΣΩΜΕΝ ἌΝΘΡΩΠΟΝ μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγοι, ἀλλ' αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν θεὸν εἰρηκέναι, ἀνάθεμα ἔστω. Hoc eſt, Si quis hoc, Faciamus Hominem, non Patrem ad Filium dixiſse, dixerit: ſed ipſum ad ſeſe Deum dixiſse, anathema ſit.

II. DECRETVM.

Εἴ τις τῷ Ἰακὼβ μὴ τὸν υἱὸν ὡς ἄνθρωπον καταπεπαλαικέναι, ἀλλὰ τὸν ἀγέννητον θεὸν, ἢ μέρος αὐτοῦ λέγοι, ἀνάθεμα ἔστω. Hoc eſt: Si quis, cùm Iacob, non filium, tanquam hominem, colluctatum eſſe, dixerit, ſed non genitum Deum, aut partem Dei, anathema ſit.

III. DECRETVM.

Εἴ τις, τὸ, ἜΒΡΕΞΕ ΚΎΡΙΟΣ ΠΑΡᾺ ΚΥΡΊΟΥ, μὴ ἐπὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκλαμβάνοι, ἀλλ' αὐτὸν παρ' ἑαυτοῦ λέγοι βεβροχέναι, ἀνάθεμα ἔστω. Ἔβρεξε γὰρ κύριος ὁ υἱὸς παρὰ κυρίου τοῦ πατρός. Hoc eſt, Si quis hoc: Pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio accipit, ſed ipſum à ſeipſo pluiſse dixerit, anathema ſit. Pluit enim Filius Dominus à Patre Domino.

Hæc recito, quia oſtendunt, & vetuſtatem hæc dicta in Moiſe de Filio intellexiſſe.

Agitata eſt etiam tunc quæſtio, de his modis loquendi: Pater naturâ genuit Filium, non genuit voluntate, id eſt, contingenter, ſicut contingenter creaturas condidit.

De his modis loquendi extant commonefactiones in Nazianzeno. & in Longobardo, libro 1. diſtinct. 6.

Cętera acta Synodi Syrmienſis, impia, & pernicioſa fuerunt. Proceſſit enim Synodus ad controuerſiam Arij, cui, vt humano conſilio mederetur, conata eſt ſilentio obruere mentionem vocabuli ὁμοούσιος, & voluit in Symbolo poni

ni ὅμοιος pro ὁμοούσιος. Hunc cothurnum, ſi vtraque pars acciperet, exiſtimabant diſcordię finem fore, quia vtraque pars Filium eſſe fateretur, & quidem ſimilem Patri, omiſſa quæſtione, An ſit ὁμοούσιος ? Subſcripſit huic decreto, & pius ſenex Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, coactus, vt narrant, cùm tamen antea veritatem conſtanter defendiſſet. Ita diſceſſum eſt ex Syrmio. Sed mox ambiguitas ab Orthodoxis repudiata eſt, quod inſidioſa eſſet, & ſemper in docendo ambiguitas diſſenſiones parit.

Poſt biennium Conſtantius Mediolanum venit, cùm iã victus eſſet Magnentius. Vt igitur Syrmienſia decreta confirmarentur, incitant eum Ariani, vt in Italia Synodos conuocet. Et ſcribit Theodoretus, de leuitate Conſtantij, hæc verba: τὸν πάντα ῥαδίως πειθόμενον, quod facilè ad mala conſilia impelleretur. Vocat igitur Epiſcopos Mediolanum, vbi Ariani auſi ſunt primùm poſtulare, vt Synodi Tyriæ acta confirmarentur, & rurſus ex Alexandria pelleretur Athanaſius. Huic poſtulationi conſtantiſſimè aduerſati ſunt Paulinus Epiſcopus Treuirenſis, & Dionyſius Epiſcopus Albę in Latio, intelligentes moliri ipſos oppreſſionem Symboli Nicæni. Cùm igitur Imperatori coràm dicerent, iniuſta peti, diſceſſerunt. Ita ſubitò hæc Synodus diſſoluta eſt. Sed ſequenti anno plures Ariminum conuocat. Ibi maiora, & longiora certamina fuerunt. Palàm petita eſt Syrmienſis decreti confirmatio. Et nominatim poſtulatum eſt, vt deleretur in Symbolo ὁμοούσιον. Sed Occidentales, circiter ducenti, contradixerunt, qui ad Conſtantium legatos, & ſcriptum de ſua confeſſione, miſerunt. Sed Conſtantius, vt eluderet acta, cõtando, reſcripſit, ne ex Synodo diſcederent, donec Legatos auditos, remitteret. Cùm autem mora longior eſſet, pij ad ſuas Eccleſias redierunt. Hic fuit exitus Synodi Ariminenſis.

Interea verò dat mandata Conſtantius in Oriente, & Occidente, vt Syrmienſi decreto ſubſcribatur, & pellantur ex Eccleſiis, qui nolint ſubſcribere.

Eodem tempore Synodus fuit Orientalium, in vrbe Iſauriæ, Seleucia, vbi maior fuit numerus Arianorum, ac plurimi receperunt vocabulum ὅμοιον. Sed cùm magnæ altercationes ortæ eſſent, de hoc cothurno, an ὅμοιον intelligendum eſſet, de eſſentiæ ſimilitudine, an verò voluntatis, & apertè affirmarent plurimi, ſe tantùm voluntatis ſimilitudinem intelligere, ſurrexit Legatus Cæſaris, & dixit ſe non adfuturum ſine fine rixantibus. Cùm igitur hic

nollet in conſeſsum redire, diſceſſerunt & multi Epiſcopi. Hic fuit exitus Synodi Seleucienſis.

Concurrerunt paſsim alibi alij. Sed breuiter recito frequentiores Synodos, quarum triſtia exempla intuẽtes, cogitemus, quanta fuerit Eccleſiæ calamitas, cùm ſubinde maiores diſtractiones ex Synodis orirentur.

Poſt biennium, cùm iam Conſtantius Antiochiam veniſſet, propter bellum Perſicum, Synodus eò conuocata eſt, quæ magis turbulẽta fuit prioribus, & cumulauit blaſphemias. Quia ibi, ne hoc quidem recipere impij voluerunt: Filium ſimilem eſſe Patri, & contenderunt eſſe diſsimilem Patri, Filium.

Exemplum verò extat ſophiſtices, in hac narratione, inſigne. Vſus eſt enim Acacius hoc argumento,

Pater neminem colit:
Filius colit Patrem:
Ergo ſunt diſſimiles.

Cúmque vſus eſſet hic præſtigiator, verbo ἀσεβὴς pro non colente alium, quod alioqui ſignificat impium, totius populi clamore, reprehenſa eſt prophanitas vocabuli. Poſtea etſi vocabulũ aliter interpretabatur, tamẽ, iuſto odio ſophiſtices, exploſus eſt. Et addit hiſtoricus περὶ τοιαύτας σμικρὰς λέξεις, τὴν ἐκκλησίαν διέσπασαν. Circa tales occupati dictiones, Eccleſiam diſtraxerunt. Vt omnibus ætatibus, in defenſione falſorum dogmatum, ſingulares argutię excogitantur, quæ ipſa nouitate capiunt rudes.

Synodi autem Antiochenæ finis fuit Conſtantij diſceſſus, qui rediturus erat Byzantium, vt Iulianum reprimeret. Sed in reditu in Cilicia morbo extinctus eſt.

Breuiter autem de his impiis Synodis dixi, vt videant iuniores, ſæpè etiam Synodis frequentibus, magnos errores confirmatos eſſe: Nec anteferendas eſse Synodos perſpicuis teſtimoniis, quæ tradita ſunt in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis.

Ac iuſtè reprehenditur πολυπραγμοσύνη Conſtantij, qui toties conuocauit diſsimillimos homines, fuítque infelix, quia malorum conſiliis regebatur, qui aut ſtabilire impia dogmata, aut arte maiores diſtractiones facere conabantur, ne ipſorum authoritas labefactaretur. Sicut & noſtro tempore, arte factas eſſe diſtractiones, vidimus.

Duæ autem fuerunt piæ, & vtiles Synodi, tempore Cõſtantij: altera, Sardicenſis, de qua ſupra dictum eſt, viuente adhuc Conſtante: altera, circa id tempus, fuit Gangrenſis,

ſis,

ſis,in oppido Galatarum Gangra, quod nomen ſcribunt ſignificare capream, lingua Heneta. Et hodie Boemis id vocabulum,capream ſignificat.

Narratur occaſio, quod Euſtathius quidam ſeceſſus quæſiuerit, tanquam Monachus: hunc imitati multi, ritus nouos inſtituerunt: Prohibuerunt coniugium,& multas nuptas ad ſe attraxerunt,quarum aliquæ, etiam virilī veſtitu tectæ, latere voluerunt. Fuitque cum multis ſtupri conſuetudo. Damnauerunt habentes proprium. Noluerunt accedere ad communis Eccleſiæ ſacramenta, quia adminiſtrarentur per Sacerdotes maritos. Inſtituerunt & delectum ciborum,&c.

Anno mundi,quater milleſimo.

Anno Romæ,milleſimo,centeſimo, decimo quinto.

Anno Chriſti,trecenteſimo,ſexageſimo quinto.

IVLIANVS APOSTATA.

IVlianus Apoſtata regnauit ſolus annum, & menſes ſeptem,cùm antea à Conſtantio Cæſar dictus,collega eius fuiſſet ſexennio. Natus eſt patre Conſtantino, fratre Conſtātini Magni,& matre Baſilina nobiliſſima fœmina. Adoleſcens, ab Epiſcopo Nicomediæ, doctrinam Eccleſiæ didicit, & profeſſione Chriſtianus fuit, ac inſtitutus in Collegio Nicomedenſi,cùm valeret ingenio,& eloquentia,citò factus eſt Lector in Eccleſia. Interea clā auditor fuit Libanij,qui tunc Nicomediæ rhetor fuit, ſtudioſus Atticæ elegantiæ,vt oſtēdunt eius ſcripta,quæ adhuc extant. Ille inflexit eum ad Ethnicos. Paulatim & aliis Ethnicis diſertis,& Philoſophis familiaris factus,Iamblico, Maximo Byzātio, & aliis cœpit ſuperbe faſtidire Eccleſiæ doctrinam, & anteferre opiniones Ethnicas,natas in humana ratione, & palam hoſtis factus eſt Chriſti.

Poſtea ingenij vanitate,dedidit ſe & Magicis artibus & ex Magorū præceptis,mactauit humanas hoſtias, diuinationū cauſſa. Ac ſolus Imperio potitus, edidit edicta contra Chriſtianos,& rurſus iuſſit aperiri Templa idolorum, & eis ſacrificari,& in numiſmate Symbolum fecit: Iouem diadema ipſi imponentem, Palladem circundantem ipſi chlamydem,Mercurium tribuētem ipſi ſceptrum. Reditus Eccleſiis eripuit,ne poſſent ali docentes,& diſcentes,& virulentos iocos addidit: Se facere expeditiores ad regnum cœleſte,ſpoliatos facultatibus, quia in ipſorum libris ſcriptum ſit: Beati pauperes, quia eorum eſt regnum cœlorum.

Vetuit Chriſtianis tribui honores militiæ. Prohibuit Chriſtianorũ filios admitti in ſcholas rhetoricas, dicens: οἰκείοις πτεροῖς βαλλόμεθα propriis pennis ferimur. Scripſit & ipſe libros contra Eccleſiæ doctrinam, in quibus præcipuè exagitat prohibitiones vindictæ. Ait tolli Magiſtratus, iudicia, pœnas, legitima bella, cõfirmari latrocinia in infinitũ. Denique pugnare eam doctrinam, cum ſenſu communi, & tollere neruos humanæ ſocietatis.

Refutarunt has calumnias Naziãzenus, & Cyrillus, qui tamen & ipſi frigide reſpondent. Diſtinguunt conſilia, & præcepta: cùm reſponſio vera, firma, & luculenta hæc ſit, Euangelio maximè confirmari, & muniri politicum ordinem: Nec prohiberi vindictam ordinatam, quæ ad officiũ Magiſtratus pertinet, ſed inordinatam, quam priuati exercent, ſicut hæc diſtinctio, Dei beneficio, in noſtris Eccleſiis perſpicuè illuſtrata eſt.

Iudæos etiam hortatus eſt, odio Chriſtianorum, vt ſuã politiam inſtaurarent, & eis defenſionem, & immunitatẽ promiſit. Conuenit igitur ingens multitudo Iudæorum, & magna ſpe, collatis ſumptibus, & opibus, Templum ædificare cœpit: ſed cùm fundamenta iacerent, magno terræmotu dehiſcente terra, inter fulmina totum opus diſiectũ eſt, & multa millia Iudæorum ruinis oppreſſa ſunt. Ita didicerunt Iudæi, ſe fruſtra niti, contra Dei decretum. Inter ædificandum, ſigna crucis in veſtitu, & in panibus, paſſim Iudæi facta ſunt, ac ſimilia exercitui Iuliani facta ſunt, ante annum, accedenti ad Byzantium, initio Imperij.

Cæterum & priuatim, propter Chriſtianam profeſſionẽ, aliquot interfecit, multis honores ademit, vt Iouiniano, Valentiniano, & Valenti. Cùm ſcripta legiſſet, in quibus doctrina Chriſtiana defenderetur, reddidit ea, cum hac breui inſcriptione, ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων.

Viciſſim autem & noſtri, ſcripta contra eum ediderunt. Et extant Nazianzeni duæ orationes, in quarum altera, & geſtuum ipſius deſcriptio eſt, memoria digna, quæ ſignificat ex geſtibus, coniecturam de ingeniis, & voluptatibus fieri. Verba hæc ſunt. Fecit me vatem, geſtuum ipſius deformitas, & ingens admiratio, ſiquidem optimus Vates eſt, qui ex coniecturis, optimè ratiocinatur. Nequaquam verò mihi hæc boni hominis ſigna eſſe videbantur: Colli crebræ cõuerſiones, humeri alternis ſubſultantes, oculi torui, vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes inſtabiles, crebræ geniculationes, naſus contumeliam, &

con-

contemtum ſpirans, figura vultus deriſionem ſignificans, quoquomodo variabatur. Riſus crebri, altum crepantes, nutus, renutus ſine ſermone, ſermo interruptus, non complens ſententiam, interrogationes crebræ, confuſaneæ, & ſtultæ, reſponſiones inconcinnæ, coaceruatæ, inter ſe diſſidentes, & ſine ordine. Quis ſingula deſcribat? Talem vidi, ante facta, qualem eſſe, poſtea facta ipſa oſtenderunt. Et ſi adeſſent, qui tunc mecum fuerunt, & eadem viderunt, teſtes eſſent huius meæ narrationis: qui meminerunt etiam, me edidiſſe hanc vocem: Quantam peſtem Romana Monarchia tulit.

Fuit autem Athanaſij vaticinium verum, qui, cùm Eccleſiæ paſsim, in magno dolore, & metu eſſent, dixit, hunc Tyrannum, Nubeculam eſſe, citò tranſituram. Congruit enim exitus eius cum Pſal. 55. Viri ſanguinum & doloſi, nō attingent dimidium dierum ſuorum. Cumulauerat ſcelera, cultum idolorum, blaſphemias, magiam, ſęuitiam erga Chriſtianos, ſeditionem contra Imperatorem.

Quanquam igitur antea, cùm Cæſar eſſet, feliciter repreſſerit Alemanos, & Francos: tamen ſolus Imperio potitus, citò periit. Nam bellum gerēs cum Perſis, in prælio vulnus in hepate accepit à milite, qui, quis fuerit, neſcitur. Relatus in caſtra ſanguinem, caua manu excipiens, ſurſum ſparſit, clamans: Viciſti tandem Galilæe. Hac voce emiſſa, qua fatetur impiam ſuam voluntatem, & oſtendit ingentem fremitum, & ſenſum pœnarum, extinctus eſt, anno ętatis ſuæ, ſecundo, & triceſimo.

Narrant Didymum Alexandrinum, in ſomnio vidiſſe cādidos equos, & in his, equites dicere: Narrate Didymo, hac hora Iulianum interfectum eſſe.

Iam lector integram Iuliani hiſtoriam intueatur, quæ, exiguo tempore, inſignes mutationes habuit. Decennio, cùm collega eſſet Conſtantij, in bellis legitimis aduerſus Alemanos & Francos, fuit felix. Poſtea mouit ſeditionem, & occupauit Conſtantij prouinciam. Oſtendit ſe hoſtem eſſe Chriſti, ſæuitiam exercuit in Chriſtianos, gladio, ſtylo, & variis technis, bonorum & facultatum ereptione, & incitatis Iudæis. Palam etiam exercuit magicas artes. Hęc ſcelera triſtis exitus citò ſequutus eſt.

DE TEMPLO DELPHICO.

VTiliſsimum eſt autem, in hiſtoria Iuliani, hoc conſiderare, quod Deus, duobus illuſtribus miraculis

oſtendit, eodem tempore, ſuam iram, aduerſus Iudæos, & Ethnicos. Dixi antea, quid acciderit Iudęis, cum Ieroſolymæ, concedente Iuliano, rurſus condere Templum cœpiſſent. Terræmotu diſiectæ ſunt moles, & abſorpti multi homines, & pars operum, & machinarum, & homines fulminibus accenſi, perierunt.

Eodem tempore, in alia orbis terrarum parte, Delphicum Templum, quod Ethnicis præcipuum fuit, diuinitùs, non hominũ manibus, deletum eſt terręmotu, & fulminibus: cùm Iulianus Legatos miſiſſet, interrogaturus de euentu belli Perſici. Sæpè antea direptum, & aliquoties deletũ eſt Delphicum Templum, ſed rurſus extructum, & ornatum. At, poſt hanc euerſionem, diuinitùs factam, Iuliani tempore, nunquam deinde inſtauratum eſt.

Primi narrantur Phlegiæ, qui fuerũt in Theſſalia Iapithæ, cõbuſſiſſe Delphicum Templum. Deinde partes aliquas, Xerxis milites. Poſt hũc, Phocenſes ipſi: deinde Brẽni exercitus accendit. Toties & inſtaurationes factę ſunt. At, poſt Iulianum, nulla facta eſt inſtauratio.

Horũ duorũ Templorum, Iudaici, & Delphici euerſio diuinitùs facta, eodem tempore inſolentiam Iudæorum: & Ethnicorum valdè repreſsit, & pios confirmauit. Hæc miracula, in Iuliani hiſtoria, conſiderare, valdè prodeſt.

Anno mundi, quater milleſimo, trecenteſimo, viceſimo nono.

Anno vrbis Romæ, milleſimo, centeſimo, decimo ſeptimo.

Anno Chriſti, trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

IOVINIANVS.

IOuinianus, militum ſuffragiis, factus eſt Imperator. Vixit in Imperio ſeptem menſes. Notus enim fuit militibus, & quia ductor fuerat ordinis domeſticorum, & quia pater Varronianus clarus fuit, qui fuit Pannonicus, comes ordinum agri Singidunenſis, qui non procul abeſt ab Vlpia Traiana, quæ nunc Corona nominatur. Initiò profeſſus eſt ſe Chriſtianum eſſe, & amplecti Nicenã Synodum. Pacem fecit cum Perſis, reddita ipſis Meſopotamia. Quia, cùm ſciret Imperium à Iuliano turbatum eſse, redire in Aſiam cogitabat, vt tranquillitatem Eccleſiis & multis gẽtibus reſtitueret. Iuſſit reuocari exules, qui pulſi erant propter veram profeſsionem. Monſtrauit Eccleſiis reſtitui partem redituum, quos eis Iulianus ademerat, ac teſtatus eſt, propter famẽ, nunc veteres reditus integros non poſſe reſtitui.

reſtitui. Iuſsit rurſus claudi idolorum templa.

Cùm autem Antiochiæ aliquandiu moraretur, multis prodigiis, ſequentia mala ſignificata ſunt. Cometa interdiu conſpectus eſt. Conflagrauit locupletiſsima bibliotheca Antiochena. Breui poſt Iouinianus, cùm ad Bithyniam acceſsiſſet, mortuus eſt morbo, qui ex intemperantia ortus eſſe exiſtimabatur.

Anno mundi, quater milleſimo, trecenteſimo triceſimo.
Anno Romę, milleſimo, centeſimo, decimo octauo.
Anno Chriſti, trecenteſimo, ſexageſimo octauo.

VALENTINIANVS PRIMVS.

VAlentinianus, Imperàtor militum conſenſu factus eſt, cùm iterum Tribunus militum, à Iouiniano factus eſſet. Nam ſub Iuliano dimiſſus erat, eò quod ſacrificulum pugno percuſſerat, aſperſus luſtrali aqua, in ianua templi, vbi idolo Iulianus ſacrificabat. Tenuit imperium annos vndecim. Natus fuit in Pannonia, in oppido Bibalis in ripa Saui, quod non procul fuit à Tauro, quod eſt Belgradum.

Poſt triginta dies, accerſiuit inde Valentē fratrem, eúmque conſortem Imperij fecit, & Auguſtum nuncupauit: aliquantò poſt & Gratianum filium Valentinianus Imperij conſortem fecit, & Auguſtum nominauit. Fuit autem infelix fratrum diſsimilitudo. Sunt, initio Imperij, ingenti terræmotu, ſignificata mala, quæ ex impietate, & ſæuitia Valentis orta ſunt. Magnis ſpatiis, & horrēdis hiatibus mare terras reliquit. Commendauit autem Valenti Orientem frater. Ipſe audita fama nouorum bellorum, quæ Alemani, & Saxones mouerant, properauit in Galliam. Dux enim Alemanorum Brando, Moguntiam ceperat, & inde magnam Chriſtianorum multitudinem, viros & mulieres abduxerat. Aliquot magnis præliis, Valentinianus Alemanos repreſsit. Ad Nicrum etiam condidit arces. Deinde infra Coloniam Agrippinam in Tungris repreſsit Saxones.

In vrbe Conſtantinopoli Valentinianus, æneum modium collocauit, ne menſuræ diminui poſsent, & quibuſdam, qui diminuerant, præcidit manus, quas ibi ſuſpendit. Hæc Suidas.

SAXONES.

PRIMVM autem hic, in bellis Imperatorum, fit mentio Saxonum, cum quibus & poſtea, tanto cum peri-

culo, dimicatum eſt, vt Sidonius Apollinaris Epiſcopus Arelatenſis ſcribat: Nullus hoſtis hoſte Saxone truculentior eſt, nec robore tantùm & audacia, ſed etiam cōſilio, & arte vincit. Ac limites veteris Saxoniæ fuerunt ad Occaſum, Amaſis, ad Ortum Albis, ad Meridiem Boiemi, & Franci, ad Septentrionem Cimbrica Cherſoneſus, & in vicino littore Heneti.

Vt autem, ex Oriente, cæteras vicinas gentes progreſſas eſſe, veriſimile eſt, Getas, Daos, Cimmerios, Germanicos, Syeuos: ita & horum vicinos Sacas, ex Aſia progreſſos eſſe, exiſtimo, & inde originem, & nomen eſſe Saxonum. Alij nomen Saxones faciunt ab Aſcanes, ſed ſonus proprior eſt vocabulo Sacę, & fuiſſe Sacas inter pręcipuas gentes Perſici regni, ex Cteſia, Herodoto, & Xenophonte apparet.

Nomen Aſcanes ſignificat cuſtodem ignis, nomen Saca æquale eſt, quaſi dicas, iuſti, & liberi, vel vates. Dū autem Valentinianus reprimit Alemanos, & Saxones, interea Theodoſius Magiſter equitum, qui poſtea factus eſt Imperator, bellū gerit in Rhetia, inde mittitur ad pacandam Africam, cōtra Firmum. Redit inde Valentinianus in Pannoniā, commendata Gallia, & vicinis prouinciis, filio Gratiano. Intulerant enim Quadi bellum vicinis Pannoniis, ſed territi aduentu Valentiniani, pacem petunt. Ibi, cùm in excuſatione, quædā falsò dixiſsent, iratus Valentinianus, magna vocis contentione, eos obiurgauit. Eam commotionem ſubita febris ſecuta eſt, qua, intra paucos dies, extinctus eſt, anno ætatis, quinquageſimo quinto, cùm tenuiſſet Imperiū annos quindecim, menſes octo, & dies viginti. Defendit Eccleſiæ pacem, amplexus Symbolum Nicenum. Fratri Valenti ſæpè hortator fuit, vt & veritatem amplecteretur, & ne ſæuitiam in rectè ſentiētes exerceret.

Valētinianus duas vxores habuit, Seuerā, & Iuſtinam. Ex Seuera natus eſt Gratianus, qui Imperator factus, poſtea Theodoſium & Valentinianū ſecundum ſibi collegas adiunxit. Interfectus eſt autem Gratianus à Præſide Galliæ, Maximo, qui deinde, apud Aquileiam, à militibus ſuis vinctus, Theodoſio traditus eſt, qui eum occidit.

Ex Iuſtina nati ſunt Valētinianus ſecundus, Iuſta, Grata, & Galla, quam poſtea duxit Theodoſius. Poſtquam autem Valentinianus ſecundus, à Gratiano fratre, conſors Imperij factus eſt, cùm in vrbe Galliæ, Vienna, non cauet inſidias, ab Arbogaſto interficitur. Hi triſtes exitus fuerūt filiorum Imperatoris, qui iuſtitiæ cultor fuit.

Redeo

Redeo autem ad Valentem, qui ſuperſtes fuit fratri, circiter triennium, cùm antea ſimul cum fratre tenuiſſet Imperium; annos ferè vndecim, indoctus, & crudelis, amplexus Arianam impietatem, fratre eum dehortante. Orthodoxos Epiſcopos in exilia miſit. Initiò bellum geſsit cum Procopio, Iuliani cognato, qui rapere Imperium conatus eſt. Hunc acie victum, milites tradiderunt Valenti, qui eum occidi iuſsit. Deinde repreſſurus Perſas, duxit exercitum ad Antiochiam. Eo tempore, multa fecit crudeliter contra orthodoxos. Reuocatus autem in Thraciam, quia Gotti vrbem Conſtantinopolim oppugnabant, in quorum exercitu nominatur dux Fridigernus, nominantur & Thuringi: reprimere Gottos cœpit: ſed cùm ad Adrianopolim præliaretur cum eis, vulnere accepto, decidit ex equo, & in proximum tugurium ductus eſt, quod, cùm ſequentes hoſtes incendiſſent, ipſe quoque flamma conſumptus eſt. Ita pœnas dedit iniuſtæ ſæuitiæ, quam aduerſus orthodoxos exercuerat: & quidem proficiſcenti ad prælium, prædixit vir ſanctus, igni periturum eſſe.

Anno mundi, quater milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo quarto.

Anno vrbis Romæ, milleſimo centeſimo, triceſimo ſecundo.

Anno Chriſti, trecenteſimo octogeſimo ſecundo.

GRATIANVS.

MORTVO Valente, Gratianus, Valentiniani primi filius, natus ex Seuera, in vrbe Syrmio: & Valentinianus ſecundus, Gratiani frater, natus ex Iuſtina ſucceſſerunt. Fecit autem Gratianus conſortem Imperij Theodoſium, cum quo annos quatuor regnauit, cùm antea cum patre annos octo, cum patruo tres, regnaſſet. Fuit eruditus. Scripſit carmen eleganter, & oratoribus ætatis ſuæ præcipuis annumeratus eſt. Extat eius epiſtola ad Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum ſcripta, in qua profitetur ſe amplecti Symbolum Nicenum, & in fine addit epiphonema. Agnoſcere ſe, hanc ſuam confeſſionem, non ſplendidè ſcriptam eſſe, vt magnitudo rei poſcit, ſed dicere ſe de Deo, quantum in hac infirmitate humana, iuxta ſcripta Prophetica, & Apoſtolica poſſit, non tantum, quantum de magnitudine rerum diuinarum, ſe dicere poſſe oportet.

Mortuo Valente, reuocauit exulantes Epiſcopos orthodoxos, & eiecit ex Eccleſiis Hæreticos, & Symboli Nice-

ni profeſsionem omnes Eccelias, communi conſenſu, amplecti iuſsit.

Viuo Valente, poſt mortem Patris, ad Argentoratum, Alemanorum triginta millia trucidauit. In eo prælio, ſocios habuit Francos, vt ſcribit Marcellinus, & addit, poſt eam victoriam, vicinas prouincias aliquandiu tranquillas fuiſse. Quare Gratianus Pannoniam adit, vt Valenti contra Gottos opitularetur. Sed Valens non expectato eo, dimicans periit.

Cùm igitur Gratianus fortem, fidelem, & peritum collegam quæreret, adiunxit ſibi Theodoſium. Hic Gottos in Thracia repreſſit. Ipſe Gratianus in Galliam rediit, vbi omiſſa cura gubernationis deditus venationi, & ludis, & Alanos milites domeſticis anteferens, in odium venit, & Lugduni à Maximo, Galliæ Præſide, interfectus eſt anno ætatis viceſimo nono.

Interea Valentinianus, Mediolani fuit adoleſcens, vbi Iuſtina eius mater, fauens Arianis, Ambroſium Epiſcopũ, pellere conata eſt, & miſſis Gotticis ſatellitibus, vi iuſſit eum ex templo eiici. Hi, cùm irrupiſſent ad eum armati, affirmat Ambroſius, ſe non diſceſſurum eſſe à ſuo grege, ſed, ſi velint eum interficere, in templo ſe expectare omnes caſus. Ipſe ſcribit de Gottis hæc verba: Olim plauſtra eis domus erant, nunc templa pro plauſtris habent. Vociferantur omnia Imperatoris eſſe, ſed Deus affirmat, ſuas domos eſſe templa, in quibus ſonat vera doctrina: Domus mea domus orationis vocabitur. Citat & hoc: Date Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.

Cùm autem Valentinianus Maximum fugiens, auxiliũ à Theodoſio peteret: reſcripſit ei Theodoſius, puniri eius impietatem, ſe ipſi non defuturum eſse, ſi veram ſententiam amplecteretur. Occurrit igitur Maximo, venienti Aquileiam, Theodoſius, vbi cùm prælio ſuperatum Maximum, ſui milites Theodoſio tradidiſſent, iuſſit eum Theodoſius interfici, quia & Gratianum occiderat, & poſtea, miſſo ad eum Ambroſio, Moguntiam, cedere de Imperio noluerat. Scribunt & Epiſcopum Martianum, cùm ei familiaris eſſet, dehortatorem fuiſſe belli aduerſus Theodoſium mouendi.

Ambragatius Dux Maximi, ſeſe in mare præcipitauit. Pacata Italia, & vicinis prouinciis, Theodoſius Romã acceſſit, vbi & templa idolorum claudi curauit, & multa turpia exempla ſuſtulit. Valentinianus verò in Galliam diſ-

diſceſsit,quam, poſt Maximi interitum,rexit annos circiter quinque. Erant autem apud eum Eugenius ſcriba, & Dux exercituum Arbogaſtus vir Gotticus , qui Francos repreſſerat. Per hos duos, Eugenium & Arbogaſtum,corrupti cubicularij , Valentinianum,in vrbe Galliæ Vienna, laqueo ſtrangulant. Eugenius,qui ſe Imperatorem nominauerat, poſtea captus , non procul à Mediolano, proſtratus ad pedes Theodoſij,à militibus trucidatus eſt. Arbogaſtus ſibi manu ſua mortem conſciuit. Ita ſeditioſi, & parricidę pœnas dederunt.

Anno mundi,quater milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo quinto.

Anno Romæ,milleſimo,centeſimo,triceſimo tertio.

Anno Chriſti,trecenteſimo,octogeſimo tertio.

THEODOSIVS.

THEODOSIVS patre Honorio, matre Termantia , Hiſpanus genere,natus in familia nobili, cuius origo ad Traianum refertur , haud dubiè literarum & veræ pietatis cultor , iuſtitia , & fortitudine excellens ; poſtremus Romanum Imperium in Occidente, & Oriente tenuit integrum. Nam ſub filio Honorio, Franci in Galliam progreſſi ſunt,& mox Waramundus , regio nomine in Gallia regnare cœpit , & Roma capta eſt ab Alarico rege Gottorum.

Tenuit autem Imperium Theodoſius,annos decem,& ſeptem,quibus comprehenduntur anni duodecim,quibus Gratiani,& Valentiniani ſecundi collega fuit. Cùm Magiſter equitum eſſet, ſub Valētiniano primo,pacauit Rhetiam , & Africam. Deinde poſt mortem Valentis , factus Gratiani collega, multis prælijs vicit Gottos,donec Athalaricus rex Gotthorum , qui Fridigerno ſucceſſerat, pacem petiuit,inuitatus Conſtantinopolin,vbi cùm ordinem gubernationis,Senatorum & Ducum, & Principis pietatem, iuſtitiam & modeſtiam conſideraſſet, dixit, ſe agnoſcere,à Deo hoc Imperium ordinatum eſſe , nec fore felices eos, qui euertere conentur.

Poſtquā verò Maximus Galliæ præſes, Gratiano interfecto,& Gallia occupata,in Italiam tranſiit,& multos crudeliter interfecit , neceſſe fuit eum parricidæ occurrere. Hunc cùm viciſſet , & interfici iuſſiſſet , Romam profectus , multa ibi emendauit, ac Valentinianum ſecundum in Galliam miſit,ipſe Conſtantinopolim rediit, vt diſcordias in eccleſia tolleret , & eò conuocauit Epiſcopos , ex

multis prouinciis, ac monitus à Nectario Epiſcopo, iuſſit ſcripta veterum patrum proferri, qui, ante diſſidia, vetuſtę, & purioris antiquitatis teſtimonia ediderant. Quia verba Prophetica, & Apoſtolica, prauis interpretationibus Hæretici eludebant. Hæc Synodus ſua decreta Romam ad Damaſum Romanum Epiſcopum miſit, cuius nomine, extant aſſeuerationes de multis quæſtionibus: quas poſtea recitabo. Interea Theodoſius, non ſolùm claudi idolorum templa in multis locis iubet, ſed etiam prorſus deſtrui. Et ſacrificia Ethnica, & Orgia Bacchi, quæ tempore Valentis adhuc durauerant prorſus aboleuit. Ita pacis tempore Eccleſias, honeſtas leges, & iudicia reſtituit. Hoc exemplo commonefacti pij Principes, ſciant, ſe debere idola, blaſphemias, & impios cultus abolere.

Hęc, dum in pace vtiliter agit, in Oriente; nouũ, & terribile bellũ, in altera orbis parte, mouetur. Interfecto Valẽtiniano, Eugenius, & Arbogaſtus adducunt ingentẽ exercitum ad Alpes, vt Italiam occupent, & oſtẽdit Eugenius, ſe Iuliani exemplo inſtauraturũ eſſe Ethnica ſacra. In vexillis Herculem pingit. Iam Theodoſio, non ſolùm de Imperio aduerſus ſeditioſos, & parricidas dimicandum erat, ſed etiã Chriſtiani defendendi erãt. Redit igitur ex Thracia in Italiam, & exercitum adducit, cui decẽ millia Gottorum adiunxerat. In vexillis pingi literas curat ΧΡΣ ſignificantes nomen Chriſti. Sic & aureos cudi iuſſit, in quibus tenet vexillum, in quo erant hæ literæ, ΧΡΣ. Videbat autem Theodoſius, difficilem, & periculoſam pugnam fore, quia magna multitudo, & magnum robur fuit Gallici exercitus, & prælium in anguſtiis Alpium, Duces diſſuadebant. Sed ipſe, cum noctem in precatione conſumſiſſet, eíque in ſomno ſpecies oblata eſſet, quæ fuerat hortata eum ad præliandum, ducit exercitum intra fauces Alpium, & acerrimo prælio vincit hoſtem, cùm quidem & diuinitus adiuuaretur magnis ventorum flatibus, qui cõtrarij erant hoſtibus. Quare & Claudianus ſcripſit:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Eugenius adductus eſt ad Theodoſium, cúmque proſtratus ad pedes eius, veniam peteret, à militibus aſtantibus capite truncatus eſt. Arbogaſtus in fuga, ne retractus in conſpectu victoris pœnas daret, ipſe ſibi manu ſua mortem conſciuit.

Pacato rurſus Imperio in Oriẽte, & in Occidẽte, Theodoſius

doſius Mediolani manſit,& Stiliconem Ducem,natum in gente Heneta, ad reſtituendam pacem in Gallia, & Germania miſit, quia ſeditioſis, Eugenio,& Arbogaſto,coniunctæ fuerant. Eo tempore,Stilico has regiones vicinas Albi,& Harciniæ peruagatus eſt, vt ex Claudiano intelligi poteſt,qui inquit:

Germanis reſponſa dabat,legéſque Caycis
Arduus,& flauis ſignabat iura Sueuis. Item:
non indignante Cayco
Paſcat Belga greges.

Et quidem dicit,non armis, ſed opinione iuſtitiæ, motas has gentes,quieuiſſe.

Nec fama feſellit
Iuſtitia,videre pium,videre fidelem.
Quem veniens timuit,rediens Germanus amauit.
Ante tubam nobis audax Germania ſeruit.

Inuenio & tunc, Saxonicos, & Thuringicos exercitus, collocatos eſſe ad defenſionem limitis Imperij,contra Sarmatas,ſiue ad Viadrum,ſiue ad Viſtulam.

Recitatis bellis Theodoſij,quæ & iuſta,& Eccleſiæ neceſſaria fuerunt, vita domeſtica, & acta in pace, conſiderentur. Natus ex Chriſtianis parentibus in Hiſpania rectè didicit Eccleſiæ doctrinam, amplexus eſt Symbolum Nicenum,& nullius Hæreſeos contagio infectus fuit. Cōiugem habuit priorem, Placillam, ex qua nati ſunt Arcadius,& Honorius. Huius matronę caſtitas,pietas,ac beneficentia erga pauperes,valdè prædicatur. Hac mortua,duxit filiam Valentiniani primi, Gallam,ex qua nata eſt Placidia Galla, quæ poſtea nupſit Conſtantio. Baptiſmum accepturus Theſſalonicæ, vbi ægrotauerat, poſt prælia Gottica,interrogauit Epiſcopum de doctrina,ne ab Heretico Epiſcopo baptiſmum acciperet. Is, cùm confeſſionem ſuam,& ſuæ Eccleſię expoſuiſſet,& oſtendiſſet ſe amplecti Symbolum Nicenum,Theodoſium baptizauit. Hæc circumſpectio pietatem eius oſtendit, quam declarant & acta ipſius in Synodis,& euerſione idolorum.

Exemplum eſt pœnitentiæ, & reuerentiæ erga Eccleſiam, quod ab Ambroſio excluſus ex templo, & lamentis oſtendit pœnitentiam, & octo menſibus non rediit in tēplum, donec acciperet ſententiam abſolutionis ab Ambroſio. Fuit autem hæc cauſſa, cur ab Eccleſia arceretur. Victo Maximo, cùm Mediolani eſſet Theodoſius,per ſeditionem multitudinis, in vrbe Theſſalonica, interfecti

ſunt Vdericus præfectus, & multi nobiles viri. Iratus igitur Imperator, eò cohortes aliquot miſit, quę ſeptem millia hominum interfecerunt. Ambroſius iniuſtam crudelitatem eſſe ſentiens, quod, non inquiſitis ſontibus, promiſcua cæde ſæuitum eſſet in turbam innocentem, & ſontes, iubet Theodoſium agnoſcere delictum.

Etſi autem ſeueritas Ambroſij pia fuit, tamē cauſſa conſideretur indignationis Theodoſij. Non fuit cauſſa euerſio ſtatuę Imperatoris, aut coniugis, aut petulantia conuitiorum, vt aliqui narrant. Talia errata atrociter punire Tyrānicum eſt. Nec id ſolùm mouit Theodoſium, quod Pręfectum, & multos viros nobiles, multitudo iniuſtè trucidauerat, etſi hic dolor mouere Principem non leniter debet: ſed alia fuit, in Principe caſto, maior cauſa dolorum. Rapuerat auriga, gubernator ludorum Circenſium, adoleſcentem ad ſtuprum: hunc aurigam, Præfectus, vir honeſtus, incluſerat carceri. Quia verò populus, huius aurigæ induſtria delectabatur, poſcit, vt impunitus dimittatur: quod, cùm denegaret Pręfectus, per ſeditionē occiſus eſt:

Tria igitur magna ſcelera concurrunt: Quod noluerūt puniri tantùm ſcelus aurigæ: quod ſeditionem in cauſſa turpiſſima mouerunt: quod Præfectum, & alios viros nobiles trucidauerunt. Propter has tantas cauſſas, cùm Princeps, iuſto dolore, exarſerit, non exiſtimetur deliquiſſe, more Tyrannorum, qui, propter nullas, aut leues cauſſas, magnam ſæuitiam exercent, etſi exceſſit modum. Sed, in magnis viris, Nemeſis valdè inflāmatur. Hanc excuſationem Theodoſij addidi, quia multi de cauſa errant.

Cùm autem inſtaret feſtus dies, menſe Decembri, quo publicè celebratur recordatio natiuitatis Chriſti, ex virgine, acceſſit Theodoſius ad templum, & reuerenter petiuit abſolutionem, quam pronunciauit ei Ambroſius. Addidit autem commonefactionē, vt ferret lęgē, vt poſt reſcripta Imperatoris, differantur ſupplicia capitalia, dies triginta, ne rei, iniuſta ira, rebus non ſatis inquiſitis, interficerētur. Sumtum eſt autem exemplum ex Attica conſuetudine.

Vt autem maximè prodeſt diſcernere, bonos Principes à malis, vt Dei opera, & virtutum exempla conſiderentur: ita non eſt inutile conferre bonos. Conſtantinus bella maiora geſſit, & terribilior fuit. Sed Theodoſius etiam, magnis rebus geſtis, in toto Imperio pacem fecit, Eccleſias protexit, & diſſidia ſuſtulit, conuocata pia Synodo, fuitq; in coniugiis felicior. Vterque veritatis eò fuit ſtudioſior,

quia

quia literas norunt, & fontes doctrinæ melius cognoſcere potuerunt, quàm indocti. Vtrumque Deus protexit, ne à Tyrannis vincerentur. Quia ambo Deum rectè coluerunt, & Eccleſiis benefecerunt. Congruit exitus ad dictum: Plãtati in domo Domini, etiam in ſenecta florebunt.

Mortuus eſt autem Theodoſius Mediolani, anno ętatis, ſexageſimo quinto, die Septembris decimo ſeptimo, anno Imperij decimo ſeptimo. Corpus Conſtantinopoli ſepultum eſt. Extat laudatio Theodoſij apud Ambroſium, qui inquit: Dilexi virum, qui, cum corpore ſolueretur, magis de Eccleſiarum ſtatu, quàm de ſuis periculis, angebatur.

Poſt eum, Imperium in Pannonia, Italia, & Hiſpania à Gottis, & Vandalis, deinde ab Hũnis dilaceratum eſt. Galliam verò, partim Franci, partim Burgundi occuparunt. Prius autẽ, quàm de ſucceſſoribus dicam, aſpiciamus Eccleſiam, qualis fuerit, poſt mortem Conſtantini, ſub Conſtantio, Iuliano, Iouiniano, Valentiniano primo, Valente, Gratiano, & Theodoſio.

In Oriente, quia Conſtantinus, deceptus blanditiis ſororis, reuocauerat Arium, in Eccleſiis paſsim rurſus excitatum eſt incendiũ Arianæ impietatis, & crebris Synodis diſſidia aucta ſunt. Hęc mala, cùm Imperator Cõſtans, qui Occidentem tenebat, reprimere conaretur, perfecit, vt Synodus pia conueniret in vrbe Sardica, anno poſt Nicenam Synodum, viceſimo. Etſi autem Sardiẽſis Synodus pia decreta fecit, & Occidenti profuit: tamen Conſtantius, cùm non ſolùm, propter adoleſcentiam, leuis eſſet, ſed etiam naturâ futilis, & domi ab aſſentatoribus regeretur, fauit Arianis, & permiſit, vt latè ſpargerent errorem.

Fuerúntque, poſt mortem Conſtantij, aliæ Synodi contrariæ Sardicenſi: Prima Syrmienſis, anno, poſt Sardicenſem. Mox ſequuta eſt Ariminẽſis, vbi cothurnus factus in Syrmio, profertur, vt videlicet pro ὁμοούσιος in Symbolo, legeretur ὅμοιος. Diſcedentibus igitur piis ex Arimino, cùm Imperator faueret impiis, audacia in Oriente creuit: & impia Synodus, futilitate Imperatoris, in vrbem Iſauriæ, Seleuciam conuocata eſt.

Biennio, poſt Synodum Seleucianam, rurſus frequens Synodus impiorum cõuenit Antiochiæ, quò Conſtantius, propter bellum Perſicum, exercitus duxerat, vbi, vt fit inter malos, diſſidia creuerunt. Natum eſt ibi tetrum ſophiſma de quo ſupra diximus: Pater eſt ἀσεβὴς, Filius eſt εὐσεβής. Ergo eſt inæqualitas.

Mota eſt contentio de Spiritu ſancto: An ſit ὑφιστάμενον, de qua controuerſia poſtea dicam, regnante Theodoſio, in Synodo Conſtantinopolitana, & in Damaſi decretis, vera doctrina reſtituta eſt.

Ex Antiochena Synodo, Cōſtātius rediturus in Europam, aduerſus Iulianum, in itinere mortuus eſt, cùm Eccleſias dilaceraſſet multis impiis Synodis.

Sequuta eſt maior calamitas, ſub ſucceſſore Iuliano Apoſtata, anno Chriſti trecenteſimo, ſexageſimo ſexto. Ad priora diſſidia, acceſſerunt multa mala: Iulianus ipſe palam defecit ad Ethnicos. & Eccleſiis reditus ademit, & in multos Chriſtianos ſęuitiam exercuit. Publica etiam Ethnicorum ſacrificia reſtituit, & multi, exemplo Principis, à vera Eccleſia defecerunt, vt dicitur:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Poſt biennium, extincto Iuliano, lenitæ ſunt hę calamitates. Iouinianus enim Symbolum Nicenum amplecti ſe, profeſſus eſt, & Eccleſiis pios Paſtores, & redituum partem reſtituit. Sub Valentiniano etiam, mediocris tranquillitas fuit Eccleſiarum Occidentis. Sed Valens in Oriente confirmauit Arianorum impietatem, & multos pios Epiſcopos ex Eccleſiis expulit. In his triſtiſſimis ſpectaculis, dubitet aliquis, an, & vbi fuerit vera Eccleſia, cùm tantum eſſet diſsidiorum, & furorum in maxima parte generis humani. Etſi autem vera Eccleſia exigua fuit, & oppreſſa Conſtantij, Iuliani, & Valentis tyrannide: tamen Deus ſeruauit reliquias. Romæ erant duo Epiſcopi: alter præerat piis, alter Arianis. Erant & duo Conſtantinopoli: Nazianzenus rectè docebat: ſed regium templum tenebat Demophilus, Arianus. Baſilius Cæſareæ propugnator fuit veræ doctrinę, Ambroſius Mediolani, Hilarius in Gallia, & quidem in Occidēte minus cōtagiorū fuit, quàm in Oriente.

Non igitur cogitemus, nullam eſſe Dei Eccleſiam, cùm horribiles generis humani cōfuſiones intuemur, ſed firma aſſenſione teneamus articulum: Credo eſſe Eccleſiam catholicam. Et ſimul ſciamus hunc eſſe cœtū, qui fundamentum retinet, & nos in hūc cœtum includamus, & teſtimonia diuina aſpiciamus, quibus ſuam doctrinam Deus confirmauit. Deploremus etiam miſeriam generis humani, quod ſemper horrendæ confuſiones ſunt, fuerunt & erunt, quarum cauſſę notæ ſunt ex doctrina Eccleſiæ, & veris gemitibus petamus nos regi, & protegi.

Hæc admonitio in hiſtoriis ſæpè repetenda eſt, & con-

tra talia ſpectacula nos confirmemus. Dein de tales hiſtoriæ multa de Synodis monent. Vult Deus eſſe iudicia Eccleſiæ, vult conuenire pios, vt confeſſionem oſtendant, & falſa dogmata reiiciant, ſicut Actorum decimoquinto conueniunt Apoſtoli.

Multæ fuerunt piæ Synodi, vt anno Chriſti, ducenteſimo, ſeptuageſimo tertio, Antiochena, in qua ſenes multi conuenerunt, qui dixerunt teſtimonia contra Samoſatenum. Deinde anno Chriſti treceteſimo, viceſimo octauo Nicena, cōtra Arium, & Nouatianos. Anno trecenteſimo, quinquageſimo Sardicenſis, quæ Nicenam confirmauit. Anno trecenteſimo, octogeſimo quinto, Conſtantinopolitana, initio Theodoſij primi, in qua vera doctrina, de Filio, & Spiritu ſancto, illuſtrata eſt.

Interea verò multæ concurſationes impiæ fuerunt: in quibus magna frequentia fuit Epiſcoporum: vt, paulò ante mortē Conſtantini, Synodus Tyria fuit, anno Chriſti, trecenteſimo, quadrageſimo quinto, cōtraria Nicenę. Deinde Cōſtantij tēpore, anno Chriſti, trecenteſimo, quinquageſimo ſexto, Syrmienſis, cui interfuit Imperator, contraria Nicenæ. Anno trecenteſimo, ſexageſimo ſecundo, Ariminenſis. Anno trecenteſimo, ſexageſimo ſecundo, Seleucienſis. Anno trecenteſimo, ſexageſimo quinto, Antiochena, cui Cōſtātius Imperator interfuit, paulò ante mortē. Hæ tres etiam corruperunt Symbolum Nicenum. Sint igitur in conſpectu, etiam impiæ Synodi, vt refutari poſſint hi, qui vociferantur, Synodos non poſſe errare.

Cùm autem in Eccleſia oporteat eſſe iudicia, ſciamus, normam eſſe iudiciorum, ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola. Curandum eſt igitur, vt Synodi rectè regantur, nec diſcedant à norma, vt, aut multitudini, aut Tyrannis aſſententur: ſicut tunc, ſententiæ gratæ Conſtantio dicebantur: & regula tenenda eſt: δεῖ δικάζειν οὐ πλήθει ἀλλὰ ἐπιστήμῃ.

Fuit, Conſtantini tempore, & Gangrenſis Synodus, quę pia fuit. Eſt autem Gāgra, vrbs vicina Galatis, in ea parte, quam Heneti tenuerunt. Et ſcribunt veteres, lingua Henera, Gangram ſignificare capream, vt nunc quoque Heneti capream nominant. Ibi aduerſus Euſtathium quendam, & eius imitatores, decreta facta ſunt, qui certos cibos, & coniugia prohibebant, & nolebant accedere ad eas Eccleſias, vbi ſacerdotes erant mariti. Huius Synodi memoria retinenda eſt, vt & hoc vetus teſtimoniū, contra

ſuperſtitiones, de cibis, & prohibitione coniugij notum ſit.

Deinde, poſt Valentem, regnante Theodoſio, ex prioribus fluctibus aliquantulum emerſit Eccleſia. Hic enim Synodum conuenire iuſſit Conſtantinopoli, in qua, contrà Arianos, & contra Macedonium & Eunomium, & ſimiles, qui negabant Spiritum ſanctum eſſe ὑφιστάμενον, decreta facta ſunt.

Eodem tempore, & Damaſus Romæ Synodum conuocauit, & decreta facta ſunt, communi deliberatione piorũ, qui Conſtantinopoli, & Romæ erant, quæ recitantur à Theodoreto, libro quinto. Sunt quoque reuocati exules, pulſi ex Eccleſiis, tempore Valentis. Conſilium etiã Theodoſij, memoria dignum eſt, qui, cùm Hæretici eluderent teſtimonia Prophetica, & Apoſtolica, iuſſit proferri teſtimonia ex piis ſcriptoribus, qui, ante diſſidia illa fuerunt, & codices ex veteribus bibliothecis ſuo ſumptu, protulit, vt cõſenſu purioris antiquitatis, conuicti Hæretici, cederẽt. Idem ſi nunc fieret, mutuæ diſſenſiones rectè tolli poſſent. Etſi enim vociferãtur aduerſarij noſtri, ſe defendere veterem conſenſum, tamen oppugnant, re ipſa, ac ludunt, nomine conſenſus, cùm intelligũt tantùm recẽtium temporum conſuetudinem, pugnantem cũ antiquitate. Manifeſtum eſt enim, multa tetra deliria recepta eſſe, ignota vetuſtati. Etſi autem fides nititur verbo Dei, & norma iudicij eſse debent ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola: tamen vocem purioris Eccleſię docentis, & commonefacientis, audire pium eſt, iuxta dictum: Niſi araſsetis vitula mea, non inueniſsetis.

Conſideremus autem ętates Scriptorum, & fide dignos diſcernamus ab impuris. Ætas Theodoſij habuit laudatos ſcriptores: Baſilium, Ambroſium, Nazianzenum, Theodoretum. Extat & Hieronymi confeſſio ad Damaſum.

Vixit autem Hieronymus annos viginti, poſt Theodoſium, & mortuus eſt Bethlehem, anno ætatis, nonageſimo primo, anno Chriſti, quadringenteſimo viceſimo, die Martij vltimo.

Interfuiſse ſcribitur Synodo Treuirenſi, cum Martino Turonenſi, & Ambroſio, cùm aliquantò ante Damaſus eſſet mortuus.

Poſt Damaſum, Romanus Epiſcopus fuit Ciricius, qui Presbyteros cœlibes, cùm ducerent vxores, remouebat à Miniſterio: & Presbyteris maritis prohibuit conſuetudinem cõiugalẽ, & non obtemperãtes remouit à Miniſterio.

Extant

Extant verba eius,in libro decretorum,diſtinct.82.vbi cõtra coniugiũ,& declamatio cõtumelioſa, edicto inſeritur, & inſulse citatur dictum Pauli, Qui in carne ſunt,Deo placere non poſſunt.Hic cogitetur,quãtum ſcelus ſit,tali ſophiſtica ludere in Eccleſia.Certum eſt enim apud Paulum dici in carne eos eſſe,qui reguntur carne,non Spiritu ſancto,& amittentes fidem,& bonam conſcientiam, obtemperant cupiditatibus carnis vel non frænant cupiditates carnis,quæ pugnat cum lege Dei.

Poſt Ciricium decreta de cœlibatu,magis etiã exaſperata sũt.Nam & Gregorius iuſſit remoueri ab officio,Presbyteros maritos, qui oſtẽdebãt,ſe nolle abſtinere à cõſuetudine coniugum.Hæ diſtractiones præſentium cõiugiorum,& prohibitiones futurorum, per ſeſe, magna pccata fuerunt,& cauſſæ fuerunt multorum ſcelerum. Sed de ſequentibus decretis, ſuo loco dicetur. conſideranda enim ſunt tempora,vt oſtendi poſſit, leges de cœlibatu,poſt Apoſtolos,humana audacia,conditas eſſe.

Anno mundi,quater milleſimo,trecenteſimo, ſexageſimo ſecundo.
Anno Romæ,milleſimo,centeſimo,quinquageſimo.
Anno Chriſti,quadringenteſimo.

ARCADIVS.

MORTVO Theodoſio, ſucceſſerunt filij, Arcadius in Oriẽte,& Honorius in Occidẽte, quos viuus Theodoſius,conſortes Imperij fecerat,& Imperatores, & Auguſtos nominauerat:ſed, propter ætatem, adiunxit tutores præcipuos Duces, Arcadio Ruffinum, Honorio Stilliconem, Gildonem Africæ præeſſe voluit. Hos, cùm putaret fidos fore, quanquam ſapiens Princeps, tamen deceptus eſt.Impulit enim eos ad perfidiam,regni cupiditas: vt ille inquit:Si violandum eſt ius regnandi gratia violes,in aliis pium eſſe decet.

Ac primùs Ruffinus,natus in gente Gallica, attraxit Alaricum regem Gottorum, qui antea duxerat Gottica auxilia,ſub Theodoſio,gerente bellum aduerſus Eugenium. Terrebat enim,metu Gottici exercitus, Arcadium, & poſtulabat ſe fieri collegam Arcadij, & Imperatorem nominari,ſed,hoc petentem,ante tribunal,Italici milites trucidarunt.Hic exitus perfidiæ fuit Ruffini.

Poſt Ruffini mortem,&alius dux Gotticus,& Arianus, nomine Caianus, ſeditionem aduerſus Arcadium mouit,

in qua manifeſtis miraculis, Deus oſtendit, ſe vrbem Conſtantinopolin, & Arcadium protexiſſe. Anteceſſit autem hunc tumultum ingens cometa, qui flammas ad terram vſque ſparſit. Ac diſerte inquit Hiſtoricus: Neminem fuiſſe, qui talem cometam antea vidiſſet.

Primùm autem, cùm incendere regiam Arcadij, vrbe Cōſtātinopoli, Caianus, noctu conaretur, conſpectus eſt exercitus angelorum, qui depulit Caiani milites. conſtabat enim, domum non cuſtoditam eſſe humanis præſidiis.

Cùm autem, cognitis cōſiliis Caiani, Arcadius præſidia accerſeret, apertè bellū Caianus molitur. Occupat Phrygiam, & paſſim direptiones, & vaſtationes facit. Tandem ratibus ad vrbem Conſtantinopolim accedit. Huic claſſis Arcadij occurrit, quæ habuit ventos ſecundos, qui rates Caiani euerterunt, & exercitum eius in mare demerſerunt. Ipſe, cùm euaſiſſet, poſtea in vicinis montibus deprehenſus interfectus eſt. Hæc diuina teſtimonia confirmauerunt pios, in vera doctrina, & autoritatem Arcadij auxerunt, qui & ipſe conſtanter retinuit ſymbolum Nicenum, nec fuit crudelis.

Reprehenditur autem, quod nimiam potentiam permiſerit Eunuchis, & vxori Eudoxiæ, quæ, Iohanni Chryſoſtomo inimica fuit, taxanti eius faſtum. Et quidem Eunuchus Eutropius, cuius fuit ſumma potentia, iuſtas pœnas dedit. Hunc talem fuiſſe præſtigiatorem, ſcribunt vt Gorgoni comparatus ſit, vt ſæpe in aulis regnant tales peſtes, qualis apud Tyberium, fuit Seianus, apud Seuerum, Plautianus. Hic Eutropius, cùm venderet magiſtratus, & ſententias daret, ac eriperet prouincias, quibus vellet, & tandem conſul factus eſſet, transferre in ſe Imperium conatus eſt. Sed in ipſo conſulatu, Arcadius ei caput præcidi iuſſit. Scribunt autem hunc ipſum Eutropium fuiſſe, ante id tempus, ſuaſorem legis, vt liceret ſontes, ex templis, vi abducere, qua lege poſtea, & ipſe ex templo extractus eſt. De Eudoxiæ odio aduerſus Iohannem Chryſoſtomum poſtea dicetur.

Vixit Arcadius annos vnum & triginta, tenuit Imperiū poſt mortem patris, annos tredecim, ac filium reliquit pium, & ſalutarem Orienti, quem pater viuens, Auguſtum nominauerat.

Fratres

Valentinianus habuit Valens.

duas

duas vxores,

Seueram, ex ea filius eſt Gratianus. Hic collegam fecit Theodoſium, interfectus Lugduni à Maximo	Iuſtinam, ex qua

Valentinianus ſecundus, ſtrangulatus Viennæ, in cubiculo, fraude Eugenij.	Iuſta, Grata. ambæ factæ monachæ,	Galla, quam duxit Theodoſius.

Theodoſius collega Gratiani, cuius vxores:

Placilla, ex hac sũt Arcadius, Honorius.	Galla, ex qua eſt Placidia Galla, abducta ex vrbe Roma per Alaricum, & data Ataulpho Gottico, poſtea recepta per Conſtantium. Ex his, ſcilicet Conſtantio, & Placidia ſorore Honorij, natus eſt Valentianus tertius.

Ex Arcadio ſunt

Theodoſius ſecundus, habuit coniugem Εὐδοκίαν filiam Leonis, Philoſophi Athenienſis. Filia Eudoxia nupta Valentiniano tertio, abducta in Aphricam, per Genſericum cum duabus filiabus, Placida ſecũda, & Eudoxia tertia.	Pulcheria, Placilla, & Marina.

Placidiam duxit Olibrius, qui ſeptem menſibus Romæ Imperator fuit. Eudoxiam tertiam duxit filius Genſerici, cui filium peperit Hildericum. Deinde, relicto marito, propter Arianam ſectam, Ieroſolymę mortua eſt.

Ex priore Placidia, filia primi Theodoſij, & Cõſtantio, quem Honorius collegam fecit, natus eſt Valentinianus

tertius, interfectus propter adulteria, & necem Aëtij, vltimus Occidentis Imperator, vſque ad Carolum Magnum: etſi multi interea ſe Imperatores nominarunt, & varię fuerunt dilacerationes. Valentiniani filiæ fuerunt Placidia ſecunda, nupta Olibrio: Eudoxia tertia, nupta filio Genſerici.

DE HONORIO

Honorius Theodoſij primi filius, frater Arcadij, tenuit Occidentem annos vnum, & triginta. Initio Imperij, edicto prohibuit gladiatorum pugnas. Promulgator legis obrutus eſt lapidibus.

Anno eius octauo, anno videlicet Chriſti, quadringenteſimo ſexto, Frãci occuparunt vrbem Treuirorum accerſiti à Senatore, cuius vxorem rapuerat Lucius præſes Romanus. Ita libidines occaſionem mutationis Imperij præbuerunt, vt ſæpè accidit. Cûmq; ex vrbe Treuirorum, deinde in Belgicum, & Celticam progreſſi ſunt, initium regni Francorum, ab occupatione vrbis Treuirorum, ſumitur. Et quanquam antea quoque reges Francorum nominentur, priuſquam in Galliam tranſierunt: tamen, poſtquam in Galliam tranſierunt, in hac ſerie, primus rex nominatur Waramundus.

Supra de gentis origine dixi, de qua citaui Strabonem, qui Francos inquit, ſedes habuiſſe inter Noricum, & Vindelicos. Et Hieronymus inquit, Francos inter Saxones, & Alemanos habitare, gentem non tam latam, quàm validam. Fuiſſe eos vicinos fluuio Salæ, ex Marcellino apparet. Progreſſi igitur à Meno, ad ripam Rheni acceſſerunt, vbi, cum Aureliano, Probo, & Conſtãtino dimicarunt, & quidem fuiſse exercitum Francorum, inter auxilia Conſtantini contra Liciniũ, ſcribit Marcellinus. Deinde, paulatim confirmatis viribus, in Galliam tranſierunt, & ſumitur initium ab occupatione vrbis Treuirorum.

Hæc fuerunt initia dilacerationis Imperij Romani verſus Galliam: Altera dilaceratio à Pannonia verſus Italiã, à Gottis facta eſt, nec dubiũ eſt Gottos Getas eſſe, qui olim in Aſia fuerunt, vt Herodoti hiſtoria oſtendit, inde paulatim, vt multæ aliæ gentes, progreſſi ſunt verſus Pannoniam. Inde acceſſerunt ad Viſtulam, ad littus Balticum, & Scandiam occuparunt. Cùm enim primorũ hominum ſedes in Oriente fuerit, conſentaneum eſt inde, verſus Occidentem progreſſos eſſe poſteros, nec primùm natos eſſe in ſcopulis noſtri maris, vt quidam ineptè fabulantur.

Alexan-

Alexander, non procul ab inſula Peuce, quæ notiſsima eſt, paululum ſupra Byzantium, dimicauit cum rege Getico Syrmo, vnde Syrmium dictum eſt. Aliquantò poſt, Lyſimachus à rege Getico acie victus, & captus eſt, & liberaliter dimiſſus, conceſſit, vt ad Iſtrum Getæ ſedes haberẽt, & regi Getarum filiam dedit vxorem: vt narrat Pauſanias. Tunc igitur regionem vicinam Byzantio ad Iſtrum tenuerunt, & Græcis noti fuerunt, & paulatim latiùs dominati ſunt. Nominat enim Strabo, Ducem Getarum, Warfeſtum, qui Thraciam, Romanis temporibus, populatus eſt. Deinde notiſſimum eſt, Romanos Imperatores, in vicina ora Pannonię, cũ Getis, & Gottis ſæpè dimicaſſe. Narrant & hodie Gottos tenere Cherſoneſum Tauricam, quæ non procul abeſt à Conſtantinopoli, & lingua eos noſtra loqui affirmant. Diu igitur Getarum ſedem fuiſſe eas regiones ad Tyram, & ad Iſtrum, conſtat, quæ nunc ſunt partim Walachia, partim Bulgaria.

Valens Imperator, non procul à Conſtantinopoli, ab eis victus eſt. Deinde repreſſit eos Theodoſius. Auxilia etiam eorum ſibi adiunxit contra Maximum, & Eugenium, & ſtipendia eis dedit. Hæc, cùm deinde Arcadius, & Honorius pendere nollent, bellum contra eos mouerunt. Erat autẽ Stillico ortus ex gente Heneta, inimica Gottis. Ideò contra Gottos, & Francos, attraxit in Galliam Burgũdos, Sueuos, Alanos, & alias gentes littori Baltico vicinas. Hæ fuerunt occaſiones bellorum Gotticorum, & Vandalicorum, quibus in Occidente Imperium dilaceratum eſt.

Anno autẽ Honorij, decimo octauo, anno Chriſti, quadringenteſimo nono, Radagiſus ducẽta millia Gottorum in Italiam duxit. Sed cùm tranſiſſet Apenninum, ad Feſulam, multitudo fame diſſipata, à Stillicone cõſule oppreſſa, & deleta eſt. Radigiſus fugiẽs captus, & ſtrãgulatus eſt. Captiuorũ greges, ſingulis aureis, venditi ſunt. Etſi autem hęc initia Gottis in Italia non fuerunt læta, vt plerunque Deus ſcelera vtriuſque partis, variis bellorum vicibus, punit, tamen non mox finis fuit horum bellorum. Reliquiæ crearunt regem Alaricum, qui ductor fuerat exercitus apud Theodoſium contra Eugenium. Cum his paciſcitur Stillico, vt in Gallias diſcedant, vbi ſimulabat, ſe eos Francis oppoſiturum eſſe. Diſcedunt igitur ad Alpes, ibi, die Paſchatos, cùm iuſſu Stilliconis, quidam ex eius Ducibus, fraude eos adortus eſſet, Gotti fuerunt victores. Aliquantò poſt Honorius, ſeu verè, ſeu falsò ſuſpicans Stilliconem

Imperium ad ſe tranſlaturum eſſe, iubet eum,& filium eius Eucherium,interfici.

Cùm igitur Italia Duce orbata eſſet, Alaricus omiſſa Gallia,pergit Romam, & circumſeſſam biennio,capit calendis Aprilis, anno decimotertio Honorij,anno Chriſti, quadringenteſimo,decimo quarto. Annò Romæ,milleſimo,centeſimo, ſexageſimo quarto, anno, poſt Radagiſi mortem,quinto.

Vrbs non eſt deleta,multitudò etiam,quę in Chriſtiana templa confugerat,non interfecta eſt,ſed ex templis,& ex aliis theſauris publicis,& priuatis, ingens præda congeſta eſt,& Placidia Galla, filia primi Theodoſij, Imperatorum Arcadij,& Honorij ſoror, capta eſt,& deſponſata cognato Alarici,Adaulpho.Nam Alaricus iam ſenex erat.

Vt autẽ reliquam Italiam occuparet, & ſpoliaret,Alaricus,duxit exercitum in Campaniam,& ad Siciliam vſque acceſſit,vbi in vltima Italiæ ora, morbo extinctus eſt rex Gotticus. Poſt eum factus eſt Adaulphus Rex,qui exercitum in Italiam reduxit,vbi,Placidiæ interceſſione,lenitus, non deleuit vrbem, vt fuerant hortatores Gotti, & pace facta cum Honorio,propter affinitatem, diſceſſit in Galliam,& inde in Hiſpaniam, cuius magna pars iam à Sueuis,Vandalis,& Alanis occupata erat, qui ex Gallia à Conſtantio pulſi erant. Anno autem tertio poſt diſceſſum ex Italia, Adaulphus in Hiſpania à ſuis interfectus eſt. Aduerſus hunc miſit Honorius Ducẽ Conſtantium patriciũ Romanum,qui Galliam Narbonẽſem, & vicinam partem regebat, & feliciter inde Vandalos expulerat. Hunc iuſſit repetere Placidiã, ſpem ei,& coniugij & Imperij faciens.

Erant autẽ in Hiſpania diſcordiæ inter Gottos, & Vandalos, & Conſtantius malebat fœdera, cum Gottis renouari,ne nouum bellum Galliæ,& Italiæ attraheret. Reddit igitur volens Placidiam, quam Honorius dedit Conſtantio vxorem,& ipſum conſortem Imperij fecit. Ex his,videlicet ex Conſtantio,& Placidia, filia Theodoſij primi,natus eſt Valentinianus Tertius, vltimus Imperator Occidentis,vſque ad Carolum Magnum.

Wallia,in Hiſpania,bellum Vandalis infert.Franci procedunt in Belgico,in Italia,& Gallia Narbonenſi. Poſtquã Conſtantius Cæſar factus eſt, pax fuit: ſed,poſt reditum Placidiæ, tantùm biennio vixit Honorius, & aliquantò ante eam,mortuus eſt Cõſtantius,poſt quem,Galliam rexit Aëtius natus in Myſia,id eſt, Walachia,Dux ſapiẽs,& fortis.

fortis. Præfecerat Honorius Africę Bonifacium Thracem, ad quem multæ ſunt Auguſtini epiſtolæ. Ac fuerunt tunc præcipui gubernatores Occidentis. In Oriente tunc Imperator erat Theodoſius ſecundus, adoleſcens, Arcadij filius, cui pater tutorem dederat virum excellentem ſapientia, & virtute, Anthemium, de quo inquit Græcus hiſtoricus: φρονιμώτατος καὶ ἐδόκει, καὶ ἦν.

Anno mundi, quater milleſimo, treceteſimo, ſeptuageſimo quarto.

Anno Romæ, milleſimo, centeſimo, ſexageſimo ſecundo.

Anno Chriſti, quadringenteſimo, duodecimo.

Anno Honorij, decimo quinto.

THEODOSIVS.

THeodoſius Secũdus, Arcadij filius, natus ex Eudoxia filia, ſeu Gratiani, ſeu Botonis, ſucceſſit mortuo patri, natus annos ferè nouem. Tenuit Imperiũ Orientis; à morte patris, annos quadraginta duos. Vixit annos quinquaginta vnum. Tutorem habuit Anthemium, cuius ſapiẽtia, non tantùm publica negocia feliciter gubernata ſunt, ſed etiam adoleſcens ad doctrinas, pietatem, & optimos mores aſſuefactus eſt, cùm plerique tutores indulgẽtiores ſint Principibus. Sed adiutricem habuit Anthemius Pulcheriã Theodoſij ſororem, excellentem ingenio, eruditione, & pietate, cuius conſilio, etiam poſtea regnante Theodoſio, res maximæ gubernatæ ſunt.

Fuit Theodoſius princeps eruditus, firmus in doctrina Symbolorum, & rectè inuocans Deum. Vt Gotti trãquilli eſſent, pacem cum eis fecit, & eorum auxiliis vſus eſt cõtra Hunnos, & Perſas. Cùm Perſas, duobus magnis præliis viciſſet, tamẽ, de pace facienda, victor, legatos ad eos miſit. Ita poſtea Orientem tenuit pacatum, nec in pace voluptatibus ſe dedidit, ſed vtiles leges condidit, quarum multæ adhuc extant, vt de coniugiis. Et in Eccleſiis concordiam conſtituit. Conuocauit piam Synodum Epheſinam, in qua Neſtorij impietas damnata eſt, vt poſtea dicemus, qui cõtendebat, in Chriſto non fuiſſe duas naturas vnitas inſeparabiliter, ſed humanæ naturæ affuiſſe λόγον, vt cæteris ſanctis, Dauidi, aut Eſaiæ.

Mos fuit Theodoſio, mane precationes dicere, & pſalmos canere cum coniuge, & ſororibus. Habuit autem cõiugem Εὐδοκίαν filiam Leontij Philoſophi Athenienſis adeò eruditã, vt poemata ſcripſerit de victoria Arcadij, & de

victoriis mariti. Ab ipſa dicuntur eſſe congeſta ὁμηρόκεντρα. Scripſit Theodoſius, ſua manu, libros noui Teſtamẽti, quorũ aliquã partẽ quotidie legit. De dogmatibus, cum doctiſſimis viris ita diſſeruit, vt intelligi poſſet, eum non inferiorem eſſe eruditione. Bibliothecam Byzantij, vndique veteribus libris Eccleſiaſticis, & Ethnicis coemtis, valde auxit. Talis cùm domi eſſet, tamen & militiæ labores patienter tulit. Duces habuit præcipuos, Gratianum, Ardaburiũ, Aſperem, Ariobindam, quos fuiſſe Gottos, hiſtoriæ ipſæ narrant, & appellationum ſonus ad noſtram linguam congruit. Miſit Aſperem, & Gratianum in Africam, ſed Genſericus eorum exercitum vicit. Martianum captum dimiſit, quia viderat eum inter reliquos captiuos dormientem, tegi ab aquila. Is poſtea in Imperio ſucceſſor fuit Theodoſij. Placide autem mortuus eſt Conſtantinopoli Theodoſius Secundus, cùm vixiſſet annos quinquaginta vnum. Sepultus eſt in ſepulchro Theodoſij primi & patris Arcadij. Mortem eius anteceſſit terræmotus, qui durauit ſex menſes, cõcuſſit Cõſtantinopolin, & multa Aſiæ loca. Dehiſcente terra, multa oppida abſorpta ſunt. Mare alibi fugiens, hiatu abſorptum, alibi in terram effuſum multa oppida obruit. Hæc prodigia, ſequentes Imperij ruinas, & Mahometica initia ſignificarunt.

Anno mundi, quatermilleſimo, trecenteſimo nonageſimo ſecundo.
Anno Romæ, milleſimo, centeſimo, octogeſimo.
Anno Chriſti, quadringenteſimo, triceſimo.
Anno Theodoſij ſecundi, nono.

VALENTINIANVS.

MOrtuo Honorio, conſortem Imperij fecit Valentinianum tertium, Theodoſius ſecundus, natus ex Cõſtantio & Placidia prima, Honorij ſorore. Tenuit Imperium Valentinianus tertius, annos triginta. Coniugem habuit filiam Theodoſij ſecundi Eudoxiam ſecundam. Fuit vltimus Imperator Occidentis, vſque ad Carolum Magnũ. etſi interea multi ſeditioſi nominari Imperatores voluerunt, qui tamen, vix exiguam partẽ Italiæ, habuerunt. Pœnas autem cumularunt & Valẽtiniani mores, qui mœchus, magus, & Ducum bene meritorum parricida fuit.

Duo tũc præcipui Duces in Occidente fuerũt: Bonifacius, quem ſcribunt Thracem fuiſſe, qui rexit Africã: & Aëtius natus in Vualachia, qui rexit Narbonenſem Galliam.

Inter

Inter hos, cùm ſimultas eſset, Bonifacius, metu Imperatoris, dicitur attraxiſſe Gẽſericum in Africam. Alij magis ſignificant, Genſericum, poſſeſſione Hiſpaniæ pulſum à Wallia rege Gottico, quæſiuiſſe ſedes in Africa. Quęcũq; cauſſa fuit, ingreſſi in Africam Vãdali, vicerunt Bonifaciũ, & alios Romanos exercitus, & Carthaginem occuparũt.

Anno Theodoſij ſecundi, triceſimo quarto.

Anno Valentiniani tertij, decimo ſeptimo.

Anno Chriſti, quadringẽteſimo, quadrageſimo quinto.

Cùm autem Genſericus defenſor eſſet Arianæ impietatis, magnã crudelitatem in pios exercuit. Metuẽs igitur odia ſuorum cum Valentiniano pacem fecit, qui conceſsit ei partem Africæ, quam vſque ad Belliſſarij tempus, retinuerunt annos ſexaginta ſex. Attraxit autem Genſericus, Attilam, & Hunnos, cõtra Gottos, in Hiſpaniam. Progreſſus igitur Attila ex Pannonia, cum quingentis millibus, in Germaniam, & Italiam, peruenit ad Toloſam vſque, ibi Aëtius, optimo conſilio, ad ſocietatem belli, adiunxit Frãcos, quorum rex tunc fuit Meroueus, nepos Waramundi, & Gottos quorum rex fuit Theodoricus, qui Walliç ſucceſſerat. Nunquam duos maiores exercitus inter ſeſe oppoſitos fuiſſe, ſcribitur.

Pugna facta anno ſecundo Martiani, anno Valentiniani tertij, viceſimo ſeptimo, prope Toloſam ab hora nona diei, tota nocte, vſque ad ſequentem diem, & trucidata ſunt centum, octoginta millia hominum. Attila fractus hac clade, & metuens filium Theodorici regis Gottici, reliquias ſui exercitus abduxit. Ita victores exiſtimati ſunt Aëtius, Frãci, & Gotti. Et regis Gottici Theodorici interfecti filius Doriſmundus, ardens iuſta ira, fugientem Attilam ſequendum eſſe cenſuit.

Etſi autem Aëtius vidit, vtile eſſe reliquias exercitus deleri, ne Attila Italiam inuaderet: tamen ſequi eum noluit, cuius conſilij, quam habuerit cauſſam, non diſputo: Fortaſſis, vt ſapientes dicunt, hoſti fugienti argenteũ pontem faciendum eſſe, cogitauit, non ſine maiore periculo rurſus dimicaturos eſſe, aut Valentinianum, propter malos mores, odit. Interea enim, dum hæ res magnæ ab Aëtio geruntur, Valentinianus Romæ adulteria exercet.

Fuit, inter præcipuos viros, tunc Romæ, Maximus, ex eius Maximi ſtirpe, quem Theodoſius, ante annos aliquot bello vicit. Huic Maximo, cum in ludo annulũ detraxiſſet Valentinianus, mittit eum ad Maximi cõiugem, & eam

ſimulans maritum hæc agere, vocat ad coniugem Imperatoris. Hac fallacia adductam in aulam, Maximi coniugem vi comprimit. De hac iniuria, cùm illa apud maritum queritur, cœpit is, & de Imperio rapiendo, & de Valentiniano necando cogitare. Alienat eius animum ab Aëtio, quem fingit appetere Imperium. Falſa igitur ſuſpicione motus Valentinianus iubet interfici Aëtium, optimè meritum, vt Alexander Parmenionem interfecit. Poſtea, cùm interrogaret Valentinianus quendam, an exiſtimaret iuſtè interfectum eſſe Aëtium, neſcio, inquit ille, an iuſtè interfeceris eum, hoc ſcio, te dextram tuam ſiniſtrâ præcidiſſe. Nec multò poſt incitat Maximus, duos milites Aëtij, vt Valentinianum Imperatorem interficiant. Ita pœnas dat libidinum, magiæ, & necis Aëtij Valentinianus tertius.

Deinde Maximus rapit Imperium & ducit vxorem Eudoxiam ſecundam, quæ fuerat coniux Valentiniani tertij. Apud hanc cùm iactaret Maximus, ſe amore ipſius, & ſpe huius cōiugij motum, interfeciſſe priorem maritū Valentinianum: irata mulier, accerſit Gēſericū ex Africa Romā; hoc veniēte, Maximus, cùm fugere conaretur, interficitur à Romano milite, Vrſo. Genſericus Romam ingreſſus cum ingenti exercitu, flectitur à Leone Epiſcopo, & Eudoxia, ne vrbem incendat, dies tamen quatuordecim direptioni, & quærendæ prædæ tribuit. Eudoxiam auexit, cum filia Eudoxia tertia. Matrem duxit Genſericus, filio autem dedit filiam Eudoxiam tertiam, vt poſtea dicetur.

Conſiderentur autem hìc inſignia exempla iudicij diuini in Valentiniano, & Maximo, iuxta regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Tempora etiam conferantur, vt videas, quam breui ſpatio pœnæ aliæ alias ſecutæ ſint, in Imperij ruinis. Bis capta eſt Roma, intra annos quadraginta quatuor. Primùm ab Alarico Gottico rege, anno Chriſti, quadringenteſimo, decimo quarto, tempore Honorij. Deinde à Genſerico rege Vandalico, anno quadringenteſimo, quinquageſimo nono, anno Martiani ſexto.

DE ECCLESIA.

ARcadij tēpore, fuit Epiſcopus Conſtantinopolitanus Ioannes, cui nomen Chryſoſtomi tribuerunt: quem antea, presbyterū Antiochenum fuiſſe, ſcribunt. Huic eloquentia authoritatem, & potētiam auxit. Quare multa, & in aula egit, & aduerſus vicinos, quibus præerat.

Fuit autem ingrata eius ſeueritas, quæ aliquibus nimia

viſa

viſa eſt, cùm verum ſit,in gubernatione , iuſtitiam temperatam ἐπιεικείᾳ dominari debere.Luxum,& ſpectacula,quę multa vitia alebant,iuſtè taxabat, quare in odium multorum , ac præcipuè coniugis Arcadij venit Eudoxiæ , quæ ſtatuam ſibi , non procul à templo,in columna marmorea collocauerat , apud quam hiſtriones, & mimi crebras comœdias exhibebant. Hāc ſtatuam,& hos ludos,præſertim templo vicinos,tolli Chryſoſtomus voluit. Quamobrem, cùm Eudoxia ei iraſceretur, arte res eò deducta eſt, vt excuſſus Epiſcopi dignitate,in exilium mitteretur. Ad tales machinationes opus eſt Sycophanta.

Habuerat apud ſe Chryſoſtomus,hypocritam aſtutum, & facundum,Seuerianum,cuius auxit exiſtimationē,quia ſæpè iubebat eum publicè concionari. Sed aulæ,ſpes potentiæ,& ambitio,ſæpè mutant homines. Hunc Seuerianum Eudoxia,contra Chryſoſtomum incitat, qui nactus, cùm alias cauſſas , tum verò & hanc , quod inter Epiphanium & Chryſoſtomum, magna diſſenſio,de libris Origenis orta eſſet.Adiunxit igitur ſe factioni Epiſcoporum,qui alioqui Chryſoſtomum oderunt. Cùm adiuuaretur ab Eudoxia,perfecit, vt Chryſoſtomus eiiceretur,qui,in cōcione,Eudoxiam comparauerat Herodiadi, inchoans cōcionem;Iam iterum inſanit Herodias.Etſi conuitium fortaſſis aſperius fuit, tamen reprehenſio ſtatuæ,& ludorum iuſta fuit,ſed acceſſerant odia aliorum,ex aliis cauſſis.

Cæterum de Origenis libris,iuſtior fuit Epiphanij ſententia , qui eos condemnari voluit , quàm Chryſoſtomi, qui condemnationi aduerſatus eſt. Improbauerat eos,& ante Cōſtantini tempora, Methodius Liciæ Epiſcopus,& deinde Tyri,vir ſanctus, qui propter allegorias comparauerat eum Sirenibus. Idque reprehendit,quod intempeſtiuis allegoriis , diſceſſerit à natiua ſententia in ſcriptis Propheticis , & Apoſtolicis , & dogmata quædam corruperit. Nec dubium eſt,errores quoſdam dogmatum inſignes,ſparſos fuiſſe,in libris Origenis: vt oſtendit Epiphanius.Libri autem Origenis, qui nunc extant, partim ſunt mutili, partim ſunt centones ab aliis aſſuti,& in his quoque obuia ſunt manifeſta errata.

Sunt & in Chryſoſtomo,contagia quædā errorum.quæ pius lector,& rectè eruditus,agnoſcere, & iudicare poteſt. Multa tamen præſertim de moribus,honeſtè dicit. Cùm Epiſcopi cæteri , in Synodo , ſtatuere vellent, lapſos poſt baptiſmum , & redeuntes ad pœnitentiam , ſemel tantùm

recipiendos eſſe, ille cõtra dixit: Imò millies agens pœnitentiam ingredere, χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε. Hanc vocem, tunc reprehenſam, iudico probandam eſſe, ſi rectè intelligatur, quia fuit oppoſita errori Nouatianorum.

Mortuus eſt autem Chryſoſtomus, in exilio, in Armeniæ limite, anno ante mortem Arcadij, qui mortuus eſt anno Chriſti, quadringenteſimo, duodecimo, biennio antequam vrbs Roma ab Alarico capta eſt. Vir eloquẽs fuit, ſed ſcripta magis declamatoria ſunt, quam διδασκαλικά. Quare interdum extra metas currit, vt in hyberbolis laudum vitæ monaſticæ.

Tempore Theodoſij ſecundi, celebres Synodi, de his controuerſiis, fuerunt, Pelagiana, & Neſtoriana, anno Chriſti, quadringenteſimo, viceſimo primo: anno Theodoſij ſecundi, decimo: anno Honorij, viceſimo quinto Carthaginenſis Synodus: in qua fuerunt Epiſcopi ducenti, decem, & ſeptem, inter quos præcipuè clarus fuit Auguſtinus, egreſſus annos ſexaginta: damnauit Pelagij errores.

Fuit autem Pelagius Monachus Romæ, qui doctrinam Euangelij, de lege, de peccato, de gratia, prorſus in Phariſaicam, ſeu philoſophicam transformauit. Contendit non eſſe peccatum Originis, & homines libero arbitrio poſſe ſatisfacere legi Dei. Vocabulo gratię, dixit ſignificari, non remiſsionem peccatorum gratuitam, & donationem Spiritus ſancti, ſed ipſam doctrinæ promulgationem. Satisfieri autem legi Dei, externa obedientia: nec peccata eſſe prauas inclinationes: & hominem, externa diſciplina, coram Deo iuſtũ eſſe, etiam ſine Spiritu ſancto: & mereri remiſsionem peccatorum, & vitã æternam: fidem eſſe notitiam legis, & hiſtoriæ, vt vulgus loquitur, cùm de profeſſione vtitur vocabulo fidei. Hæc cùm ſint plauſibilia rationi, quæ diſciplinam externam intelligit, ſumma huius doctrinæ, omnibus temporibus, latè vagata eſt. Apud Iudæos Phariſaica erat, poſtea Origenica, reprehenſa à Methodio viro ſancto. Deinde Pelagiana: nec aliud eſt doctrinæ genus reipſa in Scoto, & Occam, & ſimilibus.

Hæc collatio vtilis eſt, ad iudicanda doctrinarum genera. Oppoſuit autem refutationem Auguſtinus, qui affirmat eſse peccatum Originis, & diſcernit externam diſciplinam, ab obedientia interiore. Concedit in homine, etiam non renato, eſse libertatem, ſeu facultatem faciendi externa legis opera, ſed negat, ſine Spiritu ſancto, poſse fieri interiora opera, ſcilicet verum timorem Dei,

veram

veram dilectionem Dei, lætitiam acquieſcentem in Deo, fiduciam accipientem remiſſionem peccatorum. Pugnat acerrimè, ne vocabulo gratię, intelligatur doctrina, ſed donatio Spiritus ſancti. Extabat, illis temporibus, decretum illud: Impoſſibile eſt legem fieri, ſine gratia: quod prodeſt notiſſimum eſſe, & ſic declaratum eſt, vt complectamur, & gratuitam imputationem iuſtitiæ, & donationem Spiritus S. Renati faciunt legem, per gratiam, id eſt, placent Deo imputata iuſtitia, propter Mediatorem, & ſimul Spiritus ſanctus in eis inchoat fidem, & nouam obedientiam, quæ tamen non ſatisfacit legi Dei, ſed placet, propter Mediatorem, fide.

Sunt autem diſcernenda tempora librorum Auguſtini, quia & ipſi accidit, in hac cauſſa, vt fuerint δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Et ipſe inquit, ſe ſcribendo proficere. Quanquam autem, in poſterioribus libris, alicubi ſunt ἀκυρολογίαι: tam certum eſt, reipſa congruere eius ſententiam cum noſtris Eccleſiis, ſed accedat in iudicando, dexteritas & candor.

De eadem controuerſia, & alia Synodus Meleuitana, in Aphrica, fecit decreta contra Pelagium. Scripſit autem vtraque Synodus, ad Innocentium Epiſcopum Romanum, eúmque hortatur, vt & ipſe improbet errores natos Romæ, nec prorogari eos patiatur. Extant epiſtolæ, & Synodorum, & Innocentij, in libro epiſtolarum Auguſtini. Fugiens igitur Pelagius ex vrbe Roma, peruagatus eſt orbē, vt ſuffragatores quęreret, ſicut factionū duces, variis modis attrahunt ſocios. Venit Ieroſolymam, vbi Hieronymus ei, adhuc viuens, aduerſatus eſt. Inde in Britannniam diſceſſit, quæ iam defecerat à Romano Imperio. Quare tutius ibi hoſpitium habuit.

Hæc certamina etiam, viuente Pelagio, diu durauerunt, quod indicant tot Synodi, & ſcriptorum tempora. Nam Hieronymus, decennio, ante mortem Auguſtini, deceſſit. Dixi enim ſupra, Hieronymum Stridonenſem mortuum eſſe in Bethlehē, anno ætatis ſuæ nonageſimo primo. Anno Chriſti, quadringenteſimo, viceſimo.

Extāt autem nominatim contra Pelagianos, Hieronymi ſcripta, in quibus hæc ſunt verba: Tunc iuſti ſumus, cū nos peccatores eſſe confitemur: Et iuſtitia noſtra, non ex proprio merito, ſed ex Dei miſericordia conſiſtit.

Auguſtinus autem mortuus eſt, anno ætatis ſuę, ſeptuageſimo ſexto: anno Chriſti, quadringenteſimo, triceſimo, regnantibus Theodoſio ſecundo, & Valentiniano tertio,

obſidente vrbem Hipponem Genſerico, vbi Auguſtinus fuerat Epiſcopus annos quadraginta, inde vſque ab initio Arcadij, ferè ad finem Theodoſij ſecundi, inter magna certamina. Refutauit enim Manichæos, Donatiſtas, & Pelagianos, & ſcriptas refutationes poſteritati vtiles reliquit.

Menſe tertio obſidionis mortuus eſt, ſępè deplorans, nō ſolùm Imperij ruinam, ſed multò magis Eccleſiarum dilacerationes, quia Genſericus Arianus erat, & ſucceſſores magnam ſæuitiam contra rectè ſentientes exercuerant. Cùm igitur magnarū calamitatum ſpectator eſſet, & præuideret triſtiora mala ſecutura eſſe, (nam poſt Vandalicorum regum impietatē, deinde ſtatim Africam furores Mahometici oppreſſerunt) aſſiduis, & ardentibus votis Eccleſiam Deo commendauit.

DE SYNODO EPHESINA.

NOn diu, poſt Auguſtini mortem, cōuocata eſt Synodus Epheſina à Theodoſio ſecundo. Expreſſè enim ſcribitur, Theodoſium literas miſiſſe ad omnes Archiepiſcopos, ac præcepiſſe, vt Epheſum venirent, cum Epiſcopis: ſi quis non veniret, reum fore. Eſt autem pronuntiatū de controuerſia à Neſtorio mota, qui, cùm natus eſſet in Syria, factus eſt Epiſcopus Conſtantinopoli, propter facundiam. Aiunt fuiſſe indoctum, & ſpreuiſſe probata veterum ſcripta: & cùm eſſet iuuenis, audax, loquax, & gloriæ cupidus, accidit, quod in veteri verſu dicitur:

Νεὸς φιλόδοξων περὶ πῖ[illegible] πονηρία.

Dogma ipſius reipſa hoc fuit: τὸν λόγον affuiſſe homini Chriſto, per aſſiſtētiam, ſic enim loquitur, ſeu ſocietatem, ſicut affuit Heliæ, & aliis Prophetis, nec fuiſſe duas naturas in Chriſto, vnione hypoſtatica vnitas. Ideò ſolitus eſt dicere: Noli gloriari Iudæe: Nō enim Deū crucifixiſti, ſed hominem. Hoc cùm plauſibiliter diceretur, habuit multorum ſtudia. Cúmque ſaniores, qui inſidias intelligebant, aduerſarentur ei, excuſabant eum ſui, quod certamen inter ipſum, & aduerſarios, λογομαχία videretur. Sed reipſa nequaquam fuit λογομαχία. Etiam veteres quidam iudicauerunt, eum reuocare Iudaicum Samoſateni dogma, etiamſi aliquantò aliter pingeret, ſicut ſæpè renouatum eſt, & exiſtimo eum, ſuas præſtigias, ad illam metam direxiſſe.

Oſtendunt & decreta, contra Neſtorium facta, controuerſiam fuiſſe de re maxima, non λογομαχίαν. Sic enim loquitur decretum: Si quis in Chriſto diuidens ὑποστάσεις,

poſt

poſt vnionem, & dicens λόγον coniunctum fuiſſe homini ſocietate,ſeu poteſtate,non naturali vnione,anathema ſit. Hinc & doctrina,de communicatione idiomatum,tradita eſt. Pugnatum eſt de his propoſitionibus loquentibus de Chriſto : Deus eſt paſſus : Deus eſt crucifixus: vt ſciretur, hanc perſonam Chriſtum eſſe Deum, nec λόγον tantùm affuiſſe ei, vt Eliæ,aut aliis Prophetis. Nominatur enim figura loquendi, communicatio idiomatum, cùm proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ,in concreto,vt ſignificetur in ea perſona duas naturas eſſe vnitas, vnione hypoſtatica. Vetuſtas vſa eſt hac ſimilitudine: Sicut anima & corpus ſunt vnum completum ὑφιστάμενον, ita vt anima geſtet corpus, quod diſſoluitur, ab anima deſertum : ſic λόγος geſtat naturam humam, animam & corpus:ſed inſeparabiliter.

Extat hęc ſimilitudo apud Athanaſium, Cyrillum, & Iuſtinum,qui tamē addit correctionem: Τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ἀπὸ τῆς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν. καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν. Et tamen, vt retineatur diſcrimen naturarum,non dicitur: Diuinitas eſt paſſa,quia vocabulum in abſtracto, ſignificat naturam ſecundum ſe conſideratam ; ſed concreta, ſignificant perſonam, in qua ſunt duæ naturæ.

Et hac doctrina, de communicatione idiomatum,opus eſſe,intelligi poteſt ex multis dictis Chriſti: Antequam Abraham natus eſt,ego ſum. Vbicunque ſunt duo,aut tres congregati in nomine meo,in medio eorū ſum. Aſpicient me,quem confixerunt. Talia dicta plurima obuia ſunt,quę illuſtrantur ex doctrina de communicatione idiomatum.

Hæc commemoro,vt intelligi poſſit, Neſtorij controuerſiam, non fuiſſe λογομαχίαν. etſi tunc quoque alij aliter iudicauerunt. Synodus Epheſi conuenit anno Chriſti, quadringenteſimo, triceſimo quinto, anno Theodoſij ſecundi, viceſimo quarto. Fuit turbulenta, nam Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus cum ſuis ſuffragatoribus, damnauit Neſtorium. Iohānes Antiochenus,& eius ſuffragatores, excuſarunt eum,& Cyrillo aduerſati ſunt. Sed Cyrillus rectiſſimè docuit aliter λόγον in Chriſto eſſe, aliter in Helia, & aliis Prophetis. Poſt diſceſſum, cùm Eccleſia Conſtantinopolitana probaret Cyrilli ſententiā, Neſtorius in loca barbarica, infra Thebas Ægyptias, relegatus eſt: vbi in exilio ſcribitur mortuus eſſe, lingua conſumpta à vermibus. Exiſtimo ipſum phthiriaſi extinctum eſſe.

Ante Neſtorij certamen, accidit Conſtantinopoli in templo tragicum exemplum, quod tunc quoque multi dixerũt ſignum eſſe futuri diſſidij: Confugerant in templum aliquot ſerui, quibus dominus eorum atrocia minatus erat. Cúmque iuberentur egredi, gladiis repellebant homines, tandem & interfecto ſacerdote, & alio vulnerato, ſeipſos ibi interfecerunt. Ea de re, recitati ſunt verſus digni memoria:

Σημεῖα γὰρ τοιαῦτα γίγνεσθαι φιλεῖ,
Ὅταν τι ναοῖς ἐγκατασκήψῃ μίσος.

Fuit Theodoſius ſecundus, Princeps laude dignus, propter pietatem, iuſtitiam, caſtitatem, & modeſtiam. Profuit eius gubernatio Eccleſiis, in qua, multa rectè egit, Pulcheriæ ſororis conſilio, & Deus eum, contra inimicos, Ruffinum, Cainam, Perſas, & alios barbaros mirabiliter defendit. Protexit, etiam eum aduerſus Attilam, à quo tamen pacem emit, data magna pecunia.

Hoc ipſo tempore, non multò ante mortem Theodoſij, mota eſt primum Eutychis controuerſia. In hoc poſtremo actu fuit incautior Theodoſius, ſed culpam ipſe quoque in vxorem Eudoxiam contulit, quæ fuerat æquior factioni Eutychis, ſicut extremus actus Conſtantini, cùm reuocauit Arium, fuit infelix, quem etiam mulier, ſoror Conſtantini, rexerat. Cùm autem diſcordia inter Pulcheriam, & Eudoxiam incidiſſet, ceſsit Pulcheria & abſtinuit à conſiliis gubernationis, ideò faciliùs fuit Eudoxiæ tueri, & euehere quos volebat.

Indicta eſt Synodus altera Epheſi infelix, in qua iudices armatis militibus ſepti fuerunt, & confirmata eſt Eutychis opinio, factione Dioſcori Epiſcopi Alexandrini. Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus rectè ſentiens, calcibus ex conſeſſu expulſus, & triduo poſt mortuus eſt. Mortuum etiam Dioſcorus pedibus calcauit. Eſt & Theodoreto, cuius extant ſcripta, ademta dignitas. Denique ita acta ſunt omnia, vt hæc Synodus ſit infamis, & nominata ſit λῃστρική id eſt, latronum concurſus.

Monet igitur exemplũ, vt in conuocandis Synodis, circunſpecti ſint Principes: & quòd Theodoſio, alioqui bono Principi, hæc acta notam aſperſerunt, ſimus memores humanæ infirmitatis, de qua dictum eſt: Non eſt iuſtus in terra, qui, cùm bona fecit, non etiam peccet. Item: *Μόνου θεοῦ γέρας τελεία ἀρετή.* Poſtea Theodoſius, agnoſcens errorem obiurgauit coniugem, quæ ſimulans votum, profecta

profecta eſt Ieroſolymam. Ita, poſt ſeptem annos, Pulcheria in aulam reuocata eſt, nec diu poſt Theodoſius vixit, cuius morte, & Attilæ bellis, impedita eſt cognitio controuerſiæ Eutychis, vſque ad tertium annum Martiani. Quæ fuerint præſtigiæ Eutychis, tunc exponam, cùm de Chalcedonenſi Synodo dicetur.

DE CRETENSI MOSE.

IN temporibus Theodoſij, extat narratio, apud Socratem hiſtoricum, de Cretenſi Moſe, quam, propter ſcriptoris grauitatem nolui omittere. Poſſe enim accidere miras impoſturas etiam noſtra ætas vidit, in exẽplo Monaſterienſi, vbi fanatici homines ſimularunt enthuſiaſmos, & nouum regnum conſtituere cœperunt: ſicut & olim, & in oppido Phrygiæ Pepuza, fanatici homines concurrerunt, & magnam pecuniam, prætextu vaticiniorum collegerũt, donec tandem Montanus, eorum magiſter, ſibi laqueo vitam finiuit, & alij aliis caſibus perierunt.

Talia exempla meminiſſe, vtile eſt: ne præſtigiatoribus, inexplorato doctrinæ genere, credatur, & vt precatio ſit ardentior, vt Deus regat mentes, ne laqueis Diaboli implicentur, ſicut vidimus ipſi ingenioſos homines, horribiliter euerſos eſſe, in ſeditione agricolarum, & vrbe Monaſterienſi.

Hiſtoria verò Cretenſis hæc eſt: Quidam impoſtor ſimulauit ſe eſſe Moſen, cœlo demiſſum, vt reducat Iudæos in patriam, per mare. Vagatur integro anno per Cretam, & Iudæis diem conſtituit. Fingit vaticinia, colligit pecuniam, & tandem, die conſtituto, adducit multitudinem ad littus, vbi iubet primos deſilire in mare, quorum aliqui cùm deſiliiſſent, perierunt. Mox ad eum locum, vicini nautæ properant, & aliquos recipiunt, & ad multitudinem vociferantur, ne deſiliant. Ita multitudo ſeruata eſt, & impoſtor ſe ſubduxit. Hæc fuit occaſio multis, vt relicto Iudaiſmo, amplecterẽtur doctrinam Chriſti. Cùm autem ſingulis ætatibus aliqui tales ſint Cretẽſes Moſæ, qui falſo prætextu religionis, tumultus excitant, commonefaciat lectores hæc hiſtoria, vt ſint memores dicti: Probate ſpiritus, an ex Deo ſint. Et cogites illud Epicharmi: Νᾶφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα φρενῶν.

Anno mundi, quater milleſimo, quadringenteſimo, decimo ſexto.

Anno Romæ, milleſimo, ducenteſimo, quarto.

Anno Chriſti, quadrigenteſimo, quinquageſimo quarto

MARTIANVS.

MArtianus Theodoſio ſecundo, in Orientis Imperio ſucceſſit, cùm fuiſſet antea ductor exercitus Theodoſij ſecundi, in Africa contra Genſericum, & deinde in Syria cõtra Perſas, non ſolùm propter militiam antecellens authoritate, ſed etiam propter iuſtitiam, & pietatem. Cum igitur magna eſſet authoritas Pulcheriæ ſororis Theodoſij ſecundi, hæc Martianum iam ingreſſum ſenectam, propter virtutem ad coniugium, & Imperium inuitauit, ſed hoc pacto, ne eam attingeret, quia iam grandiuſcula, moritura eſſet virgo. Tenuit Imperium Martianus annos ſex, & menſes ſex. Et vt Eccleſiæ diſcordias ſedaret, fecit & cum Perſis, & cum Vandalis in Africa, pacem. Nam ibi olim captiuus, promiſerat Genſerico, ſe, ſi Imperator fieret, non illaturum bellum Vandalis. Genſericus enim contemplãs captiuos, viderat ei dormienti in campo, & in æſtu, aquilam tegere caput, ne radiis ſolis læderetur. Hoc ſpectaculo delectatus, dimiſit eum, præſagiens Imperatorem fore, & pactus eſt, ne Vandalis bellum inferret.

Anno ſecundo Martiani, Attila victus eſt ad Toloſam, magno prælio, vt ſuprà diximus. Inde egreſſus, cùm vires in Pannonia reparaſſet, Italiam inuaſit, capta Aquileia, Mediolanum, & Ticinum diruit, & cùm Romam acceſſurus eſſet, miſſi obuiam Leo Romanus Epiſcopus, & pars Senatus, petiuerunt pacem, & ſupplices orauerunt, vt parceret vrbi Romæ, quæ tot excellentes viros olim genuiſſet, quorum virtus in toto orbe clara ſit. Flectitur, præter omnium opinionem, Attila, & exercitum in Pannoniam reducit. Interrogatus cauſſam, cur ſubitò oratione ſupplicũ motus eſſet, dixit, ſe vidiſſe Senem aſtantem Leoni Romano Epiſcopo, ſpecie ſupra humanam, terribili, minitantem ei mortem, niſi ſupplicibus parceret. Ita etiam terribilium Tyrannorum impetum ſæpè Deus frangit.

Rediit inde in Pannoniam: &, vt natura fuit inquieta, minitatur vicinis omnibus. Sed iam fatalis finis inſtabat tantæ ſæuitiæ. Etſi multas habuit coniuges Attila, more gentis, tamen iuuenculam ducit, quam nominãt Hildico, filiam regis Bactrianorum. In iis nuptiis, cùm & laboribus certaminum equeſtrium, & vino, & venere corpus eius inflammatum eſſet, nocte extinctus eſt, ſanguine copioſo in fauces exundante, & ex ore erumpente. Tantùm enim hic euentus deſcribitur, & epiphonema additur. Iuſtum fuiſſe ſuo ſanguine necari, qui tam multum humani ſanguinis hau-

hauſerat. Sed aut venæ ruptæ ſunt, aut apoplexia anteceſſit, cum qua, hæc effuſio ſanguinis facilè accidere potuit. Nec tantùm ipſius mors exemplum eſt iudicij diuini, ſed etiam filiorum interitus, poſt ipſum, & regni diſſipatio.

Conferri Monarchæ aliter alij poſſunt, ſed in his tribus hæc ſimilia ſunt: in Alexãdro, Attila, & Tamerlane, quod ex paternis regnis anguſtis progreſſi, magnos exercitus duxerunt, & magna parte orbis terrarũ potiti ſunt, quam tamen non diu tenuerunt. Et cùm eſſent mortui, regna variè dilacerata ſunt, iuxta dictum:

----*Summiſque negatum eſt,*

Stare diu. Ac oſtendunt hæc exempla, non ſolis humanis conſiliis, & viribus parari, & teneri Imperia: ſed veram eſſe Danielis vocem: Deus transfert, & ſtabilit regna.

De annis Attilæ narrationes diſſimiles ſunt, ſed ab expeditione, in qua in Germaniã, & Galliam eduxit, ex Pannonia quingenta millia hominum, vſque ad mortem, inuenio annos circiter duodecim. Proſper enim ſcribit, coſſ. Theodoſio, & Albino, Attilam interfecto fratre Buda, ſolum regno potitum, multarum gentium exercitum duxiſſe. Hic fuit annus Chriſti, quadringenteſimus, quadrageſimus ſeptimus.

Pugna ad Toloſam, in qua victus eſt ab Aëtio, facta eſt ſecundo Martiani anno. Hic fuit annus Chriſti, quadringenteſimus, quinquageſimus quintus. Conſumti ſunt igitur anni circiter ſex, in vaſtatione Germaniæ, & Galliæ, quo tẽpore, multi ſancti viri, & matronæ, paſſim interfecti sũt: captæ, & dirutę præcipuæ vrbes, Colonia Agrippina, Tũgria, Argentoratũ, vrbs Rauracorum, Lugdunum, & aliæ multæ. Sed vrbs Aurelianẽſis pietate Epiſcopi Anniani mirabiliter defenſa eſt. Nam, cùm Attilam fruſtra precatus eſſet, vt vrbi parceret, poſtea, veniẽte Aëtio, ſæua tẽpeſtas, inter præliandum, magnã multitudinem Hunnorũ perdidit. Ita reliquit obſidionem Attila. Deinde poſt pugnam ad Toloſam, circiter quadrienniũ vixit: mortuus eſt enim, viuente Martiano, cui dormienti, ea nocte, qua mortuus eſt Attila, ſpecies, in ſomnio, oſtenſa eſt, fracti arcus Attilæ.

Quanquam igitur regnum tenuit ampliſſimum, tamen vaſtationes tantùm fecit, nec conſtituit formam regni, nec vni ex filiis Monarchiam tradidit, nec prouincias eis diſtribuit. Fuit igitur Tyrannus, & curſus eius, Europę fatalis pœna fuit, & de filiis accidit, quod ſcriptũ eſt: Semen impiorum peribit. Rurſus enim in Pannonia Gotti regnũ

recuperarunt. Cùm enim filij Attilæ, inter ſe, de ſucceſſione circiter triennium diſſiderent, rex Gepidarum Ardericus, bellum mouit aduerſus Hunnos, & trucidatis triginta millibus Hunnorum, & filio Attilæ Ellac, maximo natu, potitus eſt regno Pannoniæ. Alter autem frater Chaba, cũ parte Hunnorum in veterem patriam diſceſſit. Pars in Pannonia manſit, etſi regnum Gotti tenuerunt annis circiter centum, donec Hunni, & Auares, Iuſtiniani Imperatoris tempore, tunc effuſi ſunt in ea loca, quę nunc Bulgari, & Walachi tenent, & in vicinam Pannoniam.

Variæ mutationes, in omnibus regnis, acciderũt, vt ſunt res humanæ inſtabiles. Et Deus omnium gentium peccata, mutationibus Imperiorum, & vaſtationibus punit, ſed propter regionis fertilitatem, & opportunitatem, pręcipuè in Pannoniam ſæpè infuſæ ſunt peregrinæ gentes.

Hoc igitur loco, facta inſigni mutatione, poſt Attilam, aliquid, de veteribus appellationibus, inſerere volui. Notiſſimum eſt vocabulum Cethim, vnde nomẽ eſt Μακέτης, id eſt, Macedo, & liber Maccabæorum ait, Alexandrum egreſſum eſſe ex terra Cethim. Hodiéque fluuius dirimens Macedoniam, & Illyricum, nominatur Cethim. Quæ autem, & vbi ſit Macedonia, notum eſt.

Fuerũt autem vicini Macedonum, Thucydidis tempore, Pœones, ad Strymonem, & ſignificatio vocabulorũ eadẽ eſt Nam Pœõ, Gręcis, idem eſt, quod Hebręis Cethim, quod ſignificat percuſſores. Alij nomen Pœon fecerunt à Pœã, quod vetuſtis eſt carmen triumphale, aut eſt nomen patris Philoctetæ, qui fuit Herculis comes.

Siue igitur à victoriis, ſiue ab Herculis comite, nominati ſunt Pœonij, nomen eſſe antiquiſſimũ, teſtantur Homerus, Euripides, & Thucydides. Et quia vox Græca eſt, coloniam eſſe Græcam, apparet. Cùm verò paulatim à Strymone progreſſi ſunt, ad Iſtrum: deinde nominata eſt Pannonia, voce aliquantulum deflexa à Pœonia. Cúmq; ſtirps fuerit Græca, vrbes veteris Pannoniæ magis ornatæ fuerunt legibus, ædificiis, diſciplina, quàm aliæ vicinæ. Poſt prędicationẽ Apoſtolorũ, citò etiã Eccleſiæ ibi conſtitutæ ſunt & ſtudia Græcæ linguæ ibi floruerunt. Nam Irenæus Epiſcopus in Syrmio, ſupplicio affectus eſt. Fuiſſe autem, Thucydidis tẽpore, Getas vicinos Pœoniis, manifeſtũ eſt, & Alexander, cum Getico rege Syrmo, bellum geſſit: inde Syrmium denominatum eſſe, a Syrmo, conſentaneum eſt.

Diu autem Romani Pannonios defẽderunt, contra vicinos

cinos Getas, & Dacos, donec tandem, Valentis Imperatoris tempore, Getæ victores Pannoniam occuparunt: & eoſdem eſſe Getas, & Gottos, non dubium eſt. Vetuſtior autem ſedes Getarum, in Aſia, quæ fuerit, ex Herodoto intelligi poteſt.

Valentiniani tertij tèmpore, Attila Hunnos in Pannoniam adduxit, & latè regnauit, cui & Gotti parere non recuſarunt. Vbi autem veteres Hunni fuerint, ex Plinio intelligi poteſt, qui collocat eos apud Thocaros, qui Bactrianis vicini fuerunt. Sonus vocabuli certè congruit cum verbo hana, quod eſt caſtra poſuit. Inde poteſt eſſe, Hunni, quaſi caſtra ponentes. Sed tertio anno, poſt Attilæ mortē, Gotti rurſus potiti ſunt regno Pānoniæ. Nam Gepidæ, qui nunc ſunt Sepuſij, pars fuerunt Gottorum. Fuit autem Ardaricus, qui filium Attilæ vicit, rex Gepidarum.

Poſt annos cētum, tempore Iuſtiniani, redierunt Hunni, & adiuncti eis fuerunt Auares, qui occuparunt Thraciā, & vicinas regiones, & Pannoniā. Fuerunt autem Auares Hunnorum vicini, ex ea regione, quę hodie retinet nomē Iura, vltra Moſcouiam. Et nomen Vngari vſurpari cœpit, compoſitum ex Hunnis & Iura, ſicut apud Iornandem ſcribitur Hunniuar, quòd Hunni & Auares mixti fuerunt.

Etſi autem tūc, Lōgobardi Noricum, & vicina loca tenuerunt, tamen inde citò diſceſſerunt, & Vngari poſſeſſionem regni tenuerunt, inde vſque à Iuſtiniano ad regem Matthiā, annos circiter octingentos. Interea magna bella, cum Bulgaris, poſtea, cum Longobardis in Italia, deinde cum Germanis, poſt Arnolphum Imperatorem, tempore Hērici Aucupis, & deinceps geſſerunt, ſed tamē poſſeſſio Pannonię penes Hungaros manſit, qui recēs, circiter centum annos, Deo iuuante, fortiter repreſſerunt Turcos, ac velut murus reliquæ Europæ aduerſus eos fuerunt. Quod verò quidam narrant, Carolum potitum eſſe Pannonia, & coloniam eò deduxiſſe, inanis fabula eſt. Sed Teutonicam linguam retinentes ad Carpathum, & in vicinia, reliquiæ ſunt Gottorum veterum.

Hæc breuiter hìc recitaui, vt ſeries rerum Pannonicarum, àliquo modo, in conſpectu eſſet.

Vt autem Ardaricus vicit filium Attilæ Ellac: ita, circa Budam, Wallemir rex Gotticus vicit alium filium Attilæ Dincionem. Reliquit autem hæredem fratrem Theudomir, cum quo, ſumma concordia, vixerat. Is Theudomir pater eſt Theodorici Veronenſis, vt nos nominamus, qui

à Zenone in Italiam miſſus, Odoacrum oppreſſit, & Italiam rexit annos triginta tres.

QVO TEMPORE CONDITA SIT vrbs Veneta, in ſinu maris Adriatici.

GEntem Henetam, vicinam fuiſse Phrygiæ, manifeſtũ eſt ex Homero, & Apollonio. Ea regio poſtea dicta eſt Paphlagonia, à Paphlago Phinei filio. Deinde Galatis in ea regione ſedes datæ sũt, quos in Aſiam attraxit Antiochus Hierax, inter Phrygiam, & Chalybes, qui venas ferri, & argenti habuerunt, vnde nomen fuit Alybe, ab Hebræa voce Iobel, quod propriè ſignificat metallum. Ex voce autem Alybe factum eſt nomen Chalybes.

Mentionem facit Henetorum & Herodotus: ſed tunc cùm tenuerunt littus maris Adriatici. Conſentaneum eſt autem vetuſtiorem ſedem fuiſſe, quam tenuerunt belli Troiani tempore, prope Phrygiam. Ac narrãt, poſt bellum Troianum, ab Antenore, ad ſinum maris Adriatici, Henetos ductos eſſe, fortaſſis idem duxit eos in vicinã Illyriam.

Ptolemæus ſcribit Henetos, eſſe maximam gentem Sarmatiæ. Compleuerunt enim magna ſpatia, quæ nunc nominantur Ruſſia, & Polonia. Inde & ad littus maris Baltici effuſi ſunt. Vnde, Ptolemęi tempore, nomen fuit vſitatum, Sinus Venetici.

Nomen Heneti prorſus, vt ſonat, ſignificat Hebræis vagabundos, ſeu νομάδας: qui latè proceſſerunt. Non poterant autẽ ſine conſilio, iuſtitia, & fortitudine, tam latè dominari, & regna conſtituere. Hæc de vetuſtate, & virtute gentis Henetæ conſiderentur.

Cúmque linguæ diſcernant gentes, comprehendo appellatione Henetorum, nationes, quæ linguam retinent, cuius hodie vſus eſt apud Henetos, ſparſus ad ſinum maris Adriatici, qui nunc appellantur Veneti. Retinent nomen & Heneti, in littore Arctoo, lingua illa, vicina mari Adriatico, vtentes.

Quanquam autem in dialectis exigua diſſimilitudo eſt: tamẽ eandem eſſe originem, harum gentium, conſentaneũ eſt, Illyricæ, Polonicæ, & Boiemicæ, & noſtrorum Henetorum, & alibi loquentium eadem lingua.

Nominabatur autem olim tota regio, in littore ſinus Adriatici, Venetia videlicet circa Patauium, & Vincentiam. Et ſcribit Polybius, in eo littore, aliam eſſe linguam, quam ſit alibi in Italia.

Cùm

Cùm autem Attila obſideret Aquileiam,& magnas vaſtationes in vicinia faceret,multi homines nobiles,& honeſti,ſperantes ſe tutos fore in aquis, occuparunt in vicino mari locum, qui adhuc vocatur Riuus altus:& cumulata arena, domos extruxerunt, &, vrbi nomen Venetiæ,à vicina regione indiderunt.

Inchoatam eſſe ædificationem, ſcribunt,anno Martiani tertio,videlicet anno Chriſti, quadringētesimo quinquageſimo ſeptimo. Ac ſingulari felicitate, vrbs adeo creuit, vt,multis ſeculis, vnica ſit vrbium regina, in toto genere humano,antecellens cæteris omnibus,forma gubernationis optima,excellentia artium,& gloria rerum geſtarum.

Anni ſunt autem, ab inchoatione, vſque ad hūc annum Chriſti 1559.mille centum & duo.Tot annis nunquam in externi hoſtis poteſtatem venit,etſi multa bella,varia fortuna geſſit,in quibus,ſæpe victrix,multarum inſularum,& vrbium domina facta eſt.

DE SYNODO CHALCEDONENSI.

ANno ſecundo Martiani, Synodus conuenit in vrbe Chalcedone, quæ è regione Byzantij ſita eſt, in qua ſexcenti,& triginta Epiſcopi fuerunt,edicto Martiani Imperatoris,conuocati: qui & ipſe diſputationi interfuit,ne ſeditioſis tumultibus, facultas dicendi ſententias impediretur.Et verba Martiani recitantur diſt.96.Nos ad confirmādam fidem,non ad oſtendendam potentiam,exemplo Conſtantini Imperatoris pij, Synodo intereſse volumus, vt inuenta veritate, diſſidia tollantur.

Dictū eſt autē ſupra,non multò ante Theodoſij ſecundi mortem, conuocatam fuiſse Synodum alterā ad Epheſum, quæ, propter necem Flauiani, & alias ſeditiones ibi motas,nominatur ληστρικὴ Synodus. Ibi,cùm Eutychis factio impediret cognitionē.creuerunt poſtea diſcordię.Statim igitur Martianus, poſt mortem Theodoſij,doctrinā Eutychis cognoſci voluit,& piam concordiam reſtitui.

Fuit Eutyches, Monachus Conſtantinopoli,eo tēpore quo fuit ibi Epiſcopus Neſtorius: quem cùm damnatum eſſe ſciret, quod contenderat λόγον tantùm affuiſſe homini Chriſto,tanquam ſocium,vt affuit Eliæ,& aliis Sanctis: ipſe Eutyches poſtea, ad contrariam hyperbolen delapſus, confuſionem naturarum finxit: dixit naturam humanam conuerſam eſſe, in λόγον nec tribuit proprietates ſuas cuíque naturæ: ſed contendit, τὸν λόγον mortuum eſſe,& na-

turam humanam eſſe ipſam τοῦ λόγου naturam. Denique vniuerſam doctrinam Eccleſiæ, de communicatione idiomatum, deleuit. Extant acta Synodi apud Nicephorum.

Vtile eſt autem piis, tenere aliquas illuſtres refutationes errorum, quæ ſunt accuratè ſcriptæ à Theodoreto, qui cùm, in Synodo, quæ λῃστρικὴ nominatur, officio Epiſcopi iniuſtè ſpoliatus eſſet, nunc in Chalcedonenſi reſtitutus eſt. Is rectè ſcribit, duas in Chriſto, nato ex virgine, naturas eſſe, λόγου, & aſſumptam naturam humanam, & vtramq; retinere ſuam proprietatem, nec faciendam eſſe confuſionem naturarum. Verè natura humana eſt, non ſpectrum, aſſumta à λόγῳ nec eſt ipſa natura aſſumta τοῦ λόγου, vt & Petrus diſtinxit naturas, 1. Petr. 4. Cùm Chriſtus paſſus ſit pro nobis, carne. Et in Actis cap. 2. Non relicta eſt anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Et Luc. 24. Spiritus carnem & oſſa non habet.

Hęc, & ſimilia teſtimonia ſint in conſpectu, quæ perſpicuè affirmant, verè humanam naturam in Chriſto eſſe, & ſimus memores dicti Iohannis in epiſtola: Omnis ſpiritus, qui non fatetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt.

Ibi etiam Theodoretus narrat, quomodo vetuſtas, de humana natura, loquuta ſit, citata ſententia Irenæi: Quieſcente λόγῳ in Crucifixione, & morte, præſente tamen apud humanam naturam in perferendo, & reſurgendo: ἐν τῷ ὑπομένειν, καὶ ἀναστῆναι, ἡσυχάζοντος τοῦ λόγου ἐν τῷ σταυροῦσθαι, καὶ ἀποθνήσκειν. Sic & Athanaſius loquitur, in libro de incarnatione Verbi: Cùm non eſſet poſſibile ipſum mori λόγον, quippe immortalem Patris Filium, corpus, quod mori poſſet, accepit.

Sic vetuſtas locuta eſt, & tamen retinet hos modos loquendi in concreto de perſona, Chriſtus mortuus eſt. Et de Chriſto, Deus mortuus eſt, vt ſignificetur hanc perſonã Chriſtũ, verè Deum eſſe. Ac Neſtorij impietas refutetur, qui fingebat τὸν λόγον adeſſe Chriſto, vt ſocium, ſicut omnibus ſanctis adeſt. Latini nominarunt hanc loquendi formam, communicationem idiomatum, de qua Theodoretus ait: Κοινὰ τοῦ προσώπου γέγονε τὰ τῆς φύσεων ἴδια.

Tandem poſt longa certamina, Martianus perfecit, vt decretũ, communi cõſenſu plurimorum, fieret, in quo, primùm omnes teſtati ſũt, ſe amplecti Nicenæ Synodi Symbolũ. Deinde dãnata ſunt dogmata Neſtorij, & Eutychis.

Hic labor Martiani, etſi multis profuit, tamen non vbique

que extinxit diſſidia : ſed , in vrbe Ieroſolyma,mulier inquieta Eudoxia vidua,quę fuerat Theodoſij ſecundi vxor, fouebat reliquias factionis Eutychianæ.

Aliquantò poſt , cùm contra Zenonem Imperatorem, Baſiliſcus ſeditionem mouiſſet , vt armaret ſe multorum Epiſcoporum fauore,publicè edictum propoſuit,quo acta Synodi Chalcedonenſis prorſus dānauit. Huic edicto ſubſcripſerunt Epiſcopi plures quingentis. Fuit & huic Baſiliſco incitatrix vxor.

Miror autem rabiem ingeniorum, quòd tanta fuit pertinacia , in manifeſta abſurditate, videlicet in hoc prodigioſo errore,quod non humana natura,ſed diuina mortua fuerit.

Vt autē Neſtorius rectè , Samoſateni impietatem reſtituit : ita ſuſpicor Eutychen idem voluiſſe , etiamſi aliter pinxit ſuum dogma. Sed Baſiliſcus breui pœnas dedit ſui furoris. Captus enim à Zenone,miſſus eſt,cum vxore,& aliis quibuſdam,in carcerem,vbi,in magno frigore,& fame,captiui ſe mutuò complexi, & deplorantes ſuam calamitatem,extincti ſunt.

VANDALORVM SÆVITIA IN Africa.

CVm initia ſæuitiæ Vandalorum , in Martiani tempora incidant,breuiter hic complectar, ſeriem regni, quod in Africa Vandali tenuerunt annos nonaginta quinque. Numerat Plinius Vandalos , inter Germanos , in littore maris Germanici,vbi nunc Megalburgenſes, & Pomerani ſunt. Non dubito autem Vandalos,ex Heneta ſtirpe eſſe, ſed credibile eſt, cùm vicini crebra inter ſe bella geſſerint, Heneti,& Germani, vſque ad recentia tempora,aliâs alios victores fuiſſe, & partem Henetorum linguam , & leges Germanicas accepiſſe. Eam partem exiſtimo Vandalos à Plinio nominari.

Cùm autem linguæ diſcernant gentes , facilè intelligi poteſt,aliam eſſe gētem Henetam,aliam Teutonicam.Et adhuc , in eo littore, gentes quædam, Heneta lingua loquuntur. Et arbitror non recèns in ea loca veniſſe Henetos,ſed olim cum Getis , & Dais paulatim progreſſos eſſe.

Dion ſcribit, fontes Albis eſſe in Vandalicis montibus. Diu igitur diuerſæ gentes ibi fuerunt , in ea regione, quæ habuit Boiemiæ nomen : Boij , Marcomanni , & Heneti. Boij ſignificat aduenas,Marcomanni, limitaneos,Heneti latè vagantes.

GENSERICVS PRIMVS VANdalorum rex.

ANno quadringenteſimo, triceſimo quarto, cùm de Hiſpaniæ poſſeſſione inter ſeſe Gotti, & Vandali dimicarent, Genſericus rex Vandalorum, impar Gottis, incitatus à Bonifacio Duce Valentiniani, adduxit in Africam quinquaginta millia Vandalorum. Et occupata parte Africæ, concedente Bonifacio, deinde Hipponem, Carthaginem, & alias vicinas vrbes, fraude & armis cepit. Vexauit Siciliam. Populatus eſt vrbem Romam, & Campaniam, Martiani tempore. Poſt Carthaginem captam, tenuit regnum annos triginta ſeptem, vir aſtutus, intentus in occaſiones varias, fœdera faciens, & violans, pro opportunitate. Interdum victus, arte ſe rurſus erexit: penè Sertorio ſimilis. Regnũ, in aliena terra, non magnis copiis adeptus. Addictus Arianis, expulit Epiſcopos rectè ſentientes.

HONORICVS II.

HONORICVS ſucceſsit Genſerico, anno Chriſti, quadringenteſimo, ſexageſimo ſexto. Tenuit regnũ annos ſeptem, cuius tempus inſigne eſt, ingenti crudelitate regis, fame, & peſtilentia Africæ, & tetro exitu Tyranni. Honeſtas matronas, & virgines nudatas ſuſpendit, facibus vſſit corpora, præcidit mãmillas, & brachia, nolentibus aſſentiri Arianæ impietati. In ipſo ſupplicio, Dionyſia matrona nobilis, filium vnicum Maioricum, raptum ad necem, confirmauit, inquiens: Memento fili, te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum eſſe.

Cum talibus ſuppliciis, & exiliis multa millia hominũ ſuſtuliſset Honoricus, ſecuta eſt ſterilitas, propter ſiccitatem, in qua & homines, & pecudes fame perierunt, & latè vagata eſt peſtilentia, in qua & φθειρίασι regis corpus ita putrefactũ eſt, vt alia membra, poſt alia deciderint. Vxor Eudoxia, filia Imperatoris Valentiniani, mater Hilderici, pij regis diſceſsit à marito, tãquã voti cauſſa Ieroſolymam proficiſcens, vbi in lacrymis, & precatione vixit.

III. REX.

GVndamundus, natus ex fratre Honorici, ſucceſsit, qui regnum tenuit annos duodecim. Exercuit & hic ſæuitiam aduerſus rectè ſentientes.

IIII. REX.

THraſimundus regnauit annos viginti ſeptẽ, qui, quanquam erat Arianus, tamen ſæuitiam non exercuit.

V. Rex.

V. REX.

Hildericus natus ex Eudoxia, rectè ſentiens, reſtituit Eccleſias in Africa. Tenuit regnum annos ſeptem. Sed per ſeditionem à Gilimero captus eſt, & aliquantò poſt necatus.

VI. REX.

Gilimer natus ex fratre Honorici, fuit audax, & peritus rei militaris, mouit ſeditionem aduerſus Hildericũ, quia Vandali eum oderant, diſſentientem ab Arianis. Capto igitur Hilderico, & filiis, & quibuſdam cognatis eius, regnum tenuit Gilimer annos quinque. Hildericum etiam poſtremo anno interfecit.

Quia verò Iuſtiniano, cum Hilderico, fœdus erat, liberare captum ſtudebat. Sed cùm Gilimer ſuperbè reſponderet, & multi in Africa defenſionem contra impium, & crudelem regem, peterent, miſit eò Iuſtinianus, Ducem Belliſarium, excellentem iuſtitia, ſcientia rei militaris, fortitudine, beneficentia, & modeſtia. Huic, cùm primo prælio viciſset Gilimerum, Carthaginenſes vltro vrbem patefecerunt. Poſtea fugientem Gilimerum, ex aliis locis, in alia, & in ſolitudines, coëgit Belliſarius fame, vt ſeſe dederet, & duxit eũ captiuum Conſtantinopolin, vbi, cùm, in triumpho Belliſarij, ſupplex ad Iuſtinianum duceretur, cogitãs fortunæ vices, in hac calamitate, in quam ſenex inciderat, hæc verba edidit: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

Ita pœnas dedit Gilimer, crudelitatis, quam exercuerat aduerſus Hildericum, & multos alios. Et ſimul cum eo, reliquiæ Vandalorum in Africa deletæ ſunt, quam tenuerant Vandali annos nonaginta quinque. Ac rurſus Africa Romanorum prouincia facta eſt, vſque ad Heraclij tempora. Poſtea eam Saraceni inuaſerunt.

Fuit autem Iuſtinianus beneficus erga Hilderici filios, & nepotes, & eis in Thracia dedit prædia, & victum. Sed Gilimerum longius in Galliam relegauit.

Hanc ſeriem regni Vandalici, in Africa, breuiter hîc comprehendere volui, vt tota in conſpectu eſset, etiamſi poſteriora bella, ad ſequentium Imperatorum tempora, pertinent.

Anno mundi, quater milleſimo, quadringenteſimo, viceſimo tertio.

Anno Romæ, milleſimo, ducenteſimo, vndecimo.

Anno Chriſti, quadringenteſimo, ſexageſimo primo.

DE LEONE.

LEo natus in Thracia, factus eſt, ex Tribuno militari, Imperator Conſtantinopoli, Senatus, & exercitus ſuffragatione, coronatus ab Anatolio Patriarcha. Atque hunc primum inuenio à Patriarcha coronatum. Nec verò coronatio, ſeu Patriarcha, dedit Imperiũ, ſed teſtis fuit, eum, qui electus erat, Chriſtianum eſſe, & alienum eſſe à falſis dogmatibus, eámque ob cauſſam, profeſſio doctrinæ, ante coronationẽ petebatur, vt poſtea in Anaſtaſij Imperatoris coronatione dicetur. Tenuit Imperiũ Leo, annos ſeptẽdecim. Princeps iuſtus, & eò vtilis, quia, cùm ipſe alienus eſſet à falſis dogmatibus, Eccleſiæ minus turbatæ ſunt, nec Epiſcopi rectè ſentientes, ex ſuis ſedibus expulſi ſunt.

Fuit autem tunc magna potentia duorum Principũ, qui quanquam Gotti erant, & Ariani, tamen inter patricios aſciti fuerant, Aſparis, & Ardaburij, quorum ſuffragatione præcipuè adiutus erat Leo. Sed hi, cùm poſtea inſidiarentur vitæ Leonis, ac dicerent, *σφάγωμεν τὸν λέοντα, πρὶν αὐτὸν ἡμᾶς σφάξῃ*, iuſſu Leonis interfecti ſunt.

Iã verò, in Occidente, ruere Imperium Romanum cœperat. Franci magnam Germaniæ, & Galliæ partem tenebant. Oſtgotti Pannoniam, Weſtgotti Hiſpaniam, Genſericus Africam. In Italia multi Imperatores creabantur, qui, nec diu tenebant Imperium, nec exercitus magnos habebant. Cúmque verum ſit illud Homericum.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, mox, poſt Leonis mortem, inuaſit Italiam Odoacer Rugianus, & crudeliter in ea graſſatus eſt annos quatuordecim, vt poſtea dicetur.

Voluit autem Deus, in Oriente, aliquantiſper adhuc durare Romani Imperij formam, quod cõplectebatur Thraciam, Macedoniam, Græciam, Illyricum, minorem Aſiam, Syriam & Ægyptum. Fuítque Leonis gubernatio mediocriter tranquilla.

At in Italia interfecto Valentiniano, Maximus, vt ſupra dictum eſt, inuaſit Imperium, qui, fugiens Genſericum, captus, diſcerptus, & in Tyberim abiectus eſt, menſe Imperij ſecundo.

Poſt hunc, Senatus creauit Imperatorem Auitum, cum quo Martianus fecit fœdus. Nondum finito anno, cepit Auitum, Richimer Gottus, apud Placentiam, & deponere eum Imperium coëgit. Interea Rauennæ, Maioranus, cuius virtus laudatur, Imperator factus eſt. Cúmque bellum Vandalis in Africa inferret, tertio Imperij anno, mortuus eſt.

eſt. Succeſſit Rauennæ Seuerus, qui Romæ, tertio Imperij anno, extinctus eſt.

Miſit igitur Martianus, Anthemium generum in Italiā, vt Imperium Occidētis teneret. Hic collegam fecit generum, Richimerum Gottum, qui, vt Arianis, in vrbe Roma, traderet Eccleſiam, cum ſocero, id prohibente, in ipſa vrbe Roma dimicauit, & victor ſocerum interfecit, anno Imperij quarto, & bona ciuium diripuit. Quadrageſimo autem die, poſt ſoceri mortem, morbo extinctus eſt Richimer parricida.

Tales confuſiones accidunt, ruentibus Imperiis. Agnoſcamus igitur, non durare Imperia, niſi Deo conſeruante, & petamus à Deo ſalutares gubernatores.

Richimero ſucceſſit Olybrius, miſſus à Leone Romam, quia adfinitas Imperatorum, ei autoritatem addebat. Habuit enim vxorem Placidiam, filiam Valentiniani, ſed ſeptimo Imperij menſe, mortuus eſt.

Poſt hūc à militibus, Rauēnæ, Imperator factus eſt Glycerius, cui, cùm non totum annum regnaſſet, eripuit Imperium Iulius Nepos, & fecit eum Epiſcopum in Dalmatia. Cùm autem Iulius Nepos, Oreſtem feciſſet magiſtrum militum, hic Oreſtes, inſtructus exercitu, Imperatorem fecit Rauennæ, filium adoleſcentem, qui nominatur Auguſtulus: ac fœdus fecit cum Vandalis, in Africa.

Iam autem Odoacer Rugianus exercitum in Italiā abduxerat. Vt igitur defenderet Italiam Oreſtes, cōtra eum, ad Ticinum vſque, exercitum ducit. Ibi robur Italiæ extinctum eſſe ſcribitur. Oreſtes victus, fugit in vrbem Ticinum, qua expugnata, Odoacer Placentiam adduci Oreſtē iuſſit, ibique eū, ſpectante exercitu, interfecit. Vrbes vicinæ conſternatæ, deditionem fecerunt. Auguſtulus fugiēs, Imperio ſe abdicat; quod circiter annum vnum tenuerat, ac deinde in Campania, priuatus vixit, tanquam exulans.

Hic finis fuit Imperatorum Italicorum. Anno Chriſti, quadringenteſimo, ſeptuageſimo quinto; cùm adhuc Leo Conſtantinopoli viueret.

Odoacer autem Romam ingreſſus regem ſe vrbis Romæ, & Italiæ nominauit, & triumphans in Capitolium aſcendit. Magnæ cædes, & direptiones in vrbe Roma, & alibi factæ ſunt. Agrorum tertiam partem ſuis attribuit, ac regnauit annos quatuordecim. Miſit enim Zeno, Theodoricum Gotticum regem, in Italiam, tanquam vicarium ſeu ſocium, qui duobus magnis præliis Odoacrum occu-

rentem vicit, altero ad Aquileiam, altero ad Padum. Victus Odoacer, fugit Rauennam, vbi triennio circumſeſſa vrbe, multa prælia facta ſunt, donec tandem Odoacer, à Theodorico gottico rege, interfectus eſt: Ac reſpondit euectus voci, quam in Apennino audierat Tyrannus Odoacer: Vade pellite, non enim redibis.

Anno mundi, quater milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo primo.

Anno Romæ, milleſimo, ducenteſimo, viceſimo nono.

Anno Chriſti, quadringenteſimo, ſeptuageſimo nono.

ZEno, gener Leonis, regnare cœpit. Tenuit Imperium annos ſeptemdecim. Natus in Cilicia, obſcuris parentibus, ductor exercitus, ſub Leone, raro exēplo, à filio factus Imperator. Nam Leo Imperatorem fecerat Leonem ſecundum, natum ex Zenone genero, & Ariadna, quę fuit filia primi Leonis. Moriturus autē filius Imperatorem fecit patrem. Præcipuè memorabilia, in eius Imperio, hæc acciderunt: Baſiliſci ſeditio, Theodorici gottici regis, in Italiam, expeditio, & mors ipſius Zenonis.

Primùm igitur pauca de Baſiliſco dicam, qui fuit frater ſocrus Zenonis. Hæc, abſente Zenone in Cilicia, Imperiū in fratrem tranſtulit, qui vt confirmaret vires, adiunxit ſibi factionem Epiſcoporum, qui aduerſabātur Synodo Chalcedonenſi, vt ſępè religio prętexitur prauis cupiditatibus: Epiſcopi rectè ſentientes, ex ſuis ſedibus pulſi ſunt.

Hæc, cùm fiunt, redit Zeno, ac Duces Baſiliſci, obuiam miſſi, defecerunt ad Zenonem. Quo reuerſo in vrbem Byzantium, Baſiliſcus fugiens in templum, quod polluerat, inde eductus, & captus, & cum vxore, in exilium miſſus eſt, vbi, cùm frigore, & fame morituri eſſent, complexi ſe mutuo Baſiliſcus, & vxor, & cognati aliquot, calamitatem deplorauerunt.

Hic fuit exitus ſeditioſi hominis, & qui factionem impiam confirmauerat, vt regno potiretur.

Priuſquam verò ad gotticas res, in Italia geſtas, accedo, de morte Zenonis dicam. Scribunt, eum crapula extinctū eſſe. Narrant autem ab vxore, temulentum, adhuc viuentē, in ſepulchrum incluſum eſſe, atque ita necatum.

Anno mundi, quater milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo quinto.

Anno Romæ, milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo tertio.

Anno Chriſti, quadringenteſimo, nonageſimo tertio.

DE

DE THEODORICO GOTTICO Rege,& Gottorum regno in Italia.

THeodoricus rex Gotticus, qui Pannoniã tenuit,miſſus à Zenone in Italiam, quam tenuit annos triginta tres,adoleſcens fuit obſes,apud Martianum,& Leonem, vbi Romana diſciplina inſtitutus eſt,& poſtea ad paternum regnum remiſſus, ſocius Romani Imperij fidelis fuit.Conſideretur autem,quo patre natus ſit.

Regnum Pannoniæ Gotti tenuerunt, ante Attilam:ſed Attilæ potentiæ cedentes,donec is vixit, in ſeruitute fuerunt.Cùm autem filij Attilæ,poſt eius mortem,diſcordes eſſent,tres fratres Gottici,recuperarunt Pannoniam: Walamir,Theodmir,& Widemir. Inter hos primus regnauit Walamir,maximus natu,cùm Attilæ filios aliquot præliis ſuperaſſet,ipſe deinde in prælio,quod cum Sueuis fecit, in ea regione,quæ nunc eſt Auſtria,periit.

Deinde regnauit Theodmir. Hic pater Theodorici huius,quem nominamus Veronenſem,fuit, & victores Sueuos,& Alemanos à Pannoniã depulit.

Tertius frater Widemir,duxit exercitum in Italiam, ibi mortuus eſt. Quia verò Theodoricus, abſente patre, Sarmatas,qui Gottorum,& Romanorum terras populati fuerant,repulerat,Zeno Imperator eum ad ſe vocat,& facit eũ Patricium, & Conſulem. Ac miſit eum in Italiam,contra Odoacrum Rugianum,quem,duobus magnis pręliis vicit, & deinde,cùm Rauennam triennio obſediſſet, interfecit. Potitus Italia,vrbem Romam Senatui regendam commẽdauit:ſui regni arcem Rauennam eſſe voluit. Seditiones Romæ ortas,propter electionẽ Pontificũ, ſedauit.Et extat in Græco ſcriptore laudatio ingenij,& iuſtitiæ eius: δικαιοσύνης ὑπερφυῶς ἐπεμελήσατο, ξυνέσεώς τε καὶ ἀνδρείας εἰς ἄκρον ἐλήλυθεν.Sed poſtremus eius actus cruentus fuit.Iohannem Epiſcopum,quia Arrianis templa tradere nolebat, carceri incluſit.Nam & ipſe Theodoricus,vt pleriq; Gotti, Arianus fuit.Hic Ioannes Epiſcopus in carcere mortuus eſt.

Cùm magna authoritas Romæ duorum Senatorum eſſet,Symmachi,& Boëtij,qui gener Symmachi fuit, euocauit eos Ticinum,& diu captiuos tenuit, quia aliquibus eius decretis aduerſati fuerant:&,vt ego exiſtimo, quia impedierant,ne Arianis Eccleſiæ traderentur, & bona eorum publicauit,& tandem ipſos interfici iuſſit. Hanc iniuſtam crudelitatem,hæc pœna ſecuta eſt.Non multò poſt eorum necem,cum cœnanti propoſitum fuiſſet in menſa,grande

caput piſcis, viſus eſt ſibi cernere caput Symmachi, horribili rictu, & flammeis occulis minitantis ipſi. Subitò igitur conſternatus, & tremens, iuſſit ſe in lectum collocari, & accerſito Medico Elpidio, narrauit amicis terribilem illam Symmachi ſpeciem conſpectam, & in deploratione ſceleris ſui, paulò poſt extinctus eſt.

Gregorius Pontifex ſcripſit, quendam in ſolitudine, in inſulis Æoliis viuentem, vidiſſe deiici Theodoricum in illarum inſularum voragines, quæ eiiciunt globos flammarum ſicut Ætna.

Extant ſcripta Boëtij, de præcipuis diſciplinis, ex quibus iudicari poteſt, fuiſſe eum omnium Romanorum, quorum reliqua ſunt ſcripta, eruditiſſimum. Ad hoc decus addidit, & veræ doctrinæ de Deo profeſſionem, & vtiliter ſcripſit de diſcrimine naturæ, & perſonæ. Et hortandi ſunt ſtudioſi, vt eius libros legant. Coniugem eius, filiam Symmachi, ſcribit Procopius, Totilæ tempore, inter cæteros mendicos patricios, victũ mendicãdo collegiſſe. Hunc autẽ Symmachum, Boëtij ſocerum, multo recentiorem eſſe, lector ſciat, illo ſuperiore Symmacho, qui Theodoſij tempore, contra Chriſtianos ſcripſit, & cui reſpondet Ambroſius.

Habuit autem coniugem Theodoricus, filiam regis Frãcici Ludoici, cuius nomen fuit Adelheda, quod, aut eſt ἀλήθεια, aut Germanicum, à nobilitate dictum.

Sororem habuit Amelfredam quam regi Vandalorum in Africa deſpondit. Huius filiam Amelbergam dedit regi Turingorum, Hermanfrido. Filia vero Theodorici fuit Amaloſuntha. Hæc nomina putant alij à cælo dicta eſſe, quaſi *Himelfrid, Himelſchonheit*. Sed verius eſt, eſſe à dictione *Hamel*, quod eſt agnus, ſeu aries. Id enim nomen fuit familiæ Theodorici, quæ ſic à vellere Iaſonis dicta eſt. Inde enim Gotti, ex Colchica, in Europam progreſſi fuerant, vt adhuc in Taurica Cherſoneſo, Gotti ſunt, noſtra lingua loquentes. Erit igitur etymologia Amaloſunthæ: Amalorum *Schonheit*.

Hanc filiam ſuam Theodoricus deſpondit Eutarico Vviderici Hiſpanici regis filio, qui etiam ex familia Amalorum fuit. Ex his parentibus, Eutarico, & Amaloſuntha natus eſt Atalaricus, qui, orbatus patre, ſucceſſit Theodorico in regno Italiæ, natus annos octo. Sed mater excellens prudentia, & virtute, aliquandiu iuſtè, & feliciter, gubernauit. Decreta extant, filij nomine, de Eccleſiarum libertate, & canonica Epiſcoporum electione, & ſtipendiis

pendiis

pendiis docentium in Scholis.

Offendit autem Gottorum voluntates, duabus rebus, inſtitutione filij, quem literas doceri voluit, & iuſtitia, quia licentiam Ducum, & militum coërcebat, ne ciues in Italia iniuriis afficerent. Permiſit autẽ mater, vt filio tres, ex Gotticis Principibus præficerentur, qui & adoleſcentem ad militaria exercitia aſſuefacerent, & conſilia publica regerent. Hi plus licentiæ in ocio, & adoleſcẽti, & militibus permiſerunt. Sed adoleſcens, dum voluptatibus indulget, mortuus eſt, poſtquam annos octo, cum matre regnauit.

Mater deinde, tres illos gubernatores filij, interfici curauit, & vt ſe muniret, Theodatum Gottum ſibi ad regni ſocietatem, adiunxit, & cum Iuſtiniano Imperatore fœdus facit. Prætulit autem cæteris Amaloſuntha, hunc Theodatum, quod & natus erat ex Amalfreda, ſorore Theodorici, & rexerat Hetruriam, & exiſtimabatur, propter ſtudia doctrinarum, quia Platonicus haberi voluit, fore iuſtior: ſed longè eam fefellit opinio. Nam auaritia, generis nobilitatem in eo dedecorabat, & naturæ prauitatem in eo non emendauerant literæ, iuxta dictum:

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. Imponebat Italiæ iniuſta tributa, & multos excutiebat ex facultatibus, qualicunque prætextu, circunuentos calumniis.

Hanc iniuſtitiam, cùm reprehenderet Amaloſuntha, incluſit eam in carcerem. Ibi aliquanto poſt, fraude Theodati, interfecta eſt: qui tamen non multo poſt, ingratitudinis pœnas dedit, iuxta dictum: Non recedet malum à domo ingrati.

THeodatus regnauit duos annos, poſt necatam Amaloſuntham, auarus, inſolens in rebus ſecundis, in aduerſis timidus. Cùm bellum ei inferret Iuſtinianus, propter necem Amaloſunthæ, initio trepidus, Italiam ſe ei traditurum eſſe, promiſit. Sed cùm in Illyrico diſſipatus eſſet Iuſtiniani exercitus, elatus noua ſpe, legatos Iuſtiniani retinet incluſos carceri. Ibi vero Iuſtinianus Belliſarium, cuius virtus, & felicitas, iam cognita erat, multis gentibus, & cùm in Oriente Perſas viciſſet, & recens, deletis Vandalis, Africam recepiſſet, miſit in Italiam. Hic recuperata Sicilia ingreſſus Italiam, primum obſedit Neapolin: in qua, etſi vi eam ceperat, tamen ſeuerè præcepit, ne ſæuitia exerceretur in ciues, eorum coniuges, & liberos: iuſſitque ciues domos, & res ſuas tenere. Et quidem hac vſus oratione, ad milites ſcribitur: Diuinitus ſe poti-

tum eſſe vrbe,quæ putabatur inexpugnabilis,& Deo hanc gratiam referendam eſſe, ne quid crudeliter, aut libidinoſè fieret:pepercit & Gottico præſidio,cui conceſſit, vt fide publica tutò diſcederet.

Interea Romæ erat Gottorum rex Theodatus, qui ſeu metu ſeu ſpretus à ſuis, non parabat ſe aduerſus peritiſſimum hoſtẽ.Itaq; Gotticus exercitus vicinus vrbi Romę, iratus Theodato,creat regem Vitigem, virum bellicoſum, qui feliciter duxerat exercitũ,Theodorici tẽpore.Cognita noui regis electione,ex vrbe Roma fugit Theodatus, Rauẽnam cõceſſurus,quẽ Optares,iuſſu Vitigis, fugientẽ interfecit. Cupidius enim hic Optares,mandatis Vitigis paruit,quia coniugem ei ademerat,eamq; alteri pecunia corruptus,tradiderat.Ita pœnas dedit Theodatus, cùm aliorũ ſcelerum,tum ingratitudinis erga Amaloſuntham. Venit Romam Belliſarius,& eam magnis operibus muniit.

VItiges quartus rex Gottorũ, regnauit annos quinque. Ac belli Gottici epitaſis, in huius Vitigis, & deinde Totilæ tempora incidit,in qua ingens Italiæ vaſtatio facta eſt.Roma ſæpè capta eſt. Mediolanum funditùs deletum à Gottis,qui triginta millia ciuium ibi interfecerunt. Sunt & aliæ multæ vrbes vtrinque captæ, magni exercitus trucidati,magna multitudo hominum peſtilentia, & fame abſumpta eſt,matres filiorum carnibus,in Liguria,paſtæ,ſcribuntur.

Initium autem belli,cùm Vitige geſti,Romæ factum eſt, quam Vitiges,anno integro,& diebus nouẽ obſedit.Multa ibi magna prælia facta ſunt. In primo autem, maximè virtus Belliſarij conſpecta eſt. Exercitus Vitigis erat centum,& quinquaginta millium Gottorum, robore & peritia rei militaris excellentium. Hi, cùm vidiſſent Belliſarij exercitum,qui egreſſus erat,ad ſpeculanda hoſtium caſtra, contemta paucitate,prælium cient. Et quia agnoſcebatur equus Belliſarij giluus,& albo capite, Gotti, rectè exiſtimantes,Duce interfecto, facilem fore victoriam, ſeſe cohortantur,vt quàm plurimi conglobati,in vnum hunc,impetum faciant,continuo clamore, hanc vocem ſonantes: in Falam,id eſt,giluum equum.

Semper autem veteri Laconico more, proximos apud ſe delectos equites habuit Belliſarius, excellentes fortitudine, ſcientia rei militaris,iuſtitia, & fide Ab his tũc quoque fideliter defenſus eſt, & pugnauit ipſe ſuo loco fortiſſimè, donec in collem, interuallo mediocri à caſtris,

diſſitum,

diſsitum,euaſit,quo Gotti, cùm iam nox inſtaret,progredi non ſunt auſi. Ita diuinitùs ſeruatus,rediit intra vrbis Romæ mœnia , cùm iam periiſſe diceretur , ac rediens, multos dubitantes,ad officium reuocauit.

Poſtea, durante obſidione, cùm ſæpè tentaretur oppugnatio,& in ipſis mœnib.crebra prælia fierent,vno die triginta Gottorum millia perierunt. Ea clade,cùm fracti eſſent Gottorum animi,lenta deinde fuit obſidio. Cùm verò in vrbe,ad cæteras miſerias, fames acceſſiſſet, venerunt in ſuſpicionem Senatores quidam Romani, & cum his, Pōtifex Syluerius , quod de vrbe tradenda , cum Gottis agerent. Quare Belliſarius,& Pontificem,& alios,qui accuſati fuerunt , in exilium miſit , & ſucceſſorem dedit Syluerio,Vigilium,qui fuerat Diaconus. Hæc in libro quoque Decretorũ, vt nominatur,recitantur, cauſſa 23.quæſtione 4.vbi Syluerius narrat,ſe propterea , contra Belliſarium,& Vigilium edidiſſe fulmen excommunicationis.

Vitiges tandem,omiſſa obſidióne Romæ,cùm ſexagies ſepties ibi dimicatum eſſet , ducit exercitum ad oppugnationem Arimini. Poſtea obſidionum,& deditionum variæ vices fuerunt. Mediolanum etiam à Gottis deletum eſt,magna ibi cæde facta. Tandem ad Rauennam,Belliſarius acceſſit,vbi granaria cōflagrauerant. Ibi, cùm de pacis conditionibus, ſæpè colloquia haberentur,tandem aſtutè Belliſarius obtinuit,vt Rauenna dederetur,in qua erat Vitiges,quem captum honorificè cuſtodit.

Etſi autē nondum tota Italia pacata erat, & adhuc multas vrbes ad Padum , & Atheſin , Gotti tenebant: tamen quia inclinatio magna potentiæ Gotticæ, Belliſarij conſiliis,& virtute facta erat, ipſe Cōſtantinopolin rediit:& eò Vitigē captum abduxit. Reuocatum autem ſcribunt à Juſtiniano,propter bellum Perſicum,à Coſroë motum. Sed exiſtimo faciliùs,ex Italia eum diſceſſiſſe,propter Iuſtiniani ſuſpicionem,& cæterorum Ducum, Ioannis, & Narſetis maleuolentiam, quorum voluntates ab eo alienatæ erant:SICVT excellentem virtutem,inuidia comitatur.

In hunc Vitigem, adductū Conſtantinopolin,Juſtinianus nihil aſperè cōſtituit, quia,perfidia ſuorũ,captus erat. Ideò,propter reuerentiam regij nominis,fecit eũ patriciũ. Gotti regē crearũt Ildobaduin, qui,cum Vitigis cognatũ interfeciſſet,non diutius anno regnauit. Nā & ipſe,in cōuiuio,obtruncatus eſt. Mox & ſucceſſor eius interfectus eſt. Ita,intra biennium,duos reges Gotti interfecerunt.

Cùm igitur & Romanis bellis, & domeſticis diſcordiis, potentia Gottica languefacta eſſet, rex Gottorum Totila factus eſt, qui breui, magnā partem Italiæ recepit, cùm initio exiguas copias haberet, quia Græci Duces & Præfecti, propter rapacitatem, in odio erant, & in gubernatione non erant concordes.

TOtila penultimus rex Gottorum, regnauit annos decem. Res Gotticas, ſingulari virtute, & felicitate, rurſus erexit: etſi tandem ipſius etiam fortuna cõuerſa eſt, ſicut ei Benedictus abbas prædixit, qui, inquit ad eũ: Multa mala facies, Romam ingredietis, nouem annis regnabis, decimo morieris. Ac flexiſse eum, Benedicti adhortatio, dicitur, vt minus crudelis, in victoriis fuerit.

Initio, ad Placentiam, vicit Romanum exercitum, duplo maiorem ſuo, inſigni ſtratagemate. Nam Gotticus exercitus erat tantùm quinque millium virorum. Deinde procedens, occupauit magnam Italiæ partem, & vbicunq; cepit nobiles matronas, virgines, & pueros, miſit inuiolatos, additis præſidiis, ad ſuos. Itaque, propter iuſtitiã, plures ad eum deficiebant. Neapolin fame coëgit ad deditionem: quam, cùm occupaſſet, mox frumentum inuehi curauit, & præſidium addidit, ne, in tanta fame, frumẽtum ſubitò diriperetur; ſed, vt ordine vendi, & egentibus diſtribui poſſet, prohibuit vrbis Neapolitanæ direptionẽ, & præſidium Romanum dimiſit, additis etiam nauigiis, & viatico.

Cùm autem Iuſtinianus intellexiſſet, Gottos rurſus ſuperiores eſse in Italia, & iam à Totila Romam obſideri: Belliſarium ſecundò in Italiam mittit, ſed, neque accedere ad obſeſsam vrbem, Belliſarius potuit: nec exercitum habuit parem hoſtibus. Interea, dum vrbis Romæ obſidio, ferè biennio, durat, ſimul alibi multæ vrbes iam à Totila, iam à Belliſario, & ab aliis Ducibus occupantur, multi fame, & peſtilentia, multi in prœliis pereunt, & fit vniuerſæ Italiæ vaſtatio. Placentia tandem Gottis dedita eſt, cùm præſidium ibi veſci humanis carnibus cœpiſſet. Romæ etiam tanta fames fuit, vt pater, qui multos filios habuerat, ſpectantibus multis, ſeſe de ponte in Tyberim præcipitauerit, iubens filios, petentes cibum, ſe ſequi.

Milites igitur Iſaurici, portã Aſinariam Totilę patefecerunt; Gotti ingreſsi vrbem, paſsim obuios interficiũt, fit direptio, & magna pars ædificiorum incendio perit. Iubet Totila & muros dirui. Cúmque totam vrbem Romam Gotti delere vellent, Pelagio Pontifice deprecante, prohi-

buit

buit Totila cædes,& incendia. Etſi fuit ante Roma,ab Alarico,& Genſerico capta,& direpta, tamen deſtructa non fuit. Sed in hac tertia occupatione deſtructa eſt,ſicut prædictum fuit à Sibylla.

Ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος.

Admoneant autem nos exempla ruentium Imperiorum, & magnarum vrbium,de iudicio Dei. Pleræque,propter idola,tyrannidem, & libidinem delentur. Romæ,ad hæc ſcelera, acceſſerat ſæuitia aduerſus Chriſtianos, inde vſq; à Nerone. Tãdem igitur Italia vniuerſa,horribiliter vaſtata eſt,& in exterarum gentium poteſtatem venit. Repeto autem & tempora,quibus & antea capta eſt.

ROMA QVOTIES CAPTA SIT.

I. Tempore Honorij,Alaricus Gottorũ rex,Romã biennio circumſeſſam cepit, anno Romæ milleſimo, ſexageſimo quarto. Anno Chriſti, quadringenteſimo, decimo quarto.

II. Tempore Martiani, Genſericus Vandalus, Romam ſpoliauit, abducta inde Eudoxia, quæ fuerat coniunx Valentiniani,anno Romæ,milleſimo,ducẽteſimo,nono:anno Chriſti,quadringenteſimo,quinquageſimo nono.

III. Tempore Iuſtiniani, Totila cepit, & deſtruxit vrbem circumſeſſam circiter biennium, anno Romæ,milleſimo ducenteſimo,nonageſimo ſexto,anno Chriſti,quingenteſimo,quadrageſimo ſexto. Ab Auguſto,anno quingenteſimo,quarto:anno,poſt deſtructionem Carthaginis, ſeptingenteſimo. Quòd eò adiicio,quia Scipio,incẽdium Carthaginis aſpiciẽs,ac lacrymans,dixit: Se cogitare,ſimile fore aliquando excidium Romæ. Deinde, cùm Belliſarius, qui Romam deſtructis muris, receperat, diſceſsiſſet, triennio poſt deſtructionem, Totila rurſus eam cepit,& aliqua ex parte inſtaurauit.

NARSIS BELLA IN ITALIA.

INterfecto autem Totila, poſt triennium recepit vrbem Romam,Narſes,anno Chriſti,quingenteſimo,quinquageſimo ſecundo.Poſt id tempus, vſque ad Agilolfum,regẽ Longobardorum nemo peregrinus vrbem Romã obſedit. Has vices ſimul cõplecti hîc volui, vt cogitari poſſit,quãtæ fuerint calamitates, cùm tot obſidiones exiguis interuallis acciderint. Nunc Totilæ interitum addo.

Cùm Belliſarius ex Italia diſceſsiſſet, cùius fortuna, in hac poſteriore expeditione, nõ fuit ſimilis priori,Iuſtinia-

nus ſummum Ducẽ in Italia eſſe iuſſit Narſen, qui pecunia inſtructus, magnum exercitum collegit. Adiunxit ſibi etiã Herulorũ, & Longobardorũ auxilia. Cùm igitur, collecto exercitu, Rauennam veniſſet, mittit legatos ad Totilã, pacem certis conditionibus facturus. Totila nullã pacis cõditionem audire volens, reſpondet, dimicandũ eſſe armis, & exercitum aduerſus Narſen ducit, vſque ad Apenninũ. Ibi, magno prælio facto, Gotti tandẽ victi, & in fuga diſſipati ſunt. Totilam inſignem equo, aureis armis, purpura, & proceritate corporis, fugientẽ cum quinque comitibus, ſequitur vir Gepida, Asbadus, à quo vulneratus, in caſtra vehitur à quatuor comitibus, vbi, paulò poſt, mortuus eſt. Quintus comes, qui Asbadum, ne ſequi poſſet, repreſſit, & vulnerauit, etiam ſuo vulnere periit.

Hic exitus eſt Totilæ, qui etiam exemplum eſt inconſtantiæ rerum humanarum. Inclinatam potentiã Gotticã, cum haberet exiguas copias, feliciter reſtituerat. Poſtea res magnas, toto decennio, geſſerat. Tandẽ, ſpreta pace, ſuperatus vno prælio, & fugiens interficitur. Reliquiæ tamen Gottorum, regem faciunt Teiam, qui in vrbe Ticino erat: vbi, ſumpta ex veteribus theſauris pecunia, exercitum colligit, & à Francis auxilium petit. Interea Narſes ad vrbem Romam accedit, eámque vi capit, pulſo Gottico præſidio.

TEias rex Gottorum vltimus, in Italia interfectus eſt, nõdum primo anno regni exacto. Cùm enim exercitũ duceret in Campaniam, vbi pręſidium, quod Romę fuerat, Cumas ſe contulerat, ídque Narſes obſederat, ibi, magno prælio, Narſes ad Nuceriam vicit Gottos. In eo prælio prorſus & vires Gottorum conciderunt, & ipſe Teias pręlians interfectus eſt. Illi, qui Cumis erant, deditionem fecerunt, conceſſa vita. Addita eſt autem conditio, vt vniuerſæ Gottorum reliquiæ, ex Italia diſcederent.

¶. Hic finis fuit regni Gottorum in Italia, quod ab initio Theodorici Veronenſis, vſque ad mortem Teiæ, durauit annos ferè ſexaginta. Fuítque, poſt Amaloſunthæ mortem, continua Italię vaſtatio, annos ferè triginta. Poſtea Narſes rexit Italiam, tanquam proconſul, annos ſedecim. Deinde Italiam Longobardi, & Exarchi lacerarunt, donec Caroli Magni virtute, & felicitate, Italiæ pax vtcũq; reſtituta eſt.

Conſiderentur autem, in hiſtoria Gottica, viri præcipui, Theodoricus Veronenſis, fortis, & felix fuit, in bellis Italicis, & Germanicis: & initiò iuſtus, & moderatus in gubernatione. Sed tandem crudeliter interfecit Symmachum,

& Bo-

& Boëtium,& terribili conſternatione extinctus eſt.

Totila initiò felix & Benedicti Abbatis adhortatione, repreſſit iracundiam. Poſtea,in rebus ſecundis,factus inſolentior,periit fugiens.

Iuſtiniani Duces tres fuerunt,ſapientes,fortes,& felices: Belliſarius,Iohannes & Narſes.

Clarior eſt autem cæteris Belliſarius, qui Perſica bella, & Vandalicum, in Africa,feliciter geſſit. Fuit & prior expeditio Italica,contra Vitigem, glorioſa: magna parte Italiæ recuperata. Poſterior verò contra Totilam, nequaquã priori par fuit. Iuſtus fuit erga ſocios ac ſeuerè cauit, ne frumentum,aut aliæ res ciuium, & ſociorum, raperentur. Sæpe militibus pauperibus, de ſuo pecuniam largitus eſt, &, vt medici vulneratis, aut alioqui ægrotantibus, opem ferrent,diligenter curauit. Cúmque,eo tempore, Ducum, in Imperio Romano,præcipuus eſſet, & cæteros gloria,& potentia antecelleret,dignitatem,& opes ei Iuſtinianus eripuit,falſis ſuſpicionibus, ab eo abalienatus. Hæc narrat Zonaras. Alij addunt, oculos ei effoſſos eſſe, & mendicaſſe eum ſtipem. Tantus igitur vir,exemplum eſt,non ſolùm inconſtantiæ fortunæ, ſed etiam ingratitudinis aulicæ,de qua in Pſalmo dicitur: Nolite confidere in Principibus,neque in filiis hominum,&c. Et noti ſint verſus:

Viue tibi,quantumque potes prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Crede mihi,bene qui latuit,bene vixit,& intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

NArſes Eunuchus, quæſtor primùm fuit Iuſtiniani, ſed tanta induſtria, vt poſtea ſummus Dux in Italia factus ſit,ac deſcribitur his verbis: Εὔφρων ἐς τὰ μάλιστα καὶ δραστήριος, καὶ δεινὸς αὐτομάτιζειν τὸ παραπῖπτον· καὶ παραστῆσαι οἷός τε ἦν τῷ λόγῳ τὰ βεβουλευμένα. Cúmque Italiam rexerit ſedecim annos, & ex magnis calamitatibus vtcunque eam recreauerit,ſapientiæ, & iuſtitiæ ſignum eſt illuſtre. Sed huius etiam potentia ſuſpecta fuit aulæ,& poſt Juſtinianum,Juſtinus ſucceſſorem ei miſit, Longinũ,ſceleratum hominẽ, & coniunx Juſtini, iuſſit Narſen,redire ad penſa in gynæceo,exprobrans ei mollitiem,quòd Eunuchus eſſet. Sed ipſe reſpondet,ſe telam exordiri, quam non poſſet ipſa ſuperba mulier pertexere. Inuitauit enim Longobardos in Italiam,quorum auxilio,antea,aduerſus Gottos vſus erat. Ac,vt tutior eſſet,non rediit Conſtantinopolin,ſed,vt priuatus,Neapoli vixit,donec ibi mortuus eſt.

Anno mundi, quater milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo ſexto.

Anno Romæ, milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo quarto.

Anno Chriſti, quadringenteſimo, nonageſimo quarto.

ANASTASIVS.

ANaſtaſius Dicorus factus eſt Imperator; regnauit annos viginti ſeptem, menſes tres. Euexit ſenem ad Imperium, anus Ariadne, coniunx Zenonis: cùm antè fuiſſet ſcriba aulicus. Initio fauorem populi ſibi conciliauit, abolito grandi tributo annuo. Seditiones quaſdam repreſſit, & cum Perſis inducias fecit, vt poſtea dicam, nec magnas res bello geſſit, Eccleſias valde turbauit.

Hunc ſecundum legimus coronatum à Patriarcha. Sed prius data ſyngrapha, qua promiſit Anaſtaſius, ſe à Chalcedonenſibus decretis non diſceſſurum eſſe, nec moturum nouos tumultus in Eccleſia. Hac ſyngrapha accepta Euphemius Patriarcha, eum coronauit. Sed non multo poſt, Anaſtaſius delirans, ſyngrapham repoſcit, & palam defendit Eutychianos, & Epiſcopos, ipſi aduerſantes expulit ex ſuis Eccleſiis. Euphemium, à quo coronatus fuerat, expulit ex Conſtantinopoli. Deinde eius ſucceſſorem Macedonium, etiam interfecit. Conuocata eſt ab eo, & impia Synodus Sidonia, contra Heliam Epiſcopum Armeniæ, & alios recte ſentientes. Talis erga Eccleſiam fuit.

De bellis, hæc digna memoria recitantur; Vitalianus, mota ſeditione, exercitum contra Anaſtaſium ad Conſtātinopolin adduxit, vbi, nauali prælio, Marianus Dux Anaſtaſij, ſeditioſos vicit. Et ſcribitur à Proclo mathematico, naues ſeditioſorum, veteri exemplo Archimedis, incenſas eſſe. Facta ſunt enim caua ſpecula, à quibus radij ſolis accenſi vicinas naues inflammarunt.

Fuit, eo tempore, & Perſarum rex Cabades, id eſt, glorioſus, cui Perſæ, quia legem tulerat, ne adulteria, ſine violentia facta, punirentur, regnum ademerunt, eumque in carcerem incluſerunt. Cùm autem eius coniunx, aditum ad eum peteret, tandem cuſtos carceris, ea conditione promiſit, ſe aditum conceſſurum eſſe, ſi ſecum concumberet. Illa marito, hoc ſignificat, qui, ſpe liberationis, iubet vxorem voluntati cuſtodis parere. Quod, cùm faceret, mulier poſtea familiariter intromiſſa, virum tandem liberauit, indutum muliebri veſte: qui, cùm euaſiſſet, adiutus ab ami-

cis

eis,regnum recuperauit,& fratrem,qui biennio regnauerat,interfecit. Cùm hoc Cabade diu Anaſtaſius bellum, per Duces,geſſit,quod poſtea,Iuſtini tempore,finitũ eſt.

Ideò autem huius Cabadæ mentionem hîc feci, quia & noſtro tempore,ſimili pacto,mulier virum liberare conata eſt.Cùm Gõzaga Mediolani Præſes eſſet, Caroli quinti Imperatoris tempore,in vicina quadam vrbe, præfectus Hiſpanus, virum nobilem coniecerat in carcerem. Vxor captiui magna pecunia,redimere maritum,conata eſt. Ea pecunia accepta,Hiſpanus promittit,ita ſe redditurum eſſe virum, ſi illa noctem promitteret.Refert mulier poſtulata Hiſpani ad maritum,qui aſſentitur.Illa promittit Hiſpano. Poſtridie,cùm maritum peteret,reddit Hiſpanus, ſed prius interfectum.Illa miſera,calamitatem,& ſuam, & viri,exponit Gonzagæ Præſidi,qui mox Hiſpanum prehẽdi iubet & primùm mulieri omnes facultates Hiſpani addicit:deinde eum capitali ſupplicio affici iubet.

Hoc exemplum,iuſti iudicis, memoria dignum eſt , & pœnæ oſtendunt iram Dei aduerſus vtrunque,& eum, qui admiſit adulterium,& eum,qui fecit.

Recenſetur inter calamitates temporum Anaſtaſij , & hoc, quòd primùm tunc nomen Bulgarorum in Thracia, & Illyria auditum eſt,qui tunc Illyriam populati ſunt.

Exiſtimatur autem Anaſtaſius fulmine periiſſe,quia inuentus eſt mortuus,cùm vixiſſet annos octoginta octo,regnaſſet annos viginti ſeptem,& tres menſes.

Anno mundi,quatermilleſimo,quadringẽteſimo, octogeſimo tertio.

Anno Romæ , milleſimo , ducenteſimo,ſeptuageſimo.

Anno Chriſti,quingenteſimo,viceſimo primo.

IVSTINVS.

IVſtinꝰ factus eſt Imperator,regnauit annos octo,& mẽſes aliquot,natus obſcuro loco, in Thracia patre armẽtario:ſed miles factus,virtute creuit.Cumque præeſſet excubiis Anaſtaſij.& autoritate apud milites valeret,dedit ei ingentẽ pecuniã Anaſtaſio mortuo,Eunuchus Amantius, vt militum ſuffragia emeret,cuidam Theocretiano quem Eunuchus Imperatorem creari volebat.Prudenter autem Juſtinus,accepta pecunia,ſibi militum ſuffragia emit, & quia virtus eius Senatui probabatur,Senatus , & militum conſenſu,Juſtinus factus eſt Imperator.Primùm ei periculum ab Amantio, & Theocretiano fuit,quorum cùm de

prehendiſſet inſidias,iubet eos interfici.

Fuit vtilis Orienti.Nam,& Chalcedonenſem Synodum mox initio Imperij,ſe amplecti oſtendit, & conſtanter in ea ſententia permanſit,& Epiſcopos, qui terrores, contra receptas Synodos,defendebant,remotos ab officiis, expulit in exilia.Seuero Antiocheno Epiſcopo, linguam præcidi iuſſit,vt blaſphemiarum pœnas daret. Hæc ſeueritas Eccleſiis Orientis profuit.

Cúmque & Arianos pelleret, miſit ad eũ legatos Theodoricus Veronenſis,bellum minitans, niſi deſiſteret. Hic & Romanum Epiſcopum Johannem incluſit carceri, vt ſupra dictum eſt,propterea quòd Conſtantinopoli, Juſtinum coronaſſet. Ac primum hunc à Romano Epiſcopo coronatum eſſe Imperatorem legimus.Sed Theodoricus, vt ſupra diximus,poſt quædam ſæuitiæ exempla, mortuus eſt.Pax etiam cum Perſis à Juſtino facta eſt, quam tamen citò Perſæ violarunt.Memoria dignum & hoc eſt, Manichæos tunc,in Perſia,deletos eſſe, quod filium regis ad ſua deliramenta pertraxerant.

Quia autem Juſtinus ſenex erat, & tandem morbi ad ſenectam accedebant, viuens,quarto menſe, ante mortem ſuam, Imperatorem creauit Juſtinianum, ſororis ſuæ filium,præſentibus Epiphanio Patriarcha, & præcipuis Senatoribus. Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Juſtinianum,& Theodoram coniugem eius coronauit.

Anno mundi,quater milleſimo,quadringenteſimo, nonageſimo.

Anno Romæ,milleſimo,ducenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

Anno Chriſti,quingenteſimo,viceſimo octauo.

IVSTINIANVS.

IVſtinianus regnare cœpit,collega Juſtini,quatuor menſibus.Regnauit annos triginta octo Natus ex ſorore Juſtini.Valuit conſilio,& fuit eò felix,quòd induſtrios,& felices Duces habuit,per quos, in magnis bellis, in Aſia defendit Imperium. Alibi recuperauit prouincias aliquas amiſſas.Vituperatur eius auaritia,quod omnes gentes onerarit magnis tributis,quòd omnes, circumuentos calumniis excuſſerit ex facultatibus, quòd doctoribus ſtipendia ademerit.Sed fortaſſis magnitudo bellorum,& ędificationum eum excuſat.

Initio,Perſæ repreſſi ſunt,per Belliſarium, cum quibus,

cum

cùm pax facta eſſet, Belliſarius in Africam miſſus eſt, vbi recepta Carthagine, & capto Gilimero rege Vandalico, qui interfici regem Hildericum iuſſerat, recuperata eſt Africa, & finis ibi fuit regni Vandalici. Belliſarius, cùm magna gloria domum Conſtantinopolin rediit. Ibi, cùm Gilimer, in triumpho, ad Juſtinianum ſupplex duceretur, dixiſſe barbarus, ſcribitur, hęc verba; Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: fortaſſis cogitans inconſtantiam rerum humanarum, & Imperatori ſignificans, ne durior eſſet in victoria.

Cùm autem, in recuperatione Africæ, virtutem, & felicitatem Belliſarij conſpexiſſet Juſtinianus, mittit eum in Italiam aduerſus Gottos, cùm nono anno regnaret. Súntque res magnæ geſtæ, in prima expeditione Belliſarij Italica, intra annos quinque. Primum recepta Neapolis, & cæteræ vrbes in Campania & Apulia.

Interea Gotti, rege Theodato, qui Amaloſuntham interfecerat, deſerto, propter auaritiam, & ignauiam, regem Vitigem crearunt, qui Theodatum interfecit. Cúmque vrbem Romam Ludero, Duci Gottico cuſtodiendam tradidiſſet, ipſe Rauennam adiit, vt exercitu collecto, cum Belliſario dimicare poſſet. Cùm autem Belliſarius ad vrbem Romam acceſſiſſet, & defenſionem deſperaret Luderus, qui tantùm quatuor millia Gottorum ſecum habebat, & ciuium animi ad Belliſarium inclinarent, vrbs Roma, ſine prelio, patefacta eſt Belliſario. Milites Gottici, eodem die egreſſi ſunt, alia porta. Luderus Dux miſſus eſt Conſtantinopolin. Hanc vrbis Romæ recuperationem, ponit Procopius in annũ vndecimum Juſtiniani, qui eſt annus Chriſti, quingenteſimus, triceſimus ſeptimus. Eſtque ſexageſimus annus, poſtquam ab exteris gentibus occupata fuit. Quod planè intelligendum eſt, de Odoacro, qui vrbem Romam, circiter annum Chriſti, quadringenteſimum, octogeſimum, occupauerat.

Reuerſus autem Vitiges, vrbem Romam obſidione cinxit, quæ durauit annum integrum, & dies nouem. Cúmq; fierent crebræ oppugnationes, & magna pars exercitus Gottici ibi periit. Sed dira fame, & morbis vbique in tota Italia multi abſumebantur, & in quibuſdam locis, matres filiorum carnibus paſtæ ſunt.

Eodem tempore Gotti Mediolanum funditus deleuerunt, interfectis triginta millibus hominum.

Tandem verò relinquit obſidionem vrbis Romæ Vitiges, cùm alibi Ariminum amiſiſſet, & Rauennæ metueret

Sequitur ergo Belliſarius Vitigem , & incluſum obſidet, quem, vt Gotti dederent, fraude eos perſuaſit. Ibi captiuũ regem Vitigem cuſtodit. Ita valdè inclinata potentia Gottica, Belliſarius rediit Conſtantinopolim , regem Vitigem ſecum adducens, cùm in Italia annos quinque, in ſummis difficultatibus, res magnas geſsiſſet.

Etſi autem nõdum belli Gottici finis fuit: tamen gloria Belliſarij magna erat, quod, vt antea regem Vandalicum, ita nunc, regem Gotticum captiuum adduxit, victor duarum bellicoſarum gentium, Vandalicæ & Gotticæ. Sed inconſtantiam fortunæ metuere nos, multa exempla, & in hac hiſtoria docent.

Nullius viri tũc, in toto orbe terrarum, virtus, & gloria maior fuit, quàm Belliſarij. At reditus in Italiam, fuit infelix. Fuerat inclinata Gottorum potentia, ſed rurſus, Totila regnãte, erecta eſt. Hoc interfecto, intra decenniũ rurſus concidit. Sæpè igitur hanc admonitionem cogitemus:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.

Vrbis Romæ calamitates etiam fuiſſe magnas, cùm toties obſideretur, & caperetur, neceſſe eſt.

Poſt Belliſarij abitum, anno ſeptimo, rurſus vrbs Roma circiter annum obſeſſa eſt à Totila, qui, cùm eam cepiſſet, & partem murorum demolitus eſſet , Belliſarius reuerſus ex Thracia , vrbem non munitam recipit, nec tamen diu retinet. Cúmque ibi Cononem præfectum reliquiſſet, milites eum, quod frumentum iniuſtè vendebat, & inæqualiter diuidebat, interfecerunt.

Aliquantò poſt Belliſarius reuocatus , cùm ferè quinquennio in Italia vagatus eſſet , rebus multis fruſtrà tentatis, ſine gloria in Thraciam rediit. Ibi Totila Romam iterum obſidet, & capit anno quarto, poſtquam antea cepit. Nec multò poſt, interfecto Totila, Narſes eam recipit. Poſt id tempus non eſt obſeſſa, vſque ad Longobardorum regem Agilolfum.

Narſes Perſamenius, ſucceſſor Belliſarij, feliciter ex Italia Gottos expulit. Sed poſtea Longobardos attraxit, vt ſuo loco dicam. Scribitur autem, Belliſarium, poſtea dignitate & opibus ſpoliatum eſſe , à Iuſtiniano. Id apud Procopium non legitur, qui tamen de Iohanne Duce, cuius præcipua fuit potentia, poſt Belliſarium, expreſsè hoc ſcribit, Iuſtinianum ei dignitatem , & opes eripuiſſe, eúmque diu mendicando victum quæſiuiſſe. Extat apud Suidam,

dam huius Johannis, Cappadociæ præſidis, deſcriptio: φύσεως ἴσχυι δεινότατος γνῶναι τὰ δέοντα καὶ ὕπιν ἀπόρ ις εὑρεῖν ἱκανώτατος, πονηρότατος δ' &c. Annumeretur autem exemplis inconſtātię fortunę aulicę, vt Seianus apud Tiberiū. Seuerianus, apud Seuerum, Eutropius, apud Theodoſium ſecundum.

Etſi autē Juſtiniano hæc glorioſa fuerunt, expulſio Vādalorum ex Africa, & expulſio Gottorum ex Italia: tamen clades alias in Imperio magnas accepit. Hunni vaſtarunt magnam Thraciæ partem, & Pannoniam recuperarunt, domitis ibi Gottis. Et quia coniunctæ gentes fuerunt, Hunni, & Auares, nomen Hungari, ex vtriſque factum eſt. Hunniuari, vt Jornandes ſcribit.

Tria pacis opera, in Juſtiniani gubernatione, Principi conuenientia, & digna laude ſunt. Legum collectio: Synodus, quæ nominatur quinta οἰκουμενική: & ædificationes, ad repreſſiones barbarorum, factę.

De legibus non dubium eſt, Principes debere hoc efficere, vt extet Jus rectè ſcriptum, & certum, quo, & regantur homines, & in iudiciis, cōſenſus iudicum conſtituatur. Ideò & in politia Iſrael, Jus ſcriptum fuit, diuinitus traditum, & collegium interpretum.

Fuerunt & Athenis ſcriptæ leges, & νομοφύλακες. & Romæ leges ſcriptæ fuerunt, & Juriſconſulti, quorum magna fuit authoritas, poſtquam duodecim tabulæ Romanarū legum populo propoſitæ publicè fuerunt. Et, vt nunc ſunt in Academiis, ſtudia diſcentium, & docentium leges, & reſpōdentium de iure: ita fuerunt olim Romæ, deinde in vrbe Beryto, poſtea Conſtantinopoli, cœtus docentium, & diſcentium.

Cūq; in Italiā Gotti, deinde Lōgobardi, & Frāci, patrias leges intuliſsēt, tādē Lotharius Saxo, Imperator, admonitus ab Irnerio, iuris interprete, qui auditor doctorū, in vrbe Conſtantinopoli, fuerat, rurſus, ex bibliothecis, proferri libros Pandectarum, iuſſit, & enarrari eos libros Bononiæ, & iudicari in Italia controuerſias, ex illis Romanis legibus mandauit. Ita vetus Juriſconſultorum doctrina, ex Conſtantinopoli, orſus in Italiam illata eſt.

Etſi aūt quidā vituperātJuſtinianū, quod ex vetuſtiorib. integris ſcriptis, tantum breuē epitomē excerpi iuſſerit: tamē iudico valdè benemeritū eſſe. Nam cū illa vetera volumina, propter magnitudinē alioqui peritura fuerint, valde prodeſt reliquias ſupereſſe, plenas eruditionis, quâ æqualitas, aliâs arithmetica, aliâs geometrica proportione, ſa-

pienter quæſita eſt, & multæ demonſtrationes traditę sũt. Nec aſsẽtior Procopio, qui Tribonianũ ait, leges venales habuiſſe, cùm quidẽ ille ipſe fateatur, eũ eruditione excelluiſſe, φύσεως δυνάμει ἐχρῆτο, καὶ παιδείας ἄκρον ἀφίκετο αἱμύλος δ' ἦν, καὶ φιλοχρηματίας νόσημα ἐπισκιάσαι ἱκανὸς τῆς παιδείας εὐφυΐα.

Sæpè autẽ turbulenti homines excitarunt tumultus nõ ſolùm contra legum doctrinam, ſed etiam contra politicũ ordinem: ſuſtulerũt diſtinctionem dominiorum: inſtituerunt communicationem facultatum Platonicam: damnarunt Magiſtratus, iudicia, & legitimas pœnas.

Tales furores olim ſparſerunt Carpocrates, Marcion & alij, & adhuc circumferunt, noſtro tempore, Anabaptiſtæ. Caroloſtadius non volebat videri prorſus abolere leges: ſed contendebat, oportere iudicia exerceri, iuxta forenſes leges Moiſi.

Hæc deliramenta omnia, ex his tenebris oriuntur, quod autores eorum, & applauſores, non intelligunt diſcrimen iuſtitiæ, de qua propriè concionatur Euangelium, & vitæ politicæ: nec cogitant miſſum eſſe Filium Dei, vt in corde nouam lucem, agnitionem, & inuocationem veri Dei, & iuſtitiam ęternam reſtituat, ſicut Daniel perſpicuè inquit: Adducetur iuſtitia ſempiterna. Hanc reſtituit Filius Dei in cordibus. Vt autem, in diuerſis regionibus, vtimur diſſimilibus dierum ſpatiis, ita in politicá vita, ſinit nos in diuerſis Imperiis, vti legibus ciuilibus, quæ tamen cum lege naturæ congruunt.

Extant autem plurima ſcripta noſtrarum Eccleſiarum, quibus muniuntur pij, contra fanaticos, & ſeditioſos furores, & ornatur dignitas politici ordinis, & legum.

Id obiter hîc commemoro, cùm de Juſtiniani libris dicendum eſſet. Quia vtile eſt conſiderari omnium temporum certamina, de legum, & ordinis politici dignitate.

Dixi, inter inſignia facta Juſtiniani, eſſe & Synodi cõuocationem, de qua mox dicemus in Eccleſiæ hiſtoria, quam attexo cæteris narrationibus. Omitto etiam ædificationũ deſcriptiones, quę legãtur apud Procopium. Muniuit limites Imperij in Oriente, & Occidente. Et fit mentio Iſtri, in cuius ripa, multas vrbes, & arces condidit. Et Traiani põtem refecit in Dacia, quę eſt Walachia. Sũtque verba Procopij de Iſtro hæc: Κάτεισι μὲν ἐξ ὀρέων τῶν ἐν Κελτοῖς ποταμὸς Ἴστρος. Loquitur enim Herodoti more.

DE ECCLESIA.

QVinta Synodus οἰκουμενικὴ à Juſtiniano Conſtantinopolin,

polin cõuocata eſt, anno Chriſti 552. Quia & reliquiæ Neſtorij, & Eutychis, adhuc turbabant Eccleſias in Oriente, & Monachi, in Palæſtina, renouabant Origenica deliramenta. Fingebant omnes animas humanas, initio mundi, conditas eſſe ante corpora. Item, Diabolos habituros finem pœnarum, & ſaluos futuros eſſe. Deinde ſpargebant & alij plures, monſtroſas opiniones. Repetita eſt igitur confirmatio Symboli Niceni, & condemnatio Samoſateni, & Arij, Neſtorij, & Eutychis.

Scribit Nicephorus, interfuiſſe huic Synodo, Romanum Epiſcopum Vigilium.

Retinetur, in Græca Liturgia, cantilena, quæ continet breuem confeſſionem, contra multos errores. Eam dicunt à Juſtiniano, poſt eam Synodũ, compoſitam eſſe. Sed exiſtimo, communi deliberatione Synodi, & ſcriptam, & Eccleſiis traditam eſſe. Verba hæc ſunt: Vnigenite Fili, & Verbum Dei, qui, cùm immortalis ſis, aſſumſiſti humanam naturam, propter noſtram ſalutem, ex ſancta Dei genitrice, &, ſine mutatione naturarũ, homo factus, & crucifixus es, Chriſte Deus, mortem morte proculcans, & ſimul glorificaris cum Patre, & Spiritu ſancto ſalua nos: Μονογενὴς υἱὸς, καὶ λόγος τοῦ θεοῦ, ἀθάνατος ὑπάρχων καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου, καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, ἀτρέπτως ἐνανθρωπήσας, σταυρωθείς τε Χριστὸς ὁ θεὸς, θανάτῳ θάνατον πατήσας, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς.

Durauit autem Synodus circiter biennium. Ac, de Origene, magna certamina fuerunt. Agitatæ ſunt quæſtiones: Quid ſit anima hominis? Sit ne ex Traduce? an tunc ex nihilo creetur, cùm infunditur? Aut, an probanda ſint Origenis deliramenta, qui dixit, ſimul omnes humanas animas conditas eſſe, eaſque in cœlo lapſas, poſtea in corpora mitti.

Filius Dei perſpicuè, & ſine vlla ambiguitate, affirmat, ſe corporibus hominum mortuis, redditurum eſſe vitã. Hæc ſententia firmiſſima fide amplectenda eſt, & expectandum iudicium, poſt hanc vitam.

Verùm de anima ſeparata, obſcurior eſt doctrina. Sed tamen hæc dicta ſignificant animas hominum, ſpiritus ſeparabiles eſſe, & viuere ſeparatos. Hodie mecum eris in Paradiſo: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, quia animam occidere non poſſunt: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Rom 8. Corpus mortuum eſt, propter peccatum,

Spiritus autem viuit,propter iuſtitiam..Deus,eſt Deus Abrahæ.Viuit igitur Abraham. Hæc dicta opponamus iis, qui imaginantur,animas humanas eſſe flammulas,quę nominantur à Medicis,ſpiritus vitales, qui extinguantur, ſicut in pecudibus.

Quod verò animæ hominum,non ſint creatæ,initio mũdi,ante corpora, narratio in Moſe oſtendit,quæ ait, prius formatum eſſe Adæ corpus,& deinde in faciem, ſcilicet iã formatam,inſpiratũ eſſe vitæ ſpiraculum.Non igitur prius erant conditæ animæ.Quare & in Pſalmo 139. qui eſt confeſſio de præſentia,& opere Dei, in ſingulorum formatione,& vitæ conſeruatione,aliquoties repetita eſt, inſignib. verbis,hæc doctrina,quòd in vtero formatur homo. Jam, ſi potior pars,prior fuiſſet, non diceretur de toto homine, formari eum in vtero,& nominatim inquit:Pinxiſti me,in inferioribus terræ. Ergo animæ non fuerunt prius in cœlo:quaſi dicat,organis,& ſenſuum diuerſitate,variaſti corpus informe.Hæc variatio fit per animam. Tunc igitur anima creatur in terra,nec fuit antea in cœlo. Eadem ſententia,extat in Iob.cap.31.ſine metaphoris. Et ſi fuiſſent animæ,ab initio mundi,quæ eſſet abſurditas,nihil eas, ex tot ſeculis,meminiſſe?

Tertia quæſtio eſt:An de nouo creentur animæ ex nihilo,extra corpora, & deinde infundantur corporibus? An verò intra corpora ex Traduce fiant: vtrum verò dixeris, non eſt excludenda Dei præſentia,in formatione, & viuificatione,ſed firmiſſimè ſtatuẽdũ eſt,formationẽ,& vitam, Dei opus eſſe,ſicut totus Pſalmus 139.affirmat,nos formari, viuificari, & foueri à Deo: Formaſti me in vtero matris meæ.Ac vtile eſt aduerſus Epicureas imaginationes, confirmari fidẽ,illuſtribus teſtimoniis, qualia hæc ſunt:Deut. 30.Ipſe eſt vita tua,& longitudo dierum tuorum.

Act.17.In ipſo ſumus,viuimus,& mouemur.

Col.1.Omnia per eum conſiſtunt.

e 1.Tim.6.Coram Deo,qui viuificat omnia.

f Pſalm.104. Auferes ſpiritum eorum,& peribunt, & in puluerem reuertentur.Emittes Spiritum tuum, & recreabuntur,& renouabis faciem terrę.

g Pſ.33.De cœlo reſpicit Dominus,videt omnes filios hominum,format ſigillatim corda eorum.

h Pſal.99.Scito,quod Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos,& non ipſi nos.Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.

Iob.

Iob.14. Numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminum ei, quem non præteribit.

Talibus teſtimoniis confirmari certò ſtatuamus, vitã nobis à Deo dari, & cõſeruari, & quotidie eis gratias agamus, agnoſcamus conditorem, & petamus, vt nos ſeruet, gubernet, & protegat. Hęc cogitare vtilius eſt, quàm profanis diſputationibus implicare mentes.

Interrogant autem aliqui, quî fiat, vt peccatum ſit in animabus, ſi recens creantur? Ideo concinnius eſſe, dixerunt aliqui, dicere: Creari eas in corporibus, ex Traduce immundo. Seruari autem, & propagari naturam talem, qualis nunc eſt, vt qui pedem, quamuis claudum, retinet. Et hæc, de Traduce, conueniunt ad dictum: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Sed hæc conſideranda iis, quorum ætas maturuit, relinquo.

In cæteris controuerſiis huius Synodi, minus eſt difficultatis. Ideò hîc eas non repeto.

Anno mundi, quater milleſimo, quinquageſimo, viceſimo octauo.

Anno Romæ, milleſimo, trecenteſimo, decimo ſeptimo.

Anno Chriſti, quingenteſimo, ſexageſimo ſexto.

IVSTINVS.

IVſtinus ſecundus, nepos Juſtiniani ex filia, Imperator factus à Juſtiniano viuente, tenuit Imperium annos duodecim. Vt Imperij initium gratius eſſet, leniit tributa, & vſuras, & coniunx Sophia quædam debita, ex ſuis facultatibus, ſoluit: breui tamen poſt, noua tributa inducta ſunt. Non multa per ſeſe Imperator, morbis impeditus, adminiſtrauit.

Bellum cum Perſis quadriennio geſſit, per ducem Martinum, in quo vtrinque magnæ clades acceptæ ſunt. Sed cùm tandem victi eſſent Perſæ, rurſus aliquantiſper pax facta eſt. Duæ res valde dignæ memoria, in huius Juſtini gubernationem incidunt. Initia Exarchatus in Italia, & initia regni Longobardici in Italia. Fuerunt autem Exarchi velut vicarij Imperatorum, ex Conſtantinopoli miſſi. Durauitque eorum gubernatio, poſt Narſem, annos centum & ſexaginta.

Arx autem, & ſedes Exarchorum, Rauenna fuit. Priores, bella cum Longobardis infelicia geſſerunt. Poſtremis, varia certamina cum Romanis Pontificibus fuerunt, donec Longobardi vrbibus illis quas Exarchi reliquas tenue-

rant, potiti ſunt, quas tamen relinquere Longobardos, Pipinus coëgit.

Fuit autem primus Exarchus, à Juſtino ſecundo in Italiam miſſus, Lõginus, cuius mores ita deſcribuntur, vt non ſit mirum, Græcos in maius odium veniſſe. Dicitur aluiſſe ⁊ γυναικοϊέρακας, qui vi, & fraudibus, alienas coniuges, & nobilium filias, ad ipſum pertraherent. Prius autem res Longobardicæ breuiter recitandæ ſunt, poſtea ſeries Exarchorũ addenda erit, ita magis perſpicua erit narratio.

DE LONGOBARDIS.

OMitto fabuloſas ineptorum narrationes, quæ Longobardos ex inſulis Arctois educunt, & ſequor Strabonis, ac Ptolemæi deſcriptiones, qui Longobardos, & Senonas in ripis Albis collocant, & diſertè inquit Ptolemæus, Lõgobardorum ſedem ad medium Albis eſſe, qui tractus nunc, ad diœceſes Meideburgenſem, & Halberſtatenſem pertinet. E regione fuiſſe Senonas, in eo tractu, qui nunc vetus Marchia appellatur, etiam ex vtroque ſcriptore intelligi poteſt. Nec limites immotos conſtituo. Interdum longius hæ bellicoſæ gentes progreſſæ ſunt, interdum regreſſæ, vt fortuna bellorum erat.

Ex hac ſua patria Longobardi, in illis terribilibus gentiũ migrationibus, acceſſerunt cum familiis ſuis, ad eam Pannoniæ oram, quæ Italiæ propior eſt, vbi manſerunt annos quadraginta duos. Ac deinde, ab eis auxilia, aduerſus Gottos, in Italiam Narſes accerſiuit. Gottis in Italia expulſis, aliquantò poſt Longobardi, ſiue à Narſe inuitati, vt aliqui narrant, ſiue, quòd magis credibile eſt, conſpectis antea pulcherrimis Italiæ vrbibus, & ſplendore, vltrò Italiam ingreſſi ſunt, anno Chriſti, quingenteſimo, ſexageſimo octauo, cùm Imperator eſſet Juſtinus ſecundus.

Tenuerunt regnum, in ea Italiæ parte, quæ eſt inter Alpes, & Apenninum, annos ducentos, & quatuor. Vnde adhuc, ea pars, nomen habet Longobardiæ, ac, in Italica expeditione, mixtos fuiſſe Longobardis Saxones, & Sueuos, id eſt, Pomeranos, hiſtoria oſtendit. Vaſtationem Italiæ denuntiauerũt, multa prodigia: Conſpectę ſunt igneę acies in aëre dimicantes: Sanguis ex terra, & parietibus ſcaturiens, & alia multa, vt ſemper magnæ calamitates prodigiis denuntiantur. Nomen à longis cuſpidibus, vel bipennibus deducere concinnius eſt, quam à barbis.

PRimus rex Longobardorum, in Italia fuit Alboinus, regnauit annos quatuor. Initio occupauit Vincentiam, & Vero-

& Veronam. Deinde ad Mediolanum acceſſit, quod,ſuadente Honorio Epiſcopo, deditionem fecit. Nam & propter famem,obſidio tolerari non poterat.

Ticinum, quod à Longino, præſidio munitum fuerat, triennio obſedit, quòd, cùm tandem cepiſſet,rediens Veronam,in conuiuio iuſſit afferri poculum, factum ex cranio Cunimundi, quem occiderat,& coëgit coniugem,filiam Cunimundi,ex Cranio patris ſui bibere.Illa tunc diſſimulato dolore, poſtea hortatur Helmechildum nobilem Longobardum, vt Alboinum interficiat, & promittit ei regnum. Helmechildus dormientem Alboinum interfecit,deinde coactus fugere,cum Roſimunda,coniuge Alboini,acceſſit Rauennam ad Longinum, vbi cùm aliquandiu fuiſſent, Longinus nouas ſpes concepit,potiturum ſe, & muliere Roſimunda, & Longobardorum ſocietate,quā adeptus,velit ſe nominare regem Italię,perſuadet mulieri, vt venenum det Helmechildo, eíque promittit coniugium. Illa præbet marito egredienti ex balneo,venenum, quod,cùm auidè hauſiſſet, veneni vim ſentiens,cogit Roſimundam reliquum haurire,quæ, ſimul cum Helmechildo,extincta eſt.

In hac breui hiſtoria, multa ſunt inſignia exempla:ſinguli ſuorum ſcelerum pœnas dederunt,rex Alboinus,mulier perfidioſa, & miniſter mulieris perfidioſæ. Hæc fuerunt initia regni Longobardici in Italia.

SEcundus rex Longobardorum,Clephes,regnauit annū vnum,& ſex menſes,ſtatim poſt interfectum Alboinū electus,pulſa coniuge Alboini. Multa Italiæ oppida occupauit:ſed cùm in ſubditos,& domeſticos crudelis eſſet, interfectus eſt à viro præcipuæ nobilitatis, qui in eius familia fuit.

Poſt eius mortem,interregnum fuit, annos decē,in quo, triginta Duces,aliquandiu,mediocri concordia, nō ſolum eam Italiæ partem rexerunt, quæ prius à duobus regibus occupata fuit, ſed progreſſi etiam in Vmbriam, Picenum & Campaniam, multa oppida occuparunt, & direptiones magnas ſacrarum,& prophanarum rerū fecerunt,propter quas nominati ſunt, veteri exemplo, Triginta Tyranni. Nec diu fuit inter eos concordia,ſicut dicitur.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Defecit ad Longinum Exarchum vnus, ex triginta, Sueuus nomine Dotrula, cùm oppidis, quæ tenuit,qui vicinum,vnum ex triginta,Beroaldum cepit,& occidit,profligato exercitu.

In hac hiſtoria nominatim fit Saxonum mentio, qui,cùm fuiſſent in Longobardorum exercitu, ægrè ferentes eorum dominationem,redierunt in patriam,adiuti à rege Francico Sigeberto,&,non ſine magnis præliis, veterem patriam recuperauerunt. Quia Sueui,id eſt, Pomerani,in ea loca tranſierant. Ideò Longobardi bellum Galliæ vicinæ Narbonenſi intulerunt. In his difficultatibus, cùm viderent Duces,vno gubernatore opus eſſe,rurſus creauerũt regem.

TErtius rex Longobardorum Autharus filius Clephis, regnauit annos ſex, mitior patre, & iuſtior in gubernatione,conditis legibus, inter ſuos latrocinia prohibuit. Cúmque recuperato Brixello, Dortulam Sueuum expuliſſet,fugientem Rauennam, inducias fecit cum Exarcho Smaragdo. Pacem etiam fecit cum rege Francico. Coniugem duxit,filiam regis Bauarorum, Garibaldi,Theudelindam, celebratam à Gregorio Magno, quæ, cum piè agnoſceret, & coleret Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, viro,ad iuſtitiam,& pacis ſtudium,hortatrix fuit. Sed non diuturna fuit hæc Longobardorum tranquillitas. Nam Autharus veneno extinctus eſſe Ticini,ſcribitur.

QVartus rex Longobardorum, Egilolphus cognatus Anthari,regnauit annos viginti,cùm dux Taurinenſis eſſet,delectus à Theudelinda ad coniugium, & regnũ, quia tanta fuit Theudelindæ virtus, vt Longobardi,dubitantes, quem eligerent, arbitrio viduæ permitterent electionem. Hæc Egilolpho,& coniugium,& regnum obtulit, & nati ſunt ex eis Adoaldus, qui poſtea in regno ſucceſſit,& Guthirga.

Initiò, Egilolphus pacem cum Frãcis fecit,qui & captiuos reddiderunt. Mox & in ſuo regno Duces rebelles,cõpeſcuit.Fecit & cum Exarcho inducias. Eccleſiis ademta, reſtitui curauit: aboleuit barbaricas ſuperſtitiones: quas antea Longobardi,ex patriis moribus, retinuerãt,& Chriſtianam doctrinam edoceri curauit, qualem Gregorius Romanus Epiſcopus præſcribebat.

Cum autem Exarchus Callinichus Parmam cepiſſet, & inde filiam Egilolphi, natam in priore coniugio, & eius maritum abduxiſſet, irritatus tanta iniuria, & liberaturus filiam,& generum, Egilolphus bellum aduerſus Exarchũ mouit, & primum ad vrbem Patauium acceſſit, in quam, cùm faces multas iaculatus eſſet, magna parte ædificiorum incendio conſumpta, facta eſt deditio. Quod reliquum fuit vrbis,dimiſſis ciuibus, combuſtum eſt,anno centeſi-

mo,&

mo, & octogeſimo, poſtquam ab Attila fuerat deleta.

Rurſus igitur, magna multitudo, inde migrans, auxit Venetam vrbem. Poſtea Cremonam deleuit. Mantua deditione ſeruata eſt, ſed nudata mœnibus. Deinde totius Italiæ Imperium ſperans, exercitum ad vrbem Romam adduxit, quam integrum annum, perpetua obſidione, fatigauit, ſed tandem, propter malas tempeſtates, & luem vbique graſſantem, abduxit exercitum, deprecatione etiam Gregorij Epiſcopi Romani motus, qui perfecerat, vt Smaragdus Exarchus reſtitueret & filiam, & generum, & vrbem Parmam. Domum rediens, deſpondit filio vxorem, filiam regis Francici, & pacem cum Phoca Imperatore facit, qua conſtituta, aliquantò poſt mortuus eſt.

QVintus rex Longobardorum, filius Egilolphi, Adoaldus qui regnauit cum matre Theudelinda, quæ, & propter filij adoleſcentiam, & propter alias cauſſas, bella moueri noluit, ſed mortua ea, Adoaldo, Longobardi, pertæſi eius ignauiam, regnum ademerunt.

SExtus Longobardorum rex, Arioaldus.

SEptimus Lõgobardorum rex, Rotharis, leges condidit Longobardis, & vicit Exarchum Theodorum, trucidatis octo millibus, & vrbes aliquot regno Longobardorum adiecit.

OCtauus rex Longobardorum, Rodoaldus, interfectus in adulterio.

NOnus rex Longobardorum, Aribertus, filius fratris Theudelindæ. Huic duo filij ſucceſſerunt, Godebertus regnans Ticini, & Bertarius Mediolani regnans. Orta autem, inter adoleſcentes fratres, diſcordia, Godebertus accerſit Grimoaldum Ducem Beneuentanum, vt haberet auxilia contra fratrem. Grimoaldus veniens Ticinum, interfecit Godebertum, & eius filium, & ſeſe regem Longobardorum fecit. Bertarius fugit primum ad Caganum regem Hunnorum, poſtea ad regem Francicum Dagobertũ, & abſuit exul, donec regnauit Grimoaldus DECIMVS rex, annos nouem: qui, cùm, rupta vena, ſanguinis fluxu mortuus eſſet, rediit Bertarius, quem regem VNDECIMVM numero, cuius iuſtitia, & pietas laudantur. Sed mox poſt eũ, nouæ diſcordiæ inter ſucceſſores ortæ ſunt. Cùm regnaſſet annos octo Bertarius, ſucceſſit filius eius.

DVodecimus rex Longobardorum, Cunibertus Berta-

rij filius, pulſus regno ab Alachiſo Duce Tridẽtino, quem ipſe ſeruauerat, cùm pater Bertarius eũ interfecturus eſſet. Sed cùm Alachiſus crudelitatem in ſacerdotes exerceret, reducitur Cunibertus, & cùm prælio Alachiſum viciſſet, caput, & pedes ei præcidit. Moriens Cunibertus, reliquit paruum filium Ludbertum, quem Aſprando Duci commendauit. Sed Reginbertus Taurinenſium Dux, bellum puero, & Aſprando infert, & victor ſe regem facit. Huic TREDECIMO regi, qui iniuſtè regnum occupauerat, quod non diutius vno anno tenuit, ſucceſſit filius Aribertus ſecundus.

QVartuſdecimus rex Longobardorum, Aribertus ſecundus, qui quanquam regnum à patre iniuſtè occupatum, armis retinuit annos duodecim, tamẽ tandem pœnas dedit, & ſimul regnum, & vitam amiſit. Reducturi erãt legitimum hęredem Ludbertum Duces Aſprandus, & Rotharis, & cùm magnum prælium ad Ticinum factũ eſſet, Ludbertus regni hæres captus eſt, & aliquantò poſt interfectus. Fugiens in Bauariam Aſprandus, ibi annos nouem exulat. Inde adiutus, à Dithberto Bauarico Duce, redit in Longobardiam, & magno prælio vicit Tyrannum Aribertum, qui in fuga in Ticino periit.

QVintuſdecimus rex Aſprandus, reuerſus ex Bauaria, tenuit regnum tres menſes. Princeps iuſtus, & qui in tutela fidem pręſtiterat: reliquit ſucceſſorem Ludbrandum filium, qui cæteris regibus Longobardorum omnibus antecelluit.

SEdecimus rex Longobardorum Ludbrandus, regnauit annos viginti duos. Initia glorioſa habuit. Mouit bellũ aduerſus Exarchũ, vt defenderet Epiſcopos, quos Græci, propter εἰκονομαχίαν ſpoliabant. Cùm Rauennam obſidione fruſtra aliquãdiu fatigaſſet, duxit exercitũ in Tuſciam, vbi Cluſium vi captũ, crudeliter diripuit. Auxilia, ad vrbem Romam Pontifici miſit, quę Exarchum, eò venientem, repulerunt. Poſtea Bononiam. Forum Liuij, Auximũ, & alias quaſdam vrbes occupauit. Pace deinde facta cum Exarcho Erithio, impetrauit à Romano Põtifice, vt Exarchum liberaret excommunicatione. Miſit auxilia Carolo Martello, gerenti difficile bellum cum Saracenis, quorum trecenta millia in Galliam infuſa fuerant.

Vt autem ſunt mutabiles ſociorum animi, præſertim Romanorum Pontificũ, cùm Ludbrãdus Spoletum capit, vt cognatos rebelles ad officium reuocet, Põtifex Romanus ad-

nus ad-

nus addit exercitum Duci Spoletano contra Ludbrandum: vbi, etſi pars copiarum Ludbrandi trucidata eſt: tamen ſingulari pugna Rachiſij Ducis Foroiuliẽſis, victus eſt Spoletanus. Iratus igitur Ludbrandus Romano Pontifici, Romam duxit exercitum, eámque obſidione cingit. Ibi Pontifex, quia nec poterat à Leone Imperatore auxilium ſperare, & magna tunc authoritas erat Caroli Martelli, petit à Carolo Martello, vt, vel authoritate, vel armis perficiat, vt Ludbrandus ab vrbe Roma diſcedat, & Eccleſiæ Romanæ adempta reſtituat.

Recens Carolus Martellus, profligato Saracenico exercitu, trecentorum millium, ingenti terrore Galliam, & Italiam liberauerat, & amicitia erat ſumma inter hos duos Principes, Carolum Martellum, & Ludbrandum, quorum virtus tanta fuit, vt longè antecellerent omnibus regibus, & Principib. eius ætatis. Imperat igitur Carolus Martellus, nõ minis, ſed, pro ipſorũ amicitia, petẽs amanter, vt propter Eccleſiæ reuerentiam, Pontifici, & vrbi parceret.

Hac amiciſſimi, & præſtantiſſimi Principis oratione motus Ludbrandus, diſcedit ab vrbe Roma. Sed Rauennam, obſidere rurſus incipit, quò, cùm ad eum Romanus Pontifex acceſſiſſet, ſoluit obſidionem. Redeuntem ad Padum, ſequitur Pontifex, quo reuerenter excepto, & audito, vniuerſæ Italiæ pax reſtituta eſt; nec multò poſt, Ludbrandus ex hac vita, placida morte diſceſſit.

SEptimus decimus rex Longobardorum, Hildebrandus, regnauit ſex menſes, filius fratris Ludbrandi. Die coronationis, egredienti ex templo & ritu gentis, haſtam gerentis, ſederat in ea cuculus: id exiſtimatum eſt, eſſe infauſtum omen. Nec multò poſt regnum ei ademtum eſt.

OCtauus decimus rex Longobardorum, Rachiſius Dux Foroiulienſis, qui ſingulari pugna Spoletanum, vt ſupra dictum eſt, vicerat, regnauit annos quatuor. Pacem à Ludbrando factam, cum Romano Pontifice, & Rauennatibus, initio confirmauit. Sed, poſtremo anno, Peruſiam cepit, quò cùm ad eum Zacharias Romanus Pontifex veniſſet, perſuaſit ei, non ſolùm, vt bellum finiret, ſed etiam, vt relicto regno, pietatis ſtudio, monaſticæ vitæ ſeſe dederet.

NOnus decimus rex Longobardorum Aſtulfus Rachiſij frater, regnauit annos octo, Tyrannus, crudelis, & timidus: Rauennam occupauit, & oppida quædam Romanæ ſedi ademit. Et quia proceſſurus erat ad vrbem

Romam, Stephanus Pontifex, fruſtra petito auxilio à Cõſtantino Imperatore diſceſſit in Galliam, petiturus, vt rex Francicus Pipinus Tyrannum reprimeret. Quanquam Pipino oblata erat occaſio regni Longobardici occupandi: tamen, ſine cupiditate, tantùm publicæ paci conſuluit, bis ingreſſus Italiam. In prima expeditione Aſtulfus, cùm in faucibus Alpium infeliciter pugnaſſet, fugit in vrbem Ticinum: ibi, metuens obſidionem, promiſit pacem, & dedit obſides. Redit igitur Pipinus in Galliam, ſperans Italiam periculo liberatam eſſe. At Aſtulfus, poſt abitum Pipini, contra pacta, ad vrbem Romam accedit, facit magnas vaſtationes, & ſuburbana incendit. Rurſus opem implorat Pontifex à Pipino, qui rediens, non contentus promiſſis, cogit Aſtulfum relinquere Rauennam, & alias Italiæ vrbes, quas partim Pontifex, partim Exarchi tenuerant. Nec tamen ei regnum Longobardicum ademit.

Hæc moderatio excellentibus Monarchis congruit, qui cum iuſta, & neceſſaria bella geſſerunt, oſtendunt ſe magis publicæ ſaluti conſulere, non hoc agere, vt priuatam potentiam augeant: vt, cum Romani Græciæ integram libertatem reddiderunt, &, repreſſione Macedonum, contenti non occuparunt eorum regnum. Aſtulfus, poſt factam pacem, res nouas moliens, apoplexia in venatione extinctus eſt.

VLtimus rex Longobardorum, fuit Deſiderius Dux Etruriæ, tenuit regnum annos octodecim. Contra pacis conditiones, Pipino promiſſas, occupauit Rauennam, & alia vicina oppida. Fecit Epiſcopum Rauennatem, contra canones, qui antea non fuerat in Eccleſiaſtico ordine. Cúmque reprehenſus, ab Adriano Epiſcopo Romano, exercitum Romam duceret, & Adrianus, à Carolo rege Francico auxilium peteret, regreſſus Deſiderius, venienti Carolo exercitum in faucibus Alpium oppoſuit. Sed victus, Ticinum fugit, vbi decem menſium obſidione, & fame, coactus, fecit deditionem. Interea Mediolanum, & Veronam exercitus Caroli occupauit. Quia verò pacta Longobardi toties antea violauerant, ſeuerius egit Carolus, quàm antea Pipinus, vt ſcriptum eſt: Propter iniuſtitiam transferuntur regna. Carolus in ſua poteſtate regnum Longobardorum retinuit, & Francicos pręſides eis dedit. Regem Deſiderium captiuum relegauit Leodium. Filius Deſiderij, Adelgiſus ad Græcum Imperatorem fugiens, patricius Conſtantinopoli factus eſt. Poſtea, cum à Græ-

tis inſtructus exercitu, regnum paternum recuperare conaretur, à Francis captus, interfectus eſt.

Hic finis fuit regni Lōgobardici, in Italia, quod ab Alboino, vſque ad huius Deſiderij deditionem, annos ducentos, & quatuor durauerat. Præcipua virt⁹ fuit Egilolphi, Theodelindæ Bauaricæ, Guniberti, Ludbrandi. Cæteri crudeles, & quidam, ſanguine cognatorum, polluti fuerant, quorum pœnæ teſtimonia ſunt iræ diuinæ, quæ etiam poſteritatem hoc monent, quod dicitur in rota clamare Ixion:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Incidit hic finis regni Longobardici, in annum, poſtquā natus eſt Chriſtus ex virgine, ſeptingenteſimum, ſeptuageſimum tertium.

Carolus Romam profectus, honorificè à Romano Pontifice exceptus eſt, & factus Patricius Romanus. Iurauit Francos perpetuò amicos fore Romanæ ſedi, & populo Romano. Nondum tamen Imperator factus eſt. Sed hæc initia fuerunt potentiæ Francorum in Italia, quæ diu profuit ad Italię pacem.

DE EXARCHIS.

Recitabo & continua ſerie Exarchos, qui fuerunt Vicarij Imperatorum Græcorum, & partem Italiæ rexerunt. Fuítque arx eorum, ſeu aulæ domicilium, Rauennę. Incidit eorum initium, in Longobardici regni initium. Sed citius aliquanto deſiit Exarchatus, quàm regnum Lōgobardicum, videlicet cum Pipinus in Italiam, contra Aſtulfum vocatus eſt.

Anni tribuuntur Exarchis centum, & ſeptuaginta quinque. Vocabulum non à ſex vrbibus dictum eſt: ſed ἔξαρχος eſt eximius, ſeu præcipuus princeps. Horum tempore, fuit eò inquietior Italia, quia, cū Longobardos Exarchi irritarent, quibus non erant pares, & ſuos ſpoliarent: magnæ vaſtationes, & direptiones fiebant, magnos etiam tumultus contra Romanos Pontifices, propter εἰκονομαχίαν, & alias iniuſtas cauſſas excitarunt. Sæpè enim Pontifices impediebant expilationes, ac Mauricij imperatoris tempore, ſcribit Gregorius Romanus Epiſcopus, qui primus ſic nominatus eſt: Malitia Exarchi aduerſus nos, gladios Longobardorum vicit; qui nos rapinis, & fallaciis perdit.

Cum igitur in odio eſſent Græci, propter rapinas, libidines, & diſſenſiones de religione, & aſſidua bella in Italia eſſent, nihil mirum fuit, à Francis peti defenſionem, quorum iuſtitia, fortitudo, modeſtia, & pietas tunc cognitæ

erant. Nec facile in eadem familia continuos quatuor tales Principes inuenire poſſimus, quales fuerunt Carolus Martellus, Pipinus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pius: ac Deus, donec vult gentes aliquas ſeruare, deletis Tyrannis, trãsfert Imperia ad iuſtiores, & natura fit, vt à iuſtioribus, præſertim vicinis, defenſio petatur.

PRimus Exarchus ab imperatore Iuſtino ſecũdo, poſtquam Narſes mortuus fuit, in Italiam miſſus eſt, Longinus, cuius nulla virtus celebratur, raptus virginum, & matronarum narrantur, ad quos ſceleratos miniſtros habuit, qui nominati ſunt γυναικωνίεραχας.

SEcundus fuit Mauricij Imperatoris tempore, Smaragdus, qui nactus occaſionem, gerendi aliquid, contra Lõgobardos, ex domeſtica eorum diſcordia, Dotrulã Sueuũ, qui ab eis defecrat, cõtra eos armauit. Is Veroaldum Ducem Longobardicum cepit, & interfecit. Recepit & oppida quædam Smaragdus. Sed rurſus, pulſo Dotrula, Smaragdus, cum rege Longobardico, inducias fecit.

TErtius fuit, nomine Romanus, à Mauricio Imperatore ſucceſſor miſſus Smaragdo, turbauit inducias, & aliquot oppida recepit, ſed, cùm Romæ, aliquandiu graſſatus eſſet, expilationibus, & rapinis, non multo poſt Rauennæ mortuus eſt.

QVartus dictus eſt Callinicus, qui fortem, & iuſtum regem Egilolphum irritauit, capta Parma, & abductis filia Egilolphi, & genero. Moto igitur bello, non ſolum Callinicum reprimit, ſed etiam oppida quædam recipit, & iratus, exercitum ad vrbem Romam obſidendam, ducit. In hoc tanto Italiæ incendio, Callinicus Rauẽnæ moritur. Rurſus igitur Smaragdus à Mauricio, in Italiam miſſus eſt.

QVintus Exarchus Smaragdus iterum. Huius tempore, Egilolphus, cum Romam obſidione integri anni fatigaſſet, Cremonam vi captam, prorſus deleuit. Deinde Mantuam deditione cepit. Cum igitur Smaragdus, videret ſuas vires, nequaquam pares eſſe Longobardicis, pacem fecit cum Egilolpho, quem & coniunx Theudelinda, & Gregorius Pontifex, ad pacem flectebant. Suntque redditi captiui Egilolphi, & eius filia, cum honorifico comitatu, dimiſſi.

SExtus Iohãnes Lamigius Thrax, à Phoca miſſus, adduxit magnum agmen mulierum & ſpadonum. Congruit hic prouerbium, de ſimilitudine domini, & miniſtri: Quales

les dominæ, tales catellæ. Miſerat Phocas non meliorem vicarium, quàm erat ipſe. Rauennates igitur, ægrè ferentes Imperia Thracum, ſpadonum, & mulierum, & rapinas, ac libidines, trucidarunt Lamigium, & familiam.

SEptimus Eleutherius, ab Heraclio miſſus, initiò feliciter oppreſſit Neapoli ſeditioſos, quorum Dux nominatur Johannes. Deinde, facta pace cùm Longobardis, in annos decem; quia Egilolpho mortuo, mater Theudelinda propter filij adoleſcentiam, pacis cupida erat: Eleutherius, videns Italiam tranquillam eſſe, ſeſe regem Italiæ nominat. Sed, cùm Romam exercitum ducit, à ſuis militibus interfectus eſt, & caput miſſum eſt Conſtantinopolin, ad Heraclium Imperatorem.

OCtauus Iſaacius ab Heraclio miſſus, pacem cum Lõgobardis factam, confirmauit, & decem annos addi voluit, ad conditiones pacis. Romam autem veniens, vt electionem Romani Epiſcopi Seuerini confirmaret, pecuniam, quæ in Lateranenſi templo repoſita erat, rapuit, & parte diſtributa militibus, reliquum auexit Rauennam. Ad hoc ſacrilegium, vſus fuerat miniſtro, cui nomen fuerat Mauricius Carchularius, quem Romæ Præfectum vrbis fecit. Hic, vt Iſaacium excuteret, criminatus eſt eum, palàm apud iudices Romanos, & Præſidium, velle eum, Eleutheri exemplo, regio nomine, in Italia dominari, & iam cõtra eum, in oppidis aliquot, præſidia collocauerat. Re cognita, Iſaacius mittit exercitum aduerſus eum, qui iam deſertus à ſuis, cum in templum fugiſſet, inde extractus eſt, & ſecuri percuſſus caput haſtæ infixum, diu Rauennæ, in circo pependit. Nec diu poſt, Iſaacius ſubita morte extinctus eſt. Hæ tragœdiæ oſtendunt, quales, & mores, & gubernationes Exarchorum fuerint.

NOnus Theodorus Calliopa, miſſus ab Heraclio, Longobardis bellum intulit, qui, amplius viginti annis, quieuerant; ſed, magno prælio, ad Mutinam victus eſt à Rhotari. Poſt eam victoriam, Rhotaris occupauit Liguriam.

DEcimus Olympius, miſſus à Conſtantino, mandata Romam attulit, vt Epiſcopus Romanus errorem Monotheletarum amplecteretur. Cùmque Martinus Romanus Epiſcopus refragaretur, percuſſorem in templum miſit, qui, interfecturus Martinum, ſubitò cæcus factus eſt. Quo miraculo, motus Olympius, Romano Epiſcopo adeò amicus factus eſt, vt & Rauennatem Epiſcopũ coë-

gerit, ſe Romano ſubiicere, cùm antea voluerit par eſſe. Deinde Romanus Epiſcopus hortator fuit Olympio, vt à Sicilia Saracenos depelleret. Quod, cùm feciſſet, ibi morbo extinctus eſt.

VNdecimus Theodorus Calliopa, iterùm Romæ, Lateranenſem baſilicam ingreſſus, tanquam ſalutaturus Martinum Epiſcopum; vi eum cepit, & captum miſit Cõſtantinopolin, vnde in Cherſoneſum deportatus, vbi exulans, aliquantò poſt, mortuus eſt.

DVodecimus Johannes Platina, miſſus à Iuſtiniano ſecundo, cùm Romæ diſſenſio eſſet, de electione Pontificis, venit eò pecunia corruptus, vt Paſchalẽ crearet Romanum Epiſcopum, quod tamen perficere non potuit. Quia Paſchalis damnatus eſt, quod magicas impoſturas exercuiſſet, qui & in monaſterium incluſus eſt, vbi dolore animi, extinctus eſt. Rediit Johannes Rauennam, ſpoliatis Romæ templis.

TErtiuſdecimus Theophylacius, miſſus ab Apſimaro: prius, ex Sicilia, Romam venit, quàm acceſſit Rauennam. Cúmque direptiones, & cędes metuerentur, pręſidia, quæ Romæ, & Rauennæ erant, ſe contra eum coniunxerunt. Sed Romanus Epiſcopus, cùm inter Exarchum, & exercitum, velut arbiter eſset, perſuaſit eis, ne inter ſe dimicarent, &, vt Rauennam, ſiue latrociniis, diſcederent.

QVartuſdecimus Paulus, à Leone tertio miſsus, Gregorium tertium Romanum Epiſcopum, capere iuſſus fuerat, quod Leoni tertio, propter εἰκονομαχίαν, tributa negari iuſſerat: ſed à Romanis, cum filio, interfectus eſt.

VLtimus Exarchus Eurichus, à Leone tertio miſsus, cùm, literis, Romanos ciues, contra Gregoriũ, incitaret, edidit, contra eum, Gregorius, fulmen excommunicationis. Aliquantò poſt, Aſtulfus rex Longobardorum, Rauennam cepit. Contra hunc, Stephanus, Romanus Epiſcopus, accerſiuit Pipinũ: quo tempore, finis fuit, & nominis, & gubernationis Exarchorum, cui tribuuntur anni, centum, ſeptuaginta quinque.

Feci continuos catalogos regum Longobardicorum, & Exarchorum, vt mores, & exitus Principum, in vno loco propoſiti, magis conſpici poſſint. Nunc ad Imperatores redeo.

Anno mundi, quater milleſimo, quingenteſimo, triceſimo nono.

Anno

Anno Romæ, milleſimo, trecẽteſimo, viceſimo ſeptimo.

Anno Chriſti, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo.

DE TIBERIO.

Tiberius Conſtantinus, aſcitus ad Imperium, à Juſtino adhuc viuente, propter eximias virtutes, quæ in eo, in gubernatione aulæ, conſpectæ erant. Tenuit Imperium annos ſeptem. Coronatus eſt à Patriarcha Eutychio, cum coniuge Anaſtaſia.

Manſit cõſtans in profeſſione piarum Synodorum, nec permiſit turbari Eccleſiam. Fuit iuſtus in gubernatione, placidus, & ſine πολυπραγμοσύνῃ, ſine auaritia. Noua quædã tributa aboleuit. Adeò multa diſtribuit, ad alendas pauperes familias, vt à Sophia Juſtini vidua reprehẽderetur. Sed Deus viciſſim ei, & opes auxit, & victorias egregias donauit. Dum enim auream crucem, marmori inſertam, in terra, leuari iubet, nolens eam pedibus calcari, magnos theſauros ſub ea reperit.

Peruenerunt ad eum & theſauri, quos Narſes ex Italia miſerat. Cùm Longobardis pacem fecit. Cõtra Perſas miſit Ducẽ Mauriciũ Cappadocem, qui, feliciter victis Perſis, Meſopotamiam recepit. Captiuos veſtitos Tiberius in Perſiam remiſit. Mauricio reuerſo, dedit filiam Conſtantinam vxorem, eúmque viuens Imperatorem fecit, laudatum oratione ſua apud exercitum. Sic, cùm relinqueret ſucceſſorem generum, iudicio delectum, aliquantò poſt, morbo, ex hac mortali vita, placidè deceſſit.

Anno mundi, quater milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo ſexto.

Anno Romę, milleſimo, trecenteſimo, triceſimo quarto.

Anno Chriſti, quingenteſimo, octogeſimo quarto.

MAVRICIVS CAPPADOX.

Mauricius Cappadox, gener Tiberij, ſucceſſit ſocero. Tenuit Imperiũ annos viginti, coronatus à Patriarcha Johanne Jeiunatore. Fuit ſcriba Juſtini ſecũdi, ac propter induſtriam, conſilio Sophiæ, factus eſt comes prætorianorum. Deinde Tiberius eum præfecit exercitui miſſo contra Perſas. Initia habuit glorioſa. Tiberij tempore, vicerat Perſas, ſuo ductu. Deinde, cùm eſſet Imperator, miſit contra eos Ducem Philippicum, cui nupta erat Gordia, ſoror Mauricij.

Etſi autem variæ vices erant in eo bello, & crebræ exercituum ſeditiones: tamen Romani tandem fuerunt victores, propter diſcordias Perſarum, qui ſuo regi Orimaſdæ,

oculos effoderunt, quem & filius Coſroës poſtea occidi iuſſit. Propter id parricidium, cùm Coſroës ad Romanos confugiſſet, in his diſcordiis, Perſæ victi ſunt. Et quia rex Coſroës ad Romanos fugerat, ſapienter Mauricius pacem, hac occaſione, fecit. Reſtituit Coſroën in regnum, limitibus Imperiorum diſtinctis, & pace vtrinque promiſſa, quæ durauit vſque ad Phocæ initium. Tranſlatum eſt igitur bellum in Europam, & exercitus ex Syria reuocati ſunt ad reprimendum regem Auarum Caganum. Sed ante huius noui belli initium, domeſticas res conſtituit: filium Theodoſium Imperatorem creat, quem & Patriarcha Johannes Jeiunator in Paſchate coronauit, ac filia Germanici patricij, nata ex ſorore coniugis Mauricij, Theodoſio deſponſata eſt.

Hactenus felix, & glorioſa fuit Mauricij gubernatio: ſequens tempus, non ſolùm exemplum eſt inſtabilitatis fortunæ, ſed etiam in Principe pio, conuerſionis, ſeu pœnitentiæ, maximè dignum conſideratione. Apparet autem in illa indulgentia fortunæ, mores factos eſſe aſperiores, cùm initio fuiſſet iuſtus, &, vt ſcriptor Græcus inquit, συγκεράσας τὴν σεμνότητα καὶ πραότητα, ἐκδώσας τῆς ὑπεροψίας. Poſtea iracundior factus eſt, & ſuſpicax, & magis contempſit ſuos, & alienos.

Eodem tempore, bellum intulit duabus gentibus bellicoſis, Longobardis in Italia, & Vngaris. Etſi autem Longobardi, propter ſuas diſcordias, quædam oppida amiſerunt, tamen non ſunt domiti, & Italiam Exarchi, vt ſupra dictum eſt, non leuiter afflixerunt.

Bellum Vngaricum atrocius fuit. Rex Auarum, ſeu Hũgarorum Caganus nominatur, cuius magna fuit potentia, & magnus vſus militiæ. Nam in Aſia bellum antea cũ Turcis geſſerat, quorum nomẽ, Mauricij tempore, primùm in hiſtoria legitur, de quibus poſtea in rebus Saracenicis dicemus. Hic Caganus, occupato Syrmio, proceſſit ad Anchialum, quæ aut Varna eſt, aut oppidum vicinum Varnę. Inde Mauricius progreſſus obuiam hoſti, recepit Anchialum, & rediens Conſtantinopolin, fecit Ducem exercitus Priſcum, qui, poſt aliquot prælia, inducias cũ Cagano fecit, miſſo oratore, qui hac narratione regem, ferocius reſpondentem, flexit. Dixit, olim Ægyptiũ regem Seſoſtrin, vehi ſolitum aureo curru, qui a quatuor regibus domitis trahebatur. Cùm autem vnus ex illis regibus ſæpè reſpiciens, rotam intueretur: interrogat Seſoſtris, cur toties reſpiciat?

ſpiciat? Intuens, inquit, rotæ volubilitatem, in qua citò ea, quæ ſũma fuerant, fiunt ima: cogito de noſtra fortuna. Hac admonitione motus Seſoſtris, factus eſt modeſtior, & reges liberauit. Delectatus hac narratione Caganus, fecit inducias, quæ tamen breui poſt violatæ ſunt, & Duces Mauricij trucidarũt triginta millia Auarum, Sclauorum, & Gepidarum, & ceperũt tredecim millia hominum, quos Mauricius ad Caganum remiſit.

Deinde Caganus cepit duodecim millia Romanorũ militum, ſeu Ducis Commẽtioli Thracis perfidia, ſeu alio caſu. In ea verò expeditione, Caganus templa deleuerat, & oſſa martyrum ex monumẽtis eiecerat. Sequuta igitur peſtilentia, in qua ſeptem filios, vno die, Caganus amiſit, domum redire properat. Quare oſtẽdit poſſe redimi captiuos, & pro ſingulis vnum aureum petit. Negat Mauricius, ſeu auaritia, vt ſcribitur, ſeu pertinacia, ſe redempturum eſſe captiuos. Iratus igitur Caganus, omnes trucidari iuſſit. Horũ interitus, cùm magnũ dolorem multis afferret, ortæ ſunt, in reliquis exercitibus, ſeditiones, præſertim quia & Petrus frater Mauricij, Dux, ſtipendia indignè pendebat, & in tantum odiũ venit Mauricius, vt, in die natali Chriſti, ingrediens in templum, penè lapidibus obrutus ſit.

Nec tantùm beneuolentiam populi, in aduerſa fortuna amiſit: ſed etiam virtus languefacta eſt, & multi errores conſiliorum ſecuti ſunt, ſicut dicitur: Æger animus, ſemper errat. Philippicum Ducem, cui nupta erat Mauricij ſoror, incluſit in carcerem, falſò ſuſpicans, eum regnum appetere. Germanus, cui nupta erat ſoror vxoris Mauricij, cùm eum prehẽſurus eſſet, fugit in templum: filius Theodoſius, cui Germani filia nupta erat, cæſus eſt fuſtibus, quia pater ſuſpicabatur, eum adiuuare conſilia ſoceri, contra ipſum.

Talia exempla nos de infirmitate humana, commonefaciant, quæ oſtendunt, non ſolùm fortunam mutari, ſed, quod multò triſtius eſt, in magnis viris extingui ſapientiã, & virtutem.

Auxerunt conſternationes Mauricij, & prodigia, & ſomnia. Conſpectus eſt cometa Xiphias. Accurrit Monachus quidam, ſtricto gladio, ad ſtatuam Imperatoris, clamitans: Imperatorem ferro periturum eſſe. Ipſe, ſomniauit, ſe tradi iugulandum ſuo militi Phocæ. Quare Philippicum ex carcere eductum, interrogat, qualis ſit Phocas? Reſpondet, Centurionem ambitioſum eſſe, ſed timidum,

Addit igitur Mauricius hoc vetus dictũ: Si timidus eſt, homicida eſt: vt vetuſtas dixit, πᾶν δειλὸν φονικόν.

Cúmque varij eſſent in vrbe, & in caſtris, tumultus, milites ad Iſtrum, centurionem Phocam, virum Thracium, ſublatum in clypeum, iubent Imperatorem à toto exercitu nominari. Hic, cùm turbę militaris acclamationibus nominatus eſſet Imperator, properat Cõſtãtinopolin, vbi eũ in ſuburbano coronat Patriarcha Cyriacus, ingreſſum in vrbẽ populus recipit. Et quia ad Chalcedonem Mauricius ægrotus, cum coniuge, & paruis filiis, & filiabus fugerat, ſequi eum Phocas Tyrannus iuſſit. Súntque, in portu, ſpectante Phoca, primùm duo iuniores filij Mauricij necati, deinde tres filiæ, poſt has mater Conſtantina, filia boni Principis Tiberij.

Spectauerat Mauricius filiorum, & filiarũ neces, mirando ſilentio, ſed cum videt ſanctam coniugem, etiam feriri, hanc edidit confeſſionem ſuorum delictorum, IVSTVS es Domine, & rectum eſt iudicium tuũ. Poſtea & ipſi Mauricio caput pręciſum eſt. Cadauera in littore abiecta ſunt, vt à populo conſpicerentur, quę deinde ab Eunucho quodam in templo, ſepulta ſunt. Filius Theodoſius præmiſſus erat à patre, vt ad Perſas fugeret. Hunc quoque, ex fuga retractum, Phocas trucidari iuſſit. Mox interfecti ſunt & Germanus, ſocer Theodoſij, & filia eius, Theodoſij cõiũx. Ab his decem cognatis corporibus initium horrendæ ſæuitiæ factum eſt, quæ poſtea latiùs graſſata eſt, in amicos Mauricij. Hæc tanta ruina, nobiliſſimæ familiæ, digna eſt conſideratione.

Etſi fuit in Mauricio virtus: tamen vel iracundia, vel pertinacia peccauit, cùm exercitum non redemit, & acceſſerunt alia peccata, communia humanæ infirmitati. Pœna igitur ipſius, nos, de ira Dei, admoneat, vt ſimus modeſti, & viuamus in timore Dei, & in inuocatione.

Simul autem, & magnitudo pœnitentiæ, conſideretur, quam optarim magis perſpicuè deſcriptam eſſe, pluribus teſtimoniis, inuocationis Dei, recitatis. Sed hæc expreſſa confeſſio in tanto dolore: Juſtus es Domine, &c. ſimilis eſt confeſſioni Danielis: Tibi Domine iuſtitia, nobis autẽ cõfuſio faciei, &c. Significat non defuiſſe veram fidẽ, & inuocationem. Adiungamus ergo hoc inſigne exemplũ, ad hæc dicta: Humiliamini ſub potenti manu Dei.

Item: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.

Item:

Item Gratia exuberat ſupra delictum.

Item: Omnis, qui inuocauerit nomē Domini, ſaluus erit.

Nec verò multò poſt, & Phocas, & illi ſcelerati exercitus puniti ſunt, vt mox dicetur.

Anno mundi, quater milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo ſexto.

Anno Romæ, milleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo quinto.

Anno Chriſti, ſexcenteſimo, quarto.

PHOCAS.

Phocas ignobilis cēturio Thracius, per ſeditionē creatus Imperator, occiſo Mauricio, tenuit Imperiū annos ſeptem, coronatus in ſuburbano Cōſtātinopoli, à Patriarcha Cyriaco. Cùm Mauricium interfici iuſſiſſet, mox crudelitatem in eius amicos exercuit. Poſtea toto Imperij tēpore, vt homo ignobilis, iniuſtè nactus potentiam, tantùm ea, ad priuatam nequitiam, & crudelitatem vſus, deditus luxui & libidinibus, rapuit aliorum coniuges, multos innocentes interfecit, exhauſit prouincias tributis. Domi igitur, temulentia, & ſtupris, retentus, ſinebat Imperium alibi à Perſis, alibi ab Hunnis, & Cagano vaſtari, ac ſceleratus exercitus, qui conſperſus fuit ſanguine Mauricij, mox in Oriente pœnas dedit. Victor enim Coſroës, duob. magnis præliis, trucidata magna multitudine, reliquos abduxit captiuos. Eripuit Romanis Ieroſolymam, & inter theſauros, crucem auexit, & magnam Chriſtianorum multitudinem occidit. Occupauit Syriam, & multas prouincias populatus eſt.

Cū igitur Tyrannus Phocas, in odio eſſet, non ſolùm populi, ſed etiam Principum, cōiungunt ſe Priſcus, qui, Mauricij tempore, inter præcipuos Duces fuerat, & tunc Phocæ gener factus erat, & Heraclianus Aphricæ Præſes, & Photius, cuius vxorem Phocas rapuerat, réſque ita inſtruitur, vt, eodem tempore, Priſcus Thracium exercitū, & Heraclianus Aphricanum ad Conſtantinopolim adducant, & Photius, cum parte militum, regiam occupet. Quanquam autem Prætoriani, arcere venientes, conati ſunt, tamen Aphricanus exercitus, trucidatis paucis, temulentos illos diſſipauit: & vrbem ingreſſus eſt. Photius, occupata regia: cepit Phocam, & ad Heraclium, filium Heracliani, Ducis Aphricani exercitus, adducit. Ibi milites, adducto Phocę, brachia, & pedes mutilarunt. Scribunt & execta eſſe pudenda, poſteà caput præciſum eſt.

Hic fuit exitus Tyranni, qui antea Imperatorem ſuum, Mauricium interfecerat, & poſtea multa ſcelera addidit. Agnoſcatur ergo, & in hoc exemplo, ira Dei, denuntiata in his regulis: Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit. Item: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur.

Laudat Phôcam, Gregorius Romanus Pontifex, odio Mauricij: & deinde Romani Epiſcopi, Phocæ Tyranni decreto freti, prętulerunt ſe cæteris Epiſcopis. Quia hic, fortaſſis, vt Romam haberet minus contumacem, iuſſit Romanum Epiſcopum ſuperiorem Conſtantinopolitano, & cæteris omnibus dici, & haberi. Qua de re antea rixæ morę fuerunt, cùm Conſtantinopolitanus ſe οἰκουμενικὸν nominaret, quem reprehendens Gregorius, inquit: O tempora, ô mores, ardet vndique bellis orbis terrarum: trucidantur ab idolorum cultoribus Chriſtiani: delentur à barbaris vrbes, & templa, & tamen ſacerdotes, velut inſultantes publicis calamitatibus, vanitatis nomina vſurpant, & profanis titulis ſe oſtentant.

Anno mundi, quater milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo tertio.

Anno Romę, millesimo, trecẽteſimo, ſexageſimo tertio.

Anno Chriſti, ſexcenteſimo, duodecimo.

HERACLIVS.

Heraclius, Heracliani Præſidis Aphricæ filius, natus in familia patricia, cùm occiſus eſſet Phocas, mox, conſenſu Senatus, & exercituum, Imperator factus eſt: tenuit Imperium annos triginta. Eodem die, & coronatus eſt, à Patriarcha Sergio, & ducit vxorẽ Fabiam Eudoxiã, quæ ſimul coronata eſt. Duab. rebus maximis inſignis eſt, ipſius gubernatio, quarũ altera felix fuit, repreſſio Coſroę, Perſici regis: altera calamitoſa vniuerſo generi humano, videlicet initia ſectæ, & regni Mahometici.

De his, ordine dicendum eſt. Heraclius, pace facta cùm Cagano, per legatos etiam pacem petiuit à Coſroe, qui iam & Hieroſolymam populatus erat, & Syriam occupauerat, & nonaginta millia Chriſtianorum trucidauerat: quo tempore, Iudæi multos Chriſtianos emerant, vt eos interficerent. Reſpondit autem Coſroes, ſe non depoſiturum eſſe arma, donec perfeciſſet, vt Deus Perſicus coleretur, abolita inuocatione eius Dei, qui diceretur crucifixus eſſe. Auxerant ſuperbiam Coſroæ, priores ſucceſſus, Phocæ tempore, & magnæ difficultates erant Heraclij, etiam

propter

propter Ducum perfidiam. Sed eo alacrius hoſti occurrit, quia non Imperij cauſſa tantùm, ſed multò magis, propter defenſionem Eccleſiarum, & Chriſtianæ doctrinæ dimicandum eſſe intelligebat. Erectus igitur, ſpe auxilij diuini, exercitum in Syriā ad Azotum ducit. Inde, cùm Coſroës fugeret, ter dimicat Heraclius cum Coſroæ exercitibus, quibus profligatis domeſtica calamitate Coſroës oppreſſus eſt, vt, inſigni exemplo, eius ſuperbia, & blaſphemia punirentur.

Cùm filium ſecundum Mardaſan, neglecto primo filio Siroë, ſucceſſorem in regno Perſico conſtituiſſet, cepit patrem Coſroën maior natu filius, & trucidato fratre Mardaſa, ſpectāte patre, deinde & patrem interfecit. Hoc modo regnum adeptus Siroës, vt ſecurior eſſet, pacem cum Heraclio fecit, redditis captiuis, inter quos erat Zacharias Patriarcha Jeroſolymorū, & reddita cruce. Viciſſim Heraclius reſtituit captiuos, & Syriam & Jeroſolymam recepit. Durauit hoc ingens bellum annos ſex.

Reuerſus Heraclius, Byzantium ingreſſus eſt, ſedens in curru ſine ornamentis triumphalibus, tenens crucem in manibus, ac Filio Dei palàm gratias agens, pro victoria, cuius recordatio vt celebraretur, feriæ exaltatæ Crucis inſtitutæ ſunt. Ac profectò pœna blaſphemiarum Coſroæ, vt Sennacherib, Antiochi, Nicanoris, & ſimilium, memoria digna eſt.

DE MAHOMETIS SECTA, & regno.

INgens, & horrenda mutatio generis humani, & quidem celeriter, facta eſt; ſparſo dogmate Mahometi, quod primùm amplexi ſunt Arabes, qui nunquam legitimis Imperiis paruerunt, ſed vel domi latrocinia exercuerunt, vel ſuo arbitrio foris, alij apud alios, mercede militarunt. Huic genti cupidæ libertatis, & militiæ, legem accommodatam, ad amplificationem libertatis, & politiæ, Mahometus ſcripſit.

In Arabia natum eſſe Mahometum, plurimi tradunt: ac primùm ſibi adiunxiſſe Saracenicum exercitum, vnde poſtea Saracenici regni appellatio facta eſt. De quo, cùm dicturi ſimus, prius, quæ fuerit gens Saracenica, & vbi fuerit expono.

Ex Moſe notū eſt, poſteros Iſmaëlis, qui ex Agar natus eſt, tenuiſſe Arabiam. Inde Arga vrbs nominata eſt, ab Agar matre Iſmaëlis, & gens Agræi, qui, in primo lib. Para-

lip.cap.quinto, nominantur Agareni, vbi, & limites vicini Galaad monſtrantur. Nomen idem Agareni extat Pſal. 82.

In ea regione, in qua fuiſſe Agarenos certum eſt, collocat Ptolemæus Saracenos, & nomen Saracenorum extat in hiſtoria Zenobiæ, in victoriis Aureliani. Exiſtimo autẽ, ipſam gentem Agarenam, maluiſſe nominari Saracenam, à Sara. Quia glorioſius erat, dici ortos a Sara, quàm ab ancilla Agar. Ipſe Mahometus etiam poſtea, glorioſi nominis mentione, cõfirmauit exercitum, vt vociferãs, pertinere ad eos, promiſſionem regni mundi, Abrahę poſteris traditam, quia eſſent filij Saræ: ſicut, prætextu religionis, ſæpè homines incitantur.

Militauerat autẽ exercitus Saracenicus apud Heracliũ, cõtra Perſas. Et quia ſtipẽdia nõ dabantur, defecit ab Heraclio. Aiunt & contumelia irritatos eſſe, cùm Heraclij quæſtores dixiſſent, ſe vix poſſe Romano, & Græco militi, ſtipendia dare, nec tantùm ſe habere pecuniæ, vt huic canum turbæ ſatisfacerent. Vſitata ſunt autem alioqui Arabicæ genti, latrocinia. Quare exercitus Saracenicus, qui defecerat, diripit oppida Damaſco vicina. Multi inopes etiam à Mahometo adiuti, qui ducta vxore ditiſſima, facilè perfecit largitionibus, vt milites eum audirent, ſuaſit, vt ducem crearent, &, vt firmior eſſet conſenſus, tollerent religionum diſſidia, eligerent doctrinæ genus vtile concordiæ. Ipſe doctrinæ formam propoſuit, addidit ſe habere colloquia cœleſtia, & enthuſiaſmos, vt augeret authoritatem. Creatus igitur Dux, paulatim initia regni, confirmauit in vicinia Damaſci, annos nouem.

Initium regni Mahometici, collocatur in annum Chriſti, ſexcenteſimum, viceſimum tertium.

Succeſſit ei Amiras gener, qui Damaſcum cepit, & regni caput conſtituit. Deinde capit Gazam, & Hieroſolymam obſeſſam biennio.

Ahumar, tertius rex magna Syriæ parte domita, occupat Ægyptum.

Muhauias, quartus rex, Cæſaream Palæſtinæ, ſeptenni obſidione capit, & victo Coſroæ filio, Orimaſda, Perſiam regno Saracenico addidit, & ei legem Mahometicam impoſuit. Ita, intra annos triginta, Saraceni potiti Arabia, Palęſtina, Phœnicia, Syria, Ægypto, & Perſia, magnam potẽtiam adepti ſunt. Poſtea Africam totam occuparunt, ac paulatim in Aſiam proceſſerunt, ac latè cum Imperio legem Mahometicam propagauerunt.

Etſi autem, inter ipſos quoque, ſeditiones, & regnorum diuiſiones ſecutæ ſunt, vt in aliis regnis: tamen Saracenorum Principes, Sultani præcipuam potentiam in Syria, Ægypto, Africa, & magna parte Aſiæ retinuerunt circiter quadringentos annos, donec rex Saracenicus, qui Perſiam tenuit, cōtra Babylonicum, Turcos attraxit, qui paulatim accepta lege Mahometica, excuſſerunt, ex regno Perſico, regem Saracenicum, tempore Conſtantini Monomachi, ſeu Conradi Franci, non multò ante Gotfridi expeditionem ſuſceptam ad Palæſtinam.

Ac de Turcis, eo loco plura dicemus, quos etiam veteribus tēporibus, nec ignotam, nec exiguam gentem fuiſſe, apparet ex Plinio, qui Turcos nominat tanquam vicinos Tyſſagetis, & ſunt apud Herodotum, in Melpomene, Tyſſagetis vicini Ἰΰρκαι quod eſt aut Turcæ aut Jura.

Cōſentaneum eſt autem, gentem Turcicam ſignificari appellationibus Gog, & Magog, quos Ezechiel ait gentem ſeptentrionalem eſſe, capite 38. & 39.

Apparet & Danielem, de Saracenico regno loqui, cùm prædicit quartæ Monarchię diſtractionem, poſtquam, tale regnum venturum eſſe, inquit, quod & nouam doctrinam, contumelioſam contra Deum, propagabit, & bella geret aduerſus ſanctos.

Id perſpicuè congruit ad regnum Saracenicum, in quo doctrina expreſsè contraria Euangelio traditur, quæ, vt inuitaret animos militares, aſtutè laxat, in priuatis moribus, licentiam, in publica conſociatione, beneficentiam, concordiā, & decus militię confirmat. Et quia ſciebat diſſidia oriri, de difficilibus articulis, qui non iudicātur ratione, remouit doctrinam de tribus perſonis diuinitatis, & contendit tantùm vnicam perſonam eſſe Deum. Negat in Chriſto duas eſſe naturas.

Hęc auidè accipiebant Judæi, & plurimi, qui Samoſatenica contagia, in illis locis, habebant: ſicut & narratur, in Alcorano ſcribendo, Sergium Monachum, & alios quoſdam Hæreticos, & Judæos adhibitos eſſe, quorum deliberatione popularia dogmata electa ſint: & res oſtendit, hæc duo aſtutè confuſa eſſe, enthuſiaſmorum ſimulationes, & dogmata popularia, ſicut ab Anabaptiſtis.

Deinde taxauit Mahometis Euangelium, quod prohibeat vindictam, & nō cogat gladio populos, ad obedientiam. Vt igitur legem ſuam armaret Mahometus, dicit Imperium ſuæ genti, quia ſit orta a Sara, promiſſum eſſe, &

id armis occupandum eſſe, & cogendas eſſe omnes gẽtes, vt aut legi Mahometicæ obediant, aut viuant oppreſſi ſeruitute. Hæc enim verba leguntur in verbis excerptis ex Alcorano, ὅτι οὐκ ἦλθε διὰ θαυμάτων ἀλλὰ διὰ ξίφους δοῦναι τὸν νόμον, καὶ τοῖς μὴ πειθομένοις αὐτῷ, θάνατος ἔσται ἡ τιμωρία ἢ φόρους δοῦναι.

Ordinat igitur militares gradus, & attribuit Ducibus, & militibus certa ſtipendia, ex penſionibus publicis, quas non licet ad alios vſus transferre. Deinde ſeditioſos, deſertores, & taxantes aliquid in Alcorano, iubet interfici, vt legitur in excerptis: εἴ τις λόγον ἀπορίας εἴποι εἰς τὸ κορράν, παραδοθεὶς θανάτῳ τελευτήσει.

Vt autem, & illecebras addat, concedit πολυγαμίαν, & ſinit fieri diuortia, priuato arbitrio, ſine cognitione iudicũ, & ſine manifeſta cauſſa. Deinde, vt ſit occaſio beneficentię, quæ prodeſt ad concordiam, non ſolùm iubet largiri pauperibus, ſed etiam pro delictis, ordinat mulctas dandas pauperibus. Ita remiſſionem peccatorum tranfert in ſatiſfactionem: & ſi quis fecit ſtuprum, aut adulterium, aut iurauit falsò, diues veſtiat decem inopes, aut redimat precio captiuum. Inops veſtiat duos pauperes. Homicidia, & furta punit ſicut lex Moiſi. Ita, duo præcepta, vtilitatis cauſſa, vtcunque retinet: Non occides, &, Non furtum facies.

Deinde, vt diſtinctionem ſuę multitudinis, à cæteris gentibus, faceret, & aliqua religionis ſpecies eſſet, ceremonias addidit, ſed paucas, quia turba militaris non patitur multa talia vincula.

Retinuit circumciſionem, vt confirmaret perſuaſionem, de regno promiſſo, poſteritati Saræ. Inſtituit diem feſtum, qui nobis eſt ſextus dies hebdomadæ. Jubet quotidie dici precationem quinquies: Concedit veſci omnium quadrupedum, volucrum, & piſcium carnibus, excepta ſuilla carne. Seruantibus hanc legẽ, promittit victorias, & opes, in hac vita, & poſt hanc vitam, in paradiſo, vt ipſe nominat, delicias, & gaudia ſine fine, ac certò beatos fore, affirmat, omnes fortiter prælian tes in acie.

Has leges, cùm turba militaris libenter acciperet, citò creuit multitudo, & victoriæ legis autoritatem auxerunt. Eſt autem forma propemodum Laconicæ ſimilis, præcipuè ad militiam directa.

Scripſerunt refutationes Græci, quas inſpicere vtile eſt, in quibus hoc rectè dicitur.

Nullam doctrinã de Deo poſteriorem Apoſtolis, quibus

bus Filius Dei, reſuſcitatione mortuorum, teſtimonium dedit, diſſentientem ab Euangelio, veram eſſe.

Manifeſtum eſt autem Mahómeti doctrinam plus quingentis annis, poſteriorem eſſe Apoſtolica, & ab Apoſtolica diſſentire.

Non eſt igitur vera.

Huic argumento, & hoc addatur:

Impoſſibile eſt eſſe Eccleſiam Dei, cœtum ex profeſſo reiicientem ſcripta Prophetica & Apoſtolica.

Mahometiſtæ ex profeſſo reiiciunt ſcripta Prophetica & Apoſtolica.

Non igitur ſunt Eccleſia Dei.

Hãc confirmationẽ toto pectore teneamus, & primùm nobis præmonitionẽ Danielis proponamus, qui ait: Hoc cornu venturum, inclinata Monarchia, potentius cæteris regnis, habiturum oculos, & ſermonem grandiloquum, & ſermones contra verum Deum locuturum eſſe, & bella geſturum contra ſanctos, & habiturum victorias.

Hæc omnia congruunt ad Saracenicum regnum, quod ortum eſt initio, tribus cornibus, à Romana Monarchia auulſis, Syria, Ægypto, & Aphrica. Oculi verò ſignificant legem aſtutè cogitatam, & os loquens contra verum Deum, ſignificat blaſphemias contra Filium Dei.

Hac prædictione Danielis commonefacti, poſtea videamus, vbi, & quomodo diſſentiat Mahometi doctrina, à ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis. Qua in conſideratione, neceſſe eſt diſcerni Legem, & Euangelium, & vſum legis, qui proprius eſt miniſterij Eccleſiæ, & vſum politicum. Quanquam enim politica quædam, in lege Mahometi plauſibilia ſunt, ſicut Daniel ait, hoc cornu oculos habere: tamen ſciamus totam legem Mahometi tantùm eſſe politicam formam, penè Laconicam. Interea verò deleri à Mahometo propriam Euangelij vocem, de Filio Dei: neque, quis ſit, neque cur miſſus ſit, rectè dicit. Hæ igitur regulæ firmiſſime teneantur:

Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.

Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum, eſſe Chriſtum.

1. Ioh. 2. Omnis negans Filium, neque Patrem habet.

Ioh. 14. Nemo venit ad Patrem, niſi per Filium.

Ioh. 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in vnigenitum Filium Dei.

Item, Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira

Dei manet ſuper eum.

1.Cor.3. Fundamentum aliud poni non poteſt, pręter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

His perſpicuis & firmis teſtimoniis, muniti, execremur Mahometum, qui primùm negat in Chriſto eſſe duas naturas. Negat hęc dicta: Mundus per ipſum factus eſt: Antequam Abraham natus eſt, ego ſum. Deinde de cauſſis miſſionis, audaciſſimè negat Chriſtum miſſum eſſe, vt eius mors ſit precium pro peccatis noſtris, vt propter eum dentur remiſſio peccatorum, imputatio iuſtitiæ, Spiritus ſanctus, & hæreditas vitæ æternæ. Negat per eum, & propter eum fieri reſuſcitationem mortuorum. Negat hanc vocem prophetarum, & Apoſtolorum: ponit animam ſuam hoſtiam pro peccato. Sanguis Chriſti purificat nos, ab omni peccato. Juſtificamur fide, gratis, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem poſuit pro nobis propitiatorem. Tantùm dicit, Chriſtum fuiſſe legiſlatorem, & quidem inermem, & inutilem Imperio.

Cùm igitur Mahometus manifeſtè blaſphemus ſit, doctrinam de perſona Chriſti, & de officiis corrumpens, & palàm contradicat prophetis, & Apoſtolis, confirmemus nos regulis ſupra recitatis, ex prophetis, & Apoſtolis: Qui non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet.

Hæc cogitantes, etiam quotidie ſeiungamus inuocationem noſtram à colluuie Mahometica, & Deo gratias agamus, quod nos Eccleſiæ ſuæ inſeruit. Quanquam enim ingens multitudo eſt, & potentia gentium, in maxima parte generis humani, quæ Mahometi blaſphemias amplectũtur: tamen firmiſſimè ſtatuamus, impoſſibile eſſe, tales eſſe Eccleſiam Dei, qui, ex profeſſo, reiiciunt ſcripta prophetica, & Apoſtolica, & negant Chriſtum eſſe redemtorem. Deinde fingunt ſe, ſuis eleemoſynis, & labore militiæ, mereri remiſſionem peccatorum, & vitam æternam.

Hæc refutatio Mahometica, ſumpta ex Euangelio, eſt illuſtris. Alij legalia quædam taxant. Sed deletio Euangelij, eſt longè maius ſcelus. poſtea & legalia aſpiciantur.

Semper confuſiones libidinum, ſunt ſigna impietatis. [illegible]hometus reipſa delet coniugium, concedens diuortia, Ma[illegible] [illegible]ne arbitrio, etiãſi nullæ probabiles cauſſæ ſint. pro coiug[illegible] [illegible]biicere, cùm libet, reipſa eſt vulgaris ſcor- Nam ducere & [illegible] [illegible]m à doctrina diuina, prohibitio vini, tatio. Diſſentiunt etia[illegible] & ſuillæ carnis. [illegible] ſinat Deus tantam multi-

Nec diſputandum eſt: Quar[illegible] tudinem

tudinem,tã horribiliter decipi,& perire?& quare blaſphemos occupare ſumma Imperia ſinat:ſed dolendum eſt potius,tantam eſſe potentiam Diabolorum, & tantam miſeriam,& malitiam generis humani.

Tradidit Deus,illuſtribus teſtimoniis, ſcripta Prophetica,& Apoſtolica. Hæc nota ſunt, & amplecti eas,omnes debebant:ſed multi volentes aſpernantur. Quare impietas,& ingratitudo puniuntur,cæcitate & furoribus.Deinde intuentes tam triſtia exempla,exitij maximę partis generis humani,firmius amplectamur doctrinam Propheticam,& Apoſtolicam,& ſimus memores dicti æterni Patris: Hic eſt filius meus dilectus,hunc audite. Et aſſidua inuocatione filij Dei,nos doceri,gubernari,& confirmari petamus.Ipſe nos ad ſeſe vocat,inquiens:Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam vos.

Quod verò ſumma Imperia Mahometici diu tenuerũt, conſolemur nos doctrina Euangelij , quæ oſtendit Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci , & non eſſe parem multitudini impiorum,iuxta dictum Prophetæ : Reliqui mihi populũ pauperem in terra,inuocantem nomen meum. Et tamen erigamus nos, articulo fidei : Credo eſſe Eccleſiã Catholicam:qui affirmat eſſe aliquem mediocrem cœtum,placentem Deo:& diſcamus,qui ſit,& vbi ſit ille cœtus,& nos in eum includamus:iuxta dictum:Plantati in domoDomini, in atriis Dei noſtri florebunt.

Forma etiam inuocationis noſtræ,diſcernat nos à Mahometicis,& aliis impiis,& ſit commonefactio de naturis in Chriſto,& propriis eius beneficiis, ac læti, verum Deũ inuocemus , fiducia Domini noſtri Ieſu Chriſti,& nos ab omnibus hoſtibus Chriſti ſeiungamus.

Intueamur etiam mente,patefactiones Dei,hũc verum Deum certis teſtimoniis patefactum alloquentes , ſicut primum præceptum dicit? Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te, de terra Ægypti,& adiungantur dicta de Filio:Qui non credit in Filium,ira Dei manet ſuper eum.In hac cogitatione,& gratias agamus Deo , quod nos veræ Eccleſiæ ciues fecit.Hac igitur forma vtor.

OMnipotens,æterne,viue , & vere Deus,æterne, & vnice Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui, vnà cum Filio tuo coæterno , Ieſu Chriſto , & Spiritu tuo ſancto, creaſti cælum,& terram,& homines , & alias creaturas:ſapiens,bone,verax,caſte,iuſte,iudex,liberrime,& mi-

ſericors, diligens, & exaudiens nos, qui dixiſti: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortẽ peccatoris, ſed vt cõuertatur, & viuat: Confiteor tibi, me miſerum peccatorẽ eſſe, & doleo, quod offendi te: at ſuplex oro, vt miſerearis mei, remittas mihi omnia peccata mea, & me iuſtifices, & ſalues, per, & propter filium tuũ, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην miranda ſapientia, & immenſa bonitate: & ſanctifica me, Spiritu tuo ſancto, viuo, caſto, & veraci. Collige inter nos Eccleſiam, & eam guberna. Da Eccleſiæ politias honeſtas & tranquillas. Da nobis victum, vires corporis, rege ſtudia doctrinarum, & fac me vas miſericordię, nec ſim vas iræ. Mitiga pœnas publicas, & priuatas, propter Filium tuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, πρεσβεύοντα ὑπὲρ ἡμῶν, & propter tuam gloriam, vt te, in tota æternitate, celebremus, & tibi gratias agamus. Amen. Credo, Domine, opem fer imbecillitati meæ: Sicut dixit Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Petite & accipietis.

Hæc inſerui hiſtoriæ, quia ſeries rerum geſtarum, ſimul commonefactio eſt, de doctrinis.

Porro, in hiſtoria Heraclij, cõſideranda eſt, & inceſti cõiugij pœna. Prior coniunx Heraclij fuit Fabia Eudoxia, ex qua natus eſt filius, qui nominatus eſt Conſtantinus iunior cuius poſteri aliquot retinuerunt Imperium, quanquam nouerca ipſum veneno necauit, vt Imperium ad filium, natum in coniugio inceſto, transferret. Nam Heraclius, poſt mortem Fabiæ, duxit fratris filiam Martinam, ex qua natus eſt Heraclionas. Hunc, vt faceret Imperatorem mater, veneno tollit Conſtantinũ, ſexto menſe, poſtquam patri Heraclio ſucceſſerat. Adiuuit hæc conſilia Pyrrhus Patriacha, qui oderat Conſtantinum rectè ſentientem.

Tenuerunt Imperium Martina, & filius Heraclionas, nõ toto biennio. Nam Senatus eos cepit, & matri linguam præcidit, ne oratione populum cõcitaret. Filio nares præciſæ ſunt, & miſſi in exilium in Cappadociam, ibi in carcere mortui ſunt. Pyrrhus Patriarcha, ex fuga retractus, & interfectus eſt.

Hæ pœnæ ſecutæ ſunt inceſtum coniugium, parricidiũ, & impietatem.

Anno mundi, quater milleſimo, ſexcenteſimo, quinto.
Anno Romæ, milleſimo, trecẽteſimo, nõageſimo ſexto.
Anno Chriſti, ſexcenteſimo, quadrageſimo quarto.

CONSTANS.

COnſtans, filius Conſtantini iunioris, nepos Heraclij, pulſa Martina inceſta, cũ filio, à Senatu factus Imperator, tenuit Imperium annos viginti ſeptem, infelix aduerſus Saracenos. Domi fratrem Theodoſium interfecit, & fauens Monothelitis, pios aliquos, taxantes errorem, occidit. Ipſius mandato, Theodotus Calliopa Exarchus, fraude cepit Martinum Romanum Epiſcopum, vinctúmque Conſtantinopolin miſit, vbi Conſtans eum in Thraciam Cherſoneſum incluſit, in qua Martinus fame, & ſqualore carceris aliquantò poſt extinctus eſt.

Adeò autem creuerant res Saracenicæ, ab initio regni Mahometici, quod collocatur in annum Chriſti, ſexcenteſimum, viceſimum tertium: annum Heraclij, decimum tertium, vſque ad hunc annum Chriſti, ſexcenteſimum quinquageſimum quintum, annum Conſtantis, decimum tertium, vt iam claſſe, ex Phœnicia, miſſa, Aſię littora popularentur.

Conſtans, anno decimo tertio, ſui Imperij ſcribitur, magno prælio in Lycia, à Saracenico duce Mushauia, victus eſſe. Tunc & Rhodum Saraceni ſpoliarunt; vbi, quę de coloſſo Solis narrantur, omitto, quia Plinius ſcribit, multo ante fuiſſe euerſum terræ motu. Sed prædæ magnitudo, ex toto littore dedit occaſionem illi fabulæ. Conſtans tãdem & in Italiam venit, vbi victus à Longobardis, cum eis inducias fecit, ſpoliatáque vrbe Roma, in Siciliam rediit, vbi infœlix Imperator, perfuſus feruente aqua, in balneo ſtrangulatus eſt.

Anno mundi, quater milleſimo, ſexcenteſimo, triceſimo ſecundo.

Anno Romæ, milleſimo, quadringenteſimo, viceſimo tertio.

Anno Chriſti, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo.

CONSTANTINVS.

COnſtantinus Barbatus, ſeu Pogonatus cœpit regnare, cum pater eum, ante Italicam expeditionem, conſortem Imperij feciſſet, & coronari iuſſiſset. Regnauit annos decem, & ſeptem, felicior patre.

Saracenica claſſis, tunc ad Byzantiũ vſque, acceſſit, vnde repulſa, Cyzicum occupauit. Cúmque, toto ſeptennio in eo loco commoraretur, ſepè dimicatum eſt ad Byzantium, donec tandem, Architecti Callicini arte, igne ſuo aqua

facti, naues Saracenicas incenderunt: quare, magna multitudine deleta, reliqui fugere coacti ſunt. Ad Maleam, vbi contrarij flatus ſæpè efficiunt turbines, reliquæ Saracenorum naues, partim illiſæ ſunt ſcopulis, partim demerſæ in mare. Cùm igitur, circiter triginta millia Saracenorum periiſſent, Dux Muthauia pacem à Romanis petit. Facta eſt igitur pax annos triginta.

Poſt hoc bellum, noua gens arctoa, Bulgari, ad Myſiam inferiorem, quæ non procul à Byzantio abeſt, acceſſerunt, primúmque tunc celebrari nomen Bulgarorum cœpit, quos exiſtimo dictos eſſe à Bolga fluuio, cuius fontes ſunt non procul à Liuonia, in paludibus Moſcouiæ. Adeò autem creſcit, fluens verſus Orientem, vt viginti quinque nauigabilibus oſtiis influat in mare Caſpium. Cùm autẽ Bulgari Romanum exercitum viciſſent, Imperator pacem cum eis fecit, dedítque eis ſedem in Myſia inferiore, quæ nunc quoque Bulgaria dicitur.

Anno duodecimo huius Conſtantini Barbati, videlicet anno Chriſti, ſexcenteſimo, octogeſimo primo, Synodus οἰκουμενικὴ, ab Imperatore conuocata eſt Byzantium, quæ nominatur Sexta, in qua de contagiis Samoſateni, diſputatum eſt. Erant enim, qui contendebant in Chriſto tantùm eſſe vnicam voluntatem; qui ideò Monotheletæ nominati ſunt. Hi tectè, ſignificabant hoc quoque ſe ſentire: vnicam tantùm eſſe in Chriſto naturam. Huius Synodi mẽtionem rurſus faciam, cùm infrà, de Eccleſia eius temporis, dicam. Deceſſit placidè Conſtantinus Imperator, facta pace in Imperio Orientis, & in Eccleſia.

Anno mundi, quater milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo nono.

Anno Romæ, milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo.

Anno Chriſti, ſexcenteſimo, octogeſimo ſeptimo.

IVSTINIANVS.

IVſtinianus, filius Barbati, factus Imperator à patre, tenuit Imperium annos decem, ante exilium, deinde reſtitutus, regnauit annos ſex. Fuit vltimus ſtirpis Heraclij, inquietus, crudelis, & infelix. Ac multarum ei calamitatum cauſſæ fuerunt, duo eius domeſtici aſſentatores, & ſycophantæ, qui nimiam potentiam ſibi ſumpſerunt, vt apud Theodoſium iuniorem Eutropius, quem Gorgonem cogno-

cognominarunt. Horum ſycophantarum alter fuerat Monachus, nomine Theodoſius, cui, cùm ſummam autoritatẽ tribueret, nominauit eum Generalem. Alter Stephanus, nominatur Sacellarius, qui regit conſilia de religione, etiã matrem Imperatoris verberare auſus eſt. Hi duo aſſentatores crudelitatem in Duces exercebant. Leontiũ Ducem biennio in carcere retinuerunt, qui, cùm euaſiſſet è carcere, adiuuante Patriarcha; factus eſt Imperator. Hic Iuſtiniano nares præcidit, eúmque Cherſonem relegauit, cùm annos decem Imperium tenuiſſet. Duos ſycophantas aulicos, Theodoſium, & Stephanum, funibus ad pedes alligatis, per vrbem traxit, poſtea combuſſit.

Hic exitus aulicorum ſycophantarum fuit, non mitior, quàm Seiani apud Tiberium, apud Seuerum Plautiani, apud Theodoſium iuniorem Eutropij, Nec diutius triennio Leontius Imperium tenuit. Nam Tiberius Apſimarus, qui rediens cum exercitu, ex Africa pulſus à Saracenis, metuẽs Leontium, à ſuo exercitu, dictus eſt Imperator. Hic Leontium, truncatis naribus, in monaſterium incluſit. Contra Saracenos in Syriam miſit fratrem Heraclium, qui aliquantiſper eos repreſſit.

Tenuit imperiũ annos ſeptem. Rediit autem Juſtinianus, adiutus à Bulgaris, qui Leontium & Apſimarum per forum vinctus duci iuſſit, proſtratis coram ipſo, colla calcauit, deinde eis capita præcidit: Callinica Patriarchæ oculos effodit, Heraclium, fratrem Apſimari, ſuſpensũ ſtrãgulauit. Cùm autem, aduerſus Cherſonem, claſſem miſiſſet, exercitus Philippicum Bardanem Imperatorem fecit, qui properans ad Conſtantinopolin, Juſtinianum, & filium eius Tiberium, abſtractos ab ara, occidit. Ita tres Imperatores, exiguis interuallis, occiſi ſunt.

Anno mundi, quater milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quinto.

Anno Romæ, milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo ſexto.

Anno Chriſti, ſeptingenteſimo, decimo tertio.

PHILIPPICVS BARDANES.

Philippicus Bardanes factus Imperator ab exercitu, qui à Juſtiniano defecerat, tenuit Imperium annos duos, deleuit imagines in templis, ſextæ Synodi decreta oppugnauit, & Monotheletas rurſus defendit. Sed Artemij Secretarij cõſiliis, oculis priuatus, in carcerem coniectus eſt.

Anno mundi, quater milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo.

Anno Romæ, milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo octauo.

Anno Chriſti, ſeptingenteſimo, decimo quinto.

ARTEMIVS.

ARtemius, qui nominatur Anaſtaſius ſecundus, tenuit Imperium annum vnum, & tres menſes, vir eruditus. Fuerat enim inter Secretarios præcipuus, cúmque amans eſſet cõcordiæ in Eccleſia, repreſſit eos, qui ſextam Synodum oppugnabant, ſed in bello infelix fuit, quia exercitus corrupti ſeditionibus proximorum Imperatorum, cùm licentiam frę̨nari ægrè ferrent, Theodoſium Adramittenum Imperatorem fecerunt, qui, pulſo Artemio, & in monaſterium incluſo, tenuit Imperiũ non amplius vno anno, ídq; volens ceſſit Leoni Iſauro. Sed Artemius, poſt annos aliquot, collecto ex Bulgaris exercitu, recuperare Imperium conatus eſt: verùm proditus Leoni, interfectus eſt.

Anno mundi, quater milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo.

Anno Romæ, milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo primo.

Anno Chriſti, ſeptingenteſimo, decimo octauo.

LEO TERTIVS.

LEo tertius, hoc nomine, Iſaurus, Conõ antea nominatus, rexerat Alanos. Poſtea ab Artemio contra Saracenos miſſus, cùm audiuiſſet cõtra Artemium factum Imperatorem Theodoſium, ipſe, tanquam defenſurus Artemium, redit Nicomediam, & capto filio Theodoſij, paciſcitur cum patre, vt Imperio cedat. Ita Leo Iſaurus ſibi Duces, & exercitus omnes, iurare iubet. Tenuit Imperium annos viginti quinque.

Digniſſima verò cõſideratione ſunt, huius Leonis Iſauri tempore, bella Saracenica, quæ legentes, tempora conſiderent, quam celeriter potentia Saracenica creuerit, & quã triſte exemplum ſit, tot gentes faſcinatas a Diabolis, ſubita amentia deficere à filio Dei. Clarè enim, in hac hiſtoria conſpicitur, verum eſſe verſum Sophoclis:

Ταχεῖ πεδίλῳ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ.

Agnoſcamus autem, & diuinitùs depulſos eſſe à Gallia, pul-

pulcherrimis victoriis, Caroli Martelli, Ducis Brabantiæ, qui fuit auus Caroli Magni Imperatoris.

At tempora primùm conferantur: Mahomes cœpit regnare, anno ſexcenteſimo, viceſimo tertio, Chriſti. Ab hoc anno, vſque ad initium Leonis Iſauri, videlicet vſque ad annum Chriſti, ſeptingenteſimum, decimum octauum, ſũt anni centum, & quinque. Intra hoc ſpatium Mahomet, & ſucceſſores eius, qui Saraceni, & Agareni nominantur, potiti ſunt Arabia, Palæſtina, Syria, Perſia, Ægypto, Africa. Traiecerunt & ex Africa, in Hiſpaniam: quam, cùm decem annos tenuiſſent, in Galliam, vſque ad Turonum, trecenta & ſeptuaginta millia Saracenorum infuſa ſunt. Alibi verò progreſſi in minorem Aſiam, obſederunt, regnante Conſtantino Barbato, Byzantium, circiter annum ſexcenteſimum, ſeptuageſimum quartum, vnde repulſi, redeunt cum maiore claſſe, ſub Leone Iſauro, poſt annos circiter quadraginta, videlicet Leonis Iſauri initio. Tunc rurſus biennio Conſtantinopolin obſident, Duce Maſgada, ſed rurſus,
F ſingulari ope diuina, repulſus eſt. Nam Saracenicus exercitus fame, & peſtilentia periit: naues fulminibus ſubmerſæ ſunt, aliquæ ignibus, arte ſub aqua factis, incenſæ ſunt. Ita rurſus aliquantiſper Saraceni repreſſi ſunt, ne Aſia minore, & Byzantio potirentur.

Sed maiora bella duo, in Gallia, mota ſunt. Primũ enim in Galliam, rex Abidiramus duxit multitudinem Saracenorum, cuius numerus traditur fuiſſe triginta millia hominum. Hunc Eudo Vveſtgottus Aquitaniæ dominus, cõtra Francos attraxerat. Iamque Burdegalam Saraceni, vi captam, diripuerant, & vſque ad Turonum, magna multitudine Chriſtianorum trucidata, peruenerant. Erant in ſũmo periculo Gallia, & Italia.

Relictis igitur bellis Saxonicis & Friſiacis, Carolus Martellus, Dux Brabantiæ, robur regni Francici ducit contra Saracenos. Clàm etiam ab Eudone petit, ne Chriſtianum nomen in Europa deleri ſinat, eúmque monet, vt relicta ſocietate Saracenorum coniungeret ſe cum Francico exercitu. Prælio igitur facto, Deo iuuante, vincit Caroli Martelli exercitus, & tota illa multitudo Saracenorũ trucidatur: periit in acie rex Abidiramus.

Hac tanta clade arrepta, Saraceni tamen nondum quieuerunt. Nam aliquantò poſt rurſus ex Hiſpania, duo ingentes exercitus Saracenici, in Galliam effuſi ſunt, freti ſocietate Weſtgottorum in Aquitania, & Narbonenſi

Gallia. Rex Saracenorum Athinius, cũ magna claſſe, Galliam Narbonenſem inuaſit, & Auinionem, ſubita vi, cepit, eámque belli arcem fecit. Hanc obſidione cinctam, rursũ Carolus Martellus, magna cum difficultate, expugnatam, recipit, & Saracenos, magno numero trucidato, expellit. Rex Athinius, cum parte copiarum, in naues fugiens, Narbonem delatus eſt. Hanc vrbem cùm obſideret Carolus Martellus, alter rex Saracenorum Amorræus, vt circumſeſſis opem ferret, ex Hiſpania venit. Properat Carolus, ne hoſtium exercitus coniungantur, & in valle Carbona, ad fluuium Birram, cum Saracenis dimicat. Ibi, inter primos, occiſo Amorræo, acies perculſa morte regis, fugere cœpit, exercitus partim in flumine ſubmerſus eſt, partim trucidatus.

Cognita Amorræi clade, Athinius ex Narbone, cum ſuo exercitu, fugit, & præda, ex inſulis Liguriæ vicinis, auecta, in Hiſpaniam rediit. Narbonem Carolus, ne Weſtgotti inde noua bella molirentur, deleuit.

Repreſſi his cladibus Saraceni, qui ſe Gallia & Italia potituros eſſe, ſperauerant, deinde ſemper, inter Pyrenæos montes, ſe continuerunt. Nec exiſtimo bellum vtilius, & difficilis, poſt id tempus, vllum geſtum eſſe: quia, non ſolum Galliæ vaſtatio, ſed etiã propagatio Mahometicæ impietatis, in reliquam Europam, prohibita eſt. Quid eſt autem melius, quam ſimul & tot ciuium corpora, & familias defendere, & in præſentia, & ad poſteritatem, manifeſtas blaſphemias depellere?

Hæ ſunt iuſtæ, & magnæ cauſſæ cur viri fortes, arma induant vt in Symbolo, Hiſpanicus rex Alphonſus, auem pelecanum ſibi pectus fodientem, & ſanguine ſuos pullos alentem pinxit, & adſcripſit: Pro lege, & pro grege, ſignificans has duas eſſe iuſtas bellorum cauſſas: Depulſionem latrociniorum à corporibus, & depulſionem blaſphemiarum.

Profuit autem etiam hæc victoria in Hiſpania, quia reliquiæ Chriſtianæ, ex gente Gottica, retinuerant loca horridiora vicina Pyrenęis montibus, Cantabriam, & Aſturiã. Inde progreſſæ paulatim, domitis Saracenis, recuperauerunt Hiſpaniam. Ex illis Gotticis reliquiis, orta eſt ſtirps proximorum regum Hiſpanicorum, ex quibus materna origo eſt Carolo Imperatori.

Agnoſcamus igitur Dei beneficia, & ei gratias agamus, ſubinde reſtitutũ mediocrem ſtatum, ſicut tunc Carolum Mar-

Martellum, ad iuſta bella excitauit, & conſilia, & dextram eius rexit. Fuitque, propter has victorias, mediocris pax Europę annos circiter centum, regnantibus Pipino, Carolo Magno, & Ludouico Pio. Horum etiam Principum virtutem celebremus, qui fuerunt organa Dei, & non contumaciter ei repugnarunt, ſicut faciunt Tyranni, qui, volentes, iuſtitiæ ſuas cupiditates anteferunt.

Vt autem, qui fuerit Carolus Martellus, conſideretur, ſciendum eſt, in hiſtoria Francica, Maiores domus nominari, qui fuerunt, poſt reges, ſummi gubernatores aulæ, vel regni, vt nos dicimus *Hoffmeiſter*: illi dixerunt *Hauſmeir*, quod Latini ſcribæ interpretati ſunt, Maiorē domus. Hunc gradum dignitatis, regi proximum, tenuit Martellus, cùm eſſet Dux Brabantiæ. Iuuenem nouerca Woldruda, mortuo Pipino patre, carceri incluſit in Colonia Agrippina: Inde tamen diuinitus euaſit. Recuperata dignitate paterna, conpeſcuit Friſios. Deinde in Aquitania vicit Eudonē. Poſtea Franci Principes regnum ei obtulerunt, quod recipere noluit, contentus paterna dignitate. Deinde Saracenos infuſos in Galliam, magnis prælijs, deleuit: in quibus auxilia habuit regis Lōgobardorum Landbrandi, Landfridi, ducis Alemannorum, & Odillonis ducis Bauarię.

Ex tot gentium fortiſſimarum auxiliis æſtimari poteſt, magnum Europæ periculum à Saracenis fuiſſe: ſingulari etiam ſapientia, tot gentes coniunctas eſſe, ad tanti belli ſocietatem, in quo rectè de Martello dici poteſt, vt de Themiſtocle dictum eſt: Victos eſſe ab eo Perſas, fortitudine, ſocios verò lenitate: τοὺς μὲν πολεμίους ἀνδρείᾳ, τοὺς δὲ συμμάχους εὐγνωμοσύνῃ νικῆσαι.

Tanta igitur eius autoritas fuit, vt cum Ludbrandus rex Longobardorum, vrbem Romam obſideret, & Romanus Epiſcopus auxilium peteret, Carolus Martellus, tātùm legatione miſſa, perfecerit, vt Longobardus ab vrbe Roma diſcederet, ac cum Epiſcopo Romano pacem faceret.

Tenuit paternam dignitatem annos viginti ſex. Deceſſit anno Chriſti, ſeptingenteſimo, quadrageſimo primo vndecimo calendas Nouembris, non multo ante mortem Imperatoris Leonis Iſauri. Sepultus aſt autem inter reges Francicos, in æde Dionyſij, & ſepulchro additum eſt hoc epitaphium:

I[illegible]e Brabantinus Dux primus in orbe triumphans,
[illegible] in mundo ſpecialis Chriſticolarum:
D[illegible]úſque ducum, regum quoque rex fore ſpernit.

Non vult regnare, ſed regibus imperat ipſe.

Hęc de Saracenis, & de Caroli Martelli victoriis, & excellenti virtute nolui omittere: quia harum tantarum rerum conſideratio, propter multas grauiſſimas cauſas, vtiliſſima eſt. Nunc ad Leonis Iſauri poſtremum actum accedo.

Cùm, repulſis à Byzantio Saracenis, Leo Iſaurus aliquid otij nactus eſſet, edictum proponit, quo iubet deleri imagines in templis. Inde nominatus eſt εἰκονόμαχος. Omitto fabulas, quæ narrant, eum à Iudæis incitatum eſſe. Hæc res adeo ingrata fuit Romano Epiſcopo Gregorio tertio, vt fulmen excommunicationis cõtra Leonem Iſaurum, propter εἰκονομαχίαν ediderit, prohibuerit etiam in Italia tributa ei ſolui.

Hæc initia fuerunt coniunctionum, & fœderum Pontificiorum cum Francis. Erant alioqui magno in odio Græci Imperatores. & Exarchi magnam crudelitatem in Italia exercebant. Florebant autem Franci, non ſolùm potentia, ſed etiam fama iuſtitiæ, & pietatis. Ideò defenſio ab eis poſtea aliquoties petita eſt, ſicut vſitatum eſt, contra Tyrannos, vicinam defenſionem quærere, & ſcriptum eſt: Propter iniuſtitiam regna transferuntur. Tunc verò, & prætextus religionis acceſſit, quod Leo Iſaurus, & deinde filius, imagines, & ſtatuas delebant.

Anno mundi, quater milleſimo, ſeptingenteſimo, quarto.

Anno Romæ, milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quinto.

Anno Chriſti, ſeptingenteſimo, quadrageſimo ſecundo.

CONSTANTINVS.

Conſtantinus Copronymus, filius Leonis Iſauri, viuo patre, coronatus eſt à Patriarcha, cui nomen fuit Germanus. Tenuit Imperium annos triginta quinque. Nominatus Copronymus, quòd infans, in ſacro baptiſmi ritu, in aquam baptiſmi ſtercus ex ventre eiecit. In delendis imaginibus templorum vehementior fuit patre. Ideò contra eum factus eſt Imperator, conſenſu Patriarchæ, & nobilitatis, Arrabaſdus, quem prælio victum, poſt biennium Copronymus cepit, & ipſi, & duobus eius filiis oculos effodit. Patriarcham verberare iuſſit, & impoſitum aſino conuerſa facie ad caudam, quam manibus teneret, circumuehi. Cum Bulgaris varia geſſit bella. Tandem, poſtquam

quam variam crudelitatem exercuit, morbo mortuus eſt.

Ipſius tempore deſiit Exarchatus in Italia, & Pipinus filius Caroli Martelli, cùm fuiſſet Maior domus annos decem, conſenſu procerum factus eſt rex Francorum, anno Chriſti, ſeptingenteſimo, quinquageſimo primo.

Scribitur, Romani Pōtificis Zachariæ autoritate, proceres iuramento liberatos, coëgiſſe Hildericum, vt regium nomen deponeret, Hilderico in monaſterium incluſo. Pipinum Bonifacius Sueſſione coronauit. Deinde Pipinus bis in Italiam vocatus eſt, contra Longobardorum regem Aſtulfum. In vtraque expeditione, modeſtia Pipini verè heroica fuit, quam fortaſſis eò maiore cura præſtitit, quia fuit educatus apud regem Lutebrandum. Ideò ſic conſuluit paci, vt regnum Longobardorum non deleuerit, ac ne quidem veſtigium in Italia occupauerit.

In priore expeditione, cùm Aſtulfum Ticini circumſeſſum, coëgiſſet promittere pacem, datis obſidibus, hac pactione contentus, mox in patriam redit. Sed Aſtulfi ferocia magis irritata, quàm repreſſa fuit. Poſt abitum Pipini: Aſtulfus, cōtra pacta, maius bellū mouet: ducit exercitum ad vrbem Romā, & obſidet eam tres menſes. Cùm autem Pipinus rediiſſet in Italiam, relinquit obſidionem Romæ Aſtulfus, metuens regno Longobardico. Hîc magis cōſpicitur modeſtia Pipini: tantùm priores conditiones pacis ſeruari poſtulat, iubet contentum eſſe paterno regno, & abſtinere ab vrbe Romana, & à reliqua Italia. Nec verbis contentus eſt Pipinus, vt antea, ſed manet in Italia, donec præſidia Aſtulfus, ex vrbibus Rauenna, & aliis deducit.

Fabula verò de donatione, quàm, à Pipino factam eſſe, aliqui narrant, manifeſtè refutatur, ex Ludouici Pij hiſtoria; qui diſtinxit Italiæ vrbes, quas vellet eſſe Imperatoris. Reddidiſſe Pontifici eas, quas ei Longobardi ademerant, conſentaneum eſt. Fortaſſis & in Latio aliquas addidit, cæteras voluit eſſe liberas.

Cū diſceſſiſſet ex Italia Pipinus, ducit exercitum cōtra Saxones; & Bauaros. Rex Bauaricus Taſſillo, ſine dimicatione rediit in gratiam cum Pipino; qui iuſſit eum retinere regnum. Erat enim ſororis Pipini filius. Sicut in Italia oſtendit, reges decere iuſtitiam, & modeſtiam: ita & in Germania modeſtiæ exemplum oſtendit. Saxonibus acie victis, etiam ita pax data eſt, vt ſuo contenti, nihil ademerent regno Francico, & ſuis legibus viuerent, tantùm quotannis adducerent ad regē Francicū, trecentos bellatores equos,

A Pipino etiam,ſcribunt,ſummum iudicium in Gallia, quod Parlamentum nominant, Lutetiæ initiò cõſtitutum eſſe,quod ſapientia iudicum,ordine cognitionis,ſeueritate executionis, lõgè antecellit omnibus iudiciis,in genere humano. Hęc verè heroica ſunt, iuſta bella gerere,& in victoria iuſtitiam & modeſtiam retinere, & legitima iudicia,profutura toti poſteritati, conſtituere. Hæc præcipua ſunt,quæ in Occidẽte,Copronymi tempore acta ſunt. Interea in Oriente,ex portis Caſpiis effuſi Turcæ,in Colchicam, & Armeniam irruperunt : vbi & cum Saracenis præliati ſunt. Hanc fuiſſe cauſſam exiſtimo,cur Saraceni,aduerſus Copronymum,nihil memorabile egerint.

Etſi autem Mauricij tempore, bella geſſerũt Turcę cõtra Perſas:tamen , quia tunc à Perſis repreſſi ſunt , ea eruptio minus celebris eſt,quàm hæc ſecunda,in qua primùm Saracenica arma experti ſunt , quæ in tempora Copronymi,& Pipini incidunt. Sunt autem montes Caſpij,vicini Iberiæ : vbi nunc quoque ſunt vberes venæ metallicæ. Quare dictos eſſe exiſtimo,quaſi argenteos, quia Keſeph argentum ſignificat. Quando autem Turcæ & Saraceni eripuerint Imperium Aſiæ,poſtea dicemus.

Anno mundi, quater milleſimo, ſeptingenteſimo,triceſimo nono.

Anno Romæ,milleſimo, quingenteſimo,triceſimo.

Anno Chriſti,ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimó.

LEO QVARTVS.

LEo quartus,Copronymi filius,patri ſucceſſit. Tenuit Imperium annos quinque. Coronatus à Patriarcha, viuo patre, qui ei deſpondit coniugem Irenen Athenienſem.Patrem imitatus eſt,in delendis imaginibus. Exercitũ in Syriã miſit,qui magis irritauit Saracenos,quàm repreſſit.Nam,aliquantò poſt,Irene,pacem cum Saracenis fecit, promiſſo tributo. Filium puerũ coronari à Patriarcha curauit,nec multò poſt,febre pater extinctus eſt.

Anno mundi, quater milleſimo, ſeptingenteſimo,quadrageſimo quarto.

Anno Romæ , milleſimo, quingenteſimo , triceſimo quinto.

Anno Chriſti,ſeptingenteſimo,octogeſimo ſecundo.

IRENE.

IRENE , cum filio adoleſcentulo, ſimul regnat annos decem.

cem. Poſtea domeſticæ diſcordiæ varias confuſiones pepererunt. Sed hæc prima gubernatio Irenes fuit tranquillior. Anno igitur ſeptimo, Synodus οἰκουμενικὴ Niceæ cōgregata eſt, quę nominatur Septima, in qua decretum factum eſt de reſtituendis imaginibus. Nec ea res ſine magno tumultu acta eſt. Cùm Epiſcopi, & doctores, in templo Byzantij conſediſſent ad dicendas ſententias, magna multitudo irrumpens, diſſipauit eos armis, quia nolebat ſtatuas, & imagines reſtitui, ne impij cultus, & inuocationes ſtatuarum, aut hominum confirmarentur.

Erat autem Eunuchus Irenes, Aëtius, qui præcipua cōſilia aulæ regebat, & hoc agebat, vt Irene nuberet ſuo cognato, præſidi Thraciæ. Suaſit igitur, vt ad comprimēdam ſeditionem, pręſes ille, cum ſuo exercitu accerſeretur. Hoc vocato, ciuibus arma ademta ſunt, & multi impoſiti in naues, paſſim in inſulas miſſi ſunt.

Deinde Synodus tranſlata Niceam, ex ſententia Romani Epiſcopi, decretum condidit, vt ſtatuæ, & imagines reſtituerentur.

Poſtea, cùm filius Conſtantinus, natus annos viginti, regere Imperium, ſuis conſiliis, vellet, & quoſdam matri addictos, remoueret, ipſa cū ſuis, ſollicitauit partem exercituum, vt iurarent, ſe filium non admiſſuros eſſe ad imperium. Sed Armeniaci exercitus, rem iniuſtam deteſtantes, filio iurauerunt, quorum exemplum deinceps & cæteri omnes ſecuti ſunt. Nec tamen finis fuit inſidiarum. Cùm annos ſeptem regnaſſet Conſtantinus, mater nacta occaſionem, quòd filius vxorem dimiſerat, & in monaſterium incluſerat, & aliam duxerat, mittit certos homines, qui filium caperent. Hi capto, effoderunt oculos, qua ex re, poſt paucos dies dolore extinctus eſt.

Irene, poſtquam filius oppreſſus eſt, regnauit ſola tantùm tres annos. Intra hoc triennium, cùm Græci non ſolùm deſpecti eſſent, propter muliebre Imperium, ſed etiam inuiſi, propter multorum temporum tragica exempla, & propter recentem matris crudelitatem erga filium & ipſius patruos, & Italia defenſione indigeret cōtra Longobardos, & ſeditiones: nam & Romæ Pontifex per ſeditionem captus, & verberatus fuit: accerſitus eſt Carolus, propter iuſtitiam, & cæteras virtutes, præſertim cum & antea iuſtitiam, & modeſtiam Caroli Martelli, & Pipini, Italia experta eſſet: ita cum nomine Imperatoris, gubernatio Italiæ ad Carolum Magnum tranſlata eſt. Fuitque

pulchra coniunctio Italiæ,& Galliæ,& Germaniæ.

Omiſſis igitur Græcis Imperatoribus, quorum plerique fuerunt Tyranni, & poſtremi tandem, domeſticis diſcordiis, Turcas attraxerunt, breuiter recitabo res geſtas noſtrorum Imperatorum, quorum initia læta fuerunt, & Italiæ,& Germaniæ ſalutaria. Poſtea diſcordiis Pontificum, & Imperatorum, huius Imperij potentia, & authoritas, languefacta eſt.

ECCLESIASTICA EIVS temporis.

IMperatorum Mauricij, & Phocæ tempore,fuit Gregorius Romanus Epiſcopus, primus eius nominis, qui vt vir Romanus,politica negotia multa egit. Sed duas res,in Eccleſia pernitioſas auxit, Inuocationem hominum mortuorum, & ſacrificia pro mortuis, quæ res horribiliter nócuerunt Eccleſiæ, vt alibi copiosè exponitur.

In Heraclij tempora,vt ſupra dixi, incidunt initia horrẽdæ blaſphemiæ Mahometicæ, & regni Saracenici,quod blaſphemias,multiplici crudelitate,propagauit.

Poſt Heraclium, Conſtantius quintus, natus ex Conſtante,filio Conſtantini,filij Heraclij, Synodum vocauit Byzantium, quæ nominatur ſexta Synodus οἰκουμενική. In qua damnati ſunt, qui contendebant tantùm vnicam in Chriſto voluntatem eſſe. Vnde & μονοθελῆται nuncupati ſunt. Quomodo pinxerint errorem, nõ ſcribitur,ſed contagia Samoſateni, aut Neſtorij fuiſſe exiſtimo, de quibus ſupra dictum eſt.

Sciant autẽ ſtudioſi,de hac quæſtione,in Petri Longobardi commentariis lib.3. diſtinctione decima ſeptima diſputari, vbi conſideratio horum quatuor graduum,in Chriſto, vtilis eſt,videlicet appetitionum cibi, & potus, affectuum,qui ſunt proprij neruorum, vt dolorum in laceratione corporis: deinde affectuum cordis. Tertius gradus eſt voluntatis,quæ eſt propria naturæ humanæ.

Hos gradus in Chriſto eſſe, manifeſta teſtimonia oſtẽdunt,ſed ſunt ordinati omnes, & ſine peccato, nec ruunt extra legem Dei. Sitio,inquit:quod primi gradus eſt. Secundi gradus ſunt dolores in laceratione corporis. Nec enim imaginandum eſt, Chriſtum fuiſſe ſcopulum, cùm quidem ipſe dicat: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortẽ. Et nerui,ordine naturæ,ſentiebant deſtructionem. Sic & cor, or-

cor, ordine naturæ, ſine peccato, ſentiebat deſtructionem.

Hi dolores neruorum, & cordis, aliquo modo ad animam quoque penetrant, ſicut dicit: Non ſicut ego volo. Nec ſunt peccata, ſed tantùm cruciatus patientis Chriſti, ſicut ipſa mors: & concurrebant ad neruorum, & cordis ſenſum, alij dolores in Chriſto, qui animam feriebãt: Senſus iræ Dei, aduerſus peccata, generis humani, iuxta dictum: Iniquitates eorum ipſe portabat. Interea tamen voluntas humana, in anima Chriſti, retinet firmitatem propoſiti, & ſe ad obedientiam offert: Non vt ego volo, ſed vt tu vis. Ita manet harmonia, & congruentia cum Deo.

Teſtimonium verò de voluntate, quę eſt propria diuinæ naturæ in Chriſto, firmum eſt. Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui vult releuare Filius, ᾧ ἐὰν βούληται υἱὸς ἀποκαλύψαι. Id velle, eſt naturæ diuinæ quæ cum Patre, & elegit Eccleſiam, & eſt in ea efficax. Diligenter autem & ob hanc cauſſam, id dictum conſiderandum eſt, quia refutat Samoſatenum, & teſtatur λόγον eſſe ὑφιστάμενον.

Hæc breuiter attigi, vt conſiderent ſtudioſi, diputationem illius temporis, res grauiſſimas complexam eſſe, quas cogitare, ad agnitionem, & inuocationem Chriſti, vtile eſt, & alit eruditionem hæc conſideratio.

Tempore Irenes, Synodus, quæ nominatur Septima οἰκουμενική, in vrbem Niceam tranſlata eſt, quæ decretum fecit, de ſtatuis, & imaginibus reſtituendis. De qua controuerſia non addo diſputationem. Sed manifeſtum eſt, cultum idolorum cumulatum eſſe ſtatuis.

Fuit, Pipini temporibus, in Germania, Bonifacius, cuius epiſtola extat, quæ oſtendit eum in Turingia, & vicinis locis multos Eccleſiarum abuſus emendare conatum eſſe. Queritur crebra eſſe adulteria ſacerdotum, & pœnam ſancit deprehenſo carcerem vnius anni. Prohibuit & Ethnica ſacrificia, vt ipſe nominat, quę dicebant ſe ſanctis facere. Exiſtimo barbarica conuiuia fuiſſe. Prohibuit & magica, quorum vbique apud Ethnicos magnus vſus fuit. Scribit ad Anglicum regem, quem obiurgat, propter adulteria. Gẽtem Saxonicam etiam, antequam audiuit doctrinam Eccleſię, adeò deteſtatam eſſe ſtupra, & adulteria, vt ſtupratas, & adulteras, ſtrangulatas deinde cremauerint. Ac ſupra rogos ſuſpenſos, & vſtulatos eſſe ſtupratores, & mœchos, donec morerentur. Hæc ſeueritas in pœnis ſtupri, & adulterij, digna memoria eſt, & optandum eſt, vt

commonefacti magiſtratus hoc exemplo, hac ipſa in re ſint ſecuriores, ſicut Deus præcipit, qui leges caſtitatis tradidit, & earum legum contemptum horribiliter punit, vt pœna Dauidis & alia exempla, omnium temporum, oſtendunt. Tandem Bonifacium à Friſiis, occiſum eſſe, ſcribitur.

Corpus doctrinæ ipſius integrum non extat, ſed conſentaneum eſt, Gregorij doctrinam, & exempla ſecutum eſſe. Precor autem filium Dei, vt ſemper Eccleſiam in his regionibus colligat, & ipſe eam gubernet, & protegat. Amen.

CHRONICI CARIONIS,

A

CASPARO PEVCERO EXPOSITI, ET auƈti,

TERTIA PARS.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNdo, Archiepiſcopo Meideburgenſi, Primati Germaniæ, & Adminiſtratori Halberſtatenſi, Marchioni Brandeburgenſi, Duci Pomeraniæ, &c. Burggrauio Noribergenſi, &c. Domino ſuo clementiſſimo, S.D.

DE operibus pictoris Apellis, Plinius tradit diuum Auguſtum in delubro patris Cæſaris, verſibus Græcis dedicaſſe Venerem exeuntē è mari, quam ἀναδυομένην *vocant, ab Apelle pictam, cuius inferiorem partem corruptam, qui reficeret, non potuiſſe reperiri. Inchoaſſe verò Apellem & aliam Venerem Cois, vt ſuperaret illam priorem, ſed inuidiſſe mortem, peracta parte, nec qui ſuccederet operi, ad præſcripta lineamenta, inuentum eſſe. Quantò fuit, in hac parte, beatior Apelles, quàm vir reuerendus Philippus Melanchthon, piæ, ſanctæq; memoriæ, preceptor, patronus, ſocer, & pater omni mihi reuerentia in perpetuum colendus. In illius enim operibus, adeò, qui notare aliquid vellet, repertus eſt nemo, vt qui de mutilis abſoluendis, polliceri quid auderet, non ſeſe obtulerit quiſquam. Huius ſancti, Eccleſię & Reipub. vtiles, & æternitate digni labores, qua petulantia exagitentur, & lacerentur, palàm eſt.*

Reliquit is autē Chronici ſui opus imperfectum, de quo, quæ extant, etſi qualia ſint, quantoq; ſint ſtudio, iudicioq; ſcripta, quanta prudentia, ſimplicitate, ac perſpicuitate elaborata, denique, quanta dexteritate, ad vſum in vita communi accommodata, res docet: tamen, qua nunc eſt audacia, & impudentia multorum, futuros non dubito, qui & in hoc genere, vt in aliis, cum eo ſuperbè certare audebunt. Hos, quicunque illi fuerint, monere mihi, ipſorum pace, liceat, ne is, qui, vt Plinij verbis vtar, ſucceſſerit operi, ad præſcripta lineamenta attexturus, quæ deſunt, ſomniet ſuas additiones, partes priores artificis, facil in hoc genere primi, obſcuraturas eſſe.

Relicta eſt enim pars operis penè difficillima, in qua dicendū erat de mutationibus quas perpeſſa eſt Eccleſia, de inuectis in eam, ac cumulatis abuſibus atque idololatriis, de abolita memoria legis diuinę, ſuperſtitioſa obſeruatione traditionum humanarum, ac obruta multipliciter puriore doctrina Euangelij, & extincta penè vera Dei inuocatione, de conditis nouis do-

gmatibus, & inſtitutis contra mandatum Dei cultibus, & ſancitis legibus impiis, de conuerſo Miniſterio verbi in Monarchiã politicam, & rapta, atque occupata à Põtificibus Romanis Tyrannide in Eccleſia, & Imperio. Erat & de occaſionibus harum rerũ, deq; initiis ac progreſſionib. aliquid explicandũ, & collatio dogmatũ primæ, & purioris Eccleſiæ, ac recẽtis Romanæ facienda, & vtraque ad normam verbi diuinitus traditi exploranda.

Præterea celebranda erat, & illuſtranda ſapientia, virtus, pietas, ac felicitas noſtrorum Principum, quorum multi excitati, & adiuti diuinitus, geſſerunt res orbi Chriſtiano ſalutares domi foriſque, repreſſis externis gentibus & orbe Chriſtiano pacato. Aliqui enim Imperium Occidentis, velut de collectis ex naufragio tabulis, inſtaurarunt, vt Carolus Magnus. Aliqui à maioribus acceptum, amplificarunt, vt Henricus Auceps, Otto Magnus. Aliqui poſſeſſionem Imperij Germaniæ tradiderunt, & confirmarunt legibus, & virtute, vt Otto Tertius. Aliqui dignitatem, & maieſtatem Imperij contra efferentem ſeſe, atque ad ſumma enitentẽ Pontificum rabiem, ac Tyrannidem, armis & autoritate defenderunt, vt Henricus Tertius, & Quartus.

Et quanquam Pontifices, religionis impio, & falſo prætextu, hoc ſceleratis artibus, & crudelibus ſeditionibus, oppugnato atque euerſo, ſucceſſores quaſi in ſeruitutem redegerunt, ſecuti ſunt tamen, qui penè profligatam, atque proiectam Imperatorum autoritatem vindicare rurſus, atque aſſerere ſunt conati, vt Ludouicus Bauarus, Henricus Septimus, & alij. Aliqui ex Europa, bella tranſtulerunt in Aſiam, aduerſus Turcos, & Saracenos, Godefridus Biloneus Lotaringiæ Princeps, Conradus Tertius, Fridericus Primus & Fridericus Secundus, Imperatores inter quos, Fridericus Primus, omni laude dignus Princeps, plurimùm conſuluit publicæ paci, & tranquillitati, in Germania Secundus, nepos eius, augeſcentem potentiam Turcorum, tunc velut in herba concidiſſet, niſi eum, Pontificum perfidia, velut ex medio victoriarum curſu retractum, nouis ſeditionibus implicaſſet.

De his tantis rebus, quàm ſit difficile ex falſis, ſuppoſititiis, tyrannicis, & impiis recentiorum canonum decretis, ex intricatiſſimis labyrinthis doctrinæ ſcholaſticæ, & mendacib. ac ſuperſtitione refertis commentis monachorum, quæ aliena ſunt à norma, & analogia fidei Chriſtianæ. denique ex iis, quæ ab aſſentatorib. Pontificũ, aut non bona fide recitata, aut calumnioſè deprauata ſunt, vel ex mutilis, obſcuris, confuſis, ſæpè diſcrepãtib. annotatis cæterorum, qui res geſtas Imperatorum memoriæ prodiderunt: Ex his igitur, quanti ſit iudicij, doctrinæ, experientiæ,

excer-

excerpere inſignia, vero conſentanea, vitæ communi vtilia, & ea rectè explicare, ita vt monſtrentur veri fontes, & cauſſæ mutationum, quæ in hæc tempora inciderunt maximę, ſapientes intelligunt.

Vtinam Deus vitam conceſſiſſet longiorem Philippo, ad hæc pertexenda, in quibus ſuperaturus priora fuiſſet. Nam & labyrinthos ſcholaſticæ doctrinæ, perueſtigarat, & totam ſinceriorem antiquitatem perſpexerat, & de rerum in Imperio geſtarũ momentis, cauſſis, occaſionibus, prudenter poterat iudicare, vt de orationis perſpicuę facilitate, & dotibus in eo cæteris, ad rẽ tantam neceſſariis taceam. Sed negauit Deus ingrato ſeculo, lucem hiſtoriæ, de iis temporibus, quibus, ob confuſiones religionũ, & politicæ poteſtatis, atque negligentiam ſcriptorum maximè opus erat ſapienti, erudito, & exercitato ſcriptore.

Illi, rebus humanis exempto, ego, in pertexendo opere ſucceſſor datus ſum: qui ſi, vt operæ atque laboris, ita doctrinæ, iudicij, prudentiæ, & perſpicuę plenęq́; orationis hęreditatem ſimul adiiſſem, minus repugnaſſem voluntatibus meorum collegarũ, & de me etiam minus laboraſſem: ſed cùm nihil iſtorum in me ſit, ceſſi tamen autoritati illorũ, qui rem tantam mihi impoſuerunt, non quod confiderem, nauare me aliquid aut efficere poſſe, his rebus dignum, ſed quod perſuaderer, me, quæ deſint, adiicere debere, quod authoris, de multis rebus ſententiam, hiſce annis quindecim, quo cum eo vixi, cognouiſſem, & multa ex ſermonibus familiaribus quotidianis meminiſſem, poſteritate digna, in quibus ſi non ſatisfacerem omnibus, eò minus tamen mihi periculi fore, quod non expectaretur aliquid priorẽ ſimile.

Obſequutus ergo, & mandatis illorum, & multorum aliorum votis, partem eius hiſtoriæ, quæ adhuc reſtat paucis, vt Chronico conuenit, deſcripſi, quę complectitur annos circiter quingentos, à Carolo Magno, vſque ad Fridericum ſecundum. De hac ſi, vt futurum ſpero, confidoq́;, &, vt fiat, opto, precórque, fuerit iudicatum candidè, excitabor ad reliqua, maiore cura, perſcribenda: ſi acerbior in eam cenſura acta fuerit, exiſtimabo nihil mihi accidiſſe noui, & communi me fato multorum bonorum, ac meę voluntatis teſtimonio conſolabor, quod ex diſcrepantia & confuſione magna, ſtuduerim elicere vero maximè conſentanea, quantum omnino, in tanta recentium ſcriptorum negligentia, fieri potuit. Cuius culpa, ſi quis erret quandóque, aut impingat, mirum prorſus non eſt. Ideò bonos omnes, & candidè iudicantes, erroribus veniam ſponte daturos, omnino mihi perſuadeo. Cęteros Ariſtarchos ſeueriores, vt idem faciãt,

reuerenter oro. Si quem offenderit notatio durior Pontificum Romanorum, is cogitet Sophocleum illud:

Ἀπ᾽ ἔργων οὐ καλῶν, οὐκ εἶσ᾽ ἔπη καλά.

Mitto autem, & hanc partem, ad Celſitudinem Tuam, Illuſtriſſime, & Reuerēdiſſime Princeps, cùm propter eaſdem cauſſas, quæ recitatę ſunt in prioribus partibus, tùm quod ſcio Celſitudinem Tuam, magno ſtudio, verſari in lectione, & cognitione hiſtoriarum, idq́ agere, vt velut ideam rerum præcipuarum animo comprehendat, cum ſerie temporum. Ad quod conſequēdum, ſpero hanc qualemcunque χρονογραφίαν, *aliquid Celſitudini Tuæ profuturam eſſe: quam, vt clementi animo ſuſcipiat, meq́ ſuo patrocinio complectatur, ea, qua par eſt, animi ſubiectione, peto, & ſimul oro, vt Celſitudo Tua honeſtas doctrinas, & rectè docentes, contra rabiem ſophiſtarum, qui doctrinas, & diſciplinam delere conantur, tueatur.*

Iniit iam periodus quingenteſima, poſtrema, ſecundum dictum Helię prophetæ, de qua, voce diuina, prædictum eſt vtrunque, quod & dogmatum, atque opinionum confuſiones maiores in Eccleſiam inuectura, & Imperiorum paritura ſit colliſiones inter ſeſe maiores: & tamen Deus ſeruaturus ſit Eccleſiam aliquam, vſque ad glorioſum aduentum Filij ſui, Ieſu Chriſti. Horribiles ergo impendent mutationes omnibus regnis, & Eccleſiis, quę ne barbaricam vaſtitatem afferant his regionibus, toto precemur pectore.

Oro igitur Filium Dei, Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, vt ſemper Eccleſiam ſibi inter nos colligat, eamq́ gubernet, ac protegat, & tueatur Celſitudinem Tuam, vt diu ſalutari gubernationi, & defenſioni doctrinarum, ac publicæ pacis ſuperſtes ſit.

Bene, & feliciter valeat Celſitudo Tua. Datę VVitebergæ, nono Calendas Martij, quę dies natalis fuit Illuſtriſſimo Principi Ioachimo primo Marchioni Brandeburgenſi Electori, auo tuo, anno 1562.

Celſitudinis tuę

deditiſſimus

Caſpar Peucerus.

LIBER

LIBER QVARTVS CHRONICORVM.

CVM liber Chronicorum quartus ordiendus eſſet, ab ea Imperij Romani mutatione quæ Occidentem ab Oriente auulſit, & Occidēti peculiares gubernatores dedit, inter quos primi fuerunt Franci, qui Imperium armis partum, virtute, ac ſapientia conſtituerunt, oppreſſis Longobardis in Italia, cæteris vicinis gentibus aut repreſſis, aut domitis, atque in ſeruitutē redactis: exiſtimaui non alienū fore à propoſito, ſi initiò velut per ἀνακεφαλαίωσιν ex iis mutationibus, quæ Imperium Occidentis euerterunt, repeterem pauca quædam, & de gentibus in Europa, quibus cū Carolo fuit dimicandum, & de Germaniæ ſtatu in primis, quę Monarchiā tandem ad ſe traxit, & huc vſque obtinuit.

Romanū Imperiū, quod maximas Aſiæ, Europę, & Aphricæ partes comprehenderat, inteſtinis bellis præcipuè fractum, atque eneruatum, cœperat prædæ eſſe, ac direptioni, multò ante illam, ſub Carolo, mutationem: partim exteris gentibus, vel inuitatis conductiſve mercede, ad bellorum ſocietatem, vel ſua ſponte infuſis: partim ſubditis ipſis, odio impotentis, ſuperbæ, aut libidinoſæ dominationis præſidum, in libertatem ſeſe vindicantibus.

Aſiæ, & Aphricæ maximam partem, Imperatoribus Conſtantinopolitanis ereptam, ſubegerat potentia Mahometica, noui ac blaſphemi dogmatis, horribili furore, velut flammis ſubiti incendij, momentaneo volatu, ſeſe diffundentis, propagata, celeritate tanta, vt penè citiùs prehenderit omnia, quàm animaduerſa ſit, ſeſe commouere. Et, haud ſcio an vllius regni potentia inualuerit celeriùs, cùm ſeſe, paucorum annorum ſpatio, in præcipuas Aſiæ, Aphricæque prouincias, quæ Romanis paruerant, extenderit, & his adiecerit alias regni Perſici, ſumto initio ex Arabum vaga, & latrociniis dedita gente. In mare etiam ingreſſa, plurimas inſulas maris mediterranei edomuerit, & per Hiſpaniā Gottis, qui Vandalis, Alanis, & Sueuis debellatis, ante totam ſuam fecerant, ac cæteris imperitabant,

partim deletis,partim coactis,in eas anguſtias,quas ſępiũt, ac concludunt montes Cantabrorum,Auſturum, & Callaicorum.Vt inde ergo penetrarit in ipſas Gallias, vbi vix magna cum difficultate, virtute Francorum,tandem retuſa eſt,atque depulſa.

In Occidente,Italiam Vandali,Gotti,Hunni,Lõgobardi: Hiſpaniam,vt dixi,Vãdali,Alani,& Sueui , & deinde Gotti:Galliam,Gotti,& Burgundi:tandémque oppreſſis vtriſque,Franci:Pannoniam Gotti,& Hunni: Germaniam veterem,Rheno vicinam,& Rhetorum Vindelicorũ, ac Noricorum terras,ex vlteriore Germania progreſſi noui coloni,& rurſus ab his deſertas ſedes, gentes Sarmaticæ , ac Henetæ,iuris ſui ac ditionis fecerant.

Britãniæ partem humiliorem Angli,è Saxonibus accerſiti ad defenſionem inſulæ,contra Pictos,Scotóſque, Germanorum gentes,colonis prioribus eiectis: alteram ſublimiorem,& in ſeptentrionem elatam , Scoti occuparunt, nomen à ſagittandi peritia adepti.

Myſiæ verò,Thraciæque,& Tryballorum,ac Dardanũ finibus,imminebat,ex vicinia Sarmatia,potẽs gens Heneta,quæ ſemel commota,non quieuit,niſi poſtquam regiones appetitas,nouis colonis Raſciorum,Bulgarorum,Boſnenſium,& Seruiorum compleuit.

Quàm fuerit ergo anguſta,ac tenuis potẽtia Imperij Byzantini,tot ſpoliati prouinciis, & aſſiduis præterea attriti, ex parte vna,Saracenorum incurſationibus , ac Turcorũ, qui ex anguſtiis Caucaſi montis,effuſi,in anteriore ſeſe Aſia paulatim confirmabant : ex altera Sarmatarum infeſtis irruptionibus, ac populationibus:calamitates,quę ſecutæ ſunt,oſtendunt.Idcirco,cùm Italia,per annos trecentos,& amplius,à peregrinis gentibus,bellis cõtinuis diuexata,ſegnitérque defenſa à Græcis,& tandem horũ auxiliis prorſus deſtituta,quod vix ſeſe tueri poſſent,Saracenos , qui, aucti Imperio maris , littora aliquoties,ex vicina Sicilia, tentarunt,metueret, & odiſſet Longobardos, qui oppreſſionem Italiæ molirentur,attraxit contra vtroſque , Francos,qui ſedibus in Gallia fixis, ac ſtabilitis,etiam magnæ parti Germaniæ dominabantur Hac de re poſtea plura dicam.Nunc qualis tunc fuerit Germania,& a quibus culta ſit,atque habitata gentibus,paucis exponam,Longè enim alij tunc fuerunt limites Germaniæ,quam antiquitus , & quàm nũc conſtituuntur.Alia etiam, quam nunc eſt,fuit, Romanis temporibus, Germaniæ primæ,ſeu ſuperioris , à

ſecunda,

ſecunda , ſeu inferiore diſtinctio,quas Vbiorum,& Tungrorum potentes vrbes,ſecludebant. Et Caroli Magni , ac ſucceſſorum virtute,limites Germaniæ,verſus omnes mūdi cardines,prolatati ſunt.

VeterēGermaniā lōgo tractu,à Rheno, Danubióque,tēdentē verſus ſeptentrionē, Viſtulam vſque:ad meridiē verò vltra Tyram amnem porrectam, penè , vſque ad Boryſtenem, & Danubij oſtia,definiuntGreographi veteres:vtrinque ora littorali maris Baltici,Sueuicíque,& Hercynia Sudetis,Carpatho,ac Sarmaticis montibus,qui continuo iugo,alicubi quidem nonnihil in ſeſe ſubſidente, ſed nulla longa planitie interrupto , excurrunt in ſeptentionem ab Alpibus , quæ ſunt montium in Europa parens,vt Caucaſus eſt Aſiaticorum,Atlas Africanorum.

In hunc tractum Plinius,quinque genera Germanorum collocat,nō annumeratis Vindelicis,Rhetis,& Noricis,ab occaſu:neque ad ortum additis Gottis,& Dacis.Nominat hos autem Vandalos,Ingeuones, Iſteuones , Hermiones, Peucinos,quibus cōiungit Baſtarnas.Tacitus & hos ipſos enumerat Germaniæ incolas,non tamen ſeruata eadem diſtinctione gentis , & plurimum appellationes recenſet, quas origine Germanicas eſſe,ſonus cognatióque,& ἔτυμον indicant.

Ingeuonū,& Vādalorū nomina, non petitis procul deriuationibus,nec aſsūto etymo alieno,aut violēter detorto, coniicio contraria eſſe. Ingeuones,ſono ſignificatóq.ſuffragante , ſignificant indigenas αὐτόχθονας, quaſi *Inwoner*. Vandali aduenas,ſeu peregrinos,& nouos homines.*VVandeln* enim,Germanica lingua,vſitatiſſima,& notiſſima,idē eſt,quod peregrinari. Nec repugno,ſi quis Vandalos ideò nominatos eſſe exiſtimet peruulgata his temporibus conſuetudine,& ſignificato vſu trito,quod negociorū & mercimoniorum commutandorum cauſſa , longa ſuſceperint itinera,& diuerſas obierint terras. Vt Ingeuones fuerint coloni,& agricolæ,qui colenda terra domi: Vandali verò negociatores,qui euehendis, inuehendíſque mercimoniis, alibi victum quæſiuerunt.

Hermionum vox bellatorem ſonat:hac indicatam iudico,partem gentis deditam militiæ,indéque viuentē,quod, vetuſtiſſima conſuetudine Germanica,militarit,& ſuis, & alienis ſtipendiis,domi,foríſque.

Iſteuonibus nomen dediſſe cardinem Occidentis,mutilato, κατ' ἀφαίρεσιν principio,non habeo,cur dubitem.Fue

runt enim Germanorum, ad occaſum, vltimi, Rheno, Danubióque proximi, nec aliud ſignificant Iſteuones, quàm *VVeſt vvoner*, detracta littera *VV*, ſicut Veſtualen nominantur, quorum ſedes ad Rhenum vſque pertingunt. Scio alias eſſe aliorum coniecturas, vt Beati Rhenani, quem nõnulli ſequuntur, ſed ſingulis ſuas relinquo rationes, & iudicia. Mihi placuit ſequi, & retinere etymologias, quæ, vel naturam, mores, & ingenia gentis vel ſedes habitatas exprimerent, nec à natiuo ſono vocum procul diſcederent.

Peucinos, & Baſtarnas Dacis proximos, Plinius facit, & Tacitus, qui Fẽnos, Venedóſque Henetam gentem, admiſcet. Ibidem eoſdem Plutarchus reponit, Galatis additis. Galatarum vox, eadem eſt, quæ Celtarum, & retinemus vtramque, exigua mutatione, in noſtra lingua, hodie, qui communiter peregrinos omnes *VVallen, & VVelſche*, id eſt, Galatas & Celtas & Belgas nominamus. Peucinos nominatos eſſe Baſtarnas, poſtquam inſulã Peucẽ, ad oſtia Danubij ſitam, occupaſſent, Strabo prodidit. Peucinos ergo poſtremorum ſeu Germanorum, ſeu Galatarum, ad Danubium, eam partem fuiſſe coniicio, quæ verſus ortum ad oſtia Danubij habitauit proximè: Baſtarnas cæteris remotiores voce id monente. Baſtarnæ enim ſignificat, noſtra lingua, aratores, ſeu colonos occidentales *VVeſtarnen*, vel reſpectu cęterorum Germanorum Occidentalium, *Oſtarnen*.

Ingeuones ergo, Plinio his includente Cimbros, Teutones, & Chaucorum gentes, antiquitus comprehenderunt eas gẽtes, quas Friſios hodie, Danos, Holſatos, Ditmarſos, Weſtualos, & Saxonum partem maximam, nominamus.

Vandali, quibus ſubiiciuntur Burgundiones, Varini, Garini, Guttones, tenuerunt ſedes Polonorum, ad Viſtulæ caput, & Megelburgenſium, Pomeranorũ, Marchicorum, Prutenorum, & Saxonum ex parte.

Ad Iſteuones rectè referuntur Sicãbri, Battaui, Mattiaci, Tencteri, Vſipij, Bructeri, Chamaui, Angriuarij, Tubãtes, Buſactori, Vangiones, Nemetes, Vbij, pars Saxonũm, & hodie Franci Sueuíque, & Rheni, Danubiique accolæ.

Hermionum nomine comprehenduntur Sueui, Hermũduri, Catti, Cheruſci, Nariſci, Marcomanni, Ligij, Arij, Elyſij, Quadi, &c. Horum ergo ſedes, hodie obſident, & incolunt Turingi, Miſnenſes, Boiemi, Luſatij, Sileſij, pars magna Polonorum, Moraui. Reliqua Lituanorum, & ex parte Rutenorum, ac Walachorum, partim Iazygas, partim

tim Baſtarnas habuerunt colonos.

Germanicarum gentium, quarum meminerunt Cornelius Tacitus, & Ptolemæus, appellationes ferè hæ ſunt: Teutonum nomen, vt Germanorum, & totius gentis fuit, ſicuti & hodie eſt, & certæ partis. Id à Tuiſcone conditore gentis deriuant, de quo omitto fabulas Beroſi. Illud vero cõſentaneum eſt, Gomer filium Iaphet: authorem fuiſſe gentis Cimbricæ, quæ non exiguam ſeptentrionis partem, in Aſia, atque Europa compleuit. Huic fuit filius Aſcanes, à quo orti & propagati traduntur Tuiſcones, quaſi de Aſcane nati. Germanos dictos arbitror, quaſi *Hermener*, id eſt, viros militares, etſi hæc appellatio, apud Herodotũ etiam reperitur inter gentes Aſiaticas, qua de re poſtea dicã. Omnino vetuſtiorẽ eſſe Germanorũ appellationem puto, quàm vt à Romanis orta primùm atque profecta ſit.

Marſi nomen adhuc hodie, Saxonibus vſitatè Epeirum ſignificat, id eſt cõtinentem mari contiguam, vel terram humiliorem ac paluſtrem. Inde Marſos appellatos coniicio maris accolas, quaſi Epirotas, ad differentiam Holſatorum nemora, & continentem incolentium. Inde ſunt Ditmarſi, Stormarſi, Wiſtermarſi, & Crãpermarſi. Vtriuſque gentis nomen, & Teutonum, & Marſorum, quorum in Sylla meminit Plutarchus, coniunxerunt hodie Ditmarſi, quos, vel propter nomen, Teutonum, & Marſorum veterum reliquias eſſe, iudico. Illa enim loca obtinuerunt & vicini fuerunt Cimbris, à quibus eſt Cimbrica Cherſoneſus, quam nunc Daniam vocant, à colonis Danis, profectis in ea loca, à ripis Iſtri, multò poſt, & Danomarchiam, à præfectura limitanea, quam ad coërcendos, & reprimendos Danos, inſtituit, perpetuóque muniuit pręſidio, Henricus Auceps.

Marſorum, & Cimbrorum latera, verſus mediterranea, clauſerunt Gambriuij, vbi Holſatorũ regio eſt, quos, quia ad ripam Albis borealem habitarunt, poſtea Nordalbingos, ante inuectum Holſatorum nomen vocarunt. Hæſit Gambriuiorum appellatio in eo tractu, qui eſt circa Hamburgum, ſicut multarum regionum limites, vel expreſſas veteres appellationes vel cognatum aliquid retinuerunt. Nec Hamburgum aliud, exigua mutatione, ſonat quàm Gambriuium.

Vandalos Gotticam gentem fuiſſe, Procopius author eſt, eoſdem lingua Germanica vſos eſſe, & à Germanis oriundos fuiſſe, moueor appellationibus, quæ Germanicæ pror-

ſus ſunt, & aliis rationibus, Etymon vocabuli, quod putem eſſe recitaui antea. Sed quæ de Gambriuio, Sueuo, & Vandalo, Beroſus, & Tacitus fabuloſè commemorãt, repudio.

Inter Hercyniam ſyluam, Rhenum, & Mœnum amnes, Tacito, ſederunt Heluetij, & Boij, quos, Gallicis gentibus annumerans, Celticas intelligit. Celtas enim veteres, vocarunt vno nomine, Gallos & Germanos, qui à Pyreneis montibus ad Pontũ vſque, longo, latóque tractu, habitarunt. Boij, cùm in Ciſalpina Gallia, inter Alpes, & Padum, omnia tenuiſſent, Bononiam extruxerunt, inde pulſi, commigrarunt in Germaniam, occupata amœniſſima valle, penè in Germaniæ medio, quam cingit pars Hercynij ſaltus, quam Gabretam vocant, & Sudeti montes. Hęc vallis, Boiorum nomen ſemper retinuit: quanquam ſæpe mutatis colonis. Nominatur enim apud Tacitum Boiemium. Apud Paterculũ, Boiohemũ, quaſi patria, vel ſedes Boiorũ, Boien-Heim. Apud Strabonem Bubiemum. Fugatis inde Boiis, Marcomanni, Maroboduo duce, ſucceſſerunt in veſtigia eorum, & appellationem: Et his rurſus exturbatis, gens Heneta, quæ in locum ſubiit, idem nomen, conſenſu vicinarum gentium, vſurpauit. Veteres Boios, qui à Marcomannis eiecti, trans Rhenum habitarunt, & in agrum Noricum tranſierunt, Cæſar collocauit in finibus Boiorũ. Marcomanni hæredes nominis, & terrę Boiorum, tandem migrare coacti, aſſumti Nariſcis, & Hermunduris, tranſmiſſo Danubio, Norici, & Rhetiæ magnam partem ad Alpes & Atheſim vſque, occuparunt. Vnde Bauarorum appellatio manauit, quam vel Boiorum, & Auarorum vicinorum coniunctæ voces, vel craſſior, ac plenior pronunciatio ſolius nominis Boiorum peperit.

Heluetii forte nomine iidem, qui nunc Alſati. Heluetiorum Eremus, Martiana ſilua eſt, in marchionatu Badẽſi.

Hercynia ſilua continuo tractu ab Heluetiis, Venetis, & Rauracis, ad Dacos vſque, ſeſe antiquitus extendit, cuius initium, qui ſe vidiſſe, vel audiſſe dixerit, fuiſſe neminem, vel ſi dierum ſexaginta, iter proceſſiſſet, Cæſar ſcripſit. Hodie Hercynia vocatur Sylua, quæ latus Turingię, & Saxoniæ claudit, Boemicis contigua montibus. Alibi nominatur ſaltus Turingicus. Nomẽ, non aliũde niſi à piceis factũ eſt arboribus. Martianæ ſiluæ nomen, quod apud Marcellinum eſt, Ptolemæo verò Eremus Heluetiorum vocatur, Sueuis hodie *der Schvvartzvuald*, etiam à pice ductum eſſe videtur, ſed deprauatum, peregrina pronuncia-

tione,

gione, minus cum Germanico congruit.

Treuiri populi medij, inter Germaniam primam, & ſecundam, dirimente vtramque Moſella amne, Romanorum diſtinctione, poſtquam in prouinciæ formam eas terras redegiſſent. Metropolis gentis nomen retinet, olim Auguſta Treuirorum, celebrata verſibus Auſonij.

Rauraci Baſilienſes ſunt: Auguſtę Rauracorum nomen conſeruauit tenuis ſupra Baſileam vicus Auguſt.

Mediomatricum ſedes, diœceſi Metenſi fuit, & parte Weſtrichij, cui appellatio Occidentalis regni tributa eſt, Caroli Magni tempore, vt ab Orientali regno diſcerneretur, de quo adhuc Auſtriæ nomen reliquum eſt, *Oſterreich*. Antiquitus, quæ nunc Lotharingia, & Weſtrichium dicitur, Auſtraſiæ nomen habuit, cùm Neuſtria, corruptè, pro Weſtria vocaretur is tractus, qui nunc Franciam, & Normandiam complectitur.

Triboci, & Triboces, hodie ſunt Alſati circa Argētoratū.

Nemetes, Spirenſes. Spira videtur Græcum nomen eſſe, quæ vox cohortem prætoriam ſignificat, quod in eam vrbē Conſtantius, à quo vel condita, vel ornata eſt, cohortē prætoriam collocauit, velut in ſpeculam, ad cuſtodiam ac defenſionem totius viciniæ. Cùm enim in locis Spiræ vicinis, diu commoratū eſſe, cum exercitibus, Conſtantium, cōſtet, neque abſurda eſt, neque aliena à veritate hiſtorica, coniectura, Spiram nomen adeptam eſſe à Græcis cohortibus. Ladeburgum, quod ſedes eſt Epiſcopi Wormatienſis, à caſtris Latinis. Heidelshemium ab Helena Conſtantij coniuge, & magni Conſtantini matre, Brettam, à Britānis, qui cum Helena, Conſtantium ſequuti ſunt. Sunt & alia Romanorum exercituum, ad Rhenum, monumenta, vrbes ſcilicet quæ Latina nomina conſeruant, vt à Bacchi ara Baccheracū. A Traiani domo Drechſuſen. Ab ara Lunæ, Arlunum, Colonia Agrippina.

Vangiones, Wormatienſes, *Vom Geu*. Vogeſus mons, qui Vangionibus imminet ad Lotharingiam, Waſgau. Vbi tractus ad Moſellam, hodie *hundsruck*. Apud Ptolemæum enim, Moſella fluuius, vocatur Obrinca. Vnde regio, per quam labitur, nomen contraxit. Berberomagum in Vangionibus vetuſtiſſimum oppidum *Vvormbs*.

Ex aduerſo Vangionum, fuit Intuergorum ſedes antiquitus, quæ regio poſtea Cappellatium, & Pallas vocata eſt, vnde nomen extitit Palatinorum, hodie tractus circa Heidelbergam.

Vbij regio circa Coloniam, *die Eyſſell.*

Mattiaci, ſeu Cleuenſes ſunt, ſeu Scelandi. Sed de his inferius dicam, nunc ad Mediterranea reuertor.

Decumates agri, in cõfinio Germaniæ, Rhetiæq; fuerũt Rheno, Danubióque incluſi, vbi Ptolemæus collocat Charitinos populos, qui hodie ſunt in ducatu Wirtebergenſi.

Poſt Decumates agros, intra Rhenũ, ſiluam Hercyniã, & mõtes Abnobios, qua, ceu interlabitur Mœnus, vicinę fuerunt gentes Catti, & Vſipij: vocãtur & Viſpi à Ptolemęo, & infra vtroſque Tencteri, qui ſunt Tungri Ptolemæo.

Catti iidem ſunt qui Heſſi. Horũ limites, ad occidẽtem, conſentaneũ eſt fuiſſe Cattenelnbogen, quæ vox ſeu Cattimelibocos, hoc eſt, Cattos, à Meliboco progreſſos, ad Rheni ripam, ſeu Cattorũ Anconem ſignificat. Nec à Cattorum appellatione diſſonat *Vtten vvald*, quaſi *Catten vvald*, hoc eſt, ſaltus Cattorum. Poſſederunt autem Catti quidem Haſſiam ſuperiorem, ſeu mõtanam, verſus Saxoniam, Buchoniam item, & Franconiam, circa Wittzburgum: comitatum Hennebergenſem, cùm vicinæ Turingiæ parte. Vſipetes verò reliquam Franconiam, propè Decumates agros, vſque ad Rheni, Mœníque confluentem, & ad vtranque Rheni ripam, vbi hodie ſunt Ringouia, Vuedorauia, VVeſtervualdia. Sic enim vocant Herciniæ tractum, tendentem in occaſum, per montes Abnobios, *das Heſſiſche Gebirge.* Celebratur apud Græcos Nili nomen, quod exprimat numerum dierum anni. Idem multò concinnius præſtat dictio Menus: quod eleganter his verſibus monuit Philippus Melanchthon.

ἔξοχα τῶν ἄλλων παῖς φοίβου Φερχίγκε πτερείας
καί τινες ὀρχηστῆς καὶ θεοῦ ἔργα φέρεις.
ὅττι ἔτους συνόλου ἤματα πόσα ἤματα ᾖ ἐλθ-
τοῦ ποταμοῦ φράζει τοὔνομα ὑμετέρου.

Diſcite præcipuè ſolis, motumq; viaſq;
Vos quibus eſt patrium Francica terra ſolum.
Namq; dies, totus quot traxerit ambitus anni,
Id fluuij veſtri, vox bene nota ſonat.

Μ	40.
Ε	5.
Ν	50.
Ο	70.
Σ	200.
	365.

Tencteri infra Cattos, & Vſipetes, dextram Rheni ripam incoluerunt. Rheno tantum ab Vbiis diſtincti, vbi ſunt ducatus Cliuenſis, & Bergenſis, cum aliquot Comitatibus. Pars horum, Rheno tranſmiſſo, Tungris in Belgico originem dedit, apud Cæſarem.

Angriuarij antiquiius ſedes habuerunt ad Albim, vbi vetus Marchia eſt. Oppidum Angermundum ad confluentem Anagri & Albis: gentis nomen retinet. Poſtea in Bructerorum loca emigrarunt, vt Tacitus refert. Engern in Weſtualia ad Amiſi caput, & Viſurgis, Lippiæque ripam.

Chamaui pars Weſtualorum, ad Oſnaburgum, & Monaſterium.

Cattuarij Cattorum pars, circa Caſſellas, verſus Gottingam, & Padebornum, vbi eſt aditus ad Weſtualiam, à montibus Abnobiis.

Friſij nomen retinent, & ſedes antiquas ad mare. Secundum Ptolemæum enim, τὴν παρωκεανῖτιν κατέχουσιν. Hodie diſtinguuntur in orientales, & occidentales, fluminibus Amiſo, & Albi concluſi, medio Viſurgi diremti, Oſtfriſen, & Weſtfriſen.

Cauci minores ad Viſurgin fluuium, vbi Brema vrbs, Ptolemæo Phabiramus, itémque Epiſcopatus Werdenſis, & Mindenſis.

Cauci maiores ad Albim, vbi ducatus Luneburgenſis, & vetus Marchia.

Cimbricæ Cherſoneſi extrema tenuerunt Cimbri, dorſum Saxones, quorum in hac ora, ante Ptolemæum, non meminit Tacitus ſcriptor antiquior. Ibidem Nordalbingorum ſedes, ſuperioribus fuit annis: olim Teutonum, Marſorum, & Gambriuiorum. Hodie verò regio eſt Ditmarſorum, ac Stormarſorum. Ptolemæus Saxonibus ſubiũgit multas gentes, vſque ad Sueuum fluuium, qui nunc Sprea eſt, vulgatiſſimo fortaſſe errore, plurimorum geographorum de Sueui alueo. Plerique enim hunc peculiari alueo ducũt in mare boreum, per ea loca, in quibus eſt ducatus Megalburgenſis.

Non dubito autem Sueuorum ſitum veterem, rectè explorare volentem, ad hanc quanquam aberrantem Sueui fluminis deriuationem, oportere reſpicere. Oritur autem Sueuus in montibus Sudetis, duobus ſupra meam patriam Budiſſinam milliaribus, & Luſatiam, Marchiæque partem emenſus, curſu à ſeptentrione in occaſum reflexo, miſcetur Hauelo, ad oppidum Marchiæ, Spondam.

Reliquam Cimbricæ partem, inter Cimbros & Saxones, vbi Holſatia hodie iacet, & Iutlandia, quæ Gutarum nomẽ retinuit, quos & Vitas vocant, tribuit Ptolemæus Sabalingiis, vbi fortaſſe legendum Albingij, id eſt, accolę Albis. Deinde Singulonibus ad Sleſuicum, Cobãdis, Chalichalis ad Coldingam, Phundusis & Charudibus ad Horudem.

Cheruſci Hercynię populi, cum bona parte Turingorum, adiacentium Semanæ ſiluæ, quæ, Ptolemæo, Cheruſcos à Sueuis diſiungit, *Die Hertziſchen*, vbi ditiones ſunt principum Anhaltinorum, & aliquot comitum Stolbergenſium, Mansfeldenſium, Schvvartzburgenſium.

Bructeri ſub Goſlaria, vbi hodie *der Broctersberg*, quem Melibocum nominãt, appellatione veteri: ſub quo Semana ſylua verſus Brunſuigum, & Halberſtadium, & mõs Aſciburgius ad Aſcaniam, cuius nomen conſeruauit oppidum, Aſcherſleben. De Bructeris Lucanus:

-Venit accola ſyluæ

Bructerus Hercyniæ. Bructeros Ptolemæus Buſactores nominat, & diſtinguit eos in maiores, & minores.

Dulbigini, Ptolemæo Dulgumnij circa Brunſuigam & Hildeſium.

Sueuorum ampliſſima & potentiſſima gens, intra ripam Albis orientalem, & Viadrum, ac mare Sueuicum, quod Pomeraniam alluit, ad Sueuum, Hauelúmque flumina latèregnauit. Ex his egreſſi terris, ſeu ſponte, ſeu coacti, nouas quęſiuerunt ſedes in Rhetia, Vindeliciáque, prouinciis Romanorum: quam migrationem Iulium Cęſarem anteceſſiſſe, Strabonis teſtimonio liquet, qui Sueuos ad Danubij fontes locat, quos Herodotus deſcribens ait: Ἴστρος ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν, καὶ Πυῤῥιώνης πόλεως ῥέει μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην. Aliter Plinius, qui inquit: Ortus hic in Germania, iugis montis Abnobiæ, ex aduerſo Rauraci Galliæ oppidi. Abnobam vocat locum fontis, quod nomen videtur eſſe factum ab eo quod Germani dicunt, *Ein Avv*, hoc eſt, vallem cultam inter montes, & ſaltus. In veteribus codicibus ſcribitur Arnobiæ, quod ad locum ſcaturiginis propius congruit, qui dicitur, *In der Bar*. Fontes eius ſunt ad pagum Eſchingen, vbi, non procul ab origine, recipit duos riuulos magnitudinis eiuſdem, quorum alter vocatur *die Prigen*, alter *die Bregen*: ab his, vicina regio Pregena, quam vocem videtur Herodotus in Πυῤῥιώνης nomen commutaſſe. A Sueuorum tranſitu in Rhetiam, nomen acquiſiuit oppidum Franconię, Schvveinfurt, quod Sueuorum traie-

ctum

ſtū ſignificat, ſicut à Francis, Francofurtum, à Cattis, Heſſiſve, Ochſenfurtum. Strabo de Sueuis: τὰ τῶν Σουήβων ἔθνη, τὰ μὲν ἐντὸς οἰκεῖ, τὰ δὲ ἐκτὸς τοῦ δρυμοῦ, ὅμορα τοῖς Γέταις, μέγιστον μὲν, τὸ τῶν Σουήβων ἔθνος. Multas enim Sueuorum gentes recenſent, Tacitus & Ptolemæus. Tacitus videtur quoſdam Aquilonares facere, vt Sennones, Longobardos, Rudignos, Auiones, Anglos, Varinos, Eudoſes, Suardones, Suithones. Quoſdam Auſtrales, vt Hermunduros, Nariſcos, Marcomannos, Quados. Alios orientales, Pannonię, Sarmatiæq; finitimos, vt Lygios, Arios, Heluecones, Manimos, Elyſios, Naharualos. Quoſdam littorales, aut maritimos, vt Gottones, Rugios, Lemouios, Suiones, Æſtiones, Sitones. Sed neque an hoc velit, certò ſciri poteſt, & ex tam breui, atque obſcura narratione, ſedibus rectè diſcerni nequeūt: ſicut neque ex Ptolemæo, qui plures miſcet gentes, & appellationes veteres magis deprauat.

Saxonib. Ptolemæus ſubiungit, Pharodenos, qui Tacito ſunt Suardones, fortaſſe ad Suerinū. His Sidenos, vbi Stetinum. Poſt Sidenos, collocat Ruticlios, qui Reudigni ſunt Tacito, vſque ad Viſtulam, vbi hodie Caſſubiorum regio.

Sueui Angli, Ptolemæo, ſunt gens maxima in mediterraneis. Ab his in Pomerania nomen oppidi Anglehē, quaſi patria, vel domicilium Anglorum. Beda Presbyter hos prodidit inter Vitas, & Saxones ſediſſe, & inuitatos à Vitigerno Britannorum rege, his, contra Scotos, & Pictos, inſulā, perpetuis depopulationibus infeſtantes, ſubſidio veniſſe, Martiano, & Valentiniano imperantibus, anno Chriſti 449. Sed tandem potentia auctos vtroſque, vt fieri ſolet, oppreſſis incolis, partitáque inſula, & Imperio, ac limitibus ad Caledoniam ſyluam interiectis, Britannorū nomine abolito, & regno, Anglos parti auſtrali inſulæ, Scotos boreali imperaſſe.

Vitas Saxones, Iuttas interpretantur, à quibus Iutlandię nomen. Forte Guttæ ſunt, quos in Scandia Ptolemęus collocat, aut rectiùs Gotti.

Sueui Senones, inquit Ptolemæus, incolunt loca poſt Albim, ad Sueuum fluuium, à parte orientali. Ergo ſedes eorum fuit vbi hodie eſt Marchia Brandeburgenſis, ad oppida Brandeburgum, Berlinum, Spondam, & partem Luſatiæ inferioris. Ptolemæus, cùm meminit Senonum in Gallia, ciuitatem eorum nominat Agendicum. Cum ergo prope veterem ſedem Senonum, in hac ora Germaniæ adhuc hodie ſit oppidum, retinens idem nomen, quod ca-

τὰ συγκεστὴν vocant Aken, moueor ſimilitudine vocum vt horum Senonum in germania progeniem eſſe credam, tā gallicos, quàm Italicos Senones, qui in Ciſalpina Gallia condiderunt vrbes Tridentum, Mediolanum, Veronā, Bergomum, Vicentiam, Senam, germanici nominis, & originis.

Poſt Senones, collocat Ptolemęus Ilingos, quos Elyſios nominat Tacitus. Hi ab Eliſtro amne, cuius nomen genti inhęſit ad Lygios vſque habitarunt, vbi Luſatia ſuperior hodie eſt, cum parte Sileſiæ. Alludit nomen Luſatiorum ad Elyſios.

Calucones ſub Ilingis, ab vtraque parte Albis, vbi hodie Electoratus Saxoniæ. Meminit Ptolemæus oppidorū Argelię, ſeu Argeuię, vt aliqui malunt legere, & Calegiæ. Argeuiæ Torgaſono reſpondet: Calegiæ oppidū Gilga quod ſupra confluentem Salæ, Albíſque poſitum vtriuſque fluminis nomen complectitur, & exprimit, non aliena ſyncope, quaſi Saleleb.

Teutonoari & Viruni inter Saxones, & Sueuos, vbi Roſtochium & Wiſmaria.

Teutones inter Pharadenos, Sueuos, vbi Prignitium & Epiſcopatus Hauelburgenſis.

Longobardorum ſedes fuit circa medium Albis, ad ripam occidentalem, vbi ditiones ſunt Epiſcopatuum Magdeburgenſis, & Halberſtadenſis, cū parte Marchię veteris. Hi, Duce Alboino, per Noricum, & Pannoniā, intrarunt in Italiam, imperante Iuſtino, totáq; penè ciſalpina Gallia, ad Apenninum vſque, occupata, regnum excitarunt. Reliquum adhuc eſt Longobardorum nomen, in eo tractu ad Magdeburgum, qui vocatur *auff der Bord*. In hiſtoriis etiā incolæ Bardi vocantur. Nec à longis barbis, ſed, vel à longis ſecuribus, quibus vſi ſunt, pro armis: vel ab hoc loco, qui fertilis eſt, & planus, nomen Longobardorum factum eſſe exiſtimo, quod longam planitiem, montibus ſubiectā, denotat. Vocabulum *Bord*, videtur ſignificare agrum oneratum reditibus, de prouentu annuo frugum: & exiſtimo hanc regionem, propter vbertatem, ac fœcunditatem, fuiſſe velut horreum cæterarum partium aridiorum.

Buguntas, Ptolemæus, Rutichiis adiungit, & includit vtriſque Heluecones, qui Heluecones Tacito ſunt, ad Elbingam Pruſſiæ, flumine antiquæ gentis nomen retinente. Buguntæ inhabitarunt mediterranea, à caſſubiis verſus Poloniam, vſque ad Regium montem, vbi Bregela, quæ

chronus

Chronus eſt, Ptolemæo, in mare ſeſe exonerat.

Neuter, vel Tacitus, vel Ptolemæus, inter has gentes Sueuicas, Vandalorũ, vel Burgũdorum meminit, niſi quis Burguntas Ptolemæi, Burgundos eſſe velit. Sed Burgundiones poſtea, & Guttones numerat Ptolemæus inter gẽtes Sarmaticas, Venedis vicinas, non procul à capite Iſtulæ verſus extrema Poloniæ, qua illa ad Rutenos & Podolios accedit. Moueor his, vt magis credam, Taciti temporibus, Vandalos, & Burgũdos, in illis locis, quos Ptolomæus illis attribuit, prope Sarmatas, & Henetos, Peucinóſque, & Baſtarnas, ſupra Dacos, & Gottos habitaſſe, quam, vt nõnullis videtur, in Ducatu Megalburgenſi, & Pomeraniæ parte. Sed poſtea paulatim in hæc loca tranſiiſſe, à Sarmatis pulſos; inde etiam ſubmotos, Alemanorum ſedem, in Cappellatio, vbi, ad Heidelbergam, eſt ditio Palatini, inuaſiſſe: tandémque, cùm hinc etiam extruſi eſſent, ſub Theodoſio iuniore, è Germania in Sequanos, & Heduos tranſgreſſos eſſe, non inficior.

Nuithones Taciti, mea opinione iidem ſunt, qui Githones Ptolemæi. Hos cum vicinis Burgũdis, è priſtinis ſedibus, in maximam Sequanorum emigraſſe, & tractui Auẽticenſi, ad Bernam & Friburgum oppida, Nuitlandiæ nomen attuliſſe, conſentaneum eſt.

Auiones Boruſſorum pars, ad Conicium oppidum. Varini, Boruſſi, Varmienſes ab Epiſcopali oppido, Varmia.

Sed harum gentium limites diſtinguere, qui, ne illis quidem vetuſtis ſcriptoribus, rectè explorati fuerũt, difficile eſt, præſertim cũ fixas, ſtabiléſque, & tranquillas ſedes, nullæ diu poſſederint, vicinarum gẽtium aſſiduis incurſationibus turbatæ, aut profligatæ. Sequor tamen libenter fluminum iudicia, quæ ferè nomina ſua conſeruarunt, quando terræ eadem, cum ipſis incolis, mutarunt.

Hermunduros, in aditu Boiemiæ, habuiſſe regionem, quã Albis, & Sala flumina, montéſq; Sudeti, trianguli forma definiũt, vbi hodie Miſnia eſt, & Voitlandiæ pars, Strabonis & Taciti teſtimonio, certum eſt. Tacitus Cattos refert cum Hermunduris dimicaſſe, de fontibus Salis, iis ipſis fortaſſe, qui ad Salam amnem, in hac vicinia, perantiqui ſunt, ac celebres, quos Otto primus attribuit Epiſcopatui Magdeburgenſi. Fuiſſe & in exercitu Marcomannorum, ac Quadorum, contra Antoninum, Hermunduros, teſtis eſt Iulius Capitolinus.

Albim oriri in Hermunduris, Tacitus annotat. Nomen

Albi dediſſe vndecim fontes, de quorum confluxu atque corriuatione profluit, doctis placet. Congruit enim ad Albis nomen vocabulum, quo vndenarium numerum Germani efferunt.

Sudetorum montium, qui hodie Boëmiam, & Miſniam diſterminant, denominatio, vt ſitus, auſtro reſpondet, quē Sud Germani vocant, non alieno, vel abſurdo etymo, cùm, reſpectu ſaltus Hercinij, qui in Boream aſſurgit, demittant ſeſe in meridiem.

Supra Sudetos, Ptolemęus reponit Tyriochemas, vbi Voitlandia, ſubmittentibus ſeſe montibus declinat in Turingiam. Alludit appellatio ad Turingos, etſi à Tyrigetis hos ortum, noménque ducere, opinor.

Marcomannorum ſedes, partim in Morauia vlteriore fuit; vbi Olmucium eſt, & Brunna: in bonáque parte Auſtriæ ad Danubium vſque, & Piſonium vrbem, quę Lunæ ſyluę præiacet, qua Boëmicus ſaltus humilior eſt, & rarior: partim in Boiemia. Pars enim Marcomannorum, Boiis exactis, in eorum conceſſit locum. Nomen Marcomānorum limitaneos ſignificat, ſcilicet quod limites Pannoniam, & Sarmatiam verſus clauſerunt. His, & Hermunduris interiecti fuerunt Nariſci, quos Variſcos Ptolemæus nominat, vbi Franconia montana, & Bauariæ ſuperioris pars aliqua, ad Noricum vſque protenditur, complectens, Egram, Coburgam, Bambergam, Neagoram, Ambergam.

Ptolemęus Variſcos diſiungit à Marcomannis, interiectu ſyluæ Gabretæ, cui contermina fuit Lunæ ſylua, verſus Danubium. Gabreta, *Bœmer vvald gegen Franken, vnd Beyeren.* Sylua Lunæ, *gehen Vveſterreich.* Nariſcorum nomen eſt à confinio Norici. Gabreta, quaſi *Hohebreite*, id eſt, edita & montana planities, qualis eſt in Norico.

Lygii partim Sileſij citeriores, intra Viadrum, & Boëmicos montes, quorum metropolis Vratiſlauia, & poſt hanc Ligneſium oppidum, alludens ad Lygiorum nomen: partim vltra Oderā Poloni, vbi Gneſna vrbs, & Poſnania, Henetorum Boſſinorum caput. Sileſiorum appellatio à Sclauorum nomine non prorſus diſſonat.

Quadi inter Lygios, & Marcomānos incoluerunt inferiorem Sileſiam, vbi ſunt Epiſcopatus Niſſenſis, Ducatus Opolienſis: & citeriorem Morauiam, bonámque Poloniæ partem verſus Cracouiam, vbi eſt oppidum Petercouiū, à regni conuentibus celebre. Horum extremi Burij, ad Viſtulam, verſus Tornaniam Pruſſiæ, ſecundum Viſtulam.

Infra

Infra Burios, Gottini, proſapia Gottorum, in vlteriore Pomerania, Dantiſcum vſque. Conuenit ad hos appellatio ſinus Codani, prope Dantiſcum, quæ appellatio vrbis, vel à Gottis & Danis facta eſt, vel Heneta prorſus, portum ſignificat Danis oppoſitum.

Marſigni, inter Sarmaticos montes, & Carpathum, pars Polonorum, verſus Cepuſium.

Poſt Quados, Ptolemæo, sũt τυδιεφορυχεῖα in Carpatho, & Sarmaticis montibus, verſus metallicas vrbes Pannoniæ, in agro Opolienſi, & Teſchinenſi.

Rugiorum nomen, inſula Rugia, tractus in cõtinẽti Pomeranico, qui vocatur *das Rugerland*, & in Liuonia, Rigẽſis vrbs, ad Rubonem fluuium, quem Dunam hodie incolæ vocant, conſeruarunt. Potentem enim, & amplam fuiſſe gentem, docet expeditio Odoacri in Italiam, qui totam peruaſtauit. Habitarunt ergo Rugij, partim in inſulis maris arctoi, partim in maritimis vlterioris Pomeraniæ, & Liuoniæ, circa ſinum Venedicum.

Arij, & Manimi, vbi Curetes hodie, & Samogethi.

A Lemouiis, Liuonienſes ſunt, quos Eſſluos vocant hodie. Colonos hos eſſe puto Leuonarum, quos in Scandia ponit Ptolemæus: Sicut Reualienſes Danorum, & Rigenſes Bremenſium hodie ſunt coloni.

Naharuallos ſic nominatos quaſi *Nortvvallen*, dicerem eſſe Reſalienſes, & Neruios in Liuonia extrema, vtriuſque gentis appellatione κατ᾽ ἀποκοπὴν. & ἀφαίρεσιν in vnum nomen coacta, quaſi *Nervvallen*, i. Neruij Valij, niſi hoc obſtaret, quod hos, procul in orientem, videtur remouere Tacitus: Neruios enim quaſi Nortinos, vel Nordios dictos puto.

Æſthionum etiam nomen reliquum eſt in Liuonia. Linguam enim, qua vtuntur, qui circa Reſaliam habitant longo ambitu, Æſthonicam vocãt, quæ prorſus eſt diuerſa à Liuoniorum patria lingua, itémque Curetum, & tertia, quam Walachorum, & Lituanorum, noui in Liuonia coloni, Latino vocabulo, ſed corrupto, nominant *die Lettiſche ſprach*. Diſcrepant enim inter ſe hæ linguæ, & ab Heneta, atque Germanica, vt nulli, alteros ſua lingua loquentes, intelligant.

Sub Lunæ ſylua, Ptolemæus, gentem magnam collocat, quam Bæmas nominat. Per hos, Boios, qui recèns eiecti à Marcomannis, ſonum patrij nominis adhuc retinuerunt, intelligere eum exiſtimo.

Suiones ſunt, quos nunc Suedos, & Suecos, appellant

Apparet autem,& gentes cognatas,& vocabula fuiſſe affinia,Suionum,Sueuorum,& Sitonum. Mare Sueuicum ad Pomeraniam fuit,per quod Sueuos,ex vltimis oris Pomeraniæ,colonos duxiſſe in oppoſiti littoris continentē,conſentaneum eſt. Nunc Suedicum mare vocatur,ſinus inter Sueciam, & Finlandiam. Eginhartus ſcriptor rerum Francicarum, ex his Normannos prodiiſſe perhibet, qui Normaniæ in Gallia nomē nouum, cum gente noua attulerūt, & conſentaneum eſt,Suecos irritatos à Gottis,qui Gotlandiam inſulam compleuerant,& in continenti Sueciæ,Oſtgottos,& Weſtgottos condiderant,nouas ſedes quæſiuiſſe.Sunt,qui hos à Noruegis deducunt.

Tacitus ad extremum , Peucinis & Baſtarnis , ſicut & Ptolemæus,miſcet Sarmaticas gentes,Venedos,& Finnos. Ab his Finnonia eſt,& Finlandia. A Venedis,ſinus Venedicus,inter Ruſsiam,ſeu Moſcouiam,& Finnoniam. Ptolemæus addit Githones,Bulanes,Burgundiones,Auarinos. Peucinis nomen dediſſe πεύκην inſulam,ad Iſtri oſtia,conſentiunt omnes.

De Baſtarnis ſupra diximus.

Non annumerabantur autem Germanicis gentibus,antiquitùs Gotti,& Daci,qui ab ortu : Nec Norici, Rheti & Vindelici,qui à meridie : Nec qui vltra Rhenum,ab occaſu limites Germaniæ veteris claudebant. Belgicum enim totum ad Galliam pertinebat.

Norico comprehendebatur Bauaria inferior, & Diœceſis Salisburgenſis,cū parte Auſtriæ, Styria,Carinthia,Carnis,erátque duplex. Ripenſe,Danubio imminebat:Mediterraneum aberat longiùs. Appellationis vetuſtæ veſtigia retinuerunt vrbes Noriberga , & Nordinga, atque is tractus,qui Nortgouiæ nomine notus , Noribergæ,& Ratiſbonæ interiacet.

Rhetia vtraque,magna ex parte, Sueuis ceſsit,quorū & nomen induit.Solus enim ager Norlingenſis,& comitatus Oetingenſis,Rhetię nomen non mutarunt.Dicuntur enim adhuc hodie,ſiti eſſe,*Im Rieſſ.*

Vindelici in Rhetia ſecunda, habitarunt,quam à prima diſtinguit Lycus amnis,à quo nomē deſiuxit Vindelicorū.

Daci,& Gotti,qui Getæ, & apud Plinium Guttones vocantur,ad vtramque habitarunt ripam Iſtri, ὅμοροι inter ſe, & ὁμόγλωττοι ſecundum Strabonem , vbi hodie Walachia eſt,Tranſſyluani,& Bulgariæ pars,in confinio Myſiæ.

Diu autem illa loca tenuerunt.Cum Syrmo enim,Geti-

eo

co rege, Alexander dimicauit. Poſtea Lyſimachus, à rege Getico, Dromicheto captus eſt. Apparet ex Herodoto, iã Darij tempore, Getas ad Iſtrum potentes fuiſſe, qui magna eos laude ornat, cùm vocat ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους Θρηκῶν, & inter cæteros Thyſſagetas nominat, fortaſſe Getas ad Thyſſam, ſeu Tybiſcum amnem. Diu autem cum Romanis de finibus, bello contenderunt, donec tandem, Valentis tẽpore, victores, Pannoniam Imperio Romano ademtam, ſibi vendicarunt. Multa de his, libro ſeptimo Strabo.

Hæc veteris Germaniæ, qualiſcunque deſignatio eſt, ex Strabone, Tacito, & Ptolemæo, qui cæteris duobus poſterior eſt. Pleroſque horum, ſicut & recentiores, qui in loca, & veſtigia veterum, multò poſt ſucceſſerunt, ex Aſia prodiiſſe, multa argumenta oſtendunt.

Herodotus, inter regni Perſici gentes, recenſet γερμανίους, δάους, σάκας. In Thalia, cum νόμους, ſeu Satrapias Perſicas enumerat, Sacas etiam nominat, & eorundem poſtea meminit in exercitu Xerxis, Cyrum à Maſſagetis in Aſia interfectũ eſſe ſcribit, & ad Tyram fluuium, Tyrigetas collocat. Cimmeriis ſedem tribuit ad Araxem fluuium: hi inde à Scythis Nomadibus pulſi, in Cherſoneſum cõceſſerũt. Hinc Cimmerij Boſphori nomen in Taurica. Ex Taurica in Aſiam irruperunt, populabundi: vnde reiecti ab Haliatte Lydorum rege, commigrarunt in Europam.

A Cimmeriis, ſunt Cimbri. A Sacis, Saxones, Daos, Dacóſque & Danos eoſdem eſſe, cur dubitem, nõ video. Fuerunt vtrique Sacæ, & Dai in exercitu Darij, contra Alexãdrum. Nec ita procul ſono diſſident Germani, & Carmani. De Getis antea recitaui Herodoti teſtimonium.

Valde ergo conſentaneum eſt, has gentes, primas, & vetuſtiſſimas ſedes habuiſſe in Aſia, indéq; paulatim proceſſiſſe in Europam, ſeu quod peregrinationibus delectarentur inquieta natura; ſeu quòd terras quærerent vberiores, & opulentiores, ſeu, quòd a tergo vrgerentur à barbaris gentibus, multitudine infinitis, natura feris, lingua diuerſis, quę per vaſtiſſimas illas Orientis ad boream ſolitudines aſſiduè vagantur, ac ſedes ſubinde transferunt, migrationibus turbulentiſſimis, ſicut oſtendunt Tartaricæ in Aſiam minorem, & Europam irruptiones.

Græci, vniuerſas, vno nomine, Scythas nominarũt, ſicut nos hodie Tartaros. Et, haud ſcio, an non ſit Germanicum vocabulum Scytha. Sic enim iaculatorem, ſeu ſagittarium Saxones vocant. Scythæ verò, pro armis plurimum arcu-

bus vtuntur.

Ptolemæus, in eodem Aſiæ tractu, plurimum meminit gentium, quæ veteres Germanicas nominibus referunt. Nã & Saſſones, & Syebos ſeu Sueuos, & Alanos nomniat, & ſub Alanis, in Sogdiana, quæ hodie eſt Coraſena, ad fluuium Iaxarten, collocat partem Maſſagetarum. Eoſdem & Sacis miſcet, & in Margiana, coniungit cum Dais, ad fluuiũ Oxum. Ita non in Europa tantùm, ad Iſtrum, ſed in Aſia ſemper vicini fuerunt Dai, & Getæ: Sacis regionem tribuit peculiarem.

Dion, Alanos, à Maſſagetis propagat, in hiſtoria Adriani, vbi Alanos ait Mediam inuaſiſſe, ac diripuiſſe, Pharaſmano Duce: quæ vox, ex Germanici nominis deprauatione, nata, idem ſignificat, quod Waramundus, quem Gallici ſcriptores Pharamundum nominant. Sunt igitur Alani gens Gottica. Eoſdem ad Mæotidem paludem, Germanis, Dacíſque, & Getis Dionyſius admiſcet:

Τῶν μὲν πρὸς βορέην τεταννυσμένα φῦλα νέμονται.
Πολλὰ μάλ' ἑξείης μαιώτιδος εἰς στόμα λίμνης.
Γερμανοί, Σαρμάται τε Γέται θ' ἅμα Βαστάρναι τε
Δακῶν τ' ἄσπετος αἶα, καὶ ἀλκήεντες Ἀλανοί.

Ergo paulatim ad Europæ limites, ex Aſia, vnà cum aliis acceſſerunt.

Supra Phrygiam, in Bythinia, verſus Cimmerium Boſphorũ, fuit terra Aſcania, & in ea terra fluuius Aſcanius, & palus Aſcania, quæ hoc nomine etiam Romanis temporibus nota fuit. Terræ meminit Homerus 2. Iliados.

Φόρκυς αὖ φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς
Τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης.

Aſcaniæ vicini fuerunt Caucones, & Cayci, ſub Horminio monte, quos Pœonibus, & Myſis Homerus adiungit. Hos, cum Cimbris, ad hæc littora noſtra progreſſos eſſe, & Caucos gentem Saxonicam condidiſſe, non eſt vero abſimile. Ad Hercyniam, Aſcaniæ nomen adhuc reliquum eſt, in ditione Principum Anhaltinorum, qui quidem terræ Aſcaniæ domini ſunt.

Ab Alanis, reliqui ſunt Albani populi Mediæ, & mari Caſpio proximi, Caucaſeis concluſi rupibus, quæ, quod niuoſæ ſunt, & excelſæ, quodque abruptarum, ac præcipitum vallium profundiſſimis, & ſinuoſiſſimis ductibus, catenatim inter ſe connectuntur, arcent vim hoſtilem omnem Turcorum, ac Perſarum. Habẽt autem Albani αὐτονομίαν, & [illegible] valent, militant ſtipen[illegible]s, interdum Turcis, in-

terdum

terdum Perſis.

Vicini his Iberi,& Colchici,quorum illos Gregorianos, hos Mengrellios hodie nominant.

Iberi metallici ſunt. Vox ipſa foſſorē ſignificat. In Colchide adhuc vſurpari linguam Germanicam, ſunt, qui cōſtanter affirmant. Gottorum reliquias,in Taurica Cherſoneſo , oppreſſit tandem Mahometes Secundus Imperator Turcorum,duobus eorum Ducibus cæſis , qui quidem & Gottos ſe appellarunt,& loquuti ſunt lingua noſtra. Nec apud Galatas vicinos,& in Armeniæ parte, deſiiſſe vſum Germanici ſermonis, ex hiſtoria Friderici Barbaroſſæ,nōtum eſt.

Quod igitur ex Aſia primi,& vetuſtiſſimi,qui reperiuntur, Germaniæ cultores,prodierint , & poſt hos cæteri: quos fatales mutationes, de priſtinis ſedibus pepulerunt, cur dubitem,non habeo.

Vtile eſt autem,ſtupendas has noſtrarum gentium errationes,ac diſperſiones, diligenter conſiderare,quod in his vel maximè conſpicitur rerum humanarum inſtabilitas,& fugacitas.Cúmque legimus has mutationes,& cùm totas gentes vel deletas,vel patria exutas audimus,præparemus, animos ad excipiendos,ac perferendos omnes fortunę caſus,& iniurias,& cogitemus, hanc vitam aliud eſſe nihil, niſi triſtiſſimum exilium,erroribus,ac iactationibus obnoxiū perpetuis,nec tranquillam ſedem vllis vſpiam fore,niſi in illa æterna,& immortali vita,patriæ cœleſtis, ad quam nos vocat,& ducit Filius Dei ἀρχηγὸς Eccleſiæ. Vbique terrarum,omnibus ſeculis, omnes gentes,omnia imperia, imo priuatę familiæ,velut Euripi,ſubinde nouis,& calamitoſis mutationibus,diſſipantur: vt nos,de exilio,& inſtabilitate vitæ præſentis, & huius exilij cauſis,admoneant , & teſtentur,non ad huius fragilis , & caducæ vitæ ærumnas nos conditos eſſe,ſed aliam vitam meliorem.

Nunc,de mutationibus,quædam adiiciā,quas pœnæ ſtupendæ,& prorſus fatales migrationes gentium,veteri Germaniæ attulerunt, magna veterum colonorum parte, vel ſedibus ſuis emota,vel extincta. Finibus verò ortum verſus contractis ad occaſum ampliatis. Cœperunt illæ,poſt annum Chriſti, ducenteſimum.

Veteribus Germanis ab ortu in Aſia,atque Europa, incubuerunt Gotti,Daci,Alani,Tyrigetæ,gētes ὁμόγλωττοι,vt iā oſtēſū eſt,quibus circūfuſæ fuerunt,atq. interſperſę ampliſſimæ gētes Sarmaticæ,& Henetę,quę ab illis lingua di-

ſtinctæ,inter ſe cognatæ,sẽper illorũ veſtigiis inhæſerunt.

Sarmatorum appellationem, cum qua eadem eſt Soraborum,borealibus,qui ſupra Pontum,& Mæotidem habitarunt:Henetorum,qui & Veneti nominantur,cęteris,qui latus Ponti meridionale accoluerunt,tributum exiſtimo, vt Bythini,Paphlagones, Cappadoces collocãtur,quę gẽtes Heneta lingua vſæ ſunt.Habuerunt autem ſedes cõtiguas,in Aſia,atque Europa. Vtroſque ab ortu preſſerunt, & vrſerũt gentes feræ,& Scythicæ, numero maximę, lingua,ac moribus diuerſiſſimæ,vt Hunnica,Tartaricæ,Turcicæ,ex Tartaris oriundæ.Ex his gentibus ergo,cum prioribus vel ſponte cedentibus, vel vi profligatis,proximè è veſtigio deſertas ſedes occuparent, factũ eſt, vt non Germaniã tantũ,Galliã,Italiã,ac Hiſpaniã,Sueui,Alani,Gotti, Burgundiones,Dani, Vandali,ſed veterem etiã,ad Danubium,Viſtulam,& Põtum,harum gentium patriam, itémque Germaniæ partem maximã,Sarmatæ,& Heneti: Sarmatarum loca,atque Henetorum, Scythicæ gentes cõpleuerint,quæ quidem,ex angulo illo ſeptentrionis,effuſæ agminibus infinitis,velut ex equo Troiano,progreſſęq; tãdem per Aſiam,Europámque,longè latéque vagatę ſunt.

Daci ad Iſtrum,Romanis bellum intulerunt,hos repreſſit tandem Traianus,cæſo duce eorum Decebalo, & Iſtrũ ponte ſtrauit,quem Adrianus metu deiecit. Poſtea iidem, & cum his, Alani repreſſi ſcribuntur, ab Antonino Pio. Quod autem propter belli ſtudiũ,& conſuetudinẽ, quieſcere non poſſent,non dubito,ſub hoc tempus,partem harum trium gentium,Dacorum,Alanorum,& Getarum ab Iſtro,& Viſtula fluminibus, in veterem Germaniam erupiſſe vel coniunctim,vel ſeorſim.Nam Dacos, Gottóſque ad mare arctoum ſimul conſediſſe, & inſulas, vlterioráque,verſus ſeptentrionem,littora excoluiſſe,limitibus, vt in Aſia antea,& adPontũ coniunctis,teſtãtur ampliſſimę horum Coloniæ in Dania,Gottia,& tractu, Danis Suecíſque interiecto quem Vveſtgotti, & Oſtgotti tenent.Eo enim tempore,nouos colonos, veterum incolarum nomina,in Cimbrica oboleuiſſe, vel ex Ptolemæo oſtendi poteſt,qui cum Antonini tempore ſcripſerit,harum gentium, in illis locis,non meminit, cùm paulò poſt ibidem fuerint celebres.

Alani in mediterranea, ſuperatis anguſtiis Hercyniæ, ſeſe diffuderunt.Ab his Alemannos non diſcerno, quorum nominum illud in hoc migrauit, exigua mutatione,

quam,

quam, non aliter accidiſſe, exiſtimo, quàm euenit, vt qui Alani in Oriente vocati ſunt, nunc Albani nominentur, cùm magna cogitatio ſit vocis vtriuſque, Albanorum, & Alemannorum, propter cognatas literas, b, & m.

Francos dubito, vtrum ab Alanis ducam, an ſinam eſſe indigenam, & vetuſtam gentem Germanicam, quæ contra aduenas, iura vetera, libertatémque defenderit, depulſo à ceruicibus ſuis iugo ſeruitutis, quod peregrinæ gentes intentarunt, & conſeruatam libertatis memoriam, nouo glorioſóque Francorum titulo, oſtẽtarit, ac celebrarit, nominibus gentilitiis abolitis, ſicut eos nonnulli Caucorum progeniem faciunt: ſed in hanc poſteriorem ſententiam magis inclino. Nomen ipſum, aſſertæ libertatis argumentum, in hiſtoriis illorum temporum nouum eſt, quæ meminerunt, penè circa eadem tempora, vtrorúmque, Alemannorum & Francorum. Francos, contra Decium, primùm armauit Poſthumus, deinde triginta horum millia, ad Moguntiam, trucidauit Aurelianus. Conſtantinus tandem dimicauit cum vtriſque, Francis, & Alemannis, & reges eorum captos, beſtiis obiecit. Fit igitur primùm mentio Francorum, in Decij hiſtoria, quos inter Alemãnos, & Saxones, intérque ſaltum Turingicum & Rhenum ad Salam, & Menum flumina, habitaſſe, indéque paulatim, ſecundum Rheni ripas, ad eiuſdem oſtia, vſque in Sicãbrorum, Batauorúmque regiones deſcendiſſe, quibus in locis Conſtantius eos reperit: tandémque Rheno, ad Vbios tranſmiſſo, in Galliam penetraſſe, ex hiſtoriarum annotatis non eſt obſcurum. Marcellinus, Francos Salios nominat, à Sala amne, vnde legis Salicæ nomen profectum eſt.

Alemannorum prima reperitur mentio, in Valerij Probi hiſtoria, qui repreſſit vtramque gentem, Francos, & Alemannos, trucidatis quadringentis millibus hominum. Hi, Rhetorum, Sueuorúmque nominibus abolitis, ſuum in ea loca importarunt, in quibus ſeſe rurſus, aliquantò poſt, Sueuorum nomen extulit, illo viciſſim obtrito. Eius celebritas tunc inualuit maximè, cùm à Francis, qui Alemannis iam olim regnum abrogarant, Imperium in Saxones tranſlatum eſt.

Gottorum, ſeu getarum partem, Dacos in occidentẽ ſequutos eſſe, ſupra dixi, à quibus gottorũ origo eſt in mari arctoo. Et Tyrigetas in Alanorum comitatu, per mediterranea loca progreſſos, Turingos condidiſſe, exiſtimo. Nec improbo, ſi quis nomen Hieræ, quæ Erphortum in-

terlabitur, idem quod Tyræ, & Turingorum idem, quod Tyrigetarum eſſe, cenſeat.

Myſos, vt Tyrigetis ad Iſtrum vicini fuerunt: ita eodem tempore in Hermundurorum terra, prope Turingos, in his regionibus conſediſſe arbitror, quos poſtea Sorabi oppreſſerunt. Hermunduros enim, cum Boiis, Danubium tranſiiſſe in agrum Noricum, ſupra dixi.

Tandem cùm Henricus Auceps Soraborum regionem, ſubacta gente, prouinciam Romani Imperij feciſſet, præfectis nouis impoſitis, Myſorum nomē reuocatum, rurſus ſeſe exeruit, & inclaruit. Eandem fuiſſe Myſorū linguam, quæ Getarum fuit, author eſt Strabo, Germanicam ſcilicet vtramque, cùm de Getica id certò conſtet.

Cæteri Getæ, qui patriis ſedibus non exceſſerunt, ſub Valente, populabundi ad ipſam vſque Conſtantinopolin acceſſerunt. Sed repulit hos Valens primùm, poſtea Theodoſius, qui ſtipendiis eos ſibi adiunxit, contra Maximum, & Eugenium. Hęc, cùm filij Arcadius, & Honorius, ſoluere recuſarent, cauſſam præbuerunt maximis bellis, quibus Imperium in Occidente dilaceratum eſt à Gottis, Francis, Burgundis, Alanis, & Sueuis.

Memorantur & Saxones, in Valentiniani hiſtoria, quòd cum Alemannis, Brando Duce, Moguntiam cœperint. Hos cùm etiam à Ptolemæo, inter arctoas gentes enumerentur, credibile eſt, creuiſſe interea, amplificatos potentia, ſocietatibus, & fœderibus vicinarum gentium, contra peregrinorum aſsiduas irruptiones.

Burgundi pulſi à Gottis, quorum pars fuerunt & Heruli, quæſiuerunt nouas ſedes apud Alemannos, qui inter Alpes, & Moguntiam habitarunt.

Imperante ergo Honorio, Franci accerſiti, contra Lucium præſidem Romanum, qui, in vrbe Treuirorum, rapuerat Senatoris cuiuſdam coniugem, vrbem Treuirorum occuparunt. Hoc fuit initium regni Francici in Gallia: inde enim progreſsi ad Moſam flumen, & ſyluam Arduennam, paulatim totam Belgicam, & Celticam Galliam ſubegerūt. Contra Francos exciti, artibus Stiliconis, Burgundi, Vandali, Sueui, & Alani, partim etiam vicinorū iniuriis compulſi, maximis exercitibus in Gallias irruerunt, aditum Francis intercluſuri, vel potius Gallias præoccupaturi. Burgundi quidem Nuithonibus ſociis, fruſtrà prohibente Aëtio Romano Præſide, maximam Sequanorum, & Heduorum partem Francis præripuerunt, & mox

con-

confirmatis in noua terra viribus, regnóque excitato, paulatim fines prolatarunt, Allobrogum regione, cum Prouinciæ, & Galliæ Lugdunenſis parte, regno adiecta. Sed ante Francos, regnum conſtituerunt, quibus cum, poſtquam diu de finibus diſceptaſſent armis, tādem aſſiduitate bellorum, & pertinacia Francorum fracti, his ſeſe ſubdiderunt.

Vandali, Alani, & Sueui prope littora Belgici, progreſſi, ad Ligerim vſque, omnia compleuerunt. Vandalorum gēs in aditu Celticæ, nomen Flandriæ iudicatur indidiſſe. Sed inde à Conſtantino Patricio Romano, profligati, peruaſtatis Galliis, in Hiſpaniam proruperunt, vbi diſiuncti inter ſe, & partiti prouinciam, alij alias partes inuaſerunt.

Sueui Galliciæ regnum conſtituerunt, quod Septimus rex finiit. Vandali ſuas in Betica ſedes fixerūt, à quibus ad Betim fluuium, circa Hiſpalin, in Turdetanorum veterum tractu, ad hæc vſque tempora, Vandaliæ, & Vandaluſiæ, & Andaluſiæ nomen ſupereſt.

In Caſtellanorum regione, cis Iberum, ſubſtiterūt Gotti, Alani, vel potius Catti, & Alani. Cattos enim, vel Francorum, vel Saxonū, inter quos fuerunt medij, iniuriis vexatos, cum Alanis diſceſsiſſe, conſentaneū eſt. Vnde Catalaunia, regio, in qua hodie celebris eſt Ducatus Cardonæ.

Sed Hiſpania non diu poſſeſſa à Vādalis, paulò poſt ceſſit Gottis, qui, Wallia Duce, Genſerico Vandalo excluſo, vltráque fretum Herculeum, in Aphricam reiecto, poſſeſſionem, ac dominium Hiſpaniæ traxerunt ad ſeſe. Eiuſdem enim Honorij principatu, Radagiſtus ducenta millia Gottorum in Italiam duxit, quorum magna parte fame diſsipata, & Radagiſto capto, ſtrangulatóque, reliquiæ Alaricū regem crearunt, qui Romam cepit. Huic Conſentiæ mortuo, Adaulphus ſuffectus, pacem fecit cum Honorio, propter affinitatem, & relicta Italia, diſceſsit in Galliam, occupata ex pacto parte Prouinciæ, & Aquitaniæ. Inde in Hiſpaniam mouit, & bellum Vandalis intulit, quod illo interfecto, confecit Wallia.

Horum Gottorum progenies Hiſpaniam rexit, vſque ad irruptiones Saracenorum, qui Roderico rege Gottorum cæſo, reliquias in Aſturum, intra Pyreneos montes, anguſtias compulerunt. Attractum contra hunc ſcribunt Muzam, Miramolani Maurorum regis ducē, quod Juliani comitis cuiuſdam filiam, per vim ſtupraſſet, circiter annū Chriſti ſeptingenteſimum decimum quartum. Ita ruina, & mutatio regni Gottici, extitit à libidinis pœna. Vocati ſunt

autem Weſtgotti, ad diſcrimen illorum, qui poſtea, à Zenone Imperatore, in Italiam miſſi ſunt, cum Theodorico rege eorum, contra Odoacrum Rugianum, qui ex Rugiis, & Herulis arctoi maris accolis, conflato exercitu, Italiam prædabundus totam percurrit.

Oſtgotti, tandem in Italia, reiectis græcis, conſederunt, & regnum condiderunt, quod Longobardi deſtruxerunt. Vandali excuſſi Hiſpania, traiecerunt in Africam, Genſerico duce, vbi Græci, Gottíque à partibus diuerſis, eò perſecuti, reliquias prorſus deleuerunt.

Interea Frãci in Belgica, & Celtica Galliis, regnũ exorſi ſunt, quod primus Merouæus, Waramundi nepos, titulo regio adminiſtrauit. Hoc regnum poſtea, cùm Burgundorum, & Alemannorum acceſſione, amplificatum eſſet, limitibus, ſitúque diſtinctum eſt, in regnum occidentale Celticæ Galliæ, quod ſcriptores Neuſtriam, corrupta voce vocãt, ex Weſtrichio, & oriẽtale Belgici, atque Germanię, quod Auſtraſiam, quaſi Oſtrichium nominant. Durauit hæc diſtinctio, vſque ad Carolum Magnum, qui, regnum Boiorum, perantiquo ſtemmate ſublato, prolatíſque in Pannoniam finibus, hoc recèns acquiſitum regnum, Oſtrichium, reliquum omne Weſtrichium nuncupauit, vnde ad Lotharingiam Weſtrichij, id eſt, occidentalis regni nomen reliquum eſt.

Hæc dum in Occidente geſta ſunt, interea ab ortu, & ſeptentrione, Sarmatæ & Heneti, quos Ptolemæus ſcribit eſſe maximam gentem Sarmatiæ, partim veterem germaniam verſus occaſum, occuparũt ad Albim vſque, tot migrationibus, & bellis exhauſtã, ac deſolatam, reliquiis veterum colonorum, aut cæde ſublatis, aut ſummotis loco, partim verſus meridiem gotticas & Romanas prouincias depopulari cœperunt. Et ex vaſtis ſolitudinibus Aſiæ, Attila duce, Hunni gens Scythica, quos χοῦνοι Ptolemæus nominat, Sarmatarum terras adorti, progeſſique, gottos in Pannonia oppreſſerũt, indéque promotis caſtris, per germaniam, & Italiam, ad Toloſam vſque galliæ vrbem acceſſerũt, vbi Actius Præſes Romanus, magna ſtrage victos, repulit, adiutus ſociis armis Francorum, quorum rex tunc fuit Meroueus, gottorum, quorum rex tunc fuit Theodoricus, & Burgundorum. Attila mortuo, gotti rurſus ſuperatis reliquis, Pannoniam recuperarunt, Duce Ardarico, Gepidarum rege, à quibus Cepuſii ſunt. Ita gotti Pannoniam recuperatam tenuerunt vſque ad reditum Hunnorum,

rum,ſub Iuſtiniano. Ab Hunnorum,& Auarum progenie, ſunt Hungari,ſicut ex vtriſque,& nomen factum eſt, cum quibus Imperatores Occidentis, magna bella geſſerunt. Iidē Gotti,vt dixi,ſub Zenone, in Italiam miſſi contra Odoacrum: Græcis exturbatis,regnum ibi inchoarūt: contra hos à Narſe euocati ſunt Longobardi,qui à ripa Albis,in Noricum, ad Danubium, indeque in Pannoniam recens commigrarant, Sclauorum, vt opinor, violentia extruſi. Hi aliquantò poſt, capti ſcilicet, allectique pulchritudine Italię,ſua ſponte reuerſi, Cenomannorum,& Inſubrū veterū ſedē,intra Alpes,& Padum,occuparunt, regno fundato,& Gottorum reliquias, bellis continuis attritas,prorſus extirparunt,vt ne quidem veſtigia aliqua coloniarū Gotticarum reliqua eſſe permiſerint. Longobardis rurſus tandem regnum eripuerunt Franci. Ita Oſtgotti, Rugios & Herulos: Oſtgottos Longobardi: hos Franci vlti ſunt.

Recitaui,qua potui breuitate,vaſtationes, & mutationes,nō tantùm Germaniæ veteris,ſed totius penè Europę. Has cogitemus,fatales fuiſſe pœnas peccatorum, generis humani, cùm aliorum, tum verò imprimis blaſphemiæ contra Filium Dei, in Ariano dogmate, & aliarū ſimilium impietatum,quas Gottos præcipuè,& Vandalos, non tantū amplexos eſſe,ac fouiſſe, ſed etiam magna ſæuitia defendiſſe conſtat. Nec video,quid cogitari poſſit triſtius, & horribilius,excidiis tot regnorum, tantiſque eorundem colliſionibus inter ſe, atque conflictibus mutuis, & tot gentium cædibus,tam funeſtis,tot deletionibus,vel diſſipationibus,& exiliis earundem: denique cōfuſionibus atque commixtionibus aliarum inter ſe tam fœdis, Diluuij inundationibus abſorptum eſt totum genus humanum. Sed haud ſcio, an non pręſtiterit ſemel mori, quàm ſpectare,ac perpeti tantum malorum,toties variatis vicibus, quantum in his mutationibus accidit. Nec dubito Deum punire voluiſſe Occidentē,cladibus harum vaſtationū: Orientē Mahometicæ gentis furioſis opinionibus,& bellis.

Nunc paucis exponam eum Europæ ſtatum,& pręcipuè Germaniæ, qui emerſit ex his regnorum concuſſorum, ac diſiectorum,ceu naufragiis, cùm bellorum fluctibus ſedatis,& bellandi rabies, atque libido, nonnihil deferbuiſſet, & ex tot iactationibus gentes nonnullæ alicubi ſedibus fixis ſubſtitiſſent, atque conquieuiſſent, denique quale acceperit Imperium Occidentis Carolus Magnus, acceſſus in Italiam ad Longobardos retundendos.

Omnem terram à Ponto, & Rha flumine, cui Volga hodie nomen eſt, ab ortu in occaſum, verſus meridiem quidem incluſam Sarmaticis montibus, Carpatho, totóque ambitu Boiemicorum montium, ad boream verò littore Sueuici, Baltiníque maris: ac Albim vſque, longè latéque compleuerant Heneti, Sarmatæ & Sclaui magna varietate, ac diuerſitate.

Fuiſſe autem has gentes ὁμογλώττους reperio. Sed Henetorum, & Sarmatarum nomina vetuſtiora ſunt, ac celebratiora. Sclauorum enim primùm innotuit imperánte Mauritio Cæſare, qui ducibus Commentoilo, & Priſco Prætore, magna affectos clade, ad Iſtrum accîdit nõnihil, & languefecit. Iam tum enim, Gottis ibidem, propter continuas, & migrationes & bella, numero; viribúſque attenuatis, eò vſque acceſſerunt. Suidas de his inquit: τὸ Σκλαβικὸν γένος, τὸ πέραθεν τοῦ ἴστρου. Henetorum meminit Homerus in vicinia Paphlagonum, quos Henetum Ducem in exercitu Traiano habuiſſe prodidit, & ſinus Veneti, atque vrbis Venetæ in mari Adriatico, ab his originem eſſe, conſentiunt omnes, ſiue Antenore, ſiue quocunque alio Duce eò appulerint: ſicut iidem ſinui Veneto, in Sueuico mari, ſupra Pruſſiam, cognomen dederunt. Nec alia Henetorum, alia Venetorum, ſeu Vindorum, quos Germani *Vuenden* nominant, appellatio eſt. Denique vt Sarmatis à Ptolemæo admiſcentur: ſic in Aſia, atque Europa, vtraſque ſimul, aut mixtim habuiſſe, aut contiguas poſſediſſe terras, non dubito.

Sarmatarum nomen, quos σαυρομάτας Græci nominant, quod Sorabi referant, & Seruij, manifeſtum eſt, Sclauorum nomen (Henetorum enim, & Sarmatarum etyma quę ſint, ſupra indicatur) illud ergo, cùm recẽtius multò ſit, vnde extiterit dubito: præſertim cùm penè toti genti tributum, ſeu commune nomen, conſenſu gentium reperiã: An à celeritate famæ, atque iactantis gentis, ſit tractum, vt aliquibus placet? An quod potius credo, à gentis ferocitate, vt in Quadorum nomen ſucceſſerit, quod noſtra lingua, feroces, vehementéſque ſignificat, & immites. Sed quodcunque ſit ἔτυμον vocis, antiquiſſimas eſſe has tres gentes, ὁμογλώττους appellationes, hiſtoriæ docent.

Propagarunt hæ autem, ad ſolem orientem, vltra, citraque Męotidem paludem, ſupra Pontum, amplam, ac potentem Circaſſorũ gentem, quæ ante Tartaricas irruptiones latè ibi dominata eſt, & poſtea, cùm iugo Tartarico oppreſſa

oppreſſa eſſet, mirandis modis, occaſione ſeruitutis illius, ad faſtigium regni Ægyptij peruenit. Inde verſus ſeptentrionem, & occaſum, circa Rha, & Tanaim flumina, vſque ad ſinum Venedicum, vbi hodie ſunt Moſcouia, Liuonia, & Ruſſia alba, ex iiſdem gentibus deriuati ſunt, atque diffuſi Roſſi, qui & Roxani, & Roxolani vocantur, hodie Moſchi. Hi, ſi progenies ſunt Moſſinęcorum, quos in Argonautico carmine deſcribit Apollonius, vt nomen oſtendit, & vero eſt conſentaneum: ſique patrios mores adhuc retinent, vix hodie viuit alia gens turpior. Apollonius, quo cum Ptolemæus, & Strabo conſentiunt, ſedem his tribuit ad Moſchinos montes, quibus, in ſuperioribus partibus Ponti Cappadocum, Colchidi Armenia iungitur.

In Roſſorum vicinia, Boruſſi conſederunt, etiam ab oriente profecti, ſicut indicat nomen, quod Henetum eſt, & colonos Ruſſis contiguos denotat. Ab his Prutenorum ſeu Pruſſorum nomen defluxit.

Ad Rha, ſeu Volgam fluuium, hæſerunt Bulgari. Ad Boryſthenem Boſſini, qui & Pazinacę. Prope ſinum Venedicum Liuonij, vetus Liuoniorum nomen conſeruarũt. His, & Boruſſis, interiecti Curetes, & Sudini mare, Samogethi Lituanorum confinia hodie attingunt, quorum nomen congruit cum Sarmatis, & Getis, in Dionyſij carmine. Hi paulatim ab oriente, & aquilone progreſſi, ſtatim, vbi deſeri loca ad Boryſthenem, Tyrã, & Iſtrum, à Gothis ſenſerunt, his incumbere, infeſtaréque Romani Imperij limites cœperunt, neque vrgere deſtiterunt, donec in Myſia, Thraciáque, & Macedonia, ac vicinis Triballorũ, & Dardanum regionibus, Græcis Imperatoribus, aſſiduitate irruptionum, ac depopulationum, defatigatis, ſedes extorſerunt, vbi in Myſia inferiore, Sarmatæ à Volga profecti, gentem Bulgarorum: in ſuperiore, & finitimis locis, Roſſi vel Roxolani, Raſcios: Sarmatę Sorabos, & Seruios, Pazinacæ Boſſinos: Cæteri Croatas, Dalmatas, totámque penè Epiri, & præcipuæ partis in Græcia, gentem procrearunt, ſicut teſtatur autor Epitomes in Strabonem. Inquit enim: *νυῦ δὲ πᾶσαν ἤπειρον, καὶ ἑλλάδα σχεδὸν, καὶ Πελοπόννησον, καὶ μακεδονίαν Σκύθαι Σκλάβοι νέμονται.*

Sub Boruſſis, qui ad mare, veterem Sueuorum patriam inuaſerunt, à ſitu, Pomeranorum nomen contraxerunt: ſic dicti, quaſi maris accolæ. Hos à Caſſubiis, maris interſtitium & ſyluarum denſitas, ſeiunxit. Caſſubij enim à littoribus, verſus mediterranea Poloniæ, & Boruſſiæ, ſeſe

extenderunt. Nomen eos à plicis veſtium, acquiſiuiſſe volunt, quibus cæterorum veſtes caruerunt. Hinc ſecundum littus maris Baltici, per Pomeraniæ partem, Ducatumque Megalburgenſem, vſque ad Albim, & per Marchiam Brandeburgenſem, quæ quadruplici terræ diſtinctione, ab Odera ad Albim, & vltra flumen vtrumque, ſecundum Sueuum, Hauelumque amnes porrigitur. In hoc ergo tractu, ſedes, & domicilium fuit Henetorum ſeu Venetorum. Huic enim gentis parti hoc nomen propriè inhęſit. Sed multa fuerunt Henetorum genera, locis, nominibúſque diſtincta, qui ſuis ſinguli paruerunt ducibus: Vni verò regi ſubiecti fuerunt omnes, quem genuit ſtirps regia, de qua prodierunt Duces Megalburgenſes: ſed regium nomen vſurpare deſierunt, poſtquam acciſa potentia, Imperij Romani Principes eſſe cæperunt. Aliquanto ante, Imperio ſeſe coniunxerunt Pomeraniæ Principes: quorum adhuc ſupereſt proſapia.

A Viadro, ſecundum Sueuum, & Hauelum ad Albim vſque, ſedes fuit Lebuſiorum, vbi Lebuſium oppidum, itē Wilinorum, & Stoderanorum, vbi Berlinum, & Brandeburgum, & Herulorum, ſeu Helueldorum, vbi Epiſcopatus eſt Hauelburgenſis.

Supra Lebuſios, in confinio Pomeraniæ, & Megalburgenſium, cis Panim fluuium, Cycini ad oppidum Gucegonium: Circipani, vbi Gripſvvaldia, Wolgaſtium, Sondium. Vltra Panim, Tolenſij ſederunt, & Rhedarij. Tolenſij ad Tolenſum amnem, alluentem nouum Brandeburgum, in Megalburgenſi terra. Rhedarij intra Panim & Oderam, vbi Ducatus eſt Stetinenſis. Brizanorum ſedem, nomen Prignitiorum indicat. Hos omnes à Lupina rapacitate cognominarunt Welicos. His proximi Lingones, vbi Luneburgum, & Warnaui, vbi Roſtochium: Obotriti, vbi Megalburgum: Polabi, vbi Epiſcopatus Raciborienſis. Dehinc, ſupra Trauenam fluuium, Vvagrij, vbi Epiſcopatus olim Aldeburgenſis, nunc Lubecenſis.

Luticij ſupra Sueuum, ad Albim, vſque Luſatiam inferiorem: Sorabi reliquum ſupra Albim, vſque ad montes Sudetes verſus meridiem, ab ortu verò, ad caput Sueui fluminis, ab occaſu ad confluentem Albis, ac Salæ, incoluerūt, vbi hodie eſt Luſatia ſuperior, Miſnia tota, & principium Saxoniæ ſuperioris ad Hercyniam. Ita in hac extima ora terrarum, quas occuparunt Sarmatæ, & Heneti, vt in Aſia olim, & poſtea in aditu Europæ, ſedes finib.

con-

coniunxerunt, nominum diſcrimine ſeruato. Et vtrique diu multumque Francica, & Saxonica arma exercuerunt, cùm non contenti amplitudine occupatæ terræ, vltra Albim, Saxonum agros, ad Luneburgum, Francorum, ad Salam depopulando, terraſque carpendo, potentiam extendere conarentur. Sępè ægrè illi, ac difficulter, vim belliciſſimarum gentium ſuſtinuerunt & repreſſerunt. Sępè hę iugo, quod bellorum diuturnitate, & victoriarum de ipſis partarum crebritate fractę, ſuſceperant, rurſus abiecto, ad arma redierunt; donec tandem maxima multitudine contuſa, conſumptáque cędibus in locum eius, nouas colonias duxerunt Henricus Leo, & Albertus Vrſus, de quibus mutationibus, ſuo loco dicetur. Soraborum nomen reliquiæ in Luſatia ſuperiore, adhuc vſurpant, & de veteribus colonis teſtantur, oppida Sorbecum, & Serueſtum. Henricus Auceps, Sorabis domitis, pręfectos dedit, qui hanc oram tutarentur contra Boëmos, inde origo eſt præfecturę limitaneæ, quam hodie Marchiam Miſnenſem vocant. Contra Henetos Marchiam Brandeburgenſem conſtituit.

Nunc terminum earundem gentium, ad ortum auſtrinum ducam, & mediterraneas ſedes referam.

Mediterraneam verſus, ſub Boruſſis, ſedes eſt, Maſouiorum, quos à fronte, verſus ortum, longo tractu, cum Moſchis coniungunt, intermedij Lituani, à Moſchis ferè Boryſthene fluuio diremti, qui hodie dicitur Neper.

Sub his Ruſſi, & Podoli, vſque ad Sarmaticos montes, & Tyram fluuium ſeu Neſtrum, vt hodie incolæ vocant. Hos à Vvalachis, diſterminant Iazyges, non mutato veri nomine. Tergum horum ab occaſu, claudunt Poloni, qui inhabitant ampliſſimam planitiem, quę patria fuit Burorum, Quadorum, Lygiorum, & aliorum.

Reliqua Quadorum, & Lygiorum terra, intra Viadrum, & Boëmicos montes, excepit Sileſios, quos, vt Sclauorum, & Quadorum veterum nomina expreſſiſſe opiner, vocum cognatione, & ſignificato moueor. A Sclauorum traiectu Vratiſlauia nomen adepta eſſe videtur. Ad Lygios veteres Lignitij appellatio alludit.

In Marcomannorum locum, Moraui ſubierunt, nomen, vt nonnullis placet, à Moraua flumine ſortiti.

In vallem amœniſſimam, his, & Sorabis interpoſitam, Gabretáque, Sudetis, ac Hercynia vndique cinctam, quæ Boiorum fuit antiquitùs, inuolarunt Zechi, quos vſitatè, non

patrio, Zechos, ſed vetuſtiſſimos, & inde à Boiis vſque propagato nomine, Boiemos vocamus.

De Sileſiis & Morunis, inter Polonos & Boiemos, bella diu fuerunt, Polonos Lechum, Boiemos Zechum ducem ſequutos, vt, ex gentis vtriuſque appellatione, aliqui coniectant, interque ſeſe linguæ, ſanguinis, & multarum aliarum rerum ſocietate, deuinctos, non origo, quæ eadem eſt, ſed ſoli mutatio diſiunxit, contentione de finibus, & Imperio, ex æmulatione potentiæ, exorta, Morani Boemis, Sileſii Polonis ſemper adhæſerunt, vſque ad eam mutationem, quæ, de veterum regum Poloniæ ſtirpe, de qua relictum eſt ſtemma Ducum Sileſiæ Lignicenſium, & Bergenſium, regnum in nouam gentem Iagellonum trāſlatum eſt. Ea enim mutatione, alienatis Sileſiorum animis à Polonis, artibus, ac conſilio Iohannis Lucelburgenſis, regis Boemici, qui fuit filius Henrici VII. Imperatoris, & pater Caroli quarti, perfectum eſt, vt Sileſia prorſus à Polonis diſcederet, & insereretur regno Boëmico, fierétque prouincia Imperij Romani.

Terminarunt ergo Germaniam, verſus ortum, & gentē Henetam, Caroli Magni temporibus, Albis fluuius, & mōtes Boiemici. Sed verſus occaſum, quos limites cōſtituam, non reperio. Nam Francica potentia, Galliæ partem maximam Germaniæ coniunxerat. Belgicam enim omnem complexa erat, ac Celticam, præter minorem Britanniam, in quam coloni Britāniæ veteris, qui ab Anglis Saxonibus pulſi, eò transfretarunt, Britanniæ nouum nomen attulerant, cùm à Cæſare ibidem Armoricæ ciuitates collocentur: Aquitaniæ item, prouinciæque partem maximā. De eo verò, quod ſupererat, contendebat bellis aſſiduis, cum occiduis Gottis, à quorū reliquiis Languedocia nomen ſumſit, vbi Toloſates olim, Volcæ, Nitobriges, & Tectoſages ſederunt. Metropolis eius hodie eſt Narbo ciuitas.

Belgicum, & Celticam, Franci, Alemani, Burgundi, & Vandali compleuerant, & aliæ gentes Germanicæ, quæ & diſtinctionem, & nomina veterum habitatorum aboleuerunt: quanquam eam mutationem tum paulatim cœpiſſe opinor, cùm Gallia Romanis armis ſubacta, & in prouinciam redacta eſt.

Franciæ nomen, Pariſienſibus, regni Francici ſedes impoſuit. Hoc, vt dixi, ante Pipinum, & Carolum diſtinctum fuit in duo regna. Horum occidentale Galliam Celticam, Neuſtriæ, ſeu rectius Weſtrichij nomine: orientale Belgicam

tam Galliam, Auſtraſiæ vel rectiùs Oſtrichij nomine cõprehendit: hinc Neuſtriæ nomen reliquũ eſt in parte Normanniæ. Sed hanc diſtinctionem poſtea aboleuit Carolus Magnus, regibus Boiorum ſublatis. Nam recèns debellatis regnis, in Germania, oriẽtalis: Gallicis prouinciis, occidẽtalis regni nomen tribuit. Hoc poſtea Lotharius, Ludouici Pij filius, cui, ex diſtributione, Belgica Gallia, cum parte Lugdunenſis prouinciæ obtigerat, abrogauit, ſuo nomine ſubſtituto. Inde & Veſtrichij appellatio reliqua eſt, ab occiduo regno, & Lotharingæ à Lothario.

Sed vetus Lotharingia deinceps, partim à Francis, Burgundis, & Germanis direpta, partim diſtributione inter poſteros Lotharij, in minutiores particulas diſcerpta, in eas deuenit anguſtias, quas Vogeſus, & Jura mõtes, fluuiſque Sequana, & Belgicum definiunt: Eã regionẽ nouę diuiſiones, in alias adhuc tenuiores conciſam, vel mutilatam potius particulas, plures gubernarunt Principes.

Fuerunt enim Lotharingiæ partes, Lotharingia ſuperior eodem hodie nomine nota: Lotharingia inferior, quæ Brabantia poſtea nominata eſt, nomine, ex prouincia, per deprauationem facto.

Ducatus Moſellanus, ad fluuium Moſellam, vbi olim Romanduorum ſedes fuit, hodie Lucenburgum.

Ducatus Arduennæ, à ſylua Arduenna, ſeu Bolonienſi, Godefridi Hieroſolymorum regis Imperio celebris, in cõfinio Namurci, Leodij, & Hannoniæ. Sunt autem Namurci hodie, vbi olim Conduſij, & comitatui Namurcenſi proximi Segni.

Leodienſes hodie, qui olim Eburones, & Tungri. Leodienſes à legione Romana, ibi hybernante, & cæſa, cum quinque cohortibus, ab Ambiorige Eburonum regulo, nomen acquiſiuiſſe putantur.

Eburones ſic dicuntur, quaſi Eyburẽ, id eſt, Eiorum coloni: Eyfflia verò, quæ protenditur ad Vbios vſque, quaſi Eyfelt, id eſt, campus Eiorum. Ex eo enim loco cis Rhenũ tranſierunt in Galliam, qui adhuc hodie comitatus nomine inſignis, vocatur *die Ey, oder die Hoy.*

Eburonibus annumerantur Rucini, Betaſij, Toxandri, Maſaci. Rucinorum nomẽ pars Belgici retinuit, *das Runtzerland.* Sic legendum enim, pro Sucinis, apud Tacitum, & pro Rinucis apud Plinium. Maſacorum oppidum, infra Traiectum ſuperius, Maſek. Betaſiorum multa ad Moſam oppida deſinentia in Bech, Dippenbech, Schonbech. Toxã-

dria fuit oppidum inter Moſam, & Traiectum, hodie vocatur Viſetum, multa in eo reperiuntur monumenta vetera. Horum ſedes primum, vltra Rhenum, Franci inuaſerunt, vltra citráque Moſam, vſque ad mare.

Iuliacenſes, olim Menapij.

Colonienſes, olim Vbij.

Geldrienſes, Mõtẽſes, & ex parte Phryſij, olim Sicambri, quaſi See Cimbri, id eſt, Cimbri maritimi. A Sicambris videntur eſſe reliqua, Segeberg & Sigen.

Hollãdia à cauernis ſubterraneis ſic dicta eſt, poſt inũdationẽ factam, anno Chriſti, octingenteſimo ſexageſimo, quod ſubruta terra & eluuione cauata, cœpit eſſe συμφάδης & cauernoſa, olim Battauia. Fuitque Battauia duplex: Superior ad Geldriam pertinet: Inferior Hollandia eſt, cuius pars inter Wahalim, & Leccam Rheni brachia, vetus nomen retinet, *die Betavv.*

Brabãtiam olim incoluerunt Aduatici, nunc Boſleduci: Ambuariti, nunc Antuerpiẽſes, à quib. marchia Antuerpiẽſis nomen habet, quæ conſtituta fuit in limite Armorica, contra Anglos, multò ante Carolum Magnum.

Grudij, vbi Louaniũ, & Mechlinia: Brabantia, Lotharingiæ inferioris nomine amiſſo, id nomen aſciuit Henrico II I. imperante. Id ex latino, prouincia, factum eſt.

Flandriam tenuerunt olim Gorduni, vbi Gandauum, & Bruxella: Pleumoſij, vbi Brugæ, vnde Flamingorum nomẽ, vel à Flandris: Neruij, vbi Tornacenſes: Verocaſſes nunc Caſſetenſes, Geſſoriacum, ſeu Iccius portus, hodie Caletũ. Habuit autem Flandria comites peculiares, ſtirpis Franciçæ, à Carolo Magno, vſque ad Balduinum vltimum, qui, cùm hæredem inſtituiſſet Carolum, Daniæ regem, hoc mortuo ſine hærede, contentio orta eſt inter Regem Galliæ, & Imperatorem de comitatu.

Hannoniæ bona pars, ſub Belgica Gallia comprehenditur.

Nomen Germanicum, κατ' ἀφαίρεσιν priorũm ſyllabarum ex Arduenna factum videtur, *Hennigavv*, id eſt, Arduennæ ſubiecta vallis, vel planities, quam Germani vocant, *ein Avv*

Picardia hodie cõplectitur veteres Ambianos, Sueſſiones, Bellouacos, Veromanduos, & ex parte Morinos. Pars enim Morinorum ad Flandriam pertinet. Campania, Remos, & vicinos: Arteſia Atrebates.

Burgundi Heduis, & Sequanis ſucceſſerunt. Latè patuit potentia

potentia eorum,quę ad Allobroges,& Taurinos vſque pertinuit,qui ſunt hodie Sabaudi, & Pedemontani. Nunc inferior Burgundia,Ducatus titulo,Heduos,Mãdubios,Lingones,& partem Sequanorum habet, quæ fuit Verdunenſium,Bibractarum,Diuionenſium,Matiſconẽſium, & Cabillonenſium. Superior,comitatus nomine, Sequanos reliquos,& præter hos,Biſuntinos,& multos alios. Alemannorum etiam pars,in ſuperiore Burgundia conſedit, quos hodie Iuraſſos vocant.

Normanniæ nomen,à noua gente,multò poſt inuectum eſt,in ea loca,quæ tenuerunt olim Ambilates, Bellocaſſi, Lexouij,Eburonices, Aulerci.Sed omnium mutationum momenta,& cauſſas recitare,nimis foret longum.

Hoc ſatis ſit ſcire,quod maximæ parti Galliæ,Germaniæque,Franci tunc imperarunt, cùm mutatio Imperij facta eſt,& habuerunt partes ſingulæ ſuos,vel principes, vel comites,ex Francorum familiis,aut Alemannorum,de quibus reliquæ fuerunt gentes Gibellinę,& Welphæ.Sed Francis paruerunt.

Erat autem tunc Germania vniuerſa diſtributa inter potentiſſimas gentes tres,quæ inter ſe, infeſtis odiis,armíſq; perpetuò decertabant. Duas extremas partes Saxones , & Boij,mediam Franci tenebant.

Forma gubernationis,apud Saxones,Ariſtocratica erat, domi rempub.ęquo iure,adminiſtrantibus duodecim Principibus,è quibus dux belli,cùm opus erat , eligebatur,cui ituro contra hoſtes, concedebatur in exercitum poteſtas regia,vt olim apud Spartanos,& Romanos.Boij, Franciq; monarchias habebant.

Extrema ad ſeptentrionem, ab arcto mari Baltico,& Oceano:à meridie iugis Hercyniis:ab ortu Albi fluuio,ab occaſu Rheni , Oceanique parte circundata, Saxonum erat, quos diſtinguebat Viſurgis in Weſtualos, & Oſtualos:his ad Albim,illis ad Rhenum accedentibus. Extremã ad meridiem,per Alpes,ac Cecios montes , pérque Rhetíam ſuperiorem,& Norici agros extenſam,ad Italiam,& Hũnorũ in Pannonia fines vſque,poſſidebant Boij, iam olim in ea loca delati, qui Hunnos aditu Germaniæ prohibebant , & reprimebant Norico imminentes Boëmos.

Media inter has,longè latéque , ad vtranqueRheni ripam,& per Alemannorum,Francorum oriẽtalium, ac Turingorum agros,ad Salam vſque,& Albim parebat Francis, horum armis edomita:Paulatim enim Franci,non Galliam

ſolũ vniuerſam, Weſtgottis euerſis, ſed & Germaniæ populos ſubegerant, & Turingorum, Alemannorúmque regna demoliti erant: cúmque propterea formidabiles eſſent vicinis, Saxones, à quibus à parte vna, ſaltu Hercynio, ex altera Rheni alueo dirimebantur, partim amore libertatis priſtinæ, & metu iugi Francici, odióque peculiari gentis, partim ſuæ religionis pertinaci ſtudio, quam extinctam Franci cupiebant, perpetuò contra hos in armis erant. Sed potentiâ Franci cæteros ſuperabant, qui regni ſui fines, recentibus contra Saracenos victoriis, procul in Hiſpania, vltra Iberum propagarunt. Beticam enim totam, & Tarraconenſis, ac Luſitanicæ Hiſpaniæ magnam partẽ, bello Gottis ademtam, multò ante Saraceni obtinuerant. Hiſque Galliam adiecturi, arma mouerant in Francos, attracti à Weſtgottis, qui in Aquitania, & Narbonenſi ſupererant. Sed cæſi, deletíque à Francis, rege amiſſo, magnam Hiſpaniæ partem amiſerunt, donec tota rurſus exciderunt, oppreſſi à Gottis, qui mox, poſt Francicas victorias, reſpirare, & fractas vires reficere, atque inſtaurare cœperunt. Recuperarunt enim Gotti Hiſpaniæ regnum, eſtque ab his origo materna, Imperatorum Caroli V. & Ferdinandi fratrum.

Cimbrica Cherſoneſus, totáque, vltra mare Balticum, continens, partim Danorum erat, & Gottorũ, partim Suecorum, cum quibus bellum erat Saxonibus aſſiduum.

De Italiæ principatu, contendebant cum Græcis, Lõgobardi, eò quòd, quæ ad Exarchatum pertinuerunt, hi inuaderent, ſcilicet vt occupatis illis, viam ſternerent ad Imperium vrbis Romæ. Cùm autem Pontifices Romani, ſuę potentiæ amplificandæ cauſa, eadem appeterent, odiſséntque Longobardos, multis de cauſſis, & viderent Gręcos defenſioni Italiæ impares eſſe, commiſerunt cum Longobardis Francos.

Talis ferè Germaniæ, & magnæ partis Europæ ſpecies fuit tunc, cùm Imperium Occidentis conſtitutum eſt, diuiſione Italiæ inter Græcos, & Francos, Græcorum aſſenſu. Nec de Germanicis Gentibus, circa illa tẽpora, plures celebrantur, quàm Saxones, Franci, Turingi, Alemanni, Burgundi, Boij, quorum Turingi, Alemanni, & Burgundi, Frãcis ſubiecti fuerunt: cæteri, horum obſcurati amplitudine, ac potentia, latuerunt, ſed aliquantò póſt, ex iis mutationibus, quæ ſecutæ ſunt, rurſus inclaruerunt, atque creuerunt aucti opibus, victoriis, laude bellica, & Imperij dignitate,

de

de quibus ſuo dicetur loco. Profuit autem plurimùm toti Europæ,hæc & Imperij tranſlatio, & trium regnorũ Germaniæ,Italiæ,& Galliæ coniunctio,ſine qua , nulla harum regionum,ſuis,quibus obiecta fuit,hoſtibus arcendis, reprimendíſque ſuffeciſſet. Germaniam aſſiduè infeſtabant Heneti:eidem,& Italiæ imminebant Hunni:Italiã,& Galliam appetebant Saraceni.Galliæ,& Germaniæ formidabiles erant gentes arctoæ. Harum pleraſque domitas bellis, & manſuefactas potentia nouę Monarchiæ,cõflatę,ex hac coniunctione ad ſocietatem fidei,& religionis Chriſtianę perduxit,ſolis Saracenis magna ex parte deletis.Sed de his in ſingulorum Imperatorum rebus geſtis dicetur.

CAROLVS MAGNVS.

CErtiſſimum eſt,ordinẽ politicum , in genere humano, opus,& beneficium Dei eſſe, quo ſocietatem honeſtã conſeruat,ſicut ſcriptum eſt: Iudiciũ Domini exercetis. Item:Libra,& pondus,iudicia Domini ſunt. Et quidem hæ res optimæ,leges,coniugia, diſtinctio dominiorum , contractus,magiſtratus,iudicia,pœnæ,ſunt teſtimonia de ſapientia,bonitate,& iuſtitia Dei,& de eius præſentia in genere humano:quia ipſe Deus cuſtos eſt ſui ordinis.Diſcernendus eſt autem ipſe ordo,à perſonis. Vt coniugij leges multi violant:ita multi gubernatores ordinem in Imperiis cõturbant,& fiunt Tyranni graſſantes iniuſtis homicidiis, confuſionibus libidinũ,& aliis ſceleribus,vt Caligula,Nero,& alij innumerabiles. Hos Deus non approbat:qui,vt priuatos latrones punit:ita iſtos legum , & iuſtitiæ hoſtes excutit ex Imperiis, vt conſpiciantur ipſius iuſtitia,& pręſentia , in generis humani conſeruatione , ne prorſus fiat diſſipatio hominũ , ſed aliqua maneat ſocietas, vt Eccleſia colligi,& doceri poſſit:Ac fiunt in pœnis mutationes , non ſemper ſalutares,ſed tamen alicubi,vt interfecto Caligula, ſuccedunt non meliores,Claudius,& Nero : & tamen poſtea ſuccedunt vtiles principes , Veſpaſianus , & Titus:ſic interualla miranda ſunt. Et pœnę Tyrannorum ad regulas referendæ ſunt:Omnis,qui acceperit gladium, gladio peribit:Omnis anima,quę fecerit has abominationes,exſtirpabitur:Omnis,qui vſurpauerit nomen Dei vanè, punietur.Væ,qui ſpolias,quia ſpoliaberis.

Sunt & ipſæ Tyrannides,gentium pœnæ , ſicut ſcriptum eſt:Propter peccata populi, multæ ſunt principum muta-

tiones. Certum eſt autem, ſingularia Dei beneficia eſſe, cũ dantur ſalutares ſucceſſores, iuxta dictum: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Et Daniel inquit: Deus transfert regna, & ſtabilit. In quibus mediocris ſtatus eſt aliquantiſper, illa, certum eſt, conſeruari diuinitus.

Hæc primùm conſideranda ſunt in hac mutatione, Caroli tempore facta. Punita ſunt à Deo ſcelera, & Imperatorum Orientis, & gentium. Exortum eſt in Oriente impium regnum Saracenicum: ea mutatio nequaquam fuit ſalutaris: vaſtauit Eccleſiam, & extinxit veri Dei inuocationem, leges, & doctrinas: deleuit ornatiſſimas vrbes. Eſt igitur horribilis pœna, ſed iuxta dictum: Miſericordiæ Domini, quod non conſumti ſumus. Salutaris fuit Occidenti, tranſlatio ſummæ potentiæ ad Carolum: poſt quem, etſi inter ſucceſſores etiam bella ciuilia orta ſunt, vt nulla regna diu quieta ſunt, tamen profuit poſteritati circiter trecentos annos, videlicet vſque ad Henricum quartum, cuius tempore, ſceleribus Pontificum, hoc Imperium languefactum eſt. Antea Carolus, Ludouicus Pius, Arnolphus, Ottones, Henricus Bambergenſis, Conradus Francus, Hẽricus tertius, geſſerunt res vtiles Italiæ, Germaniæ, Pannoniæ, & aliis vicinis.

Quomodo autem fiant iuſtæ, & ſalutares mutationes, & quomodo à latrociniis, & ſeditionibus differant, ſapienter conſiderandum eſt: Regula diſcrimen facit: Omnis, qui gladium acceperit, ſcilicet non datum à legibus, gladio peribit: Eſt igitur iuſta mutatio, cùm is, qui arma gerit, verè eſt ἀμυνόμενος id eſt, qui non prior, atroci iniuria alios afficit, ſed eſt defenſor.

Fiúntque iuſtæ mutationes iure belli, id eſt, cùm cauſſa belli iuſta eſt: & fiunt ſalutares, cùm Deus armat victorem ſapiẽtia, iuſtitia, & fortitudine. Erat Auguſtus verè ἀμυνόμενος aduerſus Antonium: & quanquam non erat par bellator, tamen Deus eum adiuuat. Fuit igitur victor, ac iure dominus, & fatendum eſt à Deo adiutum eſſe.

Sic, cùm Imperia iuſtè transferuntur, vtrunque concurrit, iuſta cauſſa, & Deus armans, ac regens Ducem. Erant Conſtantinus, & deinde Theodoſius, verè ἀμυνόμενοι, & erant armati à Deo, ſapientia, iuſtitia, & fortitudine. Ex his fundamentis, intelligi poteſt, & quæ tranſlationes Imperiorum ſint iuſtæ, & quomodo intelligenda ſit ſententia, Deus transfert, & ſtabilit Imperia.

Sunt

Sunt autem iuſtæ cauſſæ tranſlationis,cũ victor habuit iuſtam belli cauſſam,aut,cùm illi,quorũ eſt iuſta authoritas,eligunt dominos,vt Rex Dauid prætulit Salomonẽ cęteris fratribus. Henricus Auceps,prætulit iuniorem filium Ottonem primum. Principes Perſici,elegerunt Darium.

Diſputatur ergo ,de trãſlatione Italiæ, & axiomatis Imperij in Carolo,an iuſtè hæc in eum tranſlata ſint. Reſpõdeo,iuſtiſſimè factã eſſe tranſlationem, iure belli,& tranſactione. Rex Longobardorũ Deſiderius mouerat bellũ in Italia,& occupauerat vrbes , quarũ aliæ ad Imperium pertinebant,aliæ ad Romanam Eccleſiam. Interfecerat etiam Præſidem in ea parte,quæ erat Caroli.Erant & Romę ſeditiones : & Græci Imperatores , nec Italiam, nec Romam defendebant. Vocatus igitur Carolus, verè fuit ἀμυνώνδρος, & regi Deſiderio capto, regnum ademit. Id iure belli,iuſtè retinuit. Cúmque iam Italiæ, Galliæ & Germaniæ iuſtus dominus eſſet, retinuit ea, quæ olim nominabantur Imperium Occidentis. Itaque Italica nobilitas ἀξίωμα ei Imperatoris tribuit,quo tamen Carolus non vſus eſt , niſi facta tranſactione cum iis,qui Imperium Conſtantinopoli tenebant.Hæc omnia iuſtè acta ſunt.

Quod autem Romani Epiſcopi fingũt, Petro datam eſſe authoritatem regna mundi,vel occupandi, vel aliis tradendi, & à Petro ſucceſſores , eam authoritatem habere, id commentitium eſt. Quia Apoſtolis traditum eſt miniſterium Euangelicum,ſine poteſtate politica,iuxta dictũ: Reges gentium dominentur eorum , vos autem non ſic. Rectè igitur dicitur,Carolũ,iuſtis modis, Italia, & Imperij dignitate potitum eſſe,iure belli, & via tranſactionis.

Cúmque Deus det victorias , dicendum eſt, diuinitùs factam eſſe tranſlationem,& congruere hunc euentum ad dictum Danielis:Deus transfert,& ſtabilit regna:Nec minor fuit Italicæ nobilitatis authoritas, in eligendo Imperatore , quàm alibi Byzantinorum. Nec pontificia renunciatio tribuit Imperium : ſed eſt publica teſtificatio , quæ oſtendebat hanc perſonam , iuſtam eſſe, & iuſtè potitam Imperio : Vt Paſtor Eccleſiæ non dat ſponſam ſponſo,ſed teſtis eſt legitimi coniugij. Romæ Conſulatus dabatur ſuffragiis Senatus , & militum: ſed is, qui anno proximo Conſul fuerat,publicè iudicauit, quis eſſet electus. Talia exempla multa adhuc ſunt in vſu. Hæc initio præfatus ſum,vt cogitemus ſalutarem fuiſſe mutationem Occidenti,& grati beneficium Dei celebremus, ſeruantis legitima

Imperia,& Eccleſiarum hoſpitia.Deinde & iuſtas cauſas, humano iure,conſideremus.

AVVS Caroli Magni fuit Carolus Martellus. Pater fuit rex Francię Pipinus qui moriens, regnum duobus filiis reliquit,Carolomanno,& Carolo Magno. Sed Carolus Magnus,Carolomãno fratre mortuo,anno tertio,poſtquam regnare cœperat, ſolus regno Franciæ potitus eſt. Adoleſcens ſtudioſè linguam Latinam didicit,in qua doctorem habuit familiarem, Petrum Piſanum Diaconum, Poſtea cùm veniſſet Lutetiam,Alcoinus Anglus,Bedæ auditor, erudiit eum in dialecticis, & doctrina Eccleſiæ,cuius ſummam Alcoinus contraxit in librum,qui adhuc extat:& apparet Auguſtini doctrinam ſequutam eſſe,ſicut & poſtea Hugo de ſancto Victore, & alij eum ſequuti ſunt, vſque ad Thomæ,& Scoti labyrinthos. Narrant,Alcoini conſilio conſtitutam eſſe Academiam Pariſienſem. Ego ante quoque docentium,& diſcentium cœtus,ibi fuiſſe exiſtimo.Sed ſcribitur diſciplinam, & ſtudia valdè ibi corrupta fuiſſe : & multos ibi fuiſſe magicæ impietati deditos:fortaſſis, quædam Alcoinus emendauit. Ticinenſem quoque Academiam inſtitutam eſſe à Carolo ſcribitur. Tanta fuit facundia, vt non deeſſet ei copia, & ſplendor in patrio,& Latino ſermone.Verſus etiam fecit de Rolando ſororis filio.

Tu patriam repetis,triſti nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens nos lachrymoſa dies.
Sed qui luſtra geris octo, & binos ſuper annos,
Ereptus terris,iuſtus ad aſtra redis.

Græcos legatos Græcè loquentes intellexit, ſed non reſpondit longo ſermone Græco. In collegio Oſnaburgenſi Græcum lectorem,dato amplo ſtipendio,conſtituit. Denique fundationes veterum collegiorum, quæ tunc doctrinarum ſcholæ erant,oſtendũt, eum iudicaſſe,ad Principis officium pertinere,curare, vt doctrina Eccleſiæ,& aliarum honeſtarum artium, propagetur,& rectè doceantur homines. In monaſterio Heluetico ſancti Galli,adhuc extant literę Caroli Magni,quibus addita eſt imago faciei, & pectoris in toga Romana, vnde apparet ſpeciem fuiſſe virilem & plenam maieſtatis.

Addam hic primum & cætera,quæ leguntur, de domeſtica vita,quam optandum eſſet, copioſius deſcriptam eſſe,quia domeſticę virtutes, ſunt commonefactiones,omnibus vtiles.

Bella

Bella cognoſcenda ſunt, vt mutationes generis humani, & mutationum cauſſæ, conſiderentur. Cúmque vitæ norma decalogus eſſe debeat, prima huius virtus fuit pietas. Amplexus eſt Symbola, & rectè eruditus eſt ab Alcoino Bedæ auditore, & legit ipſe Carolus multum, Auguſtini libros. Vnde conſentaneum eſt, fulſiſse in eo lucem veræ fidei, ac rectè eum inuocaſse Deum, in agnitione, & fiducia Mediatoris. Hanc inuocationem publicè oſtendit. Quandocunque enim fuit in vrbibus, acceſſit ad pſalmodiam, vt hiſtoria nominat, & vnà cecinit ipſe, & filiis & principibus diſtribuit lectiones canendas, & precationem ſuam cum piis, ſeriò coniunxit. Quàm pulchrum exemplum fuit toti orbi terrarum, tantùm Principem, acie iam dimicaturum, ſtare in templo, & ſe, & Eccleſiam, & Imperium Deo commendare, & precationem cum piis omnibus coniungere, ipſum Imperatorem, & filios virtute pręſtantes, & duces omnes cataphractos, in panopliis diſtinctis auro, & ferro, & ad cœnam Domini reuerenter accedere, vbi oſtendebant ſe, & ſeriò amplecti doctrinam de Filio Dei, & propter iuſtas cauſſas, bella gerere, & auxilium à Deo bona conſcientia petere?

Vſus eſt autem Carolus Magnus Alcuino præceptore, non tantùm in doctrina ſacra, ſed & tota philoſophia, in qua didicit diligenter cum alia, tum verò imprimis doctrinam motuum cœleſtium, ac numerorum. Nam & ephemerides eum computaſſe ſcribunt, & anni menſibus, & ventis nomina impoſuit: quorum aliqua huc vſque vſus retinuit. Eſtque omnino domeſtica eius vita, pietatis erga Deum, & parentes, philoſtorgiæ erga liberos, temperantiæ, & aliarum virtutum: publica autem, veræ & non ſimulatæ pietatis erga Deum, & ardentis ſtudij erga religionem Chriſtianam, & Eccleſiam, ſapientiæ itém, & fortitudinis, iuſtitiæ, clementiæ & beneficentię erga pauperes inſigne exemplum.

Bella geſſit plurima, & maxima, & inter hæc lõgiſſima, & difficillima, Saxonicum, & contra Hunnos. Cùm ergo, patre Pipino extincto, octauo Calendas Octobris, anno ſeptingenteſimo, ſexageſimo octauo, partitus eſset cum fratre Carolomanno, regna paterna, Sueſſione frater, Wormatiæ ipſe conſedit. Primum bellum geſſit contra Aquitanos, relictum à Patre Pipino; vbi reliquiæ Gottorum, odio Imperij Francici, nouis ſubinde rebus ſtudebant, ſollicitante tum eos, ad defectionem, Principe Hu-

noldo, Aquitaniæ Duce. Hunc fugientem ad Lupum, Vaſconium Ducem, cum, miſſis legatis, tradi ſibi poſtulaſſet, Lupus & illum, & ſeſe dedidit. Amiſit autem paulò poſt Carolomannum fratrem. Anno Chriſti, ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo primo: cuius vxor Berta, cum filiis, conſilio Adomari cuiuſdam, fugit in Italiam, ad Deſiderium regem Longobardorum, vel odio, vel metu Caroli : quæ res in magnam ſpem erexit Deſiderium, antea cupidum & vrbis Romæ, & Imperij in Italia, poſt eiectos Exarchos, & metuentem Francos, quorum cum Romanis coniunctio, ei non poterat non eſſe ſuſpecta. Perfecturum enim ſe confiderat, vt Carolomanni filij, reges Franciæ à Pontifice renuntiarentur. Id ſi fieret, ſperabat aut Francos, ad hos, à Carolo ſponte defecturos, aut bella inter vtroſque inteſtina exoritura eſſe, quibus inter ſe colliſa frangeretur potẽtia Francica. Cùm itaque aliquantò ante, Paulum Auiartam, Græci Imperatoris cubicularium incitaſſet, ad repetendum Imperium vrbis Romæ, & ſæuitiam in ciues exercendam, & Epiſcopatus Rauennatenſis conſtitutionem ſibi ſumeret, his verò nihil ſe proficere experiretur: offert ſe ad fœdus cum Pontifice, & Romanis ineundum, & petit à Pontifice, vt Carolomanni filios, reges Franciæ renuntiet. Vtrumque recuſante Pontifice, fiducia auxiliorum, Deſiderius rem, aperto bello aggreditur.

Hæc cauſſa fuit, & occaſio belli Lõgobardici. Euocatus enim à Romanis Carolus ad vrbis Romanæ defenſionẽ, primò, miſſis legatis, hortatur, & rogat Deſiderium, vt abſtineat ab Exarchatu, & omnibus iis, quæ eſsẽt Romanorum, & parcat vrbi, reddat etiam occupata: quibus, cùm ille nil moueretur, Carolus irritatus, conuertit partem apparatus bellici, quem in Saxones inſtruebat, contra Deſiderium, & tranſmiſſis Alpibus, deſcendit in Italiam, vbi cum Deſiderio, apud Vercellas congreſſus, hunc acie victum, in fugam coniecit. Deſiderius diffidens rebus ſuis, Adalgiſium filium, cùm Carolomanni coniuge, & liberis, Veronam collocat, ipſe Ticinum munit: ibi Carolum, & belli euentum expectaturus. Concluſum ergo intra Ticinum Deſiderium, Carolus obſidet, cúmque produceretur obſidio, menſe ſexto, relicto ad Ticinum Bernhardo patruele, ipſe copiarum partem Veronæ admouet. Hanc ſtatim capit deditione, Adalgiſio Deſiderij filio clàm fugiente ad Imperatorem Græcum, metu Bertæ coniugis Carolomanni, quæ vrgebat, vt fieret deditio. Potitus ergo Vero-

Verona, & magna parte ditionis Longobardorum, Romam proficiſcitur, vbi, quod Italiam vindicaſſet in libertatem, & vrbi à metu Longobardorum liberatæ, defenſionem præſtitiſſet, ac porrò ſe præſtiturum recepiſſet, denique Pipini patris donationem ſanxiſſet, vt Imperatoriæ dignitatis fieret capax, inter patricios aſcriptus eſt. Collata quoque tunc eſt in eum, authoritas omnis Imperatoris propria, & ipſius etiã Pontificis creandi poteſtas. Sed nec dignitatem accepit, nec titulum vſurpauit, nec poteſtatem exercuit Imperatoris, ante debellatos tota Italia Longobardos, & factam cum Græcis tranſactionem.

Reuerſus ad obſidionem Ticinenſem, decimo tandem menſe vrbem cepit, peſte intus, & fame grauiter afflictam, & Deſiderium regem, cum coniuge, & liberis comprehenſum, relegauit Leodium, vbi in exilio mortuus eſt. Etſi autem Adalgiſius aliquantò poſt, adiutus auxiliis Gręcis, repetere patrium regnum conatus eſt, tamen à Francis repulſus, & interfectus eſt.

Hic finis fuit regni Longobardorum, in Italia, quod durauit annos ducẽtos quatuor, gubernatum à regibus diſſimilibus: inter quos aliqui excelluerunt virtute: aliqui cùm crudelitatis, iniuſtitię, auaritiæ, & parricidiorum ſuorum dederint pœnas, teſtimonia præbent irę diuinę, aduerſus iniuſtos, & Tyrannicos conatus. Deſiderius appetens aliena, amiſit ſua. Italiam oppreſſurus, ipſe in ſeruitutem venit, regno exutus, iuxta dictum: Vę qui ſpolias, quia ſpoliaberis. Etſi autem Carolus potitus regno Longobardorum, regem ſuſtulit: tamen, nec gentis nomen, aut ſedem mutauit, nec cęteris eiuſdem gentis Ducibus, vt Spoletano, Eporegienſi, & Foroiulienſi, ea, quę tenebant, eripuit. Exarchatum autẽ, nomine mutato, appellauit Romandiolam, vt tota memoria Imperij Græcorum, in Italia, deleretur. Incidit hæc mutatio in annum Chriſti, ſeptingenteſimum, ſeptuageſimum tertium.

Longobardico bello perfecto, rediit Carolus in Germaniam, & totũ ſeſe ad bellum Saxonicum conuertit, quod, ante expeditionem Italicam, inchoauerat, anno Chriſti, ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, deuictis magno prælio, & fugatis Saxonibus, ad fõtes Lupię amnis. Cauſſa belli Saxonici, pręter eas æmulationes, & odia, quæ ſolent eſſe inter vicinas gentes, ex ſuſpicione, & metu creſcentis potentiæ, pręterque contentiones de finibus, fuit religionum diuerſitas; Francis Chriſtianam, quam etiã amplexi,

Saxonibus Ethnicam veterem mordicus retinentibus, ac tuentibus. Sæpe itaque armis petitus, ſæpe iniuriis laceſſitus Carolus magnus, à vicinis Saxonibus, tandem in bellum Saxonicum, quod etiam à patre, & auo geſtum fuerat, totis viribus incubuit. Hoc bellum longum fuit, ac difficile. Durauit enim annos totos triginta tres, Saxonibus, ad quaſcunque defectionum occaſiones, bellum reparantibus. Etſi autem Saxones, irruptionibus crebris, & ſubitaneis, ſæpe & terruerunt Francos, & quæ horum erãt, diripuerunt, tamen vt plurimùm virtute Francorum, qui ad limites in excubiis erant, repulſi, ſuccubuerunt. Bis tantum iuſto prælio inter eos decertatum eſſe ſcribitur, Frãcis, ipſos Carolo Magno duce, victoribus, & quidem vno menſe, paucorum dierum interuallo. Vno ad montem, cui ſacellum poſtea impoſitum, memoratur, diuini auxilij nomine: altero ad fluuium Haſam, vtriuſque prælij locum adhuc hodie incolæ monſtrant. Excurſiones verò, & velitationes, quæ crebræ fuerunt, multos vtrinque pręſtantes viros, mutuis cędibus confectos, peremerunt.

Apud Saxones, præcipua fuit potentia Widechindi Ducis Angriuariorum, qui imperauit terris ad Viſurgin, vir animi magnitudine, ac robore, arte & vſu belli, conſiliorum celeritate, ac promtitudine præſtantiſſimus. Hunc non tam aduerſa belli fortuna, quàm ſua lenitate, ac manſuetudine expugnatum, imo delinitum potius, cum in ſuas partes, & ſuam de religione ſententiam, tandem pertraxiſſet, quod factum ſcribitur Bardouici, reliquum huius belli, non magno negotio confecit, per Duces ſuos, edomitis, ac ſubactis reliquis, qui mutationi religionis, quã Carolus moliebatur, aduerſabantur. Quoſdam ex his, pertinaci ſtudio ſuæ religionis, & odio Imperij Francici, exilij ſpõtanei gratia, mutato ſolo patrio, traieciſſe in ea ſeptẽtrionis lo ca reperio, quæ ſunt Boruſſorum. Poſt Vvidechindum, celebrant hiſtoriæ Albionem, qui ad Albim fluuium, & Hercynię iuga ſedes habuit, & Imperium. Horum Principum familiæ fuerunt tunc præcipuę, in Saxonia inter eas quę celebrantur, numero duodecim. A Vvidechindo propagati ſunt Henrici duo, Auceps & Bambergenſis: Ottones tres. In eundem referunt originem Ducum Saxoniæ, & Marchionum Miſnenſium, quos à Vvidechindo, eius filio, deriuant. In Italia, Ducũ Sabaudiæ, vbi olim habitarunt Allobroges; & Marchionum montis Ferrati. In Gallia regum, qui nunc rerum potiuntur; numerata origine

gine

gine ab Hugone Capeto,per annos quingentos , Albionẽ nonnulli faciunt Principẽ eius familiæ,quæ nũc eſt Principum Aſcaniæ,quæ hanc totam oram Albi,& iugis Hercyniæ vicinã,poſſedit, & fortiter defendit armis, amplius ſexcentis annis ; & diu potentia, ac rebus bello feliciter geſtis,claruit:ex qua ſe familia ortos,gloriantur, nobiles Vrſini in vrbe Roma:quod valde veriſimile eſt, cùm non ſit dubium, cùm ab aliis Imperatoribus alibi,tùm à Cõrado tertio,Pręfectum Hetruriæ datum eſſe,ex hac familia. Alij verius inferunt eum poſteritati Sighardi, & tradunt patruelem fuiſſe Vvidechindi primi, natum Edelhardo patre,qui frater fuit Vvernerchini, patris Vvernechini. Vtriuſque Edelhardi, & Vvernechini, patrem Dittericum nominant,Sighardi filium.Reliquæ Principum in Saxonia familiæ,interierunt,& quæ nunc dominantur, aut nouæ ſunt,in his terris,atque inſititiæ,aut Henetæ.

Carolus Magnus ergo,deuictis,inter initia belli,Saxonibus,duobus præliis,paulatim progreſſus, vt de vero Deo gens Saxonica rectè doceretur, & aſſuefieret ad veram Dei inuocationem,cuius rei cauſſa bellum tãtum ſuſceperat,deſtruxit,& ſuſtulit idola,in aliis locis alia,ad quæ fiebant concurſus,& cõdidit Eccleſias,quarum curam & gubernationem commendauit Epiſcopis,viris piis & ſanctis. Primò vltra Viſurgin,occidentem verſus peculiarem Epiſcopum collocauit Oſnaburgi:citra Viſurgin aliũ,in oppido,quod nominant hiſtorici, Selingſtet. Vnde poſtea ſedes Epiſcopalis tranſlata eſt Oſtervvigum , & inde Halberſtadium. Ac memor dicti Eſaiæ,Reges erunt nutritores tui,Eccleſiis attribuit certos reditus,quibus Epiſcoporum & miniſtrorum Eccleſiæ, & aliæ pauperes familiæ alerentur. Id factum ſcribitur, circa annum Chriſti,ſeptingenteſimum,ſeptuageſimum ſextum.Conſtituit aliquantò poſt,plures Epiſcopos alibi,extructis , ac diſtinctis Eccleſiis,& reditibus deſtinatis,vnde ſuſtentarentur: vt Padebornę,vbi audiuit Legatos miſſos ad ſe à regibus,ex diuerſis partibus orbis terrarum. Item in oppido Mingeroda,de cuius tranſlatione extitit Monaſterienſis: Hildeſij: Bardouici, vnde Werdam commigrauit.Adiunxit autem docentium,& diſcentium,collegia, ſicut adhuc teſtantur diſtincta Canonicorum nomina , quæ illi,omiſſa cura rerum,& officiorum , quæ titulis honeſtiſſimis profitentur, & oſtentant,ſolam vmbram veteris conſtitutionis,& conſuetudinis,cum opum poſſeſſione , retinuerunt:& populo,

terriculamentis vanæ, falſeq; ſuperſtitionis faſcinato, pro ſalutari doctrina, in templis, theatrica ceremoniarum ſpectacula obtruſerunt? quæ fuerunt ſuperſtitionis nerui. In collegio Hildeſiano ſcribunt educatum eſſe, & inſtitutum Henricum ſanctum. Bremenſem Eccleſiam condidit, anno à nato Chriſto, ſeptingẽteſimo, octogeſimo octauo, cui Epiſcopum præfecit Wilhaldum natione Anglum. Mindenſem aliquantò ante, fundaſſe memoratur: anno ſeptingenteſimo, octogeſimo quinto, quò Widechindus, depoſita cum armis ſuperſtitione Ethnica, ſuſcepit profeſſionem religionis Chriſtianæ.

Sed huius belli tempore, quod productum eſt in annum Chriſti, octingenteſimum octauum, multò geſſit alia bella difficilia, & magna, cõtra Saracenos, qui occupatas Hiſpanias fuerant partiti in duo præcipua regna, ſedibus conſtitutis Cordubæ, & Illyberi, quam hodie Granatam vocant, & ſæpe Galliam ante tentarant infeſtis armis. Contra illos ergo magnum duxit exercitum, comparatũ ex Francis, Longobardis, & Italis, anno ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo octauo, ac recepta Pompelone, præcipua Vaſconũ vrbe, congreſſus cum Saracenis, ac victus, amiſit quadraginta milla hominum. Cecidit in eo prælio, Milo Anglerius, Rolandi pater. Poſt reparato, & aucto exercitu, denuò cum illis conflixit, in quo conflictu cum Saracenorum dux Egolandus, interfectus eſſet, Carolus, diſſipatis reliquiis Saracenici exercitus, totam citeriorem Hiſpaniam vſque ad Berim fluuium recepit. Paulò poſt, copiæ Francicæ, perfidia Vaſconum, denuò à Saracenis circumuentæ, magnam acceperunt cladem: in qua Rolandus filius ſororis Caroli, ſiti extinctus eſt, cùm quidẽ inter præclara eius dici facinora, ſua manu iugulaſſet Maſurium ſummum ducem exercitus Saracenici. Hunc Rolandum quanti fecerit Carolus Magnus, indicant verſus epitaphij ſupra recitati, quibus mortem eius deplorat. Vltus eſt hanc perfidiam in Vaſconibus. Carolus grauiſſimè, & repulſis Saracenis, quæ in Hiſpania ſubegerat, pręſidiis cõfirmauit.

Debilitati hac ſtrage Saraceni, etſi nullas poſtea vindicandæ cladis, & recipiendę Hiſpanię, occaſiones prætermiſerunt, tamẽ nihil profecerũt. Paulatim enim ſeſe erexit rurſus, & prompſit Gottorum virtus, qui non paſſi reſpirare Saracenos, dum inter ſe Franci dimicarunt, interea armis repetiuerunt illa, quæ occupata olim à Saracenis, & recepta recẽs à Francis, non ſatis firmo pręſidio, contra

barbaros

barbaros defendebantur. Cùm autem plures eſſent Gottorum principes, factum, vt cùm ſinguli in iis, quæ occupaſſent, regna conderent, Hiſpania in plura ſit regna diuulſa, quę tandem ad vnam regum Tarraconenſium ſtirpem redierunt.

Hiſpanico bello confecto, cùm reliquię Longobardorum in Italia tumultuarentur, Carolus ingreſſus in Italiã cum exercitu, bellum intulit Agariſo Duci Beneuentano qui ſtatim, vt de aduentu Caroli cognouit, præmiſſis obuiam filiis Rimoldo, & Grimoldo, ſeſe in fidem eius tradidit. Ita pace impetrata, ſeſe, & ſua conſeruauit, filióque natu minore relicto apud Carolum obſide, alterum, beneficio victoris, recepit. Scribunt, & ante Hiſpanicam expeditionem, Carolum Longobardos in Italia tumultuantes compeſcuiſſe: & Foroiulij ducem capite truncaſſe, vt exemplo cæteri à defectione exterrerentur, ac deinceps Romam profectum eſſe, ſacrorum cauſſa, ducta eò ſecum coniuge, & liberis.

Inde reuerſum bellum Bauaricum excepit, quod mouit Taſſilo rex Boiorum, gener Deſiderij regis Longobardorũ, metu imminentis ex propinquo potentiæ Francicæ, & perſuaſu coniugis, quæ maritum inſtigabat, vt patrem è carcere vi, & armis extractum, reduceret in regnum. Carolus ergo occurrit Taſſiloni duobus diſtinctis exercitibus, quorum vnum duxit Pipinus filius, per Iulias & Carnias alpes. Hac celeritate territus Taſſilo pacem petiuit & impetrauit. Factam pacem ſcribunt Auguſtæ Vindelicorum, ad Lycum amnem, qui diſtinxit Alemannos à Boiis. Sed non multò poſt Taſſilo, violatis pactis, & fœdere inito cum vicinis Hunnis, & Auaris, renouauit bellum: in quo non deſtitutus tantùm, ſed inſuper accuſatus etiam à ſuis, violatæ fidei, ac Carolo traditus, lege Salica condemnatus eſt ad regni abdicationem. Carolus ergo, regno mulctatum, vnà cum filio Dedone, vt nouarum conſpirationum, ac molitionum occaſiones omnes, vtrique adimeret, in monaſterium vtrumque incluſit, quod adhuc, non procul ab Heidelberga, nomẽ Laureaci retinet. Ita Taſſilo, metu & vindictæ cupiditate, moto non neceſſario bello, in ea ſeſe pericula coniecit, quæ depellere voluit: ſicut ſæpè, quæ arcere, aut elidere conantur homines mala, intempeſtiuis conſiliis his ea attrahunt, & accelerant in ſui, ſuorúmque perniciem. Regno excuſſus, pœnas dedit tentatæ vindictæ priuatæ, & perfidiæ, ad ſeditioſorum conatuum, iuxta au-

ctum : Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de bellis non neceſſariis, præclarè Pindarus inquit: ἔα μάχαν, ἔα πόλεμον χωρὶς θεῦ.

Hic finis fuit regni Boiorum, quod cœpiſſe ſcribunt, anno à nato Saluatore, quingẽteſimo, quinquageſimo ſexto, quo Hunnorum irruptiones, præcipuas Europæ gẽtes, ad arma concurrere, & immanem ſæuitiam à ceruicibus ſuis depellere, coëgerunt. Et cœpiſſe quidem, cum Adalgerio primo Boiorum rege, deſiiſſe autem longa ſucceſſorum ſerie in hunc Taſſilonem, anno Chriſti, ſeptingenteſimo, octogeſimo octauo. Durauit ergo annos trecentos, triginta duos. Bauarorum nomen, ſunt qui exiſtimant compoſitum eſſe, ex Boiis, & Auaris, quos Carolus, deuictis, ac depulſis Hunnis, regioni Boiorum adiecit. Tenuit autem Bauariam poſteritas Caroli Magni, vſque ad Ottonẽ primum, qui eam fratri Henrico tradidit, cuius Henrici nepos fuit Henricus ſanctus, qui cum ſobole careret, coniugis Cunigundæ fratrem Henricum, Bauarię impoſuit, quo extincto rediit Bauaria ad Henricum tertium Imperatorem. Hũc quæ ſunt ſequutæ mutationes, ſuo loco dicetur.

Poſt euerſum regnum Boiorum, Carolus ſuſcepit expeditionem in Sorabos, qui eam regionem, quæ nunc eſt gentis Myſorum, ad montes Sudetos, & ad Albim, ac Salam flumina tenuerunt : vltráque hæc progreſſi, crebris incurſionibus deuaſtarunt Saxoniam & Turingiam, atq; in his terris multa occuparũt. Ab hoc bello retractus eſt ad defenſionem regni Boiorum, recèns occupati, contra Hunnos, & Auares : qui ex fœdere, & pacto cum Taſſilone rege, ſupra Amaſum fluuium, qui limes fuit Böiorum, & vicinorum Hunnorum, atque Auarum, ductis exercitibus, terram Boiorum cœperant depopulari. Hos octo annorum continuo bello, primùm debilitatos, tandem edomitos, & toto eo tractu, quem incolebant, Boiis vicinum, ſummotos, depulit vltra Artabonem amnem, qui antiquitus ſuperiorem Pannoniam, ab inferiore diſcreuit. Primo belli anno, qui fuit annus Chriſti, ſeptingenteſimus nonageſimus primus, maximam partem nobilitatis Hunnorum, felici prælio, deleuit, cui ipſe, & affuit, & præfuit: reliquis ſeptem annis, adminiſtrationem rei bellicæ commiſit Ludouico filio.

Hoc bello victor, Pannoniam ſuperiorem conſtituit limitem regni ſui, verſus orientem, contra Hunnos, & Auaros: cúmque Germaniam Galliæ coniunctam, in duo diſtinxiſſet

ſtinxiſſet regna, illud quod ad Galliam pertinuit, vocari cœptũ eſt, Germanico nomine, Weſtreich, id eſt, occidẽtale regnum: hoc, quod Orientem ſpectauit, Oſterreich, id eſt, orientale regnum: cuius cùm limes eſſet, verſus ortũ, recèns Hunnis erepta Pannonia, abolito Pannoniæ nomine, tractus ille dici cœpit Marckoſterreich, id eſt, limes regni orientalis. Ex appellatione Germanica Oſterreich, factum eſt nomen Auſtriæ. Sed Marchię nomen, cum dignitate mutatũ eſt in ducatum, multò poſt à Friderico primo Imperatore. Ante hanc mutationem, rexerunt eam terram Marchiones, qui Latinis ſunt Præſides limitum: inter quos, hiſtoriæ primùm celebrant Leopoldum, cognomento illuſtrem, ex familia ducum Sueuię, & Alberti comitis Bambergenſis, temporibus Henrici Aucupis. Ex prioribus pauci nominantur, & ſine commemoratione rerum ab ipſis geſtarum. Huius Leopoldi ſtirps, cùm defeciſſet, Rodolphus Hasburgenſis Imperator, ducatum Auſtriæ tradidit filio Alberto, à quo origo eſt ducum Auſtriæ hoc tempore.

Pannoniam ſuperiorem, poſtquam Romani occuparũt, dederunt eam incolendam duabus legionibus Germanis, vndecimæ, & decimæ quartæ: & conſentaneum eſt, partem eius etiam tenuiſſe veteres Gottos. Fuiſſe autem Germanos veteres Pannoniæ citerioris, vel ſuperioris colonos, multorum locorum appellationes teſtantur, quę planè originem Germanicam referunt. Nomẽ Budę prorſus idem eſt cũ Germanico *Baden*, factum à vicinis Thermis, quarũ circa Budam magna copia, & varietas eſt, & congruit appellatio cum Vngarico Peſten. Veſprinum Vngari nominãt, quod Germani dixerunt, *VVeisbrun*, ab albo fonte, qui adhuc eo in loco, ſub arce Epiſcopi, oſtenditur. Vlteriorem Vngariam tenuerunt Gotti.

Hunni ergo, duce Attila, infuſi à ſeptentrione, Gottos oppreſſerunt, ſed Attila mortuo, rurſus à Gottis excuſſi, pars eorum remigrauit in patriam veterem, pars in Vngaria remanſit, ſuſcepto imperio Gottico. Dominati itaque ſunt Gotti in Pannonia rurſus, vſque ad Juſtinianum Imperatorem, annis poſt Attilam amplius centum.

Sub Juſtiniano, reuerſi Hũni, cum ſociis, ſeu Auaris, ſeu Juuaris, quorum vetus patria vltra Rha fluuium, & ſupra Caſpium mare verſus ortum, & ſeptentrionem veteri nomine adhuc hodie nota eſt, Pannoniam denuo ſubegerũt, Gottis partim deletis, partim intra montana compulſis, &

finibus prolatis per Pannoniam ſuperiorem, vſque ad Amaſum fluuium.

Tenuerunt autem Hunni, & Auari Pannoniam, vſque ad Carolum magnum, cuius Imperio, & ordinatione, ſuperior Pannonia Marchiæ nomen accepit, cum regni Orientalis adiectione: hinc Auſtrię nomen profectum eſt, quæ complectitur hodie Pannoniæ ſuperioris partem, & Noricum Ripenſe.

Marchiam Styriæ, tunc etiam cõſtitutam eſſe exiſtimo, partim cõtra eoſdem Hunnos, partim contra Græcos Imperatores, & ſubiectos his, Illyricos, ac Dalmatas. Quæ verò, deductis ex Saxonia colonis, à Carolo, in Daciam quæ nunc Tranſſyluania eſt, feruntur, fabuloſa ſunt. Tranſſyluanos enim Dacorum, & Gottorum veterum reliquias eſſe, non dubito: quibus acceſſiſſe coniicio, Pannoniæ ſuperioris colonos Germanos, quando pulſi ab Hunnis, & Auaris, nouas ſedes quæſiuerunt.

Fracti hoc bello Hunni, & Auari, quieuerunt, vſque ad Ludouicum, Arnolphi filium, quo imperante, denuò inſtauratis viribus, & irruptionibus aliquoties iteratis, Germaniæ, Italiæq́ue, cædibus, incendiis, ác direptionibus, dãna maxima, & detrimenta intulerunt: donec aliquot funeſtis cladibus grauiter afflictos, ab Henrico Aucupe, & Ottone primo, & iam ex longa cum vicinis conſuetudine manſuefactos nonnihil, & aliquo Chriſtianæ religionis guſtu imbutos, tãdem Henricus ſanctus, fœderibus, ac ſocietate cum Imperio coniunxit. Stephanum enim ducem eorum, regio diademate ornatum, poſt conuerſionem ad fidem Chriſtianam, affinitate ſibi deuinxit: data ei in vxorem ſorore Giſela, & dotis loco, addita parte Pannoniæ ſuperioris, infra Leucam amnem, vbi ſita ſunt oppida, Piſonium, Sempronium, Odenburgum, & alia.

Huius belli tempore, ſcribunt, Carolum deliberationes habuiſſe, de coniungendis Danubio, & Rheno, flumine Alemanno, qui Danubio miſcetur, ducto in Regneſſum, qui in Mœnum influit: Mœno tãdem ad Moguntiam in Rhenum ſeſe effundente: ſed operis impoſſibilitate coactum, tandem ab incepto deſtitiſſe.

Poſterior aliquantò fuit, ſuſcepta à Godefrido Danorũ rege, expeditio aduerſus Carolum. Sed Godefridus, cùm poſt occupatam Friſiam, comperiſſet Carolum accelerare ad huius defenſionem, regreſſus cum claſſe, a ſuis eſt interfectus. Carolus ergo, inſequendo hoſtem fugientem, pro-

greſſus

greſſus eſt ad Nordalbingos vſque, qui nunc Holſati ſunt, & Ditmarſi, ſic dicti, quod vltra Albim ad ſeptentrionem habitent. Referunt autem hæc in annum Chriſti, ſeptingenteſimum, nonageſimum octauum. Anno proximo ſequente, cùm Romanis inuolantibus in ea, quæ erãt Imperij, Leo Pontifex ſeſe opponeret, vim prohibiturus, exortus eſt in vrbe Roma tumultus in quo Leo Pontifex male mulctatus, & in carcerem detruſus, cùm opera Albini cubicularij, inde euaſiſſet, confugit ad Carolum in Saxoniã, tunc cum exercitu hærentẽ ad Padebornam. Carolus cognitis querelis Pontificis, iuſſit eum præcedere, ipſe cum exercitu ſequutus, venit Romam, octauo Calendas Decẽbris, anno octingenteſimo. Ibi compoſitis controuerſiis, & tumultibus ſedatis octauo Calendas Ianuarij, id eſt, ipſo die natalis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Imperator Romanorum renunciatus eſt à Leone Põtifice, populo his verbis acclamante; Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno, & pacifico, Romanorum Imperatori, vita & victoria.

Tenuit Imperium Orientis tum ſola Irene, mater conſtantini, qui à Leone Iſauro quartus fuit. Hæc, cùm filia primum conciliaſſet nuptias filiæ caroli Magni, & fœdera, cum Francis feciſſet, poſtea irritata iniuriis filij, excæcatũ eum incluſit in monaſterium, ac ruptis fœderibus, incitauit reliquias Longobardorum, ſuis copiis adiunctis, vt ex Italia Francos appellerent. Sed re infeliciter tentata, cum Carolum, confirmata potentia, videret Italia potiri, miſſis legatis, tranſegit cum eo, & totum Occidentis Imperiũ ei conceſſit, coniugio inſuper promiſſo: quod indignè ferens Nicephorus, excuſſa Irene, rapuit Imperium Orientis: ſed mox, eodem modo, cum carolo tranſegit, Salisburgi, vt quod occuparat Imperium Occidentis, retineret. Hæc pacta poſtea renouauit Michael curopalates, anno octingenteſimo, duodecimo, qui Nicephoro acie victo, & cæſo a Bulgaris, ſucceſſorem eius, Stauratium filium Imperio exuit. confirmauit eadem Ludouico, filio caroli, Leo Imperator, poſt Michaelem. Ita carolus Magnus factus eſt Jmperator Occidentis: primùm iure belli: occupata armis Jtalia, & vrbe Roma, Longobardorum regno deſtructo, & pace reſtituta, atque legibus, ac præſidiis cõmunita: deinde tranſactione cum Imperatoribus Græcis, qui, vt veri domini, omne ius, quod habuerunt in Jmperium Occidentis, carolo conceſſerunt. Neque enim accepit Imperium à Pontifice, cuius renuntiatio, neque ele-

ctio fuit, neque traditio: ſed declaratio ſaltem, quod Carolus eſſet verè Imperator, iure belli, & cõceſſione Imperatorum Oriẽtis, cõſenſúque & ſubiectione populi Romani. Nec Pontifices in vrbem Romam, iuris quidquã ſibi vindicaſſe, aut vſurpaſſe tunc, ſed ea tãtum, quæ ad res ſacras pertinerent, procuraſſe, prodiderunt omnes.

Eſt autem Carolus Magnus, vnus inter ſummos, & ſalutares Monarchas orbis terrarum, qui excitatus, & adiutus diuinitus, Imperium Occidentis, poſt vltimi Valentiniani cædem, à diuerſis gentibus appetitum, tentatum, & horribiliter laceratum, primus reſtitui, ceu de collectis tabulis, ex naufragio trecentorum annorum, & legibus id conſtituit, ac ſanciuit, coniunctis Germania, Gallia, & Italia, & cõparata potentia, quæ par eſſet vicinis hoſtibus, ex omni parte: Saracenis tenentibus Hiſpaniam vltra Iberum, verſus occaſum: Sclauis accolentibus Albim, & Salam, ad ortum, & ſeptentrionem: Hunnis, & Auaris ad ortum, & meridiem: quas gentes omnes, cũ opprimere non poſſet, fractas tamen, repreſſit, ác domuit, & hac potentia oppoſita, intra certos limites coërcuit: nec pacem tantùm reddidit Occidenti, ſed quod multò magis eſt, & tãto Principe dignius, deletis idolis, Eccleſiam filij Dei propagauit, & templis conditis, conſtitutis doctorum virorum collegiis, ordinatis Epiſcopis, ac deſtinatis reditibus, vnde hi viuerent & alerentur, perfecit, vt homines rectè de Deo docerentur, & ad veram Dei inuocationem aſſuefierent.

Sexto anno, poſt acceptum Imperium, cùm bellum Saxonicum, anno præcedente, finiuiſſet, filiis hæreditaria, & acquiſita regna, teſtamento diſtribuit.

Habuit autem vxores plures; primam, Hermingardin filiam Deſiderij regis Longobardorum, quam repudiauit: ſecũdam Hildegardin, natam ex nobili familia Godefridi ducis Alemannorum, quæ, cùm peperiſſet ei filios tres, Carolum, Pipinum, & Ludouicum, & quatuor filias, mortua eſt pridie Calendarum Maij, anno ſeptingenteſimo, octogeſimo tertio. Poſt Hildegardin, duxit Faſtradam, filiam comitis Francorum, quę deceſſit quarto Idus Auguſti, anno ſeptingenteſimo, nonageſimo ſecundo, & ſepulta eſt Moguntiæ, in templo ſancti Albani. Ex hac nata ei ſcribuntur filię duę. Poſt Faſtradam, duxit Luitgardam Alemannam.

Suſcepit & naturales liberos plures, ex concubinis diuerſis, quorum Pipinum gibboſum, propter conſpirationem, ini-

ſinitam cum quibuſdam,cõtra ipſum,coniecit in monaſterium. Ex legitimis filiis, Ludouicum Galliæ, & citerioris Hiſpaniæ:Pipinum Italiæ: Carolum Germaniæ regem fecit, qui contra Sorabos profectus, rege eorum Miloduco cæſo,arces extruxit ad Albim,& Salam.

Extat in hiſtoriis,forma teſtamenti Caroli Magni,in quo filiis præcipuè curam Eccleſiarum commendat. Sed filiorum duo,viuo patre, deceſſerunt ex hac vita:Pipinus octauo Idus Iulij,anno octingenteſimo, decimo, relicto filio Bernhardo,& quinque filiabus:Carolus pridie Nonas Decembris,anno ſequenti.His extinctis,cũ Saraceni,& Mauri inuaderent Italiam,miſit ad Italiæ defenſionem, Bernhardum nepotem. In hac expeditione duæ vrbes à Saracenis captæ,& direptæ ſunt,Nicea, in Gallia Narbonenſi, & Centumcellæ in Hetruria. Alioquin, his poſtremis annis,nulla inſignia bella geſſit, contra Sclauos & Sorabos. Fuit autem terrori, & admirationi omnibus exteris regib. ita vt Perſarum rex, & Maurorum Principes expetiuerint amicitiam eius,miſſis legatis,qui ab eo auditi eſſe ſcribuntur ad vrbem Padebornam. Inter munera à Perſico rege miſſa,ſcribitur fuiſſe horologium αὐτόματον, mira arte fabrefactum,quod ſonitu tintinnabuli,horas diſtinxit,& indicauit.Id præcipuè Carolus admiratus eſt, & imitatus.

Poſt partam pacem,& munitum,contra vicinos hoſtes, Imperium, præcipuè ei curæ fuit,conſtituere Eccleſias, & regna exornare ædificiis.Extruxit ergo regias duas, vnam in Ingelsheim, vbi natus eſt,alteram Neomagi:& ad Moguntiam Rhenum ponte ſtrauit, cuius longitudo fertur fuiſſe quingentorum paſſuum.Hic pons, anno ante mortẽ eius,proximo,ſubito & fortuito incendio, intra horas tres totus conflagrauit:in cuius ædificatione totos annos decẽ, & pecuniæ ingentem vim cõſumſerat. Aquiſgrani templũ condidit,in quo ſepultus eſt.Annis, ante mortem quatuor proximis: crebris laborauit febribus, quibus grauiter afflictus,cùm ſe non diu ſuperſtitem,fore,ſentiret, accerſitum ad ſe,ex Aquitania,Ludouicum filium, Imperatorem Romanum creauit,& renuntiauit.Bernhardum ex Pipino nepotem,regem Italiæ fecit, anno octingenteſimo, decimo tertio. Tandem menſe Ianuario, anni ſequentis,ardenti febre correptus,laterum dolore,quem vocant pleuritidem, extinctus eſt,quinto Calendas Februarij, hora diei tertia, cum vixiſſet annos ſeptuaginta duos,imperaſſet quatuordecim.

Anno Chriſti Saluatoris, octingēteſimo, decimo quarto.
Anno à mundo condito, quatermilleſimo, ſeptingenteſimo, ſeptuageſimo ſexto.

Mutationi autem, quæ in orbe Chriſtiano, hoc tempore, facta eſt, ſeparatione Imperij Occidentis, ab Orientali cauſſam præbuit, præter tyrannidem, ignauiam, luxuriam, & luxum Exarchorum Græcorum in Italia, certamen de adoratione ſtatuarum, & imaginum, cultúque ſanctorum: de quo crudelia certamina fuerunt in Eccleſiis Græcis, Epiſcopis vrgentibus, & propugnantibus, Imperatoribus prohibentibus, & abolentibus cultum ſtatuarum. Leo Iſaurus enim Imperator Græcorum, abauus huius Conſtantini, qui Caroli magni filiam duxit, cultum ſtatuarum, qui ſuperſtitioſa conſuetudine paulatim inoleuerat, & iam in obſeſſis hominum animis, penitus inſederat, ac radices egerat. Illum ergo cultum, tanquam impium, & idololatricum, abrogarat, & imagines omnes, ac ſtatuas ex templis eiici præceperat, vnde εἰκονόμαχος vocatur. Extiterunt inde motus maximi, in Græcia, quod Epiſcoporum plurimi Imperatori auerſati ſunt, & has eius actiones, vt impias, calumnioſè traduxerunt. Cumque patris exemplum etiam imitatus eſſet, Conſtantinus Copronymus, Romani Pōtifices, qui alioquin Imperatores Græcos oderant, multis de cauſſis, occaſione ſumta, ex his actionibus, quas improbabant, ab Imperatoribus Græcis cœperunt paulatim, & ſeſe, & res Romanas ad Francos inflectere: quod fidem præſtare, & obedientiam Imperatoribus, quos ipſi iudicarent impiè facere, non tenerentur. Eſtque de hac re diſputatū, donec Italia tota Franci potiti ſunt, ſub hoc Conſtantino genero Caroli Magni: ſub quo certamen de cultu ſtatuarū tandem eò deductum eſt, artibus Epiſcoporum, & conſenſu Imperatoris vtriuſque, vt celebrata ſit Synodus Niceæ, quæ vocatur œcumenica, ſeptima, in qua publico decreto ſtatuæ reſtitutæ ſunt, & confirmata eſt adoratio earundem impia, & idololatrica, & anathemate ſunt notati, qui in his oppugnandis, Imperatoribus operam ſuam accommodarant. Motum & tunc eſt certamen, de pane conſecrato abiiciente ſuam naturam: quod fieri κατὰ μετάπτωσιν ſcripſit Iohannes Damaſcenus, qui prima huius noui delirij fundamenta iecit.

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVICVS ſolus, de Caroli filiis, ſuperſtes, poſt patrem, cognita patris morte, ex Aquitania reuerſus, adminiſtrationem Imperij ſuſcepit Aquiſgrani. A re-

religioſa ſuperſtitione cognominatus eſt Pius. Nam & feſta, & idololatricos cultus ſanctorum, & ſuperſtitioſas obſeruationes ordinis monaſtici, auxit: ſed patri, neq; ſapientia, neque virtute, neque induſtria par fuit: cœpitque cum hoc, non degenerare tantum, præſtantia virtutis, quę fuit in maioribus, patre, auo & abauo, Carolo Martello, ſed & authoritas minui. Venit in odium, apud Imperij proceres, propter ſæuitiam, quam exercuit in fratris filium Bernhardum, regem Italiæ, & huic coniunctos: apud filios verò, propter nouercæ molitiones, quæ patrem contra priuignos concitabat, vnde & ciuile bellum, inter patrem, & filios exarſit. Habuit enim primò vxorem, Ludouicus, Irmengardin, filiam Ingrami Andium ducis, ex qua ei nati ſunt filij tres, Lotharius, Pipinus, & Ludouicus. Hac mortua, biennio ante ſuſceptum Imperium, duxit alteram Iudittam, filiam Guelphi, primi comitis Altorfenſis, in Sueuia, ſororem Conradi, & Rodolphi Principum, ex qua ſuſcepit Carolum cognomento Caluum. Ante Imperium magnas res geſſit, præcipuè contra Saracenos, in Hiſpania. Imperio potitus, exemplo patris, primùm Lotharium regem Boiorum: Pipinum regem Aquitanię creauit: Ludouicum, minimum natu, retinuit apud ſe, ſed titulum regis Italię ei tribuit. Ea res, & quod Imperator, mox inter initia gubernationis ſuę, Danico bello implicaretur, mouit Bernhardum Italiæ regem, filium Pipini, vt arma expediret contra Imperatorem, & hunc aditu Italiæ prohibere, ac regno Franciæ exuere inſtitueret. Incendebatur autem, & aſſentatorum vocibus, quibus perſuadebatur, regnũ Franciæ ipſi deberi, & non Ludouico. Ergo Ludouicus Danicis rebus compoſitis, cum magno exercitu Italiam ingreditur. Cuius aduentu territi plerique, ex ſociis Bernhardi, diffugiunt. Bernhardus deſtitutus à ſuis, tradit ſe Imperatori, cum Pipino filio, & nepotibus ex hoc tribus, Bernhardo, Pipino, & Eriberto. Imperator eum in Germaniam abductum, & Aquiſgrani, ad capitis ſupplicium condemnatum, ſed vita donatum, oculis priuat, & in monaſterium includit, in quo paulò poſt, mœſtitia extinctus eſt. Factum id eſt anno Chriſti, octingenteſimo, decimo octauo. Alienauit hoc nouæ crudelitatis exemplum, animos multorum ab Imperatore.

Eodem anno, Normannum, Britonum præfectum, qui ſe regem appellarat per ſeditionem, acie victum, interfecit, & totam Britanniam citeriorem recepit. Bernhardo

rege Italiæ ſublato, fecit regem Italiæ, Lotharium filiũ, & ſimul Cæſarem. Vxorem ei deſpondit Irmengardin, Hugonis cuiuſdam filiam, anno octingenteſimo, viceſimo primo. Eundem poſtea in Italiam miſſum, curat deſignari, & proclamari Imperatorem à Pontifice Paſchali: quem cùm elegiſſet populus Romanus, Imperatore inſcio, ad quem electio pertinebat, Ludouicus hoc grauiter tulit, ſed placatus Pontificis deprecatione, tandem acquieuit. Oderant autem, vt dixi, Imperij proceres, prǣſertim Epiſcopi, Ludouicum: idcirco maximè, quod ex coniuge totus pendere, & de huius conſilio pleraque facere, & adminiſtrare exiſtimaretur. Propterea filios, prætextu odiorum, & clandeſtinarum molitionum nouercę, incitarunt, vt in patrem conſpirarent, & de abrogando ei Imperio conſilia caperent. Conſpirationis initium fuit in Gallia, apud Pipinum filium. Sed hæc prima incendia pater facilè reſtinxit, cum quidem filij nondum coiiſſent. Renouarunt ea autem, nõ multò poſt, & viribus in Alſatia coniunctis, patrem adegerunt eò, vt in ipſorum ſeſe poteſtatem dederet, & nouercam dimitteret. Captum patrem & aliquandiu circum ductum, Ludouicus intruſit in monaſterium Sueſſioni, anno Imperij Ludouici, decimo nono, Carolum fratrem relegauit Brumiam, quod fuit monaſterium in Lotharingia: nouercam Dertonam in Italiam. Huius tamen præclaræ erga patrem pietatis, vt multorũ deinceps aliorum ſcelerum, authores fuerunt Epiſcopi. Sed pœnas dedit Ludouicus ſæuitiæ, & ignauiæ ſuæ, & viciſſim impietatem, erga patrem, mox filij luerũt. Cùm detineretur à Lothario pater, reliqui fratres, mutatis animis, miſerti calamitatis paternæ, poſtularunt, cum magna parte procerum Germaniæ, vt dimiſſum, in Imperium reſtitueret: quod cum aut non vellet, aut metueret facere, fugiens in Galliam, bellum reparauit, fratrum conatus impediturus, ſed deſtitutus ab omnibus, ſupplex veniam à patre petiuit, & impetrauit. Ita rediit ad Imperiũ Ludouicus, anno ſequente, & cùm, filiis deprecantibus culpam, ignouiſſet, coniugem ab exilio reuocauit, quæ tandem expugnato mariti animo, perfecit, vt Carolum filium regem Neuſtrię, id eſt, Celticæ & Lugdunenſis Galliæ declararet. Cúmq; paulò poſt Pipinus, obiiſſet, relictis filiis Pipino, & Carolo, & Pipinus regnũ Aquitaniæ affectaret, auus eo in Germaniam relegato, Aquitanos Carolo iurare coëgit. Ex eo itinere, cum Ludouicus deteriùs habere cœpiſſet, nouerca metuens Lotharium

regem

regem Italiæ, conciliandi eius ſtudio, perficit apud fratrē, vt ex Italia euocato, traderet coronam auream Imperij, & enſem, & commendaret ei ſimul curam Caroli, & nouercæ. Quod indignè ferens Ludouicus Boiorum rex, denuò ſe in patrem armauit, cui pater occurſurus, cùm morbo inualeſcente, Moguntiæ ſubſtitiſſet, Ludouico ibidem reconciliatus, diem clauſit extremum, duodecimo Calend. Julij, anno Chriſti, octingenteſimo, quadrageſimo: Anno mundi quatermilleſimo, octingenteſimo ſecundo: Imperij viceſimo ſeptimo: vitæ ſexageſimo quarto, & ſepultus eſt in vrbe Metenſi, propè Hildegardin matrem.

LOTHARIVS IMPERATOR.

Extincto Ludouico Pio, inter filios ciuile bellum exarſit, funeſtum admodum, & cruentum, quod vires potentiæ Francicæ adeò attriuit, vt ex eo penè conciderint. Plus quàm centum millia hominum, in primo conflictu cecidiſſe perhibētur. Lotharius enim, occupato Imperio iure ſucceſsionis, & nominationis, quod à patre ſucceſſor eſſet deſignatus, reliquos fratres eò adigere voluit, vt Ludouicus Bauaria, Carolus Aquitania, beneficio ipſius & conceſsione contenti, à reliquo Imperio abſtinerent, & ipſi tanquam Imperatori parerent. Fratres indignè ferentes, ſe à iuſta hæreditate excludi, coniunctis armis, bellum Lothario inferunt, & hunc ad Funtanedum vicum Antiſsidorienſem, in Gallia Lugdunenſi, prælio victum, profligant, exercitu eius penè ad internecionem cæſo. Pugnatum eſt autem anno Chriſti, octingenteſimo, quadrageſimo primo, ſeptimo Calend. Julij.

Lotharius ex fuga Aquiſgranum delatus, bellum reparat: cui denuò fratres ad Argentoratum occurrunt, decimo ſeptimo Calend. Aprilis, anno ſequenti. Sed Lotharij exercitus, memoria cladis ſuperioris, dilapſus, deſertū eum fugere coëgit. Non quieuit tamen Lotharius: ſed reuocatis ex fuga, ac recollectis copiis, caſtra locat ad Maſticonem vrbem Burgundiæ. Eò accedentibus fratribus, proceres Imperij ſeſe interponentes, rem eò deducunt, conſtituta Tetrarchia, vt Ludouicus germaniam, vnde & Germanici nomen adeptus eſt, Carolus Franciàm, Lotharius Italiam cum Imperio, & in germania, quæ inter Rhenum, & Moſellā flumina ad veteres Medriomatrices, Leucos & Treuiros pertinuerunt: Pipinus, Pipini filius, Aquitaniam teneret. Hæc trāſactio promulgata eſſe ſcribitur, Verodúni, anno octingenteſimo, quadrageſimo tertio. Lotharius de-

inceps, Ludouicum filium, ſibi in Imperio adiunxit, & inſtructum exercitu, miſit in Italiam, cõtra Saracenos. Quæ, in hac partitione, Ludouico attributa fuerunt, regnum orientale: quæ Carolo, occidentale regnum dicta fuerunt: vt ab Imperio, quod Lotharius retinuit, diſcernerentur. Ea verò pars Germaniæ, quæ vtrinque regno interiecta, vtrũque, ceu limes, dirimeret, à Lotharij nomine, tum primùm Lotharingiæ cognomen acquiſiuit.

Diſtractis ad hũc modum, & occupatis ciuili bello, fratribus, peregrinæ gentes, his occaſionibus vſæ, ſeſe rurſus ex omni parte commouerunt. In Saxonia ſeruile bellum excitatum eſt, quod Ludouicus, magna celeritate, compreſſit. Normanni claſſe littus Gallicum depopulari, & per Ligerim amnem intra Galliam inuecti, penetrarunt populabundi ad ipſam vſque Pariſiorum vrbem, quibus cùm impar eſſet Carolus rex, vt regno excederent, pecunia perſuaſit. Exiſtimo autem Normannos vel partem eſſe Danorum, Cimbricam Cherſoneſum incolentium, eam ſcilicet quæ altius in Boream ſummota eſt: vel quos hodie Noruuegos vocãt, nomine à Suedis diſtincto, à ſedibus altioribus, & in ſeptentrionem longiùs porrectis. Hi primò Galliam tenuerũt, ſub Ludouico primo, & poſtea bonam eius partem occuparunt.

Nec Bohemi, Sorabi, & Marcomanni, ab ortu, & meridie, ſibi in his occaſionibus, defuerunt. Contra quos bella continenter geſſit Ludouicus Germanicus. Etiam inter ipſos fratres ſubindè recruduerunt diſſidia: vt fit, cùm ſemel in exulceratis animis, præſertim agnatorum, altiùs odia inſederunt. Lotharius bellum minitatus eſt Carolo, quod Giſebertus, Caroli Præfectus, filiã eius clam rapuiſſet. Sed, ne ad bellum res perueniret, Ludouici ſapientia præſtitum eſt. Carolus verò Pipini filios, Pipinum, & Carolum, Aquitaniæ Principatu deiectos, in monaſteria inclusit, hunc in Corbienſe, illum in Sueſſionenſe, & cuſtodia elapſos, poſtea retraxit. Carolum tandem, Ludouicus Germanicus, Epiſcopatui Moguntino præfecit.

Denique furiæ vltrices impietatis erga patrẽ, perſecutæ ſunt Ludouici filios, & ad pœnas hos adegerunt: Sicut dicitur Orphei verſu, qui, cum cõminatione, quarto præcepto annexa, congruit: ξυναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐριννύες εἰσὶ τοκήων.

Talibus nepotum Caroli diſsidiis, cùm externę gentes inuitarentur ad Imperij aggreſsionem, ac dilacerationem, paulatim [illegible] viribus, & animis, multum detrimenti rebus

bus Chriſtianis intulerunt. Neque irruptionum, & dilacerationum finis fuit, vſque ad gubernationem Saxonum, ex qua gente rurſus excitauit Deus præſtantes Principes, ad inſtaurationem Imperij penè euerſi.

Lotharius, quod intellexiſſet Romanos, incitantibus Pōtificibus, ſeu tædio præſentis Imperij, ſeu libertatis ſtudio, propendere ad Imperatores Græcos, & conſilia clandeſtina agitare, de reddenda illis vrbe Roma, cū Imperio, profectus eſt Romam, anno octingenteſimo, quinquageſimo quarto: & ſupplicio ſumto de authoribus huius conſilij, mutauit magiſtratus; & pacta vetera de poteſtate Imperatoris, in confirmando Pontifice Romano renouata, maiore ſeueritate aſtrinxit, & ſanciuit. Reuerſus ex Italia, filiis tribus regna auita partitus eſt, Ludouico Imperatore declarato, ac domino Italiæ, carolo in Galliam Narbonenſem, qui minimus natu erat, Lothario in Lotharingiā collocato. Ipſe tædio, vt exiſtimo, vitæ pręſentis, doloréque de patrato in patrem facinore, & ſenſu iræ diuinæ, ac pręſentium pœnarum, conſilio denique facinoris expiandi, Imperio ſponte depoſito, in monaſterium Brumiam, apud Treuiros ingreſſus eſt, anno chriſti octingenteſimo, quinquageſimo quinto, vbi anno ſequente, è viuis exceſſit, tertio calend. Octobris.

carolus filius, non diu poſt patrem ſuperſtes fuit. Lotharius, cùm in vxorem duxiſſet Ditbergam, ſororem Hugoborti abbatis, quem ducatui ad montem Juram, & coccias alpes præfecerat: eámque repudiaſſet, amore Baldradæ concubinæ, ſororis Guntheri Epiſcopi colonienſis: ex conſenſu Epiſcoporū colonienſis, & Treuirenſis, fratres Ditbergæ, hoc indignè ferentes, perfecerunt, vt à Pontifice propter repudium legitimæ coniugis, anathemate ſit mulctatus: cuius expiandi cauſſa Romam profectus, poſt adeptam ab anathemate abſolutionem, & nauatam fratri operam, in reprimendis Saracenis, in reditu Placentiæ, peſte extinctus eſt, ſeptimo idus Auguſti, anno octingenteſimo, ſexageſimo nono, amiſſa magna parte exercitus. Ex hac concubina Lothario nati ſunt duo filij, Lotharius tertius, & Hugo dux Lotharingiæ. Hoc Hugone nati Hugo filius & Lotharius nepos, Jtaliæ regnum obtinuerunt acceſiti contra Berengarium. Ab eodem Hugone deſcendit ſtirps comitum Lucelburgenſium, quæ produxit Imperatorem Henricum ſeptimum, & ex hoc natos Bohemiæ regem Johannem, & huius filium carolum quartum

Imperatorem,& ex Carolo natos Wenceſlaum, & Sigiſmundum Imperatores.

Ludouicus Germanicus,cum Sorabis,Bohemis, & Marcomannis, longa bella geſſit. Suſcepit filios tres, ex Hemma vxore Hiſpana:Carolomannum natu maximum, Carolum minimum,cognomento Craſſum;Ludouicum medium,& filiam Ludgardam, quæ vitam cœlibem egit, in monaſterio virginum, ad Chiminum lacum Noricorum. Poſt mortem Ludouici ſecundi Imperatoris, cùm Carolus rex Franciȩ, Italiam inuaderet, ipſe retracturus eum,ex Italia,ſuſcepit expeditionem in Franciam:inde reuerſus,vitam cum morte commutauit,Francofurti ad Mœnum,decimo quinto Calendas Septembris, anno ætatis ſeptuageſimo,anno Chriſti octingenteſimo,ſeptuageſimo ſexto, & à Ludouico filio ſepultus eſt,Laureaci,in agro Vangionum. Carolomannus filius recuperata,vt dicetur, Italia, apoplexia correptus, cùm Arnolphi filij curam Ludouico fratri commendaſſet, tandem extinctus eſt, duodecimo Calendas Aprilis,anno octingenteſimo, octogeſimo, Ottingæ:Ludouicus frater deceſſit,anno octingenteſimo, octogeſimo ſecundo,duodecimo Calend.Februarij:cùm triduo ante,decimo quinto Calend. Februarij cometa exarſiſſet.Sepultus eſt Laureaci,prope patrem. Suſceperat is filium ex Ludgarda coniuge, qui cecidit in prælio, contra Hugonem,naturalem filium Lotharij,ſupra dictum, eum ſcilicet,qui Lotharingiam graſſationibus vaſtarat. Ad tertium Ludouici Germanici filium, cognomento Craſſum, poſt Ludouicum Balbum,tandem peruenit Imperium.

LVDOVICVS SECVNDVS.

POſt Lotharij mortem, Italia penè nunquam fuit tranquilla ad Ottonem primum vſque. Nam & iis certaminibus, quæ inter Caroli poſteros extiterunt, grauiter afflicta eſt, & ad Imperij faſtigium,illis excluſis, poſtea vel extulerunt ſeſe,vel euecti ſunt,Italorum opera,diſſimiles:imò eodem tempore,interdum plures,qui,continentibus ſeſe mutuò bellis exercuerunt:denique, quicquid vltra Latium,verſus Apuliam,& Calabriam, mare attingit, direptionibus perpetuis patuit Saracenorum, negligentibus ſcilicet defenſionem illis, quibus vnum hoc curæ erat, vt ſeſe confirmarent, oppreſſis æmulis, aut exterminatis. Nec longa pax Germaniæ conceſſa eſt, quam diſcordiæ agnatorum,& irruptiones vicinarum gentium, non ſiuerunt quieſcere.

Lu-

Ludouicus filius natu maximus Lotharij,ſtatim,vt fuit à Patre aſcitus in ſocietatem Imperij,cum exercitu deſcendit in Italiam,profligaturus Saracenos, ex agro Beneuentano. Contra hos dimicauit fortiter,ac feliciter, auxilio potiſſimùm fratris Lotharij:ſed exercitu, magna ex parte, peſte,& aliis morbis abſumto,defenſionem Beneuẽti commẽdauit Adalgiſio Longobardo, Salerni principi,qui,Imperatore abſente,Græcorum promiſſis illectus,deſciuit ad Græcos,cum omnibus Samnij,Cãpaniæ,& Lucaniæ oppidis. Hanc perfidiam Ludouicus vlturus,rediit in Italiam. cúmque recepiſſet oppida,quę defecerant: Capuam verò, quæ repugnabat,obſidione ad deditionem adegiſſet: ab Adalgiſio tamen,fraude circumuentus, iurauit,ſe nec Beneuentum,vnquam venturum,nec in ipſum,ob perfidiam, animaduerſurum: ſed abſolutus iuramento, authoritate Põtificis Iohannis,Adalgiſio,fuga elapſo,in Corſicam inſulam,de ſociis Adalgiſij ſupplicium ſumſit.

Rebus in Italia compoſitis,tandem Mediolani mortuus eſt,anno Chriſti,octingẽteſimo ſeptuageſimo quarto,cùm imperaſſet annos nouẽdecim. Excelluit eruditione liberali,pietate, comitate,& beneficẽtia, & ingenij dexteritate valuit, ac celeritate conſiliorum. Geſſit & res magnas cõtra Sclauos. Cõiunx eius fuit Luitgarda filia Erychonis Welphi, qui filius fuit Welphi primi,ſeu comitis, ſeu ducis Sueuię in Altorf,cuius frater Henricus, ab Imperatore impetrauit,partem Bauariæ,vt ſuo loco dicetur. Ex hac, filiam reliquit Hermingardin, quam Carolus Caluus deſpondit Boſoni principi,atributa ei prouincia, cum titulo regis.Sororem enim huius Boſonis Richilden, ipſe Carolus duxerat in vxorem. Ex hac Hermingarde, Boſo ſuſcepit filium Ludouicum,regem Italiæ, quem Berengarius Veronæ excæcauit,de quo infra.

CAROLVS CALVVS.

LVdouico ſecundo, ſine maſculo hærede defuncto, Carolus Caluus,,filius Ludouici Pij, ex altera vxore Iuditta, quàm primùm de Imperatoris obitu cognouiſſet, exercitu comparato, tranſiit in Italiam,vt imperiũ Germanis præreptum,traheret ad Francos. Qua re animaduerſa, Ludouicus Germanicus filios duos, Carolomãnum,& Carolũ, qui poſtea cognominatus eſt Craſſus, fratri obuiam miſit, vt Italię aditu eum prohiberent: ipſe inuaſit Franciam,ſed filios à Carolo Caluo, vel muneribus perſuaſos, vel potentia territos, rebus infectis rediiſſe,

ſcribunt. Progreſſus ergo Carolus Caluus Romam, renunciatus eſt Imperator, octauo Calendas Ianuarij.

Anno Chriſti, octingenteſimo, ſeptuageſimo quinto.

Metu fratris, muniturus ſeſe amicitiis, & fœderibus, quorum præſidio firmius retineret Imperium Italiæ: Boſoni affini ſuo, deſpondit Hermingardin, filiam Ludouici Imperatoris, & ducem Italię primũ, mox etiam regem prouinciæ creauit. Berengarium verò, ac Guidonem, Romanæ nobilitatis proceres, ex veterum Longobardorum ſtirpe, alterum Foroiulienſiũ, alterũ Spoletanorum ducem fecit.

Quæ res, vt nunquam ſunt fœlicia fœdera, ſpe augendæ ſtabiliendæque potentiæ, aut ſtudio mouendi res non neceſſarias, contracta, ad opprimẽdos alios: ita poſtea exitio fuit ſtirpi Carolinæ, totámque euerſam penè radicitùs extirpauit. Italiam ſeditionibus inuoluit, à Germania, Frãciáque auulſam, de qua cùm diu contendiſſent armis vtrique, Francis excluſis, Germani recuperatam, rurſus pacarunt. Sed & Imperio tandem, & regno Francico, ſtirps Carolina excidit: & quos ad defendendam, contra agnatos, aliam, authoritate, potentiáque Carolus armarat, hi interea ſibi Imperium Italiæ, illo excluſo, acquiſiuerunt.

Reuerſus autem Carolus in Frãciam, comperta morte Ludouici Germanici, mox filiis eius, de regno paterno bellum intulit, coacto ingenti exercitu, fruſtra Ludouico, qui ex tribus fratribus, medius erat, & periculo proximus, deprecante, ne pergeret, & pacẽ petẽte. Callidè Carolus, ſuſpendes reſponſionem de pace, ſtruebat inſidias Ludouico, quibus incautum opprimeret: ſed cùm inſidiis proditis, Ludouicus periculum cognouiſſet, cum eo congreſſus ad Andernacum, prælio ſuperatum, fudit fugauítque, & fugientem inſequutus, per Lotharingiam deſertam à Francis, recuperauit amiſſa. Ita pœnas dedit Carolus, & iniuſtæ auaritiæ atque ambitionis, & moti belli non neceſſarij. Dimicatũ autem eſt, inter eos, octauo Idus Octobris, anno Chriſti, octingẽteſimo, ſeptuageſimo ſexto. Interea Carolomãnus, cum fratre Carolo, repetiuit Italiã armis, cui Imperator occurſurus, ad Veronã oppreſſus, & in fugam coniectus, ægrè euaſit. Ex ea fuga Mantuam delatus, profluuio ventris extinctus eſt, non ſine ſuſpicione dati veneni à Sedechia Iudæo medico, quẽ familiarius dilexit.

Anno Chriſti, octingenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

Anno mundi, quatermilleſimo, octingenteſimo quadrageſimo.

Cùm

Cùm tenuiſſet regnum Franciæ annos triginta ſex, Jmperium biennium. cadauer, amici, exenteratum, & aromatibus conditum, cùm ad ſepulturam in Franciam transferre decreuiſſent, putredinis virulentia coacti, Vercellis ſepeliuerunt: vnde, poſt annos ſeptem refoſſum, & in Franciam deportatum eſt. Fuit princeps auarus, inſolens, & ambitioſus, iactabundus, θρασύδειλος, infelix.

Vxores habuit duas, Richilden ſororem Boſonis, de qua dictum eſt. Alteram Hermindrudin, ex qua ſuſtulit filios quatuor, & vnam filiam. Ludouicum cognomento Balbum, cui Iohannes papa, poſt patrem, contulit in Francia titulum Jmperij. Lotharium, qui ante patrem deceſſit, carolum Aquitaniæ, carolomannum Prouinciæ duces. carolum præferocem iuuenem, Albinus athleta, in lucta, humi proſtratum, ita afflixit, perfracto dorſo, vt mox expirarit. carolomannum ſacris deſtinatum, & iam initiatum, cùm is, vitę religioſæ tędio, hac repudiata, ſacrum ordinem bello, ac direptionibus perſequeretur, pater aliquoties, fruſtra obiurgatum, tandem oculis priuauit, & in vincula coniecit. Solum ergo Ludouicũ habuit ſuperſtitẽ. Hic carolus caluus, contra Normannos, conduxit operá Widechindi Saxonis, cuius origo exiſtimatur pertinere ad illum Widechindum, quo cum carolus Magnus bellum geſſit. Præfecit eum in gallia Lugdunenſi, Andibus, ſeu Andegauenſibus. Hoc Vuidechindo procreati cenſentur reges Francici, qui annos amplius quingentos, ad noſtra tempora vſque, regnum gallicum rexerunt. Nam filium eius Rupertum, carolus caluus, fecit ducem exercitus Francorum, contra Normannos, qui & in prælio occubuit.

Ruperti filius, Otto, permiſſu Arnolphi Jmperatoris, procurauit regnum Franciæ, cum carolus Simplex, ad gubernationem, per ætatem, nondum eſſet idoneus. Ex fratre Ottonis, Ruperto, natus eſt Hugo, magnus Pariſiorum comes, cui, ex ſorore Ottonis Magni, natus eſt Hugo cognomento capetus, rex Frãcorum, conditor regiæ ſtirpis, quæ nunc rerum potitur.

LVDOVICVS TERTIVS, cognomento Balbus.

CArolo caluo mortuo, & proceribus Romanis, ad carolum cognomento craſſum, qui, cum fratre carolomanno, Jtaliam receperat, inclinantibus, Pontifice Johanne refragante qui magis fauebat Francis, Pontifex per ſeditionem captus eſt: ſed amicorum opera, liberatus

profugit in Franciam ad Ludouicum regem, à quo cùm eſſet humaniter exceptus, viciſſim eum Imperatoris titulo ibi remuneratus eſt: ſed Ludouicus, cum eſſet valetudine imbecilliore, vix biennium Imperatoris titulo gauiſus, morbo periit, cùm adornaret expeditionem contra Bernhardum marchionem Italiæ, Idibus Aprilis: anno Chriſti, octingenteſimo, octogeſimo: anno mundi, quater milleſimo, octingenteſimo, quadrageſimo ſecundo: relictis ex Anſcarda nobili muliere, quam, patre inſcio, duxerat, duobus filiis Ludouico, & Carolomanno, & coniuge Adelheide grauida, quam pater illi deſponderat. Hęc, paulò poſt enixa, peperit Carolum cognomento Simplicem, & poſthumum regem Francię. Fratres Ludouicus & Carolomannus tutorio nomine regnum Franciæ adminiſtrarunt, annos quinque: qui & Boſonem, aſpirantem ad regnum, repreſſerunt, & Normãnos, ad Ligerim fluuium magnò pręlio, vicerunt: ſed neuter diu ſuperſtes fuit, etſi de genere mortis ſcriptores diſſentiunt.

CAROLVS IVNIOR COGNOmento Craſſus.

CArolus, filius Ludouici Germanici, cùm à Carolomanno Italiam, ab altero Ludouico, Germaniæ regnum, iure hæreditario, accepiſſet, Saracenos in Italia graſſantes, & vrbi imminentes, inde feliciter abegit, totâque Italia pepulit, quo tempore à Iohanne Pontifice Imperator renunciatus eſt.

Tertium ergo hunc Imperatorem, intra annos quatuor, Occidentis Imperium habuit, quæ, tam crebræ mutationes, præterquam quod hoſtium vicinorum, & Pontificum Romanorum audaciam & potentiam, vulgíque licentiam confirmarunt, Imperium etiam ipſum, ceu eneruatũ, grauiter afflixerũt, & commutatis animis, ſtudiis, ac moribus vulgi, ſicut fieri in mutationibus ſolet, perturbationes ac diſtractiones pepererunt magnas. Non enim fiunt tales mutationes, ſine magnis calamitatibus publicis, & priuatis, ſicut veriſſimè dixit Xenophõ: πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι. Nec minus incommodi eſt, in gubernatorum crebra mutatione, quàm, ſi formæ politiarum, legum, & gubernationis innouẽtur, ſicut vulgo dicitur: Nouus rex, noua lex: quod non tam de ſcripta lege, quàm de Principum moribus intelligatur, qui ſæpè efficacius mouent animos ſubditorum, quam leges ipſæ. Sicut Oſeæ 4. dicitur: Qualis populus, talis ſacerdos: & Claudianus inquit:

Non

Non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentum.

Prouerb.28. inter pœnas peccatorum generis humani, recenſentur crebræ mutationes Principum, vt nulli diu regnent, vel vti multi diſcordes regnent, & alij alios pellant. Propter delicta terræ citò alij poſt alios fiunt Principes, & propter virum prudentem, & intelligentem, durabilius eſt Imperium. Apud Pauſaniam extat præclarum dictum in eandem ſententiam: μάλιςα πῶς ἐπὶ πταίσμασιν ἐθέλει μεγάλοις περιαφαιρεῖσθαι τὴν ἡγεμόνα ὁ δαίμων.

Cùm autem Carolus Craſſus eieciſſet ex Italia Saracenos, reuerſus in Germaniam, Franciæ adminiſtrationem tutorio nomine ſuſcepit, quòd Ludouicus Balbus, Carolum Simplicem poſthumum reliquiſſet.

Irrumpentibus autem Normannis, in agrum Atrebatũ, Morinorũ, & Menapiorum, Godefrido, & Sigefrido, Ducibus, Carolus oppreſſis opitulaturus, cùm res parum ſuccederet, facta cum hoſtibus pace, Sigefrido Giſelam, Lotharij patruelis filiam deſpondit, adiuncta dotis loco Friſia. Sed ne tunc quidem ceſſantibus Normãnis, verũ Rolloue Duce, Neuſtriam antiquitus dictum, inuadẽtib. Carolus ita cum hoſtibus pepigit, vt fœdere facto, & ſocietate inita tradiderit eis partem Neuſtriæ, quæ ab Epta flumine ad Britones terminatur, & Oceano Gallico clauditur, cuius regni caput eſt Rotomagum.

Ab his nouis colonis, Normannia dici cœpit, quæ antea Neuſtria dicta fuit. Huic Rolloni, initiato ſacris Chriſtianis, vocatoque Ruperto, Carolus Simplex, tandem filiam in vxorem dedit, quod aliqui Carolo Craſſo tribuũt. Ab hoc Ruperto deſcendunt, longa ſerie, duces Normannorum, quorum Richardus ſecundus, Apuliam, Siciliam & Calabriam bello acquiſiuit, exturbatis inde Græcorum reliquiis, & Saracenis oppreſſis. Carolus Craſſus tandem, quòd, ob aduerſos in bello caſus, & iniquas cum hoſtibus pactiones, in odium veniſſet, & contemtum apud ſuos, morbóque fractus, nec mente conſtaret, nec valeret corpore, Imperio cedere iuſſus eſt. In locum eius, collocatus eſt Arnolphus filius Carolomanni, à quo, cùm per Bernhardum filium naturalem vix impetraſſet victum, ad reliquũ vitæ tempus, paucis poſt diebus, in ignobili pago Sueuiæ, vitam finiit. Idibus Ianuarij.

Anno Chriſti, octingenteſimo, octogeſimo octauo.

Anno mũdi, quater milleſimo, octingẽteſimo, quinqua-

geſimo, cùm imperaſſet annos ſeptem, vel, vt alij ſcribunt, decem. Conditus eſt in Augæo maiore, prope Conſtantiam, humili monumento.

Vxorem habuit Richardam, regis Scotiæ filiam, quam, ob conceptam falsò de adulterio ſuſpicionem, repudiauit. Talis fuit exitus Caroli Craſſi, Imperatoris alioquin neque ignaui, neque ſtolidi, ſed ad extremum infelicis. Auitis enim regnis omnibus, ſine cæde potitum, & principio gubernationis, ſucceſſu rerum, ac multis victoriis illuſtrem, ſubitò conuerſa fortuna, & odiis ſuorum obiecit, & de Imperij faſtigio deiecit, ſpoliatúmque dignitatibus omnibus, ac fortunis, in extrema paupertate, vitæ reliquum exigere coëgit.

Hoc moniti exemplo, magni Principes cogitent, eſſe Deum, qui & procurat res humanas, & Imperia ſuſtentat: Nec retineri Imperia, aut felicem eſſe, ac ſalutarem vllam gubernationem, ſine præſentia, & ope diuina: Nec fiducia noſtrarum virium, aut potentiæ, quicquam tentandũ aut moliendum eſſe, ſed cum inuocatione Dei, & expectatione auxilij diuini, quod, vt peti, expectarique, firma fide poſſit, cauſſas iam bellorum, conſiliorum, & actionum oportere eſſe pias, iuſtas, & honeſtas.

ARNOLPHVS IMPERATOR.

IN Carolo Craſſo coniunxit fortuna vtrunque, ſummam felicitatem, cùm Monarcham eum effecit, ac dominum regnorum auitorum omnium: & ſummã infelicitatem, cũ viciſſim è faſtigio deturbatũ, abiecit infra omnes infimos homines, vt videatur vires extremas in hoc vno experiri, & oſtendere, fatáque Carolinæ ſtirpis complere voluiſſe. Statim enim cùm, eo ab Imperio depoſito, in locum eius ſuffectus eſſet Arnolphus, quem diximus fuiſſe filium naturalem Carolomanni, ex Carentina nobili fœmina, regnũ Franciæ in aliquot diſceſſit partes: Italia in tumultus, ac ſeditiones ſeſe effudit. Cùm enim Franci Carolo Simplici, tutorem præfeciſſent Ottonẽ, filium Ruperti, ducis Andium, nepotem Widechindi Saxonis, tandẽ regem eũ ſalutarunt Mox alij etiam alia, quę fuerunt regni Francici in Aquitania, Narbonenſi, & Celtica diripuerunt. In Italia Berengarius, & Guido Spoletanorum Duces, quos paulò ante Carolus Caluus, ad eam dignitatem, & potentiam euexerat, de regno Italiæ inter ſe certarunt.

Arnolphus igitur, initio gubernationis, implicitus bello contra Sclauos Morauos, priuſquam hos repreſsiſſet,

nec

nec Italiam adire, nec Franciam potuit. Domitis illis, ſuſcepturus bellum contra eos, qui ſeditionibus regnum Franciæ dilacerarant, Ottone deprecante, à bello abſtinuit, & conſenſit, vt Otto regnum adminiſtraret, nomine regio, vſque ad annos pubertatis Caroli Simplicis: quæ res cauſſam præbuit iis conſpirationibus, quibus poſtea, prætextu iuris hæreditarij, Carolus Simplex, a Ruperto fratre Ottonis oppugnatus eſt, eo vſque, donec Ruperti poſteritas, regnum Carolinæ ſtirpi ademptum, in ſe tranſtulit. Ottone enim mortuo Carolus Simplex, regni adminiſtrationem repetiuit, cui bellum intulit Rupertus, Ottonis frater, auus Hugonis Capeti, partem regni Francici, hęreditatis nomine, propter fratrem, ſibi vendicans. In eo bello, etſi victus eſt Rupertus, tamen Carolum, tandem fraude circumuentum, Heribertus, cuius ſororem Rupertus habebat vxorē, in carcerem Peronæ incluſit. Filius Caroli, Ludouicus, cū matre in Angliam profugit: inde, Ruperto interempto, cum reuocatus eſſet ad regnum, conſuetudo obtinuit, vt vocaretur Tranſmarinus. Is, cùm viginti ſeptem annos gubernaſſet regnum Franciæ, reliquit id filiis Lothario, & Carolo. Lotharius filium Ludouicum, & nepotem eiuſdem nominis, reliquit: quo, veneno ſublato, vi & fauore militum, regnum Franciæ traditum eſt Hugoni Capeto, filio Hugonis, comitis Pariſiorum, nepoti Ruperti Ducis Andium, quem, cum Carolo Simplice dimicaſſe, & victum eſſe, iam dixi. Carolum verò, Lotharij fratrem, ſcribunt obtinuiſſe ab Ottone ſecundo Imperatore, Lotharingiam. Ita regnū Francię, à ſtirpe Carolina, peruenit ad alienos proiſus, ac peregrinos, poſtquam id tenuiſſent poſteri Caroli, annos ducentos, triginta ſeptem. Hoc tempus propemodum dimidium eſt, de quingentorum annorum periodo, qua fere regnorum limites, & metas, circumſcriptas eſſe, hiſtoriæ teſtantur. Eſt & hic Ludouicus vltimus, à Carolo Caluo, quintus rex Franciæ, ex Caroli Magni ſtirpe. Conſtat verò ex hiſtoriarum annotatis, paternas, aut dignitates, aut felicitates raró vltra quintum, eadem proſperitate perdurare: ſed incidere fere mutationes, vel aliquanto ante, vt ſæpe filiis, aut nepotibus accidit, vel tunc, cum res redierunt ad abnepotes, qui, vel euertunt, vel labefactant ea, quæ à parentibus propagata ſunt.

Sed ad Arnolphum redeo, qui, viribus omnibus conuerſis in Normannos, depopulantes Lotharingiam, internecione penè eos deleuit, cęſis duobus regibus, & Sclauos

rũ inter ſe diſſentiẽtiũ, defectione, retractus, cumq; his ad ripas Moſæ congreſſus, victor rediit in Lotharingiam, cui filium naturalem Senebaldum præfecit. In Italia, diſſenſionibus inter Berengarium, & Guidonem creſcentibus, euocatus à Berengario in auxilium, Longobardiam inuaſit, & Verona deditione capta, cum aliquot aliis vrbibus, expugnatóque Bergomo, & vrbis comite Ambroſio, cui defenſionem vrbis Guido commendarat, ſuſpenſo, Guidonem tota Longobardia excluſit, ac perſequutus eum vlterius, Romæ prius compoſitis motibus, Formoſóque Pontifice confirmato, qui eum accerſiuerat, declaratus eſt ab eo Imperator, anno, poſtquam Imperij gubernationem ſuſcepiſſet, decimo.

Guidone fuga elapſo, Imperator recuperatis, quæ ille occuparat, rediturus in Germaniam, ex itinere reuocatus eſt Romam ab Honorio Pontifice, per ſeditionem Põtificatu excuſſo, quem, cùm vinculis exemtum reſtituiſſet, mouit in Lambertũ Guidonis filium, qui, patre in exilio mortuo, regẽ Italiæ ſe appellarat, expugnatóque Spoleto, copias arci Camerinæ admouit, in qua vxor Guidonis latuit. Mulier aſtuta, cùm deſperatam videret arcis defenſionem, per vnum ex familiarib. Imperatoris, auro corruptũ, pharmacum ei propinauit, quo ille hauſto, ſtatim profundo ſopitus ſomno, ad diem tertium vſque ſtertuiſſe, ſcribitur. Tandem cùm, expergefacto, paralyſis linguam, ac partes inferiores reſoluiſſet, videreturque non diu ſuperſtes fore, in Germaniam reductus eſt, inſequente eum à tergo, & exercitum carpente Lamberto, ſed quod veneni vehementia totum infecerat corpus, putrefactione incurabili, φθειρίασις etiam acceſſit. Ita mortuus eſt, erumpentibus toto corpore vermibus, tertio Calend. Decembris, vel, vt nonnulli annotarunt, ſexto Calendas Decembris.

Anno Chriſti, noningenteſimo.

Anno mundi, quater milleſimo, octingenteſimo, ſexageſimo ſecundo.

Regni duodecimo, Ottingę in Bauaria, vnde cadauer Ratisbonam delatum eſt, vbi ſepulchrum eius oſtenditur, in templo ad D. Emeranum.

De poſteritate huius Arnolphi, diuerſas reperio authorum ſententias. Plurimi ſcribũt, vxores eum habuiſſe duas, primam Agnetem, filiam regis Græcorum quam duxerit, cùm adhuc Carinthię, ac Bauariæ Dux fuit. Et poſt hanc Juttam, quam alij Ludgardam appellant, filiam Guelphi

Ducis

Ducis Bauariæ. Ex Agnete ſuſtuliſſe eũ prodiderunt duos filios, Arnolphum cognomento Malum, Wernerum comites in Schiern: quorum Arnolphus pater eſt Palatinorum ad Rhenum, & Ducum Bauariæ. Ex Iutta verò Ludouicum quartum, regem Romanorum, in Imperio ſucceſſorem, Ludgardam filiam, nuptam Ottoni Magno, Duci Saxonum. Hac matre, & Arnolpho patre, volunt etiam aliqui natum eſſe Conradum Orietalis Franciæ Ducem, comitem Lotharingiæ, quem Albertus comes Bãbergenſis interfecit, vt fuerit Germanus frater Ludouici Imperatoris. Sed qui ex diplomatum, & hiſtoriarum annotatis, diligẽtius origines & propagationes familiarum inueſtigarunt, negant hunc Conradum ex Francorum ſanguine ortum eſſe, etſi de origine eius, nihil certi, vel explorati affirmant. Arnolphum Malum autẽ, cui non Wernerum, ſed Bertoldum fratrem addunt, tradunt, non Arnolpho Imperatore patre, ſed Leopoldo quodã, eius præcipuo Duce ortum eſſe, qui in prælio Ludouici, contra Hungaros, interfectus eſt: ſed hunc Leopoldũ tamen fuiſſe ſanguine iunctum Ludouico quarto, ex eadem à Carolo Magno origine, non explorato tamen agnationis gradu, perhibent. Atque hæc de Arnolpho veriora eſſe iudico. Filios autẽ naturales habuit plures: Senebaldum ex Helingarda concubina, cui attribuit Lotharingiam, quæ, illo à regulis Lotharingiæ obtruncato, poſtea ſæpè mutauit dominos. Nam & Franci interdum armis, interdum beneficio atque conceſſione Imperatorum, obtinuerunt: & his amotis ſucceſſerunt alij, donec multiplici partitione, in plures diſcerpta partes, plures eſt ſortita dominos.

Habuit & Rapoldum filiũ, cõditorem ſtirpis Andechſianæ in Bauaria, ex qua nati comites, qui poſtea diu tenuerunt Ducatum Iſtriæ, & Meraniæ, cum Voitlandia. Genuit hæc familia aliquot præſtantes viros, inter quos celebratur Otto Bambergenſis, cancellarius Henrici ſexti, qui Pomeranos ad fidem Chriſtianam conuertit. Ex eadem familia natæ ſunt ſorores, Gerdrudis regina Hungariæ, mater ſanctæ Eliſabethæ, & ſancta Heduigis, nupta Henrico Barbato, Duci Sileſiæ. Cùm defeciſſet autem, in Ottone vltimo, qui Plaſſemburgi interfectus eſt, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo octauo, quæ huius fuerant in Voitlandia, partiti ſunt inter ſe Epiſcopi Bambergenſis, & Wirtzburgenſis, & Burggrauius Noribergenſis,

Arnophi tempore, nouæ, & maiores Hungarorum copiæ, effuſæ ex Scythia, ſuperatis fluminibus Tanai, & Boryſthene, Thraciaque peragrata, atque expilata, cōiunxerunt ſeſe cęteris, qui in Pannonia, à bello Hunnico, ſuperfuerant, & magnis agminibus progreſſi, intermiſſa bella redintegrarunt.

LVDOVICVS QVARTVS Imperator.

LVdouicus, poſt patrem Arnolphū, ſuſceptum Forchemij Imperium, aliquandiu, opera, & conſilio tutorum, Ottonis ducis Saxoniæ, & Hattonis Archiepiſcopi Mogūtini, adminiſtrauit. cùm ergo, per ætatem, nondum eſſet ad res gerendas idoneus, inteſtina diſſidia, quæ ſeſe, ceu germina, patre viuo, exeruerant, vbique magis magiſque creuerunt. In Italia, Lamaerto filio Guidonis, in venatione occiſo, ab Hugone Mediolanenſi, Albertus Tuſcus, & Albertus Eporedus, Ludouicum, filium Boſonis, regis prouincię, in Jtaliam accitum, regem ſalutarunt, quem Berengarius captum, excęcauit. Jn Germania noua bella exarſerunt, Alberto comite Bambergenſe, vnà cum fratribus Adelhardo, & Henrico, filiis Henrici comitis, bellum inferente Epiſcopo Wirtzburgenſi: defendente hunc contra Conradò Duce Franconię orientalis. Jn qua expeditione, cum Albertus Bambergenſis, amiſſis duobus fratribus, horum cędem vltus, Conradum Francum, fraude interceptum, interfeciſſet, Ludouicus Jmperator, propterea eum in iudicium vocauit, ad dicendam cauſſam, & cùm nō compareret, proſcripto, bellum indixit, & intulit. Sed cùm Albertus, perſuaſu Hattonis Epiſcopi Moguntini, dediſſet ſe in fidem Jmperatoris, Ludouicus, eum capitis condemnatum, ſecuri percuſſit, quinto Jdus Decembris: anno chriſti, noningenteſimo quarto. Hic Albertus Tariſſę ſepultus eſt, in agro Bambergenſi. Poſteritas eius, vt ſupra dixi, poſtea adepta eſt prefecturam limitis orientalis, ſeu marchionatum Auſtriæ.

Fuerunt & in Lotharingia, bella inter vicinos, quorum Dux fuit conradus. Dux ad Moſellam, ex veteri Francorum proſapia, cum filiis Gebhardo, & conrado.

Fracto ergo Imperio tot bellis ciuilibus, & nouis motibus turbato, hiſque Jmperatore iuuene implicito, Hūgari ex Thracia, per Pānonias progreſſi, limites Bauariæ vaſtare & depopulari cœperunt, Anno noningenteſimo, ſeptimo: quib. Ludouic. Imperator occurrit, quantis potuit copiis

piis, & congreſſus cum illis, continuo trium dierum prælio, quinto Iduum Auguſti, vſque ad tertium Idus, tandémque victus, & fugatus, perdidit præcipuam, & florentiſsimam partem nobilitatis Germanicæ. Cecidit in prelio præter alios præſtantes Principes, Ludouicus oriundus ex Caroli Magni proſapia, pater Arnolphi, & Bertoldi, ad quos referunt originem Ducum Bauariæ, & Palatinorũ ad Rhenum. Auentinus, contra reliquorum hiſtoricorum annotata, pugnatum eſſe ſcribit contra Hungaros, non ad Lycum amnem, propè Auguſtã Vindelicorum, ſed ad Danubium in Bauaria, prope oppidum Ansburg, quod veriſimilius eſt. Et fuit error facilis, propter cognationem appellationum Germanicarum Ansburg, & Augsburg. Hungari victores, progreſsi, longè latéq; incendiis, direptionibus, ac cædibus omnia peruaſtarunt, donec pacẽ Ludouicus, multo ab illis auro redemit, quæ res ei cauſſa mortis fuit. Ex animi ęgritudine enim in morbum delapſus, diem ſuum obiit, duodecimo Calendas Februarij.

Anno Chriſti, noningenteſimo, vndecimo.

Anno mundi, quater milleſimo, octingenteſimo, ſeptuageſimo tertio.

Imperij, duodecimo. Sepultus eſt Ratisbonæ in templo diui Emerani, propè patrem.

Vxorem habuit Madhildam, quam alij Ludgardam vocant, filiam Ludolphi Ducis Saxoniæ, ſororem Brunonis, & Ottonis Magni, ſed nullam ex ea ſuſcepit ſobolem.

Hunc Ludouicum aliqui vltimum faciunt Imperatorẽ, in Germania, ex Caroli magni poſteris, & fuit à Carolo ſextus, ſecundùm ſeriem maiorum. Súntque ab initio Imperij Caroli, vſque ad mortem huius Ludouici, anni centum vndecim. Reliquit moriens, res valdè turbatas: nam & inteſtinis diſcordiis arſerunt in Italia, & Germania, ad quas acceſsit noua cõtentio, inter Principes, de ſucceſsione in Imperio, & vicinæ gentes, quas vtcunque coegerat quieſcere potentia Imperatorum Francicorum, velut allectæ his diſſenſionibus Principum, vndiquaque ſeſe infuderunt. In Italiam vlteriorem rurſus irruerant Saraceni: Germaniam, ex parte vna, Sclaui, ex altera Hungari, aſsiduis depopulationibus ac cædibus vexabant., & Hungari quidem in Galliam vſque penetrarunt. Nec fuit penè vllus in Germania locus, ab iniuriis, & ſæuitia Hungarorum immunis, donec, conſenſu Principum, ad Imperij faſtigium Henricus Auceps euectus eſt.

CONRADVS PRIMVS.

EXtincta ſtirpe Caroli Magni in Germania, & rebus, propter hoſtiũ irruptiones, & inteſtina bella, fluctuantibus, Moguntinus Epiſcopus & Otto dux Saxoniæ, cúmque his, proceres Francorũ, Imperium detulerunt ad Conradum Ducem Franconiæ orientalis: ſed Arnolphus cognomento Malus, dux Bauariæ, Giſelbertus Lotharingię, & Burghardus Sueuiæ Duces, illo recuſato, accerſiuerant ex Gallia, Carolum Poſthumum, cui & Lotharingia tunc ſeſe ſubiecit, & paulò poſt, Ottone Saxone mortuo, cum iiſdem ſeſe filius eius Henricus coniunxit, contra Conradum. Hæc diſſenſio, ne protinus in bellum ciuile erumperet, ſola Hungarorum irruptione impeditum fuit, qui, poſt Ludouici mortem, aggreſsi Arnolphum Bauarię Ducem, ſed fortiter repulſi pace cum eo facta, conuerterunt ſeſe in Italiam, vbi Berengarius rex, metuens ſæuitiam eorum, & multitudinem, ne progrederentur, prohibuit, non vi & armis, ſed muneribus, magna pecunia pacem mercatus. Regreſsi ergo Hungari ab Italia, & denuo Germaniam adorti, primùm Saxoniam, Turingiam, & Franciam, deinde Rheno tranſmiſſo, Lotharingiam & Alſatiam, Baſilea euerſa, horribili graſſatione percurrerunt, & Conradum ad pacem, quibuſcunque conditionibus redimendam, annua penſione, adegerunt. Liberata hoc modo ab Hungaris Germania, cùm nihil remitterent, de hoſtilibus molitionibus Principes, qui ſe Conrado oppoſuerant: Imperator anno Chriſti, noningenteſimo, decimo ſexto, Synodo indicta ad duodecimum Calend. Octobris, & paulò poſt, Nonis Octobris Imperij conuentu habito, hoſtes ſuos proſcripſit: móxque Arnolphum Bauaria pepulit, qui poſtea, Imperatore mortuo, ſua recuperauit. Fratres duos Giſelberti Ducis Lotharingiæ, Eringerum, & Bertoldum bello captos, ſecuri percuſsit. Pacata tandem Germania, morbo correptus, cùm de vita deſperaſſet, vero, grauíque iudicio, odiis priuatis ſepoſitis, quod præſtantis naturæ argumentum fuit, anteponentis ſalutem publicam iniuriis priuatis, ſuaſit, vt Imperium commendaretur Henrico Aucupi, nepoti Arnolphi Imperatoris, ex filia Ludgarda, cui & per fratrem Eberhardum inſignia Imperij miſit, adductus admiratione virtutis, & ſapientiæ Henrici: quod hunc vnum erigere afflictas, penéque collapſas res Imperij, & contra Barbaras gentes, patriam vindicare poſſe, ex iis conſiliis, & conatibus didiciſset, quos, cùm hoſtem eum habuiſset,

fuerat

fuerat expertus.

Deceſsit autem anno Chriſti, noningenteſimo, decimo nono.

Anno mundi, quater milleſimo, octingenteſimo, octogeſimo primo.

Regni ſeptimo, decimo Calendas Januarij, & ſepultus eſt in monaſterio Fuldenſi.

Retentus in Germania bellis inteſtinis Italiam non adiit. De origine eius, & familia, vt dixi, ſcriptores diſſentiunt. Nam aliqui patrem eius Conradum prodiderunt, natum eſſe patre Arnolpho Imperatore, ex eadem, qua Ludouicus Imperator, matre. Negant id alij. Vxorem habuit Placentiam, filiam Ludouici ſenioris, regis Germaniæ, ex qua nullam ſuſcepit prolem. A fratre huius Conradi Eberhardo, vtrum deſcendant Imperatores Francici ad quos à Saxonibus rediit Imperij adminiſtratio, non planè conſtat. Sunt enim qui eos à Conrado, Magni Ottonis genero, deriuant, quem in prælio contra Vngaros, occubuiſſe infra referemus ad Auguſtam. Hoc, filium Ottonem, nepotem Henricum: quem Hermannum aliqui nominant, pronepotem Conradum Salicum natum tradunt. At de Conradi illius patre diſſentiunt, quem Eberhardum alij, Wernerum rurſus alij nominant. Mihi hi videntur omnes, ex eadem ſtirpe Conradi, interfecti ab Alberto Bambergenſe, prodiiſſe. Cuius filium fuiſſe hunc primum Conradum Imperatorem, teſtantur veriores hiſtoriæ, etſi ſeries familiæ non reperitur integrè deſcripta.

Ad hunc modum Imperium Occidentis, primò diſcordiis ſucceſſorum conuulſum, paulatímque, velut neruis inciſis, ac ſolutis compagibus, inclinatum ad ruinam: poſtea exterarum gentium impetu, ac violentia grauius impulſum, penè corruit, his per ruinas inuolantibus, & rudera diripientibus, nemine prohibente, imò conſternatis omnibus, ac trepidantibus.

Concidit & ipſa Caroli poſteritas, redacta in nihilum, cui ſucceſsit noua Saxonum ſtirps, quæ, ceu ex afflatu diuino, receptis animis, dilapſa, & aliquoties direptionibus expoliata, deuaſtatáque cædibus, rudera recollegit, & inſtaurauit. Hæc conſiderantes, cogitemus de perpetua Dei in Imperiis præſentia, déque iuſtitia eius, & immenſa miſericordia, ac bonitate. Punit Deus, iuſto iudicio, totas gentes, & Principes ipſos, colliſionibus inter ſe regnorũ, mutuis Principum cędibus, & terrarum deuaſtationibus.

Rurſus, cùm interitura regna videntur, producit aliquos præſtantes viros ordine, qui, aut res labantes fulciant, ac ſuſtentent, aut collapſas reſtituant, vt conſeruetur ſocietas humana, Eccleſię cauſſa, quales fuerunt, qui ſequuti ſunt, Henricus Auceps, Otto primus, Otto tertius, & Henricus Sanctus, Conradus Salicus.

Conſideremus & cauſſas mutationum. Transfert Deus regna, non tantùm de gente in gentem, ſed & de ſtirpe, in ſtirpem, cùm propter peccata hominum, & alias cauſſas, tùm ne ſomniemus, regna poſteris neceſſariò deberi lege, & iure ſucceſsionis, ideò quòd maiorum virtute acquiſita primùm, & ab iiſdem, longa annorum ſerie, poſſeſſa ſint, atque adminiſtrata. Hæc opinio multos impulit ad bella non neceſſaria, in quibus perierunt ſæpè totæ familiæ: ſicut & reges Francici fruſtra cum Saxonibus, de recuperatione Imperij contenderunt, & tandem amiſerunt vtrumque, & tota earum poſteritas deleta eſt.

DE REBVS ECCLESIÆ.

POteſtas Eccleſiaſtica præcipuè conſiſtit in duabus rebus, in Miniſterio doctrinæ, & ſacramentorum, & gubernatione diſciplinæ externæ. Miniſterium doctrinæ, & ſacramentorum, diuina authoritate inſtitutum, & Eccleſię commendatum eſt. Inquit enim Chriſtus: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangeliũ vniuerſæ creaturę. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Item Johannis 20. Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos, & inſufflauit in eos dicens: Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. Miſſus eſt autem Filius Dei, non ad conſtituendum Imperium politicum, ſed regnum ſpirituale, & æternum, quod colligitur voce, & miniſterio Euangelij, non armis aut potentia politica aut vlla vi corporali.

Pertinet autem ad miniſterium doctrinæ, non tantùm munus docendi in Eccleſia, & adminiſtrandi ſacramenta, ſed & cura cognitionis, diiudicationiſque controuerſiarum, quæ incidunt, de dogmatibus Eccleſiæ propriis, de Deo, & de rebus æternis, de lege Dei, de peccato, & de cauſsis peccati, de Euangelio, de gratia, de iuſtitia coram Deo, de ſacramentis.

Sed alligata ſunt iudicia Eccleſię ad normam Verbi diuini, Credimus Eccleſiæ tanquam doctrici demonſtranti veritatem, ac certitudinem in dubiis ſententiis, ex fontibus Iſraël, id eſt, ex ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis, quę

non

non ſunt Sphingis ænigmata, aut oraculorum Delphicorum inuolucra, ſed perſpicua, illuſtria, firma. Et nititur fides non teſtimonio Eccleſiæ, ſed Verbo Dei. Expreſſis autem interdictis, adimitur Miniſtris, omnis poteſtas mutādi aliquid, in dogmatibus diuinis, & iis, quæ authoritate diuina tradita ſunt, cùm dicitur: Nihil addatis, neque dematis. Item: Qui aliud Euangelium annunciauerit vobis, anathema ſit. Item: fruſtra me colunt mandatis hominum.

Et obligantur omnes in Eccleſia, vt audiant vocem Euangelij, quæ per miniſtros traditur, quatenus ſonant vocem doctrinæ patefactæ à Filio Dei: inquit enim Chriſtus: Qui vos audit, me audit.

Gubernatio diſciplinæ externę, ſcandala prohibet, omnis generis doctrinæ, & vitæ, animaduerſione, inſpectione, & cenſura ſeueriore doctrinæ, vitę & morum externorum, & conſtituit pertinentia ad εὐταξίαν, vt omnia ordine, & decenter fiant, diſtinguit gradus, & officia Miniſtrorum, diſtribuit horas, & materias lectionum, cantionum, exercitiorum, examinum, congreſſuum, ordinat & digerit cœtus docentium, in certas claſſes. Præcipit enim Paulus, vt in Eccleſia omnia decenter, & ordine fiant. Non vult eſſe cōfuſiones aut licentiam infinitam, & ἀναρχίαν in Eccleſia, aut tyrannidem, quanquam ἀναρχία infinita eſt tyrannis: ſicut inquit Paulus: Deus non eſt author ἀκαταστασίας.

Conſtituit autem Eccleſia hæc, quæ ad gubernationem diſciplinæ externam, & εὐταξίαν pertinent, ſua, id eſt, humana authoritate, non diuina: neque alligata eſt Eccleſia, ad vllas leges conditas ab hominibus, neque ad vllam ordinariam ſucceſſionem miniſtrorum, aut ad ſtatum vllum, quantumuis pulchrum, ſed ad Euangelium Filij Dei, quod vt ſonet in miniſterio, Deus ſubinde excitat aliquos rectè docentes, etiamſi inter hos alij plus, alij minus lucis habent. Et dicta de audiendis paſtoribus, non conſtituunt regnum aut tyrannidem in Eccleſia, ſed præcepta ſunt, & conſolationes. Iubent, vt vocem à Deo traditam audiamus, & affirmant eum, voce docentium certò efficacem eſſe, accendere mentes, ac percellere corda noſtra, perinde ac ſi palam nos ipſe alloqueretur.

Habet & iudicia ſua poteſtas Eccleſiaſtica, quæ non vi corporali, ſed verbo exercet: Non tyrannicè, & pro cuiuſque affectu, ſed adhibita cognitione, & legitima diiudicatione. Non enim armata eſt gladio, vt poteſtas politica: ſicut expreſsè Chriſtus dicit, Matthęi decimo: qui ce nūtur

imperia tenere, dominantur gentibus: & Principes earum poteſtatem habent in eas, vos autem non ſic.

Sed multum intereſt inter iudicia Eccleſiæ, & iudicia politica: ſicut multum differunt, quæ in Eccleſia, humana authoritate condita ſunt, ab iis, quæ expreſſo Dei verbo ſunt promulgata & ſancita.

Politica iudicia, etſi etiam ſonare debent decalogum, tamen, & de circũſtantiis, addere leges poſſunt, & ambigua interpretari, valétque interpretatio propter authoritatem regiã, ſeu prætoriam, & vi corporali exequuntur ſententiam, eadémque autoritatem ſuam tuentur.

Iudicia Eccleſiæ diſſimilia ſunt. Quædã enim ſunt de iis rebus, quę immediatè ſunt prohibitionis diuinæ, & quarum violatio, ſine vlla dubitatione, eſt peccatum mortale, ſiue ſint dogmata pugnantia cum Euangelio, ſiue delicta manifeſta, contra legẽ Dei. Quædã ſunt de delictis contra leges, inſtituta boni ordinis cauſſa, humana authoritate. Differt autem ab his iudiciis, quæ ſunt iuriſdictionis, Miniſterium verbi. Tantum enim fiunt illa, de manifeſtis, & notoriis, non de occultis: cùm Miniſterium verbi, poteſtatem habeat remittendi peccata petentibus, vniuerſa; ſiue nota ſint, ſiue ignota: & rurſus annunciandi iram Dei, & pœnas æternas omnibus perſeuerantibus in erroribus, contra fundamentum, aut delictis contra conſcientiam.

Primus gradus iudiciorũ, prorſus alligatus eſt ad doctrinam Euangelij. Hanc enim vult Deus normam eſſe illorum, & moderatricem, nec contra eam decerni, aut ſanciri, nec, ſine ea tanquam ex ea natum, atque profectum, proponi quidquam; nec aliunde, niſi ex hac, dubiorum declarationes, obſcurorum interpretationes, confuſorum explicationes, aberrantium emendationes peti vult. Hinc verò deſumtæ interpretationes non valent, propter iudicum autoritatem, ſed quia congruunt cum verbo Dei, & cõfeſſione veræ Eccleſiæ. Nam verbum Dei eſt iudex, quo cum conſentiunt piorum confeſſiones. Conuicti his iudiciis, de errore aliquo, in fundamento aut de criminibus publicis, & manifeſtis, niſi mutent ſententiam, aut pœnitentiam agant, incidunt in pœnas Eccleſiæ proprias, quas illa, non vi corporali infligit, ſed verbo, ſcilicet ſegregatione, vel excluſione à cœtu Eccleſiatico, & ſacrorum communione. Non enim fas eſt Eccleſię decretas, & pronunciatas ſententias, vi coporali exequi.

Alia ratio eſt eorum quæ diſciplinæ, & ordinis cauſſa

conſti-

conſtituuntur in Eccleſia, ab hominibus. Non enim diuinæ authoritate obligant: vel illa quæ immediatè præcipiuntur à Deo, neque vt edicta prætoria, de quibus expreſsè ſcriptum eſt: Obedite non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Diſertè enim traditum eſt: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Quare neglectio eorum, aut violatio, ſi abſit petulantia, & Miniſterij contemtus, non eſt peccatum mortale. Vult enim intelligi Deus diſcrimen inter obedientiam debitam miniſterio, & doctrinę, & inter obedientiam præſtandam traditionibus humanis, vt ſciamus de Deo, & de voluntate Dei, nihil quæri, aut fingi, extra traditũ verbum, debere. Vt autem, ſi præſtentur opera traditionum humanarum, cum opinione iuſtitiæ, cultus, aut neceſſitatis, horribile peccatum ſunt: ita, ſi omittantur quandoque, ſine ſcandalo, vt dixi, & miniſterij contemtu, non protinus delinquens reus peragi debet æternæ condemnationis, aut iis affici pœnis, quas Eccleſia indicit, & irrogat: ſicut, qui in leges magiſtratuum peccat, à Prætore punitur mulcta, aut corpore. Diſcernit & vetus Eccleſia inter αἵρεσιν & σχίσμα. controuerſia Arij, hæreſis, certamen de paſchate, ſchiſma fūit.

Sed vt iudicia, de publicis, & notoriis: ita pœnas ſuas habet Eccleſia, quibus non corpora hominum lacerat, aut vitam petit, ſed excludit à ſocietate externa, contumaciter delinquentes contra miniſterium, & perſeuerantes in delictis contra conſcientiam, vt in erroribus contra fundamentum, & aliis peccatis manifeſtis, ac notoriis, conſcientiis, horribili denuntiatione iræ Dei æternæ, & æternarum pœnarum territis, niſi reſipiſcant. Hæ pœnæ vocabantur ἐπιτίμια in veteri Eccleſia, nec recipiebantur in Eccleſiam, quibus propter lapſus, ἐπιτίμια impoſita erant, niſi editis veræ pœnitentię, & emendationis ſignis, impetraſſent publicam abſolutionem; nec hos, ſi ad alias ſe conferrent Eccleſias, admittere fas erat, niſi afferrent literas συστατικὰς ſeu teſtimonia περὶ λύσεως τῶν ἐπιτιμίων.

Erant autem gradus pœnarum tres: Ἀνάθεμα, vel ἀναθεματισμὸς· καθαίρεσις, & ἀφορισμός. Ἀνάθεμα, commune erat vtriſque, clericis, & Laicis, & hos eiectos ex Eccleſia, atque ab omni ſocietate, tanquam aliena membra, abſciſſos, atque exterminatos, non tantùm à communione ſacrorum, ſed ab omni conſuetudine vitæ æternæ, arcebat. Καθαίρεσις propriè ad clericos pertinebat, qua illi deponebantur ab officio. Erant autem & καθαιρέσεως gradus. Aliquibus enim

officio motis, ſola adimebatur tractatio, & celebratio ſacrorum, ita vt à communione Cœnæ Dominicæ, vel à publicis ſacris non arcerentur: aliqui ſimul & excommunicabantur, id eſt, ab vſu, & communicatione Cœnæ Dominicæ repellebantur, & à reliquis publicis, & communibus ſacris remouebantur. Ἀφορισμὸς, pertinebat ad vtroſque, Clericos, & Laicos, & reos abigebat à ſacris publicis, quoſdam ab omnibus, aliquos tantùm à Cœnæ communicatione, qui vocabantur ἀκοινώνητοι. Separati ferè in loco ſolitario ſeorſum conſiſtere, cogebantur: erátque certi temporis, pro ratione delictorum.

Hæc ita conſtanter ſeruauit prima Eccleſia, poſt tempora Apoſtolorum: ſicut piarum Synodorum decreta, & canones hiſtoriæ, ac piorum doctorum ſcripta teſtantur. Viguit in ea puritas doctrinæ, de cuius conſeruatione certamina fuerant maxima, quibus hoc perfectum eſt, vt doctrina magis illuſtrata, & teſtimoniis ſcriptorum Propheticorum, atque Apoſtolicorum certiùs confirmata ſit. Fuit & diſciplina Eccleſiaſtica optimo conſtituta ordine, diſtinctione officiorum, claſſium, temporum, lectionum, exercitiorum, inſpectionum, examinum, & aliorum vtilium rituum.

Sed cū primò turbaſſent Eccleſias nugaciſſimæ rixæ, de tempore, quo eſſet celebrandum Paſcha, & inde ortę diſtractiones, præbuiſſent occaſionē aliis certaminibus, quę mouit Arius, de Filio Dei; tandem, creſcente licentia, & nouorum errorum ſeminibus, ſubinde ſuppullulantibus; horribiliter Eccleſiæ cōuulſę, & laceratę ſunt, donec Mahometicus furor, & potentia, magnam partem Eccleſiarum in Aſia, & Africa oppreſſit: Occidentē verò dilacerarunt Gotticæ, Vandalicæ, Francicæ, Hunnicę, & Henetæ gentes.

Ex his Eccleſiarum Orientalium, & Imperij in Occidēte ruinis, creuit potentia Romanorū Pontificum, quę ambitione, auaritia, & Tyrannicis conſiliis, aucta, tota à cura adminiſtrandę Eccleſię, & tuendę puritatis doctrinæ, conuertit ſeſe ad curam, & ſtudium conſtituendæ Monarchię in Eccleſia. Occupatis ergò Pontificibus, & Epiſcopis, certaminibus de primatu, & cura conſtituendę Monarchiæ, atque iis comparandis, quæ hanc inſtruere opibus, præſidiis bellicis, neruis politicę potentię, ac ſtabilire poſſent: paulatim doctrina negligi cœpit: & creuerunt ſuperſtitiones, vt ſemper fit, cum homines, de rituum externorum vero vſu, in quo plus intuētur, quàm in doctrinam ipſam,

non

non rectè docentur.

Superſtitione ergo inualeſcente, non negligi tãtùm, ſed & deprauari doctrina cœpit: & inuecta ſunt paulatim noua dogmenta, excogitatíque ritus noui κακοζηλίᾳ Iſraeliticę politiæ, in oculos pulchra ſpecie incurrentes, quos poſtea Pontifices, horribili, & furioſa audacia, cumularũt, additis idololatricis prophanationibus ſacramentorum. Retenta eſt veteris diſciplinæ ſola vmbra, quã ſuo inſtituto ita accommodarunt, vt fuerit hactenus Monarchię illius neruus. Tandem confirmata potentia, & captis, ac dementatis hominum animis, ſuperſtitione multiplici, eò vſque audacię, Pontifices progreſſi ſunt, vt & dogmata, & cultus, diuinis contrarios condiderint, & crudelitate noua, ſtabilierint, & traditiones ſuas, cum opinione cultus diuini, ac neceſſitatis, obſeruari voluerint.

Doctrinę deprauationes manifeſtę ſunt in partibus, de peccato, de lege Dei, de pœnitẽtia, de iuſtificatione hominis coram Deo, de bonis operibus, de gratia, de fide iuſtificante coram Deo, de ſacramentis, de Eccleſia, quæ ab expreſſis teſtimoniis, tum Prophetarum, & Apoſtolorum, tum primę, & purioris Eccleſię recedunt, & diſcrepant. Nota ſunt commenta pluſquam anilia, de purgatorio, impoſturę indulgentiarum, ſatisfactiones canonicæ quibus corruperunt conſuetudinem veterem τῶν ἐπιτιμιῶν. Manifeſti ſunt & cultus, qui contra mandata Dei, ſunt effícti, & inſtituti: vt inuocationes mortuorum hominum, adorationes ſtatuarum & imaginum, ἀρτολατρεία, ideſt, adoratio repoſiti, & eleuati panis, Ethnicæ pompæ proceſſionum, & ſupplicationum, quibus panis eſt circumgeſtatus, profanationes Cœnæ Dominæ in Miſſis theatricis, quę celebratę ſunt pro viuis, & mortuis. Item conſecrationes magicę rerum naturalium, vt aquæ, vini, olei, ſalis, & ſimiles.

Manifeſtę ſunt & leges quę pręcipiunt onera, quæ ſine peccato, ſuſtineri non poſſunt, vt leges de cœlibatu. Alię verò traditiones, quarum ſuperſtitio & abuſus, etiam à rudibus intelligitur, quantum habent admixtum errorem vt, tradiones de certis ciborum generibus, certæ formæ ieiuniorum, battologia in precationibus, quas & cõdiderunt, & recipi obſeruariq; cũ opinione cultus, & neceſſitatis voluerunt, contra libertatem ſancitam in Euangelio, quæ mutari, aut aboleri, nulla humana authoritate poteſt.

Quid dicam de illa impudentia, qua ſuam extulerunt authoritatem Põtifices, cùm ſeſe, & caput Eccleſiæ, & do-

minos regnorum mundi cõſtituerunt,& Monarchiam fabricarunt,Imperiis politicis ſimilem, in qua alligarũt Eccleſiam,ad Pontifices, & Epiſcopos, & horum collegia,id eſt, ad ordinariam ſucceſſionem Pontificum, Epiſcoporum, & collegiorum, hóſque authoritate diuina, tenere Miniſterium, neque errare poſſe, neque horum aduerſari decretis,licere,contenderunt. Pro hoc ſtatu,qui ex Idololatria,abuſibus, ſuperſtitione,impiis decretis,ſcelerib. parricidiorum,rapinarum,& libidinum,conflatus eſt,pertinaciter pugnant,& hæc illis eſt religio.

Si quis hiſtoriam Eccleſię diligentiùs conſiderarit,inde vſque à temporibus Chriſti, & Apoſtolorum, per annos mille,quingẽtos,reperiet, primis annis quingentis,etſi inciderũt ingentia certamina de Filio Dei, & aliis rebus, viciſſe tamen veritatem, mendaciis diſcuſſis, atque eliſis,& tradita eſſe poſteritati vera,firma,ac perſpicua teſtimonia de doctrina Apoſtolorum, publicè in Synodis,& in priuatis ſcriptis eorum, qui Apoſtolorum diſcipulos viderãt,& audierant:denique optimæ ac neceſſariæ diſciplinę, ſeueras leges conditas,ac deſcriptas eſſe,quibus ſtetit,floruit,& viguit Eccleſia, etiam inter calamitates ingentes, ac horribiles perſecutiones Ethnicorum, & Arianorum.

Sequentibus annis quingentis, ita colluctatũ eſt,cũ veritate mendacium, cum fidei ſinceritate ſuperſtitio, cum veris Dei cultibus idololatria, vt mortuorum hominum inuocationes,imaginum & ſtatuarũ adorationes, ἀρτολατρία (quanquam hæc tardius aliquantò cœpit) cũ rectitudine ſententiarum ſophiſtica, cum ſeueritate diſciplinæ, & ordine laxatio,& cõfuſio, cum humilitate ambitio,ſuperbia, dominandíq; cupiditas, & paulatim hæc inualuerint ac ſuperarint,illa elanguerint, & conciderint:denique ex gentium confuſionibus,vt morum,ita dogmatum,& religionum extiterunt confuſiones admirabiles, & ex his emerſerunt germina multiplicium abuſuũ,quæ,ſenſim adoleſcendo,radices egerunt, & ſeſe confirmarunt.

Reliquis annis quingẽtis maturuit, & creuit, regnauítque in Eccleſia idololatria, ſuperſtitio,& ambitio,præſertim Pontificum,& Epiſcoporum. Ceſſit cultus Dei verus, qui fieri debet, in agnitione, & fiducia Filij Jeſu Chriſti, hic,inquam,ſanctorum cultui ceſſit: diſciplinæ ſeueritas, in inanem vmbram vetuſtæ conſuetudinis exoleuit, cuius,ne diſſiparetur neruus, fuit inſtillata animis ſuperſtitio,quam aluit,& auxit agmen Monachorum. Doctrinã

Euangelicæ

Euangelicæ contrariam, ex Platonis dogmatis, & argutiis Ariſtotelis texuerunt ſcholaſtici. Poteſtatem Eccleſiaſticam Pontifices, & Epiſcopi commutarunt in monarchiam politicam, & omnib. ſeſe Imperiorum negotiis admiſcuerunt, adeò, vt poteſtatem ſibi arrogarint tradendi regna mundi, quibus vellent, authoritate diuina. Semper tamen fuerunt aliqui pij, & docti, qui huic Tyrannidi Pontificum contradixerunt, & abuſus, atque errores taxarunt, atque improbarunt.

Hæc eſt cauſſa, quòd cū hiſtoria Eccleſiæ primorū annorum quingentorum, extet deſcripta accuratè, poſterioribus annis mille, aut pauca reperiātur annotata, aut nulla. De confuſionibus enim quid ſcribi potuit? Cùm ergo Synodis penè omnibus, quas hiſtoriæ celebrant, his proximis annis quingentis, vſq; ad emēdationem doctrinę, recens factam à Luthero, Philippo, & aliis, fiant, aut publica authoritate ſanciantur decreta impia, vel contra doctrinam, & cultus diuinos, traditos in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis, vel de Pontificū, Epiſcoporum, & vniuerſim, ſatellitū ſedis Romanæ ambitione, rapacitate, & tyrannide contra Imperatores, & reges Chriſtiani orbis: vel de iis quæ cæcitatē, & obſtinātiam inueteratæ ſuperſtitionis, in vulgò confirment: omiſſis illis, de rebus geſtis in vtroque Imperio Orientis, & Occidentis dicemus. Cúmq; ſeſe Pōtifices, & ſuas res miſcuerint Monarchiis, & regnis, non plus eorum meminiſſe volumus, quàm exegerit vel ſeries hiſtoriarum, in ſingulis Imperatoribus, vel mentio nouorum errorum, atque abuſuum, quibus ſcilicet in Eccleſiam ſint occaſionibus introducti.

Cùm autem & profiteātur, ac iactitent titulum Eccleſiæ Pontifices, propter ordinariam ſucceſſionem in ſua politia, Monarchiæ ſimilē, & poteſtatem ſibi iuris, mādatíque diuini prætextu, arrogent infinitam, non in politias tantū, ſed ea etiam, quæ Dei, & Eccleſiæ ſunt propria, & hoc fulmine terruerint, ac terreant omnes ordines orbis Chriſtiani, ſummos, infimóſq; cōtra has falſas perſuaſiones, & impoſturas, ſciamus non poſſe eſſe Eccleſiam apud illos, qui dogmata, & cultus inſtituunt, ac defendūt, aduerſantes expreſſis, & euidentibus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, etiamſi habent regnum in Eccleſia, & ordinariam poteſtatem, ad externam ſpeciem rituum ſuperſtitioſorum, legibus pulchrè compoſitam. Non enim hoc regno Pontificū, ſed fūdamento Chriſti, & Apoſtolorum nititur Eccleſia.

Deinde ſciamus, non deberi obedientiam vlli poteſtati præcipienti, vt impia doceamus, aut faciamus. Conſtat enim, talia, eſſe doctrinas dæmoniorum, nec obediendum eſſe, ſed redeundum ad illas regulas: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Sunt autem multæ traditiones Pōtificiæ palam impiæ, ſicut abuſus Cœnæ Domini, inuocatio mortuorum, lex de cœlibatu, magicæ cōſecrationes creaturarum: vt de erroribus in doctrina, quibus Monachorum, & ſcholaſticorum libri referti ſunt, taceam: quæ veteri Eccleſię fuerunt ignotiſsimæ, & recens irrepſerunt, & Epiſcoporū potentiā amplificarunt, Monachorum opes auxerunt. Primum decalogi mandatum inquit: Non habebis Deos alienos. Nō igitur inuocandi ſunt mortui, ſed vnus verus omnipotens Deus, qui ſe patefecit, dato Euangelio, & miſſo Filio, Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ſic eſt inuocandus, ſicut docuit fiducia Filij. Etiam traditiones, de rebus adiaphoris, fiunt impiæ, & doctrinæ dæmoniorū, propter errores, qui admiſcentur, ſcilicet, quod mereantur remiſsionem peccatorū, aut ſint cultus Dei, quibus ſe Deus iudicet honore affici, aut ſint neceſsarij, aut quod Epiſcopi habeant poteſtatem inſtituendi tales cultus.

Nec propterea eleuatur authoritas Miniſterij Euangelici. In his enim, quæ iuris diuini ſunt, conſcientia neceſsariò debet obedire paſtoribus, iuxta illud: Qui vos ſpernit, me ſpernit. De ritibus adiaphoris, qui boni ordinis cauſsa inſtituti ſunt, præcepit Euangelium, ne ſentiamus cultus, aut neceſsarios eſse: Sed ſeruari cōcedit, ſine opinione iuſtitiæ, ac neceſsitatis. De pugnantibus cum mandatis diuinis, ſimpliciter pronuntiat vox diuina: Fugite idola. Item: Oportet Deo plus obedire, quam hominibus. Item: Si quis aliud Euangelium annunciauerit vobis, anathema ſit. Nec dictum, Qui vos audit, me audit, transferri poteſt ad opiniones, aut leges pugnantes cum Euangelio, quod prorſus non conſtituit regnum politicum. Eóque magis deteſtāda eſt impietas, & impudentia pontificiorum, quod authoritatis, & nominis diuini prætextu, titulóq; Eccleſiæ, fingere ſibi poteſtatem condendi decreta impia, contra tot manifeſta ſcripturæ teſtimonia, non verentur. Sed de his ſatis ſit dictum. Nunc, ex hiſtoriis Græcorum Imperatorū, quorum plerique impuriſsima monſtra fuerunt, & portēta generis humani, paucula quædam ſubiiciemus, vt ſeries rerum geſtarum ſibi conſtet: & quidem præcipuè eam ob cauſsam, vt res à noſtris, in Aſia geſtæ, & initia potentiæ

Turcicæ,

Turcicæ, rectius intelligantur, quod Græcis res fuerit cum vtriſque, noſtris argonautis: cum recuperarũt Palæſtinã, & Syriam: & Turcis.

IMPERATORES ORIENTIS.

IMperium Occidentis dilacerari cœptũ eſt à diuerſis gẽtibus, mox poſt Conſtantini Magni ætatem, à quo, vſque ad Carolum magnum, caruit Occidens, certa & conſtante Monarchia, Romanis oppreſſis, Grecis excluſis à gentibus diuerſis, quæ conflictatæ ſunt inter ſeſe, de ſedibus, & principatu in Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, & Pannonia, alibi inuitatæ, ruinis Imperij, ex diſcordiis inteſtinis dehiſcentis, atque collabentis: alibi cõductæ ad bellorum, quæ vel inter ſe, vel contra externos hoſtes geſſerunt, ſocietatem: alibi accerſitæ ad coërcendam petulantiam Romanorum Præſidum, qui ruente Imperio, prouincias licentiùs adminiſtrarunt.

Inter hos populos, præcipui fuerunt Hunni, Sarmatæ, cúmque his Heneti, & ὁμόγλωττοι gentes Germanorũ. Non enim lingua; ſed idiomate tantùm, ac dialecto diſcerno Gottos, Francos, Burgũdos, Longobardos, Alanos, Sueuos, Anglos, ſicut reipſa linguis non diſcreparunt. Hunni ex Italia Galliiſque repulſi, intra Pannoniã ſeſe continuerunt. Sarmatę, Henetíque totam, verſus orientem, Germaniam veterem ad Albin vſque ſubiugarunt. Germanicæ gentes cum his, Romaníſque imprimis, & inter ſeſe, contenderũt per annos quadringentos, & amplius, donec Angli-Saxones, Britannia: Gotti, Hiſpania: Franci, & Burgũdi, Galliis: Longobardi Italia potiti ſunt, & Franci rurſus tota Germania perdomita, vnóque regno comprehẽſis tribus potentiſſimis prouinciis, Germania, Gallia, & Italia, quę antiqua Imperij ſedes fuit, Occidẽtis Imperium inſtaurarunt, vt dixi.

Has dum colliſiones inter ſe gentium nouarum, atque conflictationes pertulit Occidens, interea etiam Oriẽtis Imperium grauiter afflixerunt, penéq. diſcerptum deſtruxerũt diuerſæ gentes in Aſia, & Europa In Aſia creuit ſubitò Saracenorum potẽtia, qui, cùm Heraclio imperãte, & à religione Chriſtiana, & à Romano Imperio defeciſſent, Mahomete authore, breui tempore, tantis ſucceſſibus, vires auxerunt ſuas, vt non tantùm Palæſtinam, Syriẽ, Ara-

biam,Meſopotamiam,& bonam Aſiæ partē celerrimè occuparint,ſed antiquum etiam Perſarum regnum,& Romanis infeſtum,ac formidabile, ſublatis regibus antiquiſſimi ſtemmatis,ceperint,& Africam littoralem omnē,ad montem Atlantem vſque, cum multis maris mediterranei inſulis,complexi ſint. Tantis aucti acceſſionibus,duo condiderunt præpotentia regna, vnum in Aſia, alterum in Africa. Huius ſedem conſtituerunt Alcairum, Ægypti vrbē, quæ Memphis eſt: illius Babylonem,quam Bagadat,& Baldacum ſua lingua vocitarunt, etſi Baldacum aliqui Suſam eſſe volunt. Vtrique præfecerunt vnum Monarcham,Calipham nomine, qui populo domi foríſque dux eſſet,exemplo Moſis,& Ioſuæ.

Collocant autem principium regni Mahometici,aliqui in annum Chriſti,ſexcenteſimnm,viceſimum tertium. Sed Saraceni,annos Hegyræ,vt vocant,altiùs ordiūtur, ab anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo primo. Inde enim annorum ſuorum ſeriem detexuerunt.

Græcos Imperatores Saraceni,dum inter ſe conſenſerūt, magnis affecerunt detrimentis:ita vt potentia labefactata, deinceps illi, nec retinendæ Italię, pellendíſque, quæ inuolarant,peregrinis gentibus,neque arcendis, ac reprimēdis nouis hoſtibus, quos è ſeptentrione excitabant occaſiones acquirendæ prædæ, & nouę potentiæ, pares eſſe amplius poſſent. Sed cùm diſſenſiones domeſticæ, horum etiam animos,mutuis odiis incenſos,ad arma in ſe mutuò capienda pepuliſſent, robore partim diſtracto, partim mutuis cædib. comminuto, deſperatio imbecilliores coëgit accerſere peregrina auxilia. Ita adducti ſunt Turci, qui, cùm militaſſent Sultano Perſico, contra Calipham Baldacenſem,ſeu Babylonicum: poſtea vtriſque oppreſſis ſibi regnum conſtituerunt,à Perſide,intra Pontum, & Armenios montes,ad Helleſpontum,& inde per totam anteriorem Aſiam, ad Syriam vſque, dilatatum. Sic concidit Saracenorum in Aſia regnum,vt ferè omnis magna potentia,non alienis,& externis,ſed ſuis diſſolutum,atque diſſipatum viribus.

Turcos rurſus attriuerunt primùm in Aſia,noſtri Argonautæ,profecti ad recuperandam terram ſanctam,& condendum regnum Hieroſolymorum: deinceps eoſdē prorſus regno Aſiæ exuerunt Tartari,euocati ab Armeniis. Sed cùm hos viciſſim,aliquantò poſt,diſſipaſſent,atque excuſſiſſent Turci,vt dicetur, redintegratis viribus,reſtituerunt

regnum

regnum quod cætera tandem abſumſit vniuerſa, Perſico excepto.

Interea in Europa, Henetæ, & Sarmaticæ gentes, immẽſis copiis delatæ ad Iſtrum, & Helleſpontum à ſeptentrione, incurſionibus perpetuis, Thraciam, Myſiam, Epirum, omnémque vexarunt Macedoniam. Primi inter hos, Bulgaros ſeſe nominarunt, vt opinor, à Wolga fluuio Roſſiæ, qui, apud veteres, eſt Rha fluuius, Rhapontici plantæ appellatione celebris, & ex paludibus Roſſiæ profluens, non procul ab eius gentis metropoli, Moſcouia: hodie enim, ſeu Moſchos, ſeu Roſſos ea regio habet, deuoluitur in mare Caſpium. Horum prima fit mentio in hiſtoria Conſtãtini Pogonati, circa annum Chriſti, ſexcenteſimum, octogeſimum. Adorti autem Myſiam inferiorem, Græcos Imperatores irruptionibus, ac depopulationibus crebris, fractos, fatigatóſque, adegerunt ad conditiones pacis, quas tulerunt, accipiendas.

Roſſi Bulgaros ſequuti, tamẽ Raſciæ nomen dederunt, in ea regione, quæ olim Triballorum ſedes fuit, & pars Myſię ſuperioris. Horum meminerunt hiſtoriæ in Conſtantino Monomacho, penè eodem tempore, quo Turcorum.

Pacinacas, ſeu Boſſinos, vltra Tanain fluuiũ habitaſſe, ratiocinor. Ab his conditum eſt Boſnenſiũ regnũ in confinio Dalmatię, & Croatię, ad veteres Dardanos, & Triballos. Mentio eorum fit aliquantò poſt in Iohanne Zimiſce.

Seruios originem, appellationémque à Sorabis, & Sarmatis trahere, non dubito. Vſæ ſunt autem, & vtuntur adhuc hodie, hæ gentes lingua Heneta, vocantúrque vno nomine Sclaui, & diu Græcos Imperatores exercuerunt, donec ex pacto, & fœderibus, Myſiam vtramque, Thraciæ bonam partem, Macedoniam item, & Epirum obtinuerunt. Sed nunquam diu in officio manſerunt, & fide: verùm, quibus potuerunt occaſionibus, iuſſa, & authoritatem Græcorum detrectarunt, iugum amolituri: ſúntque inter ſeſe colluctati vtrique, eò vſque, donec vtrique libertate, & Imperio amiſſo, venerunt in poteſtatem Turcorũ, quos ad defenſionem Imperij, contra Bulgaros, Græci ex Aſia accerſiuerunt.

Ita Saraceni primùm & deleuerunt regnum Perſicum, & inclinationem fecerunt Imperij Orientis, in Aſia, vt Henetæ gentes, in Europa. Sarecenos viciſſim debilitarunt Turci. Hos Tartari compeſcuerunt. Tartaros rurſus Turci, cùm ſeſe recollegiſſent, Aſię Imperio, & domicilio ſpo-

liatos,profligarunt:vbi paulatim confirmati in Aſia,& Europa,cum ſibi eos Gręci,contra Bulgaros , & cęteros Sclauos,adiunxiſſent,deuorarunt vtroſque , & conſumtis his, deleuerunt etiam Saracenorum in Ægypto regnum , Sultanis ſublatis,& Armeniorum in Aſia,quod diu inter Perſas, & Turcos medium , naturâ loci magis,quàm robore, contra gentis vtriuſque vim,ſeſe defenderat.

Reliqua ſunt adhuc,in Turcorum confinio,Tartarorum regna,per ampliſſimas,& vaſtiſſimas Orientis, ac Septentrionis ſolitudines diſperſa:& Perſicum,quod, Turcis oppreſſis,pulſiſque,eodem cum Tartaris tempore, potentiſſimus Parthorum Sultanus Gempſas in libertatem vindicauit,atque erexit,cuius poſteritas adhuc rerum potitur,& cum Turcis continentia bella gerit.

Ab his gentibus Imperatores Græci circumuenti vndiq; cõcluſique,& aſſiduis incurſionib. exagitati, paulatim perdiderunt.quicquid de veteri Imperio fuit reliquum, culpa potiſſimum ſuorum ſcelerum,ac latrociniorum,quibus in ſe mutuo graſſati ſunt,& ignauię,ac libidinum,propter quę contemtui fuerunt , ludibrióque,& prædæ , ac direptioni vicinis hoſtibus.

Et habuit Imperium Orientis præſtantes viros, vel mediocres ſaltem,perpaucos , poſt reparatum à Carolo Magno Imperium Occidentis:ſceleratos,ignauos,flagitioſos, luxu perditos,parricidiis,& inceſtu pollutos,plurimos:inter quos,ſi qui nauarunt,aut præſtiterunt boni aliquid,hoc laudem meretur,quod,maiorum exemplo,nonnulli,quã-quam perpauci, cultum idololatricum , & inuocationem hominum mortuorum,ad imagines, & ſtatuas,tollere ſtuduerunt.Virtus bellica emollita, atque eneruata voluptatibus perierat. Veteres familiæ interierant : nouæ irrepſerant,defecerant & nerui bellorum , partim prouinciarum direptionibus , atque auulſione deciſi , partim exinaniti, non tam apparatibus bellicis, quàm profuſionibus inutilibus. Hoſtes verò etiam conſpectus domeſticorum bellorum odiorúmque mutuorũ,ac lanienę mutuæ, acuebat,& accendebat contemtus,quem pariebant ſocordia, imperitia rei militaris,ſæpè fruſtrati conatus , imperia muliebria, apud Græcos.

Eſt ergo tota ſequens hiſtoria Græcorum, veriſſima imago comminationis quę extat apud Eſaiam, capite tertio, de excidio, & interitu regni Iudaici, vbi, inter cætera de principibus dicitur,Dabo pueros Principes eorũ, & effœ-

minati

minati dominabuntur eis. Prout enim Deus affligere vult gentem aliquam, tribuit, & accommodat ei Principes. Eſt & exemplum regularum, de quibus ſæpè dicitur: Non habebit Deus inſontem eum, qui vſurpauerit nomen Domini in vanum. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima quæ fecerit abominationes has, euometur ex terra. Item: διὰ ἂν τὶς ἁμαρτάνει, διὰ αὐτῶν καὶ παιδεύεται. Item:

Οἷά τ' ἀνὴρ ῥέζει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει. Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis, etiam in hac vita. Nec cauſſæ tantùm ſunt, ſed & ſigna indubitata propinqui interitus, creſcentia in Imperiis populi, & gubernatorum peccata, & quidem certiora multò, quàm vlla in natura rerum prodigia vel oſtenta. Admiramur veſtigia ſapientiæ diuinæ, & præſentiæ, expreſſa in rato, ſtatóque ordine cauſſarũ phyſicarum, cúmque præter conſuetum naturæ ordinem, & curſum aliquid euenit, expaueſcimus, & cohorreſcimus, concipientes omina ſiniſtra, & triſtium euentuum præſagia. Sed nec minor ſapientia Dei architecti lucet in ordine politico, & multò maior ineſt deformitas in enormibus hominum vitiis, quæ cùm ingraueſcunt, certiùs quàm errata naturæ, pœnas præſagiunt, ac denuntiant, & celeriùs attrahunt.

NICEPHORVS.

LEone quarto, Copronymi filio, mortuo, Irene cõiunx, Conſtantino filio, adhuc impubere, regnum ſuum, ſuo conſilio, & arbitrio adminiſtrauit, initio quidem ſatis feliciter, & tranquillè: ſed poſtea diſcordiæ domeſticæ, & motus nouos, & nouas diſtractiones pepererunt. Nam & mater filio inſidias ſtruxit, quod quoſdam ipſi addictos remouiſſet, quorum opera, ſe clauum gubernationis retẽturum in manibus, atque poteſtate, ſperarat: & cùm perfeciſſet, vt capto oculi eruerentur, propter exemplum immanis in filium ſæuitiæ, cœpit inuiſa eſſe omnibus, & publico flagrare odio. Erat verò & Conſtantinus petulans admodum, cúmque alia multa iniuſtè, atque inſolenter feciſſet, tum verò coniugem etiam præter cauſſam, repudiauit, ducta alia. Quod ergo, Conſtantino amoto, Imperium, & crudelitatem matris Irenes odiſſent, ac metuerent Græci, Nicephorus, ea dolo excuſſa, & in Lesbum relegata, Imperium rapuit.

Is, cũ Carolo Magno, & de Imperio Occidẽtis, & de limitibus in Italia, iiſdem tranſegit conditionibus, quibus

antea pepigerant Conſtantinus, & Irene: vt ambo Augu-ſti, alter Orientis, alter Occidentis: ambo fratres dicerentur. In Italia verò, Neapoli, & Sipunte diſtinguerentur limites vtriuſque Imperij, vt quantum à Neapoli, & Sipunte, verſus Alpes ſurſum, id Francici: quantum deorſum protenderetur, verſus Magnam Græciam, & Siciliam, id Gręci iuris eſſet, atque ditionis. Veneti verò, ceu medij, neutris addicti eſſent, ſed amici vtriſque, retinerent αὐτονομίαν: & pace, bellóque neutrius cenſerentur.

Bello contra Perſas infeliciter geſto, cùm in Bulgaros moueret, emuncturus argentum, quo pactam, de pace, Perſis pecuniam diſſolueret, acie victus, & cæſus eſt. Cùm imperaſſet annos nouem. Cranio eius deargentato Bulgarus, pro poculo vſus eſt, in conuiuiis. Filium Stauratium, quē Imperij conſortem fecerat, ob corporis deformitatē, & ingenij ſtoliditatem, Byzantini repudiatum, coniecerūt in monaſterium, ſuffecto in locum eius genero Michaëlo Curopalate, ne prorſus Imperio poſteritas excideret.

MICHAEL CVROPALATES, cognomento Rangabes.

MIchaël Nicephori gener, à Byzantinis conſtitutus in Imperio, Soceri exemplo, renouauit fœdera cum Francis. Socors fuit, timidus, & infelix. Contra Bulgaros profectus, cùm, exercitu fuga dilapſo, rem infeliciter geſſiſſet, & intelligeret inſidias ſibi parari, propter Imperium, à Leone Armenio, quem ſucceſſus contra Saracenos, animatum in ſpem regni erexerant, deſperatione Imperio ſponte çeſsit, séque in Monaſterium abdidit, in inſula Prota.

LEO ARMENIVS.

DEſertum à Michaële Imperium, cùm Leo Armenius inuaſiſſet, & conſequutus eſset, Theophylactum Michaëli filium, quem pater Imperatorem appellarat, mutilatū ea parte, qua vir erat, vnà cum matre in exilium egit. Fuit vir acer, & induſtrius, ſed crudelis, & malus. Ante Imperium Saracenos, in Imperio Bulgaros, magnis cladibus affecit. A coniuratis, in ſuo conclaui, obtruncatus eſt, cum imperaſset annos ſeptem, menſes quinque.

MICHAEL BALBVS AMORREVS.

MIchaël Balbus obſcuris ortus parentibus, in oppido Phrygiæ ſuperioris, quod vocatum ſcribūt, Amorium, poſt cædem Leonis Armenij, ad Imperium peruenit. Dimicauit de Imperio cum Thoma quodam, qui, mutato

tato nomine, ſe Conſtantinum appellarat, regnúmque affectarat, euentu vario. Sed tandem eum, Bulgarorum opera, quibuſcum triginta annorum inducias pepigerat, captum, brachiiſque, & pedibus truncatum, interemit. Saracenos à Creta, & Sicilia depulſurus claſse, duobus magnis prœliis victus eſt. Periit profluuio ventris, quod dyſenteriam vocant, ad quod acceſſit phrenitis, cùm imperaſset annos octo, menſes nouem. Hoc Imperatore, Dalmatia excuſso iugo Imperij Græci, ſeſe in libertatem aſseruit. Vnde regnorum Dalmatiæ, Boſnenſium, Croatiæque origo eſt, quæ aliquandiu, his proximis annis, reges Pannoniæ tenuerunt.

THEOPHILVS BALBI FILIVS.

THeophilus hic Balbi filius, in gubernatione iuſtus, & ſeuerus, in vita priuata honeſtus, & caſtus fuit. Cultũ imaginum, tanquam idololatricum, vehementer eſt abominatus, vſurparique in templis vetuit. Vrbem muniuit, & ornauit magnificè, inſtauratis mœnibus, quæ collapſa erant, & altiùs eductis. Cum Calipha Babylonico certauit, munerum magnificentia, per legatos. Contra Saracenos, in Aſiam, profectus quinquies, ductoribus Theophilo & Manuele, bis victor rediit, ter ſuccubuit.

In poſtrema expeditione, cùm Amerumnes Saracenus cepiſset Amorium, patriam Michaëli, & præcipuas inde familias adduxiſset in ſeruitutem, Imperator verò captiuos, quos vi, & armis liberare fruſtra tentarat, pecunia redempturus, vt dimitterentur, impetrare non poſset, vehementer perturbatus animo, quod, inter captiuos, multi eſſent conſanguinei ipſius, præ doloris magnitudine, à cibo omni abſtinuit, ſoláque frigida potione contentus, cùm hæc læſiſset viſcera, dyſenteria correptus interiit, cùm imperaſset annos duodecim, menſes tres: relicto filio impubere Michaëlo, quem cùm Imperatorem deſignaſset ante mortem, conſtitutis tutoribus, qui Imperij res interea procurarent, ipſum & matrem Theodoram Senatui Byzantino commendauit.

MICHAEL THEOPHILI FILIVS.

THeophilo mortuo, cùm filius Michaël, per ætatem, nondum eſset idoneus ad gubernationem, mater Theodora interea Imperium adminiſtrauit. Hæc reſtituit & imagines in templis, & earum cultum Idololatricum, reuocatis ab exilio Epiſcopis, quos Theophilus, quod pertinaciter idola tuerentur, pepulerat. Cùm Bul-

garis pacem fecit, reddita regi ſorore, quam bello Græci ceperant. Hæc, cùm eſſet in Chriſtiana religione rectè inſtituta, perſuaſit fratri, vt pro Ethnica Chriſtianam amplecteretur. Hac occaſione, Bulgari peruenerunt ad agnitionem Chriſti.

Filius Michaël, cùm adoleuiſſet, matrem omni poteſtate priuatam, relegauit in Monaſterium. Fuit malus, ſtolidus, petulans, ebrioſus, deditus voluptatibus, ludis, ac certaminibus equeſtribus, & curulibus. Relictam in ærario à matre pecuniam omnem, in luxum, crapulas, ludos, mimos, adulatores, & alios id generis homines effudit, & eò redactus eſt inopiæ, vt veſtes etiam regias vendiderit. Bis profectum contra Saracenos, & in fugam verſum, penéque cæſum, ad vrbem Samoſatam, tertiò vltus eſt ad Petronas auunculus eius, deletis magno prælio Saracenis, & rege eorum Amero interfecto, filio regis capto.

Mortuo Petrona, cùm rex, ſuarum voluptatum ſtudio, negligeret Imperij defenſionem, Saraceni, qui Cretam occuparant, Cycladas inſulas inuaſerunt: cæteri, in Syria, reparatis viribus, denuò Græcos prouocarunt, quibus cùm occurriſſet, re infecta, domum reuerſus, Baſilium Macedonem, cuius opera in domandis, & exercendis ad curſum, & aurigationem equis, vſus fuerat, Cæſarem creauit, tradita ei vxorem concubina Eudocia. Ab hoc Baſilio poſtea interfectus eſt, cum vino madidus, Baſilium remigem, porrectis ei calceis purpureis, eadem dignitate ornaſſet. Imperauit annos tredecim, cum matre Theodora, ſolus annos vndecim. Hoc Imperatore, Roſſi, claſſe ad pontum Euxinum comparata, primùm in limites Græci Imperij irruerunt, ſed res non ſucceſſit.

Eſt autem appellatio Roſſorum, & gens, lingua, & moribus eadem cum Roxolanis veteribus, & recentioribus ſeu Moſchis, ſeu Roſſis: Roſſos enim hodie nominamus Moſchos, ſeu à Metropoli Moſchouia, ſeu à vetuſta gente Moſſenicorum, quorum meminit Apollonius in carmine Argonautico. Antiqua enim eorum ſedes fuit, in Aſia, ad Moſchicos montes, quorum meminerunt Ptolemæus, & Apollonius. Inde progreſſi ad Tanaim fluuium conſederunt. A Roſſis, vt dixi, reliqua eſt appellatio Raſciorum. Nam, inita cum Græcis pace, partem regionis obtinuerunt, quam olim poſſederunt Triballi. Sclauorum appellatio, in hiſtoriis, antiquior eſt. Nam meminit eius, in Juſtiniano, Procopius, ſed tempore Mauricij imperatoris,

ratoris, & ſequentium, magis celebratur, cùm quidem hæc gens Græcos diu, multumque exagitaſſet.

BASILIVS MACEDO.

Baſilius Macedo, obſcuro, & ignobili genere ortus, & venalis inter captiuos, Conſtantinopolin adductus, commendationi Medici, in notitiam Michaëli venit: apud quem, tantùm creuit gratia, & beneuolentia, vt tandem cubicularij dignitatem conſequutus, & Michaëlo interfecto, Imperio ſit potitus. Pecunias publicas, quas alter in largitiones exhauſerat, hic repetiuit, publicato edicto, vt qui pecunias accepiſſet à Michaëlo, abſque cauſſa iuſta, is eas reſtitueret.

Saracenis Cretenſibus, claſſe bellum intulit, ſed ſuperatus, vix fuga ſe ſeruauit, móxque inſtaurata claſſe, denuò eos aggreſſus, alieno ductu vicit. Hoc bello confecto, mouit in Saracenos Syriacos, contra quos, cùm primo feliciter rem geſſiſſet, poſtea, cum oppugnationes vrbium, parum proſperè ſuccederent, relictis in Syria ducibus, & præſidiis, ſeſe Cōſtantinopolin recepit. Tenebant autem tunc Imperatores Græci, ex pacto, ac tranſactione in Italia, Apuliam adhuc, & vicinos tractus, quam Saraceni carthaginenſes vaſtabant. Eos, per Nicephorum Phocā, inde expulit, Raguſio etiam recuperato, quod illi occuparant. Venetis, & Ludouico ſecundo Imperatore Occidentis, rē chriſtianam iuuantibus, fregit in mari potentiam Saracenorum, & multos, ex Iudæis, ad fidem chriſtianam conuertit.

Pace facta cum Roſſis, perſuaſit eis, vt diſcederent ab Ethniciſmo, ad religionem chriſtianam. Tandem, cum imperaſſet annos viginti, in venatione, lethaliter ſauciatus à ceruo, qui cornibus, violento inſultu, in imum ventrem adactis, equo eum excuſſit, paulò poſt, ex eo vulnere, mortuus eſt, relictis, ex Eudocia vxore, tribus filiis, Leone, Alexandro, & Stephano, nam quartum conſtantinum aliquantò ante amiſerat, & filiabus totidem, quas omnes ſacris initiatas, monaſteriis incluſit.

LEO PHILOSOPHVS.

Leo filius Baſilij, à ſtudiis philoſophicis, quæ coluit, & amplexus eſt, cognomentum adeptus eſt. Princeps fuit in repub. moderanda diligens, & in vrbe cuſtodienda, tuendóque ſemetipſo, contra inſidias, ſollicitus & ſolers: quod quidem & res exegit, cùm & vrbs vndequaque à vicinis barbaris hoſtibus, ex propinquo circumſideretur, qui Imperio inhiabant, & ipſe, multiplicibus inſidiis, petere-

tur. Anno Imperij decimo quinto, in feſto Pentecoſtes, ſub publicis ſacris, ictu baculi grauiter læſus, ex inſidiis, cum mentis alienatione, ſanguinem vomuit, adeò vt pro ſemimortuo ſit è templo elatus.

Bulgaros, violata pace, deficientes, ſuis & ſociis Turcorũ armis, repreſſit, etſi ſemel ab eorum rege, ſimulatæ pacis conditionibus, deluſus, & ex improuiſo circumuentus, magnam cladem accepit. Fitque prima Turcorum mentio, in hiſtoria huius Leonis, ſed iidem & Turci, & Vgri nominantur, atque ad Iſtrum collocantur, quæ gentes alibi diſcernuntur, & differre eas conſtat origine, lingua & moribus, etſi fortaſſe, in Aſia, contiguas ſedes habuerunt. Sed de Turcis paulò poſt plura. Occupato Leone ædificandis templis (plurima enim condidit, vel religione, vel ſuperſtitione) Saraceni Siciliam deuaſtarunt, & Lemnum occuparunt, indeque vicinas Cycladas, perpetuis, & improuiſis depopulationibus, vexarunt, quibus cum claſſe, Niceta ductore, conflixit, ſed pugna ancipiti. Vxores habuit quatuor, ex quarum poſtrema filium ſuſcepit Conſtantinum, quem moriturus, cum Imperio, fratri Alexãdro commendauit. Extinctus eſt morbo cœliaco, cùm imperaſſet annos viginti quatuor, menſes tres.

ALEXANDER.

ALexander Baſilij Macedonis filius, frater Leonis fuit: cuius mandato, Imperij adminiſtrationem ſuſcepit, ſed ſtudiis & moribus fratri diſſimillimus fuit. Totus enim prouolutus, ac demerſus in helluationes, & libidines, curam Imperij commiſit adulatoribus, præſtigiatoribus, & flagitiorum ſociis; cúmque non niſi à balneo prandium ſumeret, aliquando immoderatè impletus, cum conſcenderet equum, corpore vehementius extenſo, venam interius rupit, è qua largiſſimo ſanguine, ſupra infráque effuſo, animam ſimul euomuit, porci inſtar iugulatus ſua ingluuie, cùm imperaſſet annum vnum, & menſem vnum, quo vaticinium fratris Leonis compleuit.

CONSTANTINVS, LEONIS filius.

ALexander moriturus tutelam Conſtantini, qui Leonis fratris filius, & puer ſeptennis erat, cum Imperio, matri & nobilibus quibuſdam commendauit, conſtituto duce copiarum terreſtrium Phoca, claſſi verò præpoſito Romano Lacapeno Armenio, viro ignobili, & obſcuro. Sed malè res Græcorum adminiſtratæ ſunt, effœminato-

rum,

tum, mulierum, & puerorum conſiliis. Nam & appetitum eſt, & tentatum Imperium à plurimis, & magnis cladibus affectum.

Mox à morte Alexandri, ad illud aſpirauit Cõſtantinus Ducas, Andronici filius, quæ familia id tandem conſecuta eſt, ſed cito oppreſſus eſt. Bulgari, quaternis expeditionibus, vrbem Conſtantinopolin bis obſederũt. Adrianopolin bis ceperunt, & diripuerunt, ſed non retinuerunt. In vltima expeditione, peruaſtata Thracia, penetrarunt in Macedoniam vſque.

Præfectus claſſis Romanus, cùm, matre Conſtantini à gubernatione remota in monaſterium, Conſtantino filiam ſuam deſpondiſſet, hoc etiã excluſo, ſe, & filios Imperatores conſtituit, tenuítque Imperium annos viginti ſex. Sed tandem à filiis captus, & in exilium actus eſt. Filios, rurſus Conſtantinus, comprehenſos, tonſóſque, in ordinem redegit, & ſolus Imperio potitus, id prudenter adminiſtrauit. Recepit in Italia Beneuentum, Longobardis ereptum. Contra Saracenos infelix fuit. Turcos depopulantes Imperij limites, aſſiduis incurſionibus, cùm armis coërcere non poſſet, muneribus placatos, eò perduxit, vt aliqui ex ducibus, cùm magna multitudine, ad Chriſtianam religionem ſeſe conuerterent. Correptus ingentibus totius corporis doloribus, ex hauſtu infecti poculi, quod filius Romanus ei, cum coniuge, adornarat: his aliquantulum ſedatis, ſeceſſit in montem Olympum ad Theodorũ Cyzicum, virum pietate illuſtrem, ac celebrem, precum cauſſa, cùm imperaſſet, cũ patre Leone, Alexandro patruò, & matre, annos tredecim, cum Romano Lacapeno ſocero, annos viginti ſex, ſolus quindecim. Ibi, cùm totum ſeſe Deo, cultuíque diuino addixiſſet, & cõſecraſſet, reliquum vitæ precibus, & lectionibus, ac ſtudiis ſacris, conſumſit, Imperij cura depoſita. Nec, metu inſidiarum, ad Imperium eſt reuerſus.

ROMANVS IVNIOR.

Romanus iunior, cùm patrem veneno ſubmouiſſet, Imperium, eo viuo, poſſedit. Vir malus, ignauus, luxurioſus, crudelis, impius in matrem, & ſororẽ. Duce Nicephoro Phoca, contra Saracenos in Creta feliciter rẽ geſſit. Eundem inde reuocatum, oppoſuit cum exercitu, graſſantibus in Syria Saracenis: qui recens Chalepum receperant, oppidũ à Saracenis, ex ruderibus, vel Hierapoleos, vel Epiphaniæ inſtauratum. Hic, Saracenis victis, vrbem

recuperauit. Imperator tandē libidinibus, & crapulis extenuatus, & confectus, vitam finiit anno Imperij decimo tertio. Vxores duas habuit, primam Bertam, filiam Hugonis regis Italiæ, qua mortua, patre viuo, duxit Theophaniam, ex qua ſuſcepit filios duos, Baſilium, cognomēto Porphyrogenitum, & Conſtantinum: filiam vnam Theodorā, quæ nupſit Iohanni Zimiſcæ, qui ante filios imperauit.

DE TVRCORVM ORIGINE.

PLinius, & Pōponius Mela, Turcos collocant inter Scythicas gentes, ad latus ſeptentrionale Caucaſi montis: qui velut in ramos brachiatus, continuis montium iugis & interruptarum vallium anguſtiis, complectitur Iberiam, Albaniam, Colchidem, & Chalybes, extenſus verſus pontum Euxinum & Mæotidem paludem ad occidentem: verſus mare Caſpium, ad orientem: eſtque feraciſſimus metallorum omnis generis, ad hunc vſque diem. Vbi verò ceu dehiſcens, populis ſeſe aperit, portarum nomina, ab adapertis, ac ceu diductis, expanſiſque vallium hiatibus, ſortitus eſt, quæ alibi Armeniæ, alibi Sarmaticæ, alibi Caſpiæ vocantur, ſcilicet, quod per eas, maris Caſpij accolas, ad Armenios, Aſſyrios, & Hyrcanos, proximo itinere ducunt. Alexandrum has obſtruxiſſe, hiſtoriæ tradunt, obditis ad fores trabibus ferratis, vt arcerent tranſitus ferarum gentium ſeptentrionis. Ibidem Herodotus ὕρκας ponit, quæ appellatio à Turcorum nomine non eſt aliena: etſi ſunt, qui à Teucris Turcos deducunt.

Quæcunque verò ſit, ſeu origo vocis, ſeu cum vetuſtis appellationibus cognatio, hoc conſtat, per Caucaſi anguſtias, Turcos irrupiſſe ex ſeptentrione, in Aſiam. Sed, de tempore non inter omnes conuenit. Aliqui Turcos Carmaniam inuaſiſſe, & obtinuiſſe, prodiderunt, tùm, cùm Parthi, excuſſo Macedonum dominatu, Perſiam retraxerunt ad ſeſe. Nam, poſt Alexandri mortem, Macedonibus inter ſe dimicantibus, etſi poſteri Seleuci Babylonem aliquandiu retinuerunt, vlterioribus tamen, non ita multò poſt, potiti ſunt Parthi, duce Arſace, quo, qui ſecuti ſunt reges, longo ordine, vſque ad annum quartum Alexandri Mammeæ, qui fuit annus Chriſti, ducenteſimus, viceſimus octauus: à morte Alexandri, quingenteſimus, quinquageſimus, Arſacidæ ſunt nominati; eo enim anno, Artaxerxes quidem Perſa, trucidato Artabano, Parthorū rege, qui Arſacidarum vltimus fuit, Perſiam à Parthorum dominio liberatam ſui iuris fecit.

Huius Artaxerxis poſteritas gubernauit regnum Perſicum, vſque ad Heraclium Imperatorem, & initium Saracenicæ potentiæ, id eſt, ad annum Chriſti, ſexcenteſimum triceſimum ſecundum, per annos continuos trecentos, viginti nouem: cúmque Imperatoribus Græcis continenter bella geſſit A penultimo Syrocho, Heraclius recepit, ex pacto, quæ Imperio Conſtantinopolitano maiores illius ademerát ſucceſſorem Orimaſdam, Saraceni, prælio victũ, interfecerũt, cum potiti Syria, Cilicia, Cappadocia, Meſopotamia, & in mari, Cypro inſula; improuiſa irruptione, regnum Perſicũ obiuerunt. In eo regno, abolitis legibus, & inſtitutis prioribus, nouam prorſus politiæ formam condiderunt. Sedem regni cõſtituerunt Babylonem. Eam tribuerunt ſummo Principi Caliphæ, penes quem ſumma & religionis, & imperij poteſtas fuit. Caliphæ addiderunt Seriphen, qui, illo extincto, proximè ſucceſſit. Prouincias diſtribuerunt inter Præfectos, quos nominarunt Suldanos, ſicut veteres Perſici reges, prouincias per ſatrapas adminiſtrarunt. Significat autem vox Calipha, dominum generalem. Seriphes, Principẽ, cuius eſt certa, definitáque poteſtas Suldanus, Præfectum.

Suldanorum fuit magnus numerus, qui prouincias ex deſtinatis ſedibus rexerunt, vt Damaſci, Antiochiæ, Iconij in Laconia, Cęſareæ in Cappadocia, Edeſſæ, quæ hodie eſt Orpha in Meſopotamia, Sebaſtiæ, quæ hodie Suias dicitur, Tigranocertæ, quæ Suldania dicta fuit. Soli Armenii, Iberi & Alani, quorum regnum vno nomine Cumaniam vocant, fortiter depulſis Saracenis, primo impetu: poſtea ſemper ſeſe contra vim horum tutati ſunt, & religionis chriſtianæ profeſſionẽ, inter tot hoſtiles incurſiones, & tam crebras mutationes, conſtanter retinuerunt.

Sunt ergo, qui, ſub hoc tempus irruptionis Sarcenicæ in Perſiam, Turcos ab Orimaſda è ſeptentrione, in auxilium excitos eſſe, ſcribunt: Alij è carmania euocatos, prodiderunt. Vndecunque verò prodierint, dubium non eſt, contra Saracenos, eos Perſis ſubſidio veniſſe, cúmque, rege Oriſmaſda cæſo, regnum iam in poteſtatem Saracenorum deueniſſe, cõperiſſent, captos amœnitate, & fertilitate ſoli, ad mare Hircanum, in terra choraſenorum, quæ antiquitus Sogdiana fuit, vel Hircania. conſediſſe, tandémque cum calipha Babylonio initis conditionibus pacis, ita tranſegiſſe, vt terram, in qua conſederant, poſſiderent, & colerent, viciſſimque, accepta religione Mahome-

tica, Caliphæ parerent.

His conditionibus cùm Turcæ acquieuiſſent, rẽ pecuariam in loco vbere, & fertili, exercuerunt, ſine peculiaribus Principibus, ſub Imperio Babylonico. Fuit autem Imperium Aſiæ, & Perſiæ, penes Saracenos, annos centum, nonaginta octo, quo tempore, hi nihil admodum detrimenti vel ab externis hoſtibus, vel ab inteſtinis diſſidiis, paſſi ſunt, ſed graues ipſi Imperatoribus Conſtantinopolitanis clades intulerunt, quam diu ſolus Calipha rerum potitus Suldanos in officio, & metu continuit. Quam tranquillitatem, cùm exortæ ex dominãdi cupiditate, & æmulatione, inter Suldanos, & Caliphã, diſſenſiones, turbaſſent, ſecuta eſt inclinatio potentiæ, & ruina. Cùm enim dimicaſſent Suldani inter ſeſe, & cum ipſo Calipha, tandem Perſidis, Sogdianæ, & Mediæ Sultanus, Mahomet nomine, viribus Caliphæ impar, armauit Turcos, quorum opera, cùm viciſſet quod pacta ſtipendia ſoluere recuſaret, mox ab illis, hac iniuria irritatis, rurſus victus, & regno eiectus eſt.

Ab eo tempore, quod potentia Saracenorum, inteſtinis bellis eſſet attrita, Turcæ paulatim progredi, prædaríque, & bello continenter incumbere cœperunt, donec ditati ſpoliis, déque ſucceſſu proſpero bellorum, aucti plurimis regionibus, ad Pontum Euxinum, in Armenia minore, & maiore, Cappadocia, Galatia, & Bithynia, peculiare regnũ inchoarunt. Quanquam autem Calipham Babylonium non ſuſtulerunt, tamen ſpoliatum regno Aſiæ, & Perſidis, eò adegerunt, vt eum, quem ſibi delegerant Principem, ſit coactus creare Imperatorem Aſiæ, quod factum eſt anno Chriſti, milleſimo, quinquageſimo primo. Eo enim cœperunt in Aſia Turci dominari, Saracenis, partim bellis inteſtinis, partim ab Imperatore Diogene Græco, attenuatis, & languefactis.

Turcos, rurſus, annis centum, nonaginta duobus, pòſt, Tartari attracti ab Armeniis, deturbatos Principatu, & in ſeruitutem redactos, ſibi parere coëgerunt. Etſi enim ſparſim quędam retinuerunt in Cappadocia, Galatia, & Bithynia, Principe tamen caruerunt, & nihil admodũ geſſerunt, donec Tartarorum Imperio paulatim labefactato, circa annum Chriſti, milleſimum, trecenteſimum, rurſus ſeſe erexerũt, & roborarunt. Tunc enim euocati ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, & traducti in Europam, ad tumultuantes Bulgaros compeſcendos, captique fertilitate, & amœnitate Thraciæ, bello confecto, id dederunt

operam

operam ne domum reuerterentur, ſed ad terram vberem ſuo Principi aditus pararent.

In Aſia verò, poſt annum Chriſti, milleſimum, trecēteſimum, quinquageſimum, Suldanus Parthorum Gempſas, Tartaris excuſſis, Perſidem recepit. Ita denuo ad Parthos regnum Perſiæ rediit, quos penè ſolos, Romanam ſemper potentiam contēpſiſſe legimus; & tunc quidem, cùm penè totum terrarum orbem perdomuiſſent. A Gempſa deſcenderunt reges Perſarum, vſque ad Malaonchrem: quo fraude perēpto, Magnus Vſumcaſſanus, vnus ex Satrapis Perſicis, ſed originis Turcicę, regnū inuaſit. Huius Vſumcaſſani filium, Jacuppum, Iſmael Sophus, oriundus ex proſapia Gempſæ, bello ſuperatum, interfecit, & regnū auitum reduxit ad veros hæredes. Cum hoc Iſmaele dimicauit Selimus Turcicus Imperator, in Caldarenis cāpis, ad Coini vrbem Armeniæ, quæ eſt Artaxata: cum filio Tamaſo, & nepote, qui nunc regnum tenet, bella continenter geſſit Solimannus.

PRIMI IMPERATORES TVRCICI.

Recenſentur autem primi Turcorum Principes, vſque ad irruptionem Tartarorum, in Aſiam, hoc ordine: Primum Zadocum nominant; qui incredibili ſucceſſu, breui tempore, maiorem Aſiæ partem, intra Taurum montem & pontum Euxinum bello ſubegit, & Turcici regni fundamenta iecit. Hunc Calipha Babyloniæ, Imperatorem Aſiæ creauit.

Secundus Dogriſſa, filius prioris, plurima Conſtantinopolitanis Imperatorib. in minore Aſia, ademit, & per quēdam ex agnatis, Artotum nomine, expugnata Edeſſa, quæ eſt, in hiſtoria Tobiæ, Rages, obtinuit Meſopotamiam, Artotus Suldani nomen, & authoritatem vſurpauit.

Dogriſſam, ſecutus eſt filius Aſpaſalem, hic nepotē habuit Solimannum, qui magnas res geſſit in Aſia. Acceſſit enim ad Helleſpontum vſque, & Niceam, vi expugnatam, arcē belli fecit, contra Græcos, ſeq; Sultanum Turciæ nominauit. Cum hoc Solimanno dimicarūt noſtri Argonautæ, in aditu Aſiæ, qui, duce Godefrido Bilionio, recuperarunt terram Sanctam, complexi regno Hieroſolymorum Meſopotamiam, Syriam, ac Ciliciam.

Meleclas quartus Turcorum dominus, ante aduentum Godefridi, per Solimannum, & Artotum Suldanos, Antiochiam cepit. Reliquit filios duos, quorum natu maximus

Belchiarocus patri ſucceſſit,ſedem regni habuit in Perſide, & Turcis Antiochiæ, à Godefrido obſeſſis, ſubſidio miſit exercitum ex Perſide, duce Carbagato, quem Godefridus fudit,ac diſſipauit.Hoc Belchiaroco mortuo, frater Imperium occupaturus, conſpiratione Suldanorum oppreſſus, & interfectus eſt.

Suldanis ergo de Imperatore diſſentiẽtibus,& vnoquoque prouincias,quas adminiſtrabat,ſibi aſſerente,regnum Turcicum diſtractũ eſt:qua occaſione vſi, & vicini Armenij,Iberi,atque Alani,& noſtri Argonautæ, Turcos regno Aſiæ expulerunt, quorum pars maxima ad Aladinum Suldanum Turciæ, qui Solimanno ſucceſſerat,aliqui ad alios regni Aſſyriæ Suldanos,ſeſe contulerunt. Hos tandẽ,quomodo Tartari oppreſſerint,poſtea dicetur.

Habuerunt autem Turciȩ,& Turchomaniæ nomẽ,prouinciæ octo,ſitȩ inter Pontum Euxinum, & Armeniã,verſus Helleſpontum,& maria Ægȩum Icarium,ac Myrtoũ, ſcilicet,Aeolis,Phrygia,Bithynia,Pontus, Galatia,Iſauria, Cappadocia,Paphlagonia. Nunc reuertor ad Imperatores Occidentis.

IMPERATORES OCCIDENTIS, EX STIRPE Widechindi Saxonis.

HENRICVS AVCEPS.

CAroli magni ſapientia,virtus,& felicitas,diuinitùs excitata,inſtructa, & gubernata Imperium Occidentis, poſt dilacerationes multiplices , & longas oppreſſiones, reſtituit:bello coactis in vnam Monarchiam,Italia,Gallia, & Germania,quam ad eum firmauit,& communiuit modum,euerſo regno Longobardorum in Italia,& facta cum Græcis pace : In Germania deleto regno Boiorum:Saxonibus verò, non tam bello victis , quam humanitate allectis, Imperióque ſubditis : Sclauis repreſſis : Hunnis penè ad internecionem cæſis : Saracenis tota Gallia depulſis,& in Hiſpania , procul vltra Iberum reiectis : vt & robore,ac mole ſua , rerúmque geſtarum recenti memoria,fuerit externis hoſtibus terribile, & coniunctarum gentium conſenſu,atque concordia , ſtudióque erga Imperatorem, & præcipuè ipſius Imperatoris pietate, virtute, ſapientia,ac ſucceſſi-

ceſſibus, eminuerit, præ cæteris regnis orbis terrarum, ac floruerit.

Sublato illo, cùm à virtute aui nepotes degenerarent, & accederet æmulatio, regnandi cupiditate accenſa, quæ in diſſidia domeſtica, & mox in bella inteſtina exarſit, ſecuta eſt & procerum Imperij diſiunctio, diſtractióque voluntatum, aliis ad alios ſeſe inflectentibus: & cùm certatim Principes ipſi, alij alios ad ſe traherent, ſui muniēdi cauſſa, propter Imperij ſpem, & cæterorum metum, irrepſit paulatim in animos contemtus horum, qui tandem ad res nouas moliendas, multos impulit, præſertim cùm non deeſſent occaſiones turbandi, ex diſſidiis domeſticis.

Ita factum eſt, vt primò Monarchis ipſis, inter ſe odia exercentibus, ac bello decertantibus, poſtea contagia diſſidiorum, ac bellorum ciuilium, priuatos etiam corriperent: quibus cōuulſa, & eneruata Imperij maieſtas, penè concidit, Gallia prorſus auulſa, Italia dubio, atque incerto ſtatu fluctuante, Germania ægrè ſeſe ſuſtinente.

In Gallia, poſteritas Ottonis Magni, qui origine Saxo fuit, Carolinam progeniem, & vi, & fraude oppugnauit: donec ea exciſa penitus, Hugo Capetus, Hugonis comitis Pariſiorum filius, ad regnum ſeſe extulit, conſenſu, & ſuffragiis militum pótiſſimum ac procerum euectus.

In Italia, cū Berengarius Foroiulienſium, & Guido Spoletanorum Duces, à Carolo Caluo cōſtituti, conſpiraſſent contra Galliam, repulſi inde, inter ſe dimicarunt donec Guidone mortuo, & Lamberto filio eius interemto, Berengarius ſolus rerum potitus eſt, qui Ludouicum Boſonis filiū, nepotem Ludouici tertij Imperatoris, regem Italię cepit, & excæcauit.

Berengario interfecto, cùm inteſtini motus ingraueſcerent, & Itali, de induſtria bella alerent: accitis ſubinde aliis, atque aliis regibus, Rodolphus Burgundiæ rex Italiam armata manu adiit: cui cùm ſe opponeret Berengarius ſecundus, nepos prioris, ex Giſela filia, quam dederat in vxorem Alberto marchioni Eporregij, profligatus ab eo, fugit ad Hūgaros, ſed mox Itali pertæſi gubernationis Rodolphi, accerſiuerunt Hugonem comitem Arelatenſem, filium Lotharij regis, qui, occupatam Italiam, tradidit filio Lothario.

Hunc Lotharium, Berengarius reuerſus, interemit, & perfecit, vt ipſe Romæ à Pontifice in Imperatorem, filius Albertus in regem Romanorum crearetur: hic tenuit Ita-

liam, vſquē ad Ottonem Magnum.

In Germania cùm alię, tum exortæ, propter Conradum, diſſenſiones, & cōcepta erga eum odia, adeò non deflagrarant, vt ad ſucceſſorē, quaſi hæreditario iure, ſint deuoluta. Et nihil non mouerēt reges Gallici, vt ἀξίωμα Monarchiæ orbis terrarum cùm ſtirps Carolina defeciſſet, à Germanis retraherent ad ſe, vt qui vellent hæredes eſſe.

Nec turbatas ad hunc modum, ac fluctuantes vbique res Imperij neglexerunt hoſtes externi. Hungari reuerſi, Germaniam, & Italiam crudeliter deuaſtarunt. Inferiora Italiæ (vbi eſt Apulia & Calabri) Saraceni, ex diuerſis locis Syriæ, & Africę appulſi, cùm bello ſubiugaſſent, grauiter exagitarunt. Nec Germanię limitibus ad Albim pepercerunt Sclaui.

Tota autem hæc ſeries rerum, & viciſſitudo, in ſtirpe Carolina, diuulſio, diſiectióque inſtaurati Imperij, & dignitatis tranſlatio ad alienos, eſt illuſtre exemplum iudicij Dei, transferentis Imperia, propter pęccata Principum & populi, & teſtimonium iræ diuinæ, aduerſus iniuſtas molitiones, ambitionem, ſuperbiam, dominandi cupiditatem, violationem pietatis erga parentes, atque imprimis, aduerſus ſuperſtitiones, & idololatriam. Creuit enim, his Imperatoribus, maximè ſuperſtitio nouorum, & ſuperſtitioſorum rituum, traditionibus aucta, & cumulata. Contra leges, & inſtituta Eccleſiæ veteris, ſtabiliti ſunt cultus ſanctorum, & amplificati. Deſtinati his ſunt, & conſecrati dies feſti, extructa templa, & locupletata, atque inſtructa immenſis opibus, indictæ, ac celebratæ πανηγύρεις, in quibus ad templa ſanctorum, prorſus Ethnico more concurſum eſt.

Sparſa ſunt etiam tunc ſemina, & fundamenta iacta, mutationis, & profanationis cœnæ Dominicæ, & ἀρτολατρείας pontificiæ, quæ pro Chriſto, coluit Deum Maozim, prorſus ritu, & furore Ethnico, qui cultus, eſt idolum vaſtans, de quo vaticinatus eſt Daniel Propheta.

Vſus pretioſarum veſtium, in diſtributione cœnæ Dominicæ, primùm introductus eſt, Caroli Magni liberalitate. Priuatarum Miſſarum ſtudium; & conſuetudo cœpit, ſub Ludouico Pio, eius filio, quando cōſtitutum eſt in Synodo Agatenſi, vt quouis anno, laiciter tantùm ad ſacram Synaxin admitterentur. Hanc conſuetudinem poſtea, ad vnum tempus reſtrinxit Clementis tertij conſtitutio, qui & ritus in celebratione Miſſę, obſeruandos deſcripſit: cum

paulò

paulò ante Alexander tertius Pontifex, vſum pànis azymi inſtituiſſet, circa tempora Friderici Barbaroſſæ, & laicis alteram partem ſacramenti ademiſſet. Creuítque audacia & improbitas Pontificum eò vſque, vt tandem totam Cœnam Domini profanarint, atque in idoli cultum conuerterint, vero vſu abolito. Circumgeſtationi enim conſecrati panis, peculiare feſtum dedicauit tandem Vrbanus quartus inſtinctu Thomæ Aquinatis, paulò ante Imperium Rodolphi Habſpurgenſis.

Sunt & canones conditi, ad vſum Miſſæ, iíque diuerſi. Primus à Gratiano, quem poſtea nouis, & tetrioribus blaſphemiis, auxerunt Gregorius nonus, circa annum Chriſti, milleſimum, ducenteſimum, viceſimum ſeptimum, & poſt eum, Bonifacius octauus, circa annum milleſimum, trecenteſimum, triceſimum. Huius profanationis Cœnæ Dominicæ, & idololatricæ pœnas dedit, & datura eſt hæc pars orbis Chriſtiani, ſicut Arij blaſphemias adhuc luit Oriens, diſcerptus Saracenicis, Turcicis, & Tartaricis armis, & ex clariſſima luce doctrinę, atque ex optima, & ſanctiſſima Eccleſiæ diſciplina, præcipitatus in tetros furores Mahometicos, & vitiorum Ethnicorum turpem, ac flagitioſam licentiam.

Tot modis ergo laceratum Imperium Occidentis, & tot cędibus, ac graſſationibus funeſtum, & miſerabile, Conradus moriturus tradidit Henrico Aucupi, adductus admiratione virtutis, & ſapientiæ, qua Henricus excelluit, quod hunc ſolum, collapſis rebus, opem ferre, & Imperium erigere, ac fulcire poſſe, conſideret.

Henricus ergo, cognomento Auceps, cùm accepiſſet Imperium ab Eberhardo, Conradi fratre, anno Chriſti, noningenteſimo, decimo nono, mox in id incubuit, vt motus ſedaret inteſtinos, ac Germaniam pacaret. Quare, cùm Arnolphus, Bauariæ dux, recuperata Bauaria, Hērico Aucupi, propter Imperium aduerſaretur, Imperator ei obuiam profectus cum exercitu, colloquio, quàm armis dirimere controuerſiam maluit: euocatóque ad ſeſe, publica fide, perſuaſit, vt depoſitis armis, publicè cederet Imperio, & amicitia iuncta, nuptiiſque confirmata, filiam Gerbirgam Arnolphi filio, Judittam Arnolphi filiam ſuo filio Henrico deſpondit.

Germania hoc modo pacata, vires in Sclauos conuertit. Fuerant autem in his terris vicini Sarmatæ, & Heneti, vt olim in Aſia, & poſtea in Europæ aditu, intra Tanaim, & ſi-

num Venedicum, vbi Sarmatiæ duæ collocantur; Aſiatica, & Europæa. Supra enim dixi, partem harum gentium, ad meridiem conuerſam, Græciæ magnam partem compleuiſſe: quarum adhuc tanta eſt potentia, vt his conſtet robur exercitus Turcici, & lingua Heneta, in aula Turcica, vſum linguæ patriæ, penè obſcurarit.

Pars altera ad Occidentem, maximam partem veteris Germaniç, vbi Vandalorum, Marcomannorum, Quadorum, Ligiorum, Eliſiorum, Boiorum, Sueuorum, & Hermundurorum ſedes fuerunt, partitis agminibus, & ducibus, ac nominibus mutatis, occupauit. Nam qui in terra Vandalorum veterum, & parte aliqua Marcomannorum, ac Quadorum conſederunt, Polonos ſeſe, vel à camporum planitie, vel à duce Lecho nominarunt. Qui vallem, montib. Sudetis concluſam, ſubegerunt, Boiis pulſis, conſuetudine obtinente, Boiorum cognomen conſeruarunt: cúmque patria lingua, Zechi vocentur, Boiëmi dici maluerunt. Qui ad ortum, inter Boiemos, & Polonos, montana incoluerunt, Morani nominati ſunt, vel deprauata Marcomãnorũ appellatione, vel à flumine Moraua. Sileſiorum appellatio, quæ inhæſit iis, qui, poſt Morauos, obtinuerunt loca, ad Viadrum inter Boiemos, & Polonos, eadem eſt cum nomine Sclauorũ, voce exprimente ſignificatum Germanici vocabuli, Quadi, quod veterum colonorũ fuit nomen.

Soraborum antiquiſſimum nomen, à Sarmatis retinuerunt ij, qui in Hermunduris, intra Sudetos montes, & Albim, ad Salam vſque, habitarunt. Windorum, ſeu Venetorum, ſeu Henetorum appellatio, tributa eſt illis, qui ad ſinum Venedicum, & mare Balthicum, atque ad oſtia Albis vſque, incoluerunt: quorum diſtinctæ fuerunt familiæ, locis, & appellationibus, vt Vagrij, Polabi, Obotriti, Pomerani, Caſſubij, Circipani. Qui inter Henetos, & Sorabos medij, ad Sueuum amnem, incoluerunt, Luſatij nominati ſunt ab Eliſiis veteribus.

Cum his poſtremis, quod ad extremos limites, Saxones vicinos, & Thuringos perpetuis deprædationibus carperent, atque infeſtarent, vtrique genti Francicæ, & Saxonicæ longa bella fuerunt, donec paulatim domiti, & commerciorum, atq; aliorum officiorum conſuetudine, manſuefacti, tandémque religionis Chriſtianæ cognitione, ac ſtudio prorſus deliniti, feritatem, cum bellorum, ac prædandi conſuetudine, exuerunt, & Imperio ſeſe Romano ſubdiderunt.

Hos

Hos ergo primùm Henricus Auceps aggreſſus, Brãdeburgũ,quod fuit arx belli Heneti,obſedit,& expugnauit, anno Chriſti, noningenteſimo, viceſimo ſeptimo: aſperrima hyeme,caſtris poſitis ſuper glaciem. Tenuerunt enim tunc Heneti Brandeburgum, pulſis Harlungis, quos eò collocarat Carolus magnus, tranſlatos ex Alſatia,circa annum Chriſti,ſeptingenteſimum,octogeſimum nonum.

Domitis Henetis,& Sorabis,totã hanc oram diſtinctam in Præfecturas limitaneas, quas, noſtra lingua,vocamus Marchias, diſtribuit pręſidibus, & gubernatoribus, Eccleſias condidit, vt gens Heneta, quæ à religione Chriſtiana aliena erat, rectè de Deo erudiretur, & ad pietatis, atque humanitatis cultum aſſuefieret.

Gormone Danorũ rege deuicto, huic genti Marchiam Schleſuicenſem,in Cimbrica Cherſoneſo, oppoſuit,præſidio firmatam,quod ad arma reuertentem,cohiberet,atque arceret.Inde reliquum eſt nomen Danomarchia.

Cõtra Henetos vltra Oderam, ſtatuit Marchiam Brandeburgenſem, cui præfecit Sigfridum, fratrem coniugis Mechtildis,quo ſine liberis extincto, Otto primus tradidit eam cuidam Gereoni, ob quam cauſam Tanguardus frater Ottoni bellum intulit. Gereonem ſecutus eſt Brunnico, cuius ſepulchrum extat Brandeburgi in mõte Harlungorum. Hic filios habuit Menfridum,Hermannũ,Hugonem,& Siggardum.Hugo,Ottonem tertium ſeruauit Romæ,in ſeditione:poſtea mortuus eſt Piſtorij,anno milleſimo primo,& Florẽtiæ ſepultus eſt.Sighardo natus Theodoricus,temporibus Henrici ſecundi, Marchiam amiſit, pulſus inde a Miſtoueo,rege Obotritorum. Recuperauit eandem Vdo comes Soltvvedelenſis,auxiliis Conradi tertij Imperatoris,& Archiepiſcopi Magdeburgenſis. Hoc nati Vdo ſecundus,& Rodolphus,& ruiſus, Vdone Hẽricus:Rodolpho natus Otto,vltimi ex hac familia Marchiã Brandeburgenſem tenuerunt.Nam Primiſlaus,regulus Obotritorũ,inſtigatus ab Hẽrico quarto, eripuit eam rurſus Vdonì ſecũdo,quòd coniurarat cũ Saxonibus, qui Henrico bellum fecerant.Hoc Primiſlao mortuo,MarchiãBrandeburgenſem obtinuit Albertus Vrſus,de quo ſuo loco.

Præfectura limitanea, Sorabis oppoſita, antiquior fuit, cuius etiam,in Francorum hiſtoriis,fit mentio.Ex ea enim Sorabos tumultuantes repreſſerunt, ac ne progrederentur,inhibuerunt. Reliquam de ea eſſe iudico, Marchiam Landsbergenſem,quam,peruetuſtam eſſe,certum eſt. Nec

dubium eſt, in hęc ipſa loca, Francos limitanea præſidia collocaſſe. Per Sorabos autem, Henricus Boiemos mouit, captóque deditione Wenceſlao eorum duce, cum Praga, regionis Metropoli, Boiemiam Imperio fecit tributariam. Contra hos, & Polonos, Sileſióſque, cōdidit Marchias Miſnenſem, & Luſaticam: Marchiam Miſnenſem cōmendauit vni ex poſteris Widechindi iunioris, qui beneficio eiuſdem Henrici, tenuerunt prȩfecturam Soraborū ad Salam, Eliſtrum, Pleuſam, & Albim, titulo dominorū Bithyniȩ, & Sorbeci. Recenſentur autē aliquorū nomina in hiſtoriis, & res geſtæ. Ridacus ægrè Miſniā defendit contra Boiemos: huius filio Carolo excluſo, Otto ſecundus prouinciā tuēdam commiſit Echardo, filio Guntheri, comitis in ea parte Miſniæ, quæ peculiariter à ſitu, orientalis regio vocata eſt. Hic Echardus, eiectis rurſus Boiemis, Marchiam Miſnenſem recepit, & vt fieret hæreditaria impetrauit. Reliquit Hermannum, & Echardum, quos ſecuti ſunt Dedones duo, & Henricus, ex familia dominorum Bithyniæ, vſque ad tempora Henrici quarti, qui Marchiam Miſnenſem tradidit Timoni, domino Bithyniæ, & Soraborum. Hoc Timone orti, & procreati ſunt Marchiones Miſniæ, qui poſtea Miſniæ, comitatum prouincialem Turingiæ, & ducatum, atque electoratum Saxoniæ adiecerunt. Sunt, qui Echardi fratrem Guncelinum nominant, quem Hermannus bello eſt perſecutus, de quibus ſuo loco.

Marchiam Luſatiæ, Henricus commendauit Gereoni comiti Stadenſi, qui Sigefrido Brandeburgenſi ſucceſſit, Gereonem Chriſtianus ſequutus eſt, cui Gereo ſororem ſuam deſpondit. Hic filium Ditmarum reliquit, ex quo natus filius nominis eiuſdem, genuit Ottonem, quo mortuo ſine liberis, Marchiam Luſatiæ obtinuit Dedo, frater Timonis Marchionis Miſniæ. Geſſerūt autem hi marchiones magna bella cum vicinis Polonis, & Boiemis, & aliquot ex illis fortiter præliando occubuerunt. Boleſlaus Polonus penetrauit populabundus ad vrbem Miſenam vſque, genti ὁμώνυμον vi expugnata Budiſſina, poſt primi Echardi mortem. Nec finis bellorum fuit, antequam Otto tertius Poloniā Imperio coniunxit, amicitia, ac fœderibus.

Cūm, ad hunc modum præfecturas limitaneas, Henricus diſtinxiſſet ac prȩſidiis muniuiſſet, condidit etiam Eccleſias. Miſnenſem, Brandeburgenſem, & Hauelburgenſem, ſed pleraſque ab ipſo tantùm inchoatas, Otto primus filius abſoluit.

Hæc

Hæc dum geſſit contra Sclauos, interea Vngari, poſt finitas nouennales inducias, reuerſi, Saxoniam depopulari cœperant. His præproperè occurrit ad Mersburgum, vbi amplius quadraginta millibus eorum, internecione deletis, reliquos fugatos, tota Germania exegit, qua hoc terrore liberata, deinceps domeſticas diſſenſiones ſopiendo, & controuerſias inter vicinos reges Gallicos, componendo, partam pacem confirmauit. Quod eò faciliùs ei factu fuit, quia recèns victoria de Vngaris, & ſuis, & exteris eum formidabilem fecerat.

Ita pacata Germania, cùm iter in Italiam pararet, correptus eſt apoplexia, quæ in paralyſin deſiit. Ea recrudeſcente, cùm Ottonem, filium natu maximum, Imperatorem deſignaſſet, deceſsit ex hac vita, anno ætatis ſexageſimo, Imperij decimo ſeptimo.

Anno Chriſti Saluatoris, noningenteſimo, triceſimo ſeptimo.

Anno mundi, quater milleſimo, noningenteſimo, quadrageſimo quinto.

Sexto nonas Julij, ſepultus Quedlinburgi.

Vxorem habuit Mecthildem, filiam Diterici Saxonis, ſororem Sigefridi, quem dicimus Henricum fuiſse primum marchionem Brandeburgenſem. Fuit autem origo vtriuſque, ex iiſdem maioribus, de quibus hoc annotatum requiro.

Sighardo, qui contra Dagobertum Francum bella geſſit, patre natus Ditericus, quem Carolus Martellus oppugnauit, reliquit filium Wernechinum ducem Angriuariorum, & Iburgi. Hoc nati ſunt Widechindus, & Brunno fratres: Widechindus cum Carolo Magno dimicauit: Brūnone natus Ludolphus, quem Ludouicus Pius, ducem Saxoniæ conſtituit, procreauit filios quatuor, & inter hos Ottonem Magnum, patrem Henrici Aucupis, & Ludegardin ſororem, quæ nupſit Ludouico Arnolphi filio.

Ex Widechindo nati ſunt Widechindus iunior, Soraborum præfectus, & Wigbertus. Widechindus filios habuit Widechindum, & Ditgremum. Ille conductus à Carolo Caluo, profectus eſt in Galliam militatum contra Normannos, ducto ſecum in Galliam Ruperto filio, qui poſtea factus eſt dux Andium. Ex hoc Ruperto nati ſunt reges Gallici. Habuit enim duos filios, Ottonem regem Franciæ, & Rupertum, qui, cum fratre mortuo, regnum Galliæ affectarat, Carolo Simplici capto, tandem interfe-

ctus eſt, & reliquit filium Hugonem Magnum, comitem Pariſiorum, nepotem Hugonem Capetum, qui regnum Franciæ, deleta Caroli poſteritate, occupauit.

Ditgremum, alterum Widechindi filium, Otto magnus patruelis pepulit Saxonia, filium eius Ditmarũ, Henricus Auceps reſtituit. Huius Ditmari filius, Ditericus, pater eſt marchionum Miſniæ, qui nunc tenent electoratum Saxoniæ.

Wigbertus Widechindi iunioris frater, ex Walberto filio, nepotes habuit quatuor fratres, Regẽbertum, Ditericum, Widechindum, Immodum, quem alij Amadeum vocant. Regenberti opera, feliciter vſus eſt Henricus Auceps, in bellis Danicis. Ditericus, cuius filia Mechtildis nupta fuit Henrico Aucupi, celebratur in hiſtoriis, titulo Comitis in Ringelheim. Widechindi filius Alinarus, vtroque parente, religionis ergò, profectis in Galetiam, & laboribus itineris extincta, infans educatus eſt in Italia, vbi tandem potitus ducatu Taurinatiũ, & Eporregiæ, primus ſeſe marchionem montis Ferrati nominauit, conſenſu Ottonis Primi, cuius filiam Adelheidem, quam alij Alaſiã, alij Voleſcam deprauatè nominãt, rapuerat. Ab hoc origo eſt Marchionum montis Ferrati.

Quartus Immodus, ſeu Amadeus, pater eſt ſtirpis Ducum apud Allobroges, quos vocant duces Sabaudiæ.

Tantùm de origine, & propagatione familiæ Saxonicæ, reperio.

Henricus autem, ex Mechtilde coniuge, filios ſuſcepit tres, Ottonem Imperatorẽ, Henricum, cui Otto, poſt mortem Bertoldi, fratris Arnolphi, tradidit ducatum Bauariæ, filiis Arnolphi, Hermanno, & Arnolpho, excluſis à ducatu: ſed donatis parte Bauariæ, titulo comitum in Schiern, qua contẽtos eſſe oportuit, vſque ad Ottonem Witelsbachiũ, conditorem, ex eadem proſapia, ſtirpis comitum Palatinorum ad Rhenum, & ducum Bauariæ. Tertium filium Brũnonem Otto frater Epiſcopum Colonienſem fecit. Natæ ſunt & filiæ Henrico, quarum vnam Gerbirgam, Giſelberto duci Lotharingiæ dedit in vxorem : quæ coniunctio effecit, vt Franci, à Lotharingia abſtinerent, quam bello erant repetituri. Alteram Adelheidem, deſpondit Hugoni Magno comiti Pariſiorum, quæ Hugonem Capetum genuit. Tertiam, Rixam Rodolpho duci Bauariæ, filio Arnolphi, qui poſtea ab Vngaris interfectus eſt. Quartam comiti de Eberſtein in Sueuia. Quinta ordinem ſacrum amplexa eſt.

Ante

Ante coniugium, ſuſceperat ex concubina, filium naturalem Tanguardum: hũc prælio victum, Otto interfecit. Fuit autem excellens virtus, ſapientia, moderatio, & felicitas Henrici, cùm non tantum collapſas res Germaniæ inſtaurarit, ſed & amplificarit Imperium, adiectione plurimarum regionum, Sclauis domitis, & Eccleſiam propagarit, conuerſione gentis Henetæ, ad agnitionem Chriſti, & munierit, atque inſtruxerit vtrumq; accuratè: Imperium quidem pace, & præſidiis, Eccleſias recèns conditas, Epiſcopis & doctoribus, vt non ſit dubium & vocatum eum eſſe diuinitus ad Imperium, & gubernatum, atque adiutum.

OTTO PRIMVS.

HEnrico Aucupi ſucceſſit filius Otto, cui Magni cognomentum peperit, rerum geſtarum amplitudo; quas pace, bellóque, pacata Germania & regnis externis, confirmato Imperio, & Eccleſiis plurimis fundatis, feliciter confecit. Aquiſgrani vnctus in regem ab Epiſcopo Mogũtino Hildeberto, anno Chriſti, noningenteſimo, triceſimo ſeptimo.

Initia gubernationis, quæ difficilia habuit, & periculorum plena, exorſus eſt à bellis domeſticis, quæ vndique ſeſe commouerant tanta, vt videatur tùm Europa in caput, perniciémque Ottonis conſpiraſſe. Cum enim, Arnolpho Malo, duce Bauariæ, mortuo, ducatum attribuiſſet fratri eius Bertholdo, filiis Arnolpho, & Hermanno, iuſſis vſurpare nomen comitum prouincialium, vt fuit antiquitùs vſitatum, hi indigne ferentes, ſe ſpoliari hæreditate paternæ dignitatis, bellum mouerunt in Bertoldum patruum, & Imperatorem.

Deceſſit, eodem tempore, Sigefridus Marchio Brandeburgẽſis, nullo relicto hærede. Eius prouinciam occupauit Tãguardus frater Ottonis, ex concubina, repulſo Gereone, cui Otto prouinciam deſtinarat. Tanguardo ſe adiunxit Eberhardus dux Franconiæ, odio Ottonis, & inuidentia, inque belli ſocietatem pertraxit Giſelbertum Lotharingiæ ducem, ſimulata pollicitatione, inductum in ſpem regni. Eberhardus armatus ſuis, & ſociis auxiliis, ſubſidio venturus Tanguardo obſeſſo Heresburgi, vel, vt alii malunt, Brandeburgi, à copiis Ottonis in itinere, expugnata arce; quam ſcriptores nominant Baſilicum, cepit Henricum Ottonis fratrem, & captiuum abducit.

In Boiemia, eodem tempore, Boleſlaus dux, trucidato fratre Wenceſlao, quod ad Chriſtianos tranſiiſſet, arma

expediuit in Imperatorē, & vicini Vngari periclitaturi vires, & fortunam noui Imperatoris, infeſtis armis, in Franconiam irruerant, hac peruaſtata, Saxoniam aggreſſuri.

His bellis tam difficilibus, atque diuerſis, Imperator implicatus, Bauaricos motus primò compreſſit, & dedentibus ſeſe Brandeburgenſibus, cùm Tanguardo è militibus interfecto, ſedaſſet motus inteſtinos, hac in parte; duxit copias in Boleſlaum Boiemum; cuius belli initia, cùm proſperè ſuccederent, mox & Vngaros repulit. Sed paulò poſt fortuna mutata, Boleſlaus, ex illata Imperatori clade, tantos ſpiritus concepit, vt bellum ſæpe renouatum, produxerit in annum quintum decimum, quo tandem diuturnitate fractus, in Imperatoris fidem ſeſe tradidit.

Interea Eberhardus, interitu Tanguardi, & Imperatoris ſucceſſu, territus, Henricum, ſpe regni incenſum, dimiſit. Conſpirarunt ergo in Imperatorem. Henricus frater, Eberhardus Francus, & Giſelbertus Lotharingus, copiiſque in Lotharingia coactis, & rebus omnibus ad bellum neceſſariis comparatis, atque expeditis, ſe inſtruxerunt: quibus cum re comperta, Imperator ad Rhenum congreſſus, copiis diſſipatis, ipſos in fugam egit. Henricus frater Mersburgum euaſit, vbi obſeſſus ab Imperatore, & vrbe capta, elapſus, cùm triginta dierum inducias impetraſſet, bellum in Lotharingia inſtaurauit, confœderatorum ope. Ab his tum etiam Ludouicus Tranſmarinus, Caroli Simplicis filius, rex Franciç, in auxilium accitus, ſpe recuperandæ Lotharingiæ, Alſatiam inuaſit.

Otto ergo, vniuerſis copiis in Alſatiam adductis, & Ludouico regredi coacto, qui Briſacum præſidio munierat, ſe in hoſtes ſocios conuertit: ad quos ex caſtris Imperatoris transfugerant Epiſcopi Moguntinus, & Argentinenſis, ſed perrupit, & vicit fortuna Imperatoris, Eberhardo, ad Andernacum oppidum, in acie cæſo, Giſelberto ſubmerſo in Rheno, Henrico fratre coniecto in fugam.

Adeſt enim ordinariæ, & legitimæ poteſtati, Deus, & hanc tuetur, huius dirigit, & fortunat conſilia, conatus, & induſtriam, cum ſcriptum ſit: Qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit: non dubiū eſt, ſicut & hoc Ottonis exemplum teſtatur, ſeditioſos puniri diuinitùs, etiam in hac vita.

Geſſit hoc bellum auxiliis, & virtute Hermanni Ducis Sueuiæ, & fratrum eius Vdonis, atque Conradi, qui cognominatus eſt Sapiens: cui propterea Ludgardam filiam collocauit in vxorem, addita dotis, & præmij loco, Lotharingia,

ringia,

ringia; cum Hēricus, Giſelberti filius, ex ſorore Imperatoris Gebirga, obiiſſet. Hermanni verò Sueui filiam deſpondit filio Ludolpho, ad quem, Hermano defuncto, ducatus Sueuiæ, hæreditatis, & ſucceſſionis iure peruenit. Huius Ludolphi, ex Ottone filio, nepotes fuerunt Brunno quem Otto tertius creauit Pontificem Romanum, cognomento Gregorium quintum, & Echardus Marchio Saxoniæ, interfectus à ducibus Saxoniæ Lothario, & Bennone quod aduerſaretur electioni Henrici ſancti: ſed de Brunone nonnulli aliter ſentiunt, vt dicetur.

Tranſegit & cum Ludouico Tranſmarino, atque, vt pacta firmiora eſſent, dedit ei in vxorem viduam Giſelberti, quæ peperit filios Lotharium regem Franciæ, & Carolum, beneficio Ottonis, ducem Lotharingiæ.

Henricus frater, rebus omnibus deſperatis, Ottoni ſupplex factus, venia impetrata vitam conſeruauit, ſed cuſtoditus aliquandiu in arce Ingelheimenſi, tandem matris interceſſione liberationem, & poſt mortem Bertoldi Ducis Bauariæ qui anno noningenteſimo, quadrageſimo octauo, abſque liberis deceſſit, ducatum Bauariæ, à fratre obtinuit. Huius Henrici cognomento Rixoſi, nepos fuit Henricus Sanctus Imperator.

Sopitis hoc modo ciuilibus bellis, in Germania, & affinitate iūcta, cum rege Franciæ, Ludouico; cùm in Gallia, Hugo Pariſiorum comes, capto regi Ludouico, regnū Frāciæ conaretur eripere, & inſolenter minitaretur Germaniæ, quod ἀξίωμα Monarchiæ, totis viribus, repetiturus eſſet; Otto, cum exercitu, acceſſit ad vrbem Pariſiorum, & Hugone grauiter afflicto, adactóque ad pacem petendam, & regno affini Ludouico reddito, Belgas, & Burgundos Gallico regno detractos, Germaniæ adiecit.

Hac expeditione occupatus, amiſit coniugem Edittam Anglicam. De alia ducenda deliberanti, venit in mentem Adelheidis, vidua Lotharij regis Italiæ, de quo ſupra dictum eſt, filia Rodolphi regis Burgundorum. Hanc, poſt Lotharij mortem, Berengarius tenuerat captiuam Papiæ. Suſcepit ergo expeditionē, rogatus, ad Italiam à Tyrānide Berengarij liberandam. Hic Berengarius filius fuit Alberti marchionis Eporregiæ, & Giſelæ filiæ Berengarij primi, qui auo materno, Berengario primo, extincto, cum Rudolpho rege Burgundorum primum, poſtea cum Hugone Arelatenſe comite, Germanicis auxiliis, de regno Italiæ decertauit. Sed Hugo metuens potentiam Berengarij

tranſegit cum eo,talibus conditionibus , vt Berengarius eum filio ipſius Lothario,pari iure regnaret,ipſe tota Italia decederet.

At Lotharius, vix biennium poſt patris diſceſſum, ſuperſtes, ſoli Berengario regnum reliquit; qui cùm viduam Lotharij in vincula coniecisſet, & vſurpato titulo Imperatoris, Pōtificum aſſenſu,filio verò creato rege Romanorum,multa tyrannicè faceret; Otto accerſitus,præmiſſis filio Ludolpho,& Conrado ſapiente genero,fregit Berengarij vires, moxque ſecutus, Adelheiden carcere exemtam,duxit in vxorem; Berengarium verò cum Alberto filio captiuum,abduxit in Germaniam,relicto Papię Conrado genero; ſed hos paulò poſt captiuitate ſolutos, in Italiam remiſit, & in Longobardia regnare iuſſit. Qua re Conradum generum, vt nuptiis ſecundis, Ludolphū filium grauiter offendit. Inde enim mox nouum bellum extitit, conſpirantibus contra Ottonem, filio,& genero; quibus adhærebat Epiſcopus Moguntinus, Ottonis partes tuente fratre Henrico Bauaro.

Reuerſus ex Italia Otto, exercitum filij obſedit Moguntiæ. Filius, vt ſeſe confirmaret, occupata Ratisbona, Henricum patruum ęiecit Bauaria, auxiliis Hermanni,& Arnolphi comitum Schirenſium, qui ſe,hac occaſione,ducatum,quo erant exuti,recuperaturos ſperabant. Sed Otto, mox re comperta, obuiam filio proceſſit,eóque ſine prælio fugato, & intra vrbem Ratisbonam, cum Arnolpho Schirēſi,concluſo, vniuerſas copias vrbi admouit, quam, poſt longam obſidionem, tandem fame expugnauit,cum paulò ante Arnolphus Schirēſis, cuius virtute vrbs defenſa fuerat,in velitatione quadam,trucidatus eſſet. Capta Ratisbona,& mox copiis etiam,quę Moguntiam tenebāt, diſſipatis,omnes hoſtium conatus eliſit. Filio,& genero, nudis pedibus,ad genua ipſius aduolutis,& culpam multis lachrymis deprecantibus,ignouit.

Tantis,tamque continentibus bellis,Vngari rati potentiam Ottonis attritā,& Germanię vires exhauſtas eſſe,copiis denuò quantis antea nunquam,per Bauariam,in Germaniam irruperunt populabundi. Contra hos,ſubitò coëgit exercitū ex Bauaris,Sueuis,Saxonibus,Francis & Boiemis ; cúmque congreſſus , ad Lycum amnem, non procul ab Auguſta,totum exercitum ad internecionem cecidit , perpaucis captis,inter quos ſcribuntur, fuiſſe tres reguli,quos Henricus Bauarus ſuſpendio necauit.

Pugnatum

Pugnatum eſt cum Vngaris ab Ottone eodem die,quo, ante annos quadraginta octo, deletus fuit ab iiſdem exercitus Ludouici Tertij,trium dierũ continẽti prælio,id eſt, quarto Idus Auguſti,anno Chriſti,nongenteſimo,quinquageſimo quinto,altero anno,poſt motũ Ludolphi filij.

Ceciderunt in hoc prælio multi præſtantes viri,& inter cæteros Conradus Sapiens,gener Imperatoris,ſagitta traiectus,cùm,propter æſtũ,galea aperta, reſpirationis cauſſa faciem nudaſſet,cuiùs cadauer Wormatiam delatum eſt, itémque Burghardus Dux Sueuorum,gener Henrici Bauari,cùm Henricus, propter ægritudinem, prælio intereſſe non potuiſſet:qui quidem, eodem anno, paulò poſt pugnam,ẽ viuis exceſſit,Calendis Nouembris.

Liberata ab hoc terrore,& periculo,Germania, Imperator bellum parauit in vicinos Danos & Henetos. Bellum enim contra Sclauos reliquerat pater Henricus,quanquam inclinatum,acciſis eorum viribus, non prorſus tamen cõfectũ.Nullas enim excutiendi noui iugi,nullas religionis, ad quam armis coacti erant, abiiciendæ,veteriſque reuocandæ,occaſiones neglexerunt.

Dani,legatis Imperatoris,& primo Marchione Schleſuici obtruncatis,coloniam Saxonũ, quam eò Henricus Auceps deduxerat,funditùs deleuerant. His ad Schleſuicum deuictis magno prælio,regem eorum Haroldum coëgit,& fidem Chriſtianam accipere,& iugo Imperij ſeſe ſubdere. Locus pugnæ nomen Ottonis retinuit,*Ottenſund*.

Eo tempore,Dania, opera Adaldagi Epiſcopi Hamburgenſis,conuerſa atque confirmata, & in tres diſtributa Epiſcopatus, in Chriſtianæ religionis confeſſione,conſtanter perſeuerauit.

Obtinuit & victoriã contra Henetos, quibus leges,& religionem mutauit,pro idololatrica veteri,noua Chriſtiana impoſita.Conſtituit & Epiſcopatus,à quibus regerentur in iis, quæ ad religionem pertinerent : & Præfecturas quibus corpora ſubiecta eſſent cum fortunis,certis conditionibus:quibus, etſi toto tẽpore Imperij Ottonum, perſtiterunt,tamen poſtea nacti occaſiones nouas,ex Principum de Imperio contentionibus, iis repudiatis,Imperióque detrectato, ac multis illatis damnis, ſeſe inde iuiſus exoluerunt,& idololatriam veterem renouarunt. Hanc, cùm Princeps ipſorum Godeſcalcus, inſtitutus in religione Chriſtiana,ſub Conrado Saliquo,denuo aboleuiſſet, a ſuis eſt obtruncatus,qui in Idololatriam priſtinam relapſi,

in hac permanſerunt per annos octoginta quatuor, vſque ad Henricum Leonem, & Albertum Vrſum, Principes. Hi tandem, Sclauorum familiis, multa cæde, attenuatis, & extirpatis, ínque eorum locum nouis colonis adductis, ex Belgico præcipuè, & Weſtualia, perfecerunt, vt reliquiæ oppreſſæ nouorum colonorum multitudine, nihil moliri amplius, aut turbare poſſent, vel auderent. Henricus enim, Ducem eorum Bribiſlaum, tota ditione pepulerat. Eundem poſtea ab exilio reuocatum, ſibi adiunxit contra vicinos hoſtes. Ab hoc Bribiſlao origo eſt Ducum Megalburgenſium.

Hæc dum bella domi geſſit Otto, Ludolphus compeſcuit in Italia Berengarium, crudeliter, & ſine diſcrimine ſæuientem in quoſcunque: & cædibus atque exiliis patriam deſolantem. Vbi, re infeliciter geſta, mortuus eſt, anno Chriſti, noningenteſimo, quinquageſimo ſeptimo. Cadauer eius frater Wilhelmus, quem pater fecerat Moguntinum Epiſcopum, poſt Friderici obitum, ſepeliuit in æde diui Albani. A morte Ludolphi, cùm Berengarius, reſumpto animo, ſæuitiam exaſperaſſet, vrgentibus & exulibus Italis, & Pontifice Romano Johanne xii. Otto ipſe decreuit, & indixit bellum Berengario. Ad id gerendum antequam profectus eſt, habito conuentu procerum Imperij Ratisbonæ, Ottonem filium ſeptennem, Imperatorem declarauit, & Wilhelmo fratri, Epiſcopo Moguntino, educandum atque erudiendum tradidit, indéque, primo vere, ſuperatis Alpibus, Italiam ingreſſus, Ticinum vi, cæteras vrbes deditione cepit.

Berengarium fugientem inſequutus, ex itinere Romam adiit, vbi ſalutatus Imperator à Johanne Pontifice, vrbem occupauit, iurantibus in verba Imperatoris Senatu populóque, & ſe in poteſtate eius fore, ac fidem præſtituros pollicentibus. Factum id eſt, anno Chriſti, noningenteſimo, ſexageſimo ſecundo. Sed vix ab vrbe diſceſſerat, ad obſidendum Berengarium, qui, cum vxore Willa, abdiderat ſeſe in montem Leonis, vbi & cepit eum deditione, & abductum in Germaniam, condemnauit ad perpetuos carceres, Bambergę; in quibus vitã finiit, cum coniuge. Eò igitur vix ab vrbe, exercitu, mouerat, cùm Pontifex, mutata voluntate, & fide, Alberto Berengarij filio, clam intromiſſo, vrbem tradidit. Eo cognito, Imperator iratus, rediit, cum exercitu, ad vrbem, & quia Pontifex, cùm Alberto, aufugerat; denuò vrbem, religione iuriſiurandi obliga-

tam

tam,coëgit renouare promiſſionem , renuntiati iam olim iuris,in electione Pontificis, ſcilicet,non ſeſe vllum poſthac Pontificem creaturos,ſine conſenſu Imperatoris.

Celebrauit & Synodum in vrbe , veterum Imperatorũ exemplo,in qua Johannem XII. propter perfidiam , turpes libidines,& alia crimina, mouit pontificatu,& in eius locum ſuffecit Leonem IIX. Hic Leo,in eadẽ Synodo,facto decreto, Ottoni,ſicut Adrianus antea,Carolo Magno,cõtulit ius,& poteſtatem eligendi , & cõſecrandi Põtificem Romanum,& ordinandi ea, quæ ad ſedẽ Apoſtolicã pertinent:item Epiſcopos conſtituendi , atque confirmandi. Fecit, & declarauit irritam electionem omnem , non approbatam conſenſu Imperatoris. Denique omnes,qui vel labefactarent decreti authoritatem , vel ſeſe ingererent, non expectato aſſenſu Imperatoris , eiiciendos ex Eccleſia,& anathemate feriendos,cenſuit.

Extat hoc decretũ diſtinctione 63. cui , paulò poſt,ſubiungitur formula iuramenti , quo ſe ferunt Ottonem deuinxiſſe Johanni Pontifici, quod nullum velit Papæ creare periculum vitę,neque honorẽ illi,aut dignitatem abrogare. De rebus verò ad vrbem pertinentibus, quod nihil deliberare velit,aut decernere,niſi ex ſententia Pontificis. Quam iuramenti formulam , impudenter cõfictam eſſe,& ſuppoſititiam , ſicut & donationẽ Ludouici Pij, quæ mox hanc antecedit , manifeſtum eſt,ex veriſſimis teſtimoniis hiſtoriarum, quæ hæc mendacia refutant.Etſi enim neque Otto , quis fuerit , expreſſum eſt, neque quotus Johannes pontifex, tametſi fuit Otto primus,& Johannes XII.quomodo inter ſe congruunt Leonis conſtitutio , & promiſſum Johãni factum,quod oportuit præceſſiſſe,aut promiſſo,quomodo conſentiunt,quæ, amoto, & pulſo Johanne, de Imperatoris authoritate , in Synodo decreta, Leo promulgauit ? quæve & Otto primus,& ſequuti eum aliquot Imperatores,ad bella Henricorum vſque, in vrbe,& contra Pontifices ſtatuerunt,aut ſanxerunt?Sed ſit fides horũ, vt plurium aliorum,penes authores ipſos.

Sedatis motibus in vrbe,Imperator profectus eſt ad cõſtituendos Principatus, Spoletanum,& Camerinum. Interea Romani corrupti ab Alberto , filio Berengarij , Johannem reuocarunt , Leonem pepulerunt vrbe, & Johanni,poſt reditum, procaci libidine turpiter extincto,contra datam paulò ante,& iuramento obſtrictam,fidem,in pontificatu ſurrogarunt alium,nomine Benedictum. Hac per-

fidia grauiter offenſus Imperator , reduxit exercitum ad vrbem , atque ad defenſionem paratam , obſidione cinxit, tam arctè,omni vndique concluſo,& obſepto aditu,vt penuria commeatus,ciuibus penè deuentum ſit ad humanas carnes.Vrbe in deditionem accepta,ciuibus pepercit. Sed Benedictum Pontificem mulctatum exilio , Adaldago Hamburgenſi Epiſcopo tradidit cuſtodiendum , apud quem mortuus eſt.

Conſumſit his bellis, totum biênium:quo exacto,Italia liberata tyrannide Berengarij , conquieuit aliquantulum, cùm,ante Ottonem,per annos ſexaginta, multiplicem ſæuitiam experta,dominos,vario bellorum,& fortunę euentu,crebrò mutaſſet,perfidia præcipuè Pontificum,& nonnullorum,qui Pōtificibus addicti,nunc hos,nunc alios,factionum ſtudio,attrahebant, qui quidē & hanc ipſam,virtute,&ſapientia Ottonis,reparatam quietem,non ſiuerunt eſſe diuturnam.Vix enim,reuerſo in Germaniam Ottone, Leo pontifex exceſſit è viuis.

Miſſi ſunt ergo ad Imperatorem , qui de huius obitu ſignificarent, & ſucceſſorem decerni peterent. Deſignatus eſt,authoritate Imperatoris,Johannes XIII.Hunc aliqui ex nobilitate , Imperatoris odio,& ſtudio euehendi alterius, in carcerem detruſerunt. Quo comperto,Imperator,cùm domi res Germanicas compoſuiſſet , ratus exemplo fore opus,ad retundendam toties iteratam contumaciam, Romam accelerauit. Etſi autem ante aduentum Imperatoris ad vrbem,authores captiuitatis, metu dimiſſum Pontificē reſtituerant, nihilominus perrexit Imperator, & tredecim ex illis,quos compererat fuiſſe Principes conſilij, de Pontifice capiendo,ſuſpendio puniuit.

Diutius commoratus Romæ , vt diuturniore præſentia frangeret improborum audaciam , ac molitiones, euocatum eò Ottonem filium,curauit renunciari Imperatorem, quòd conſpectum ſucceſſoris certi, profuturum,ad maiorem vrbis tranquillitatem,cenſeret. Ante huius aduentū, Nicephorus Conſtantinopolitanus Imperator , metuens potentiam Ottonis,miſſis legatis,renouauit pacta vetera, quæ cum Imperatoribus Francicis maiores fecerant.Otto viciſſim confirmandæ amicitiæ cauſſa, per legatos petiuit filio coniugem Theophaniam,priuignam Nicephori,filiā Romani.Id indignè ferentes Græci,legatos Ottonis in itinere violarunt.Hac iniuria irritatus Imperator , Apuliam & Calabriam , quæque in Italia Græcis adhuc parebant,

longè

longè latéque depopulatus eſt. Tandem adductam Theophaniā filio dedit in vxorem, & nuptiis peractis, rediit in Germaniā, vbi, cùm, ſe abſente, venæ metallicæ, apud Bructeros, ad Goſlariam, repertæ fuiſſent, oppidum illud exornare cœpit.

Priuſquam expeditionem in Italiam ſuſcepit, quòd, amiſſis Ludolpho filio, & Conrado genero, neminem haberet ex ſuis, cui tutò Saxoniæ gubernationem committeret, ſe abſente, in tam dubia fide vicinorum, quos recèns bello domuerat, prætulit cæteris nobilem quendam Hermannum humili loco natum, patre, quem hiſtoriȩ vocant, Bilichium, cuius fidem, integritatem, ſapientiam, & induſtriā ſæpe antea, rebus difficillimis, perſpexerat, ac probarat. Hunc, ex Italia reuerſus, creauit Ducem Saxoniæ, attributa ei, in Saxonia, hæreditate Gereonis Marchionis Stedenſis. Ab hoc defluxerunt duces Saxoniæ, qui tenuerunt tractum circa Luneburgum, vſque ad Magnum vltimum ducem, quo ab Henrico quarto capto, & carceris ſqualoribus enecato, ſine ſuperſtite prole maſcula, Henricus quintus ducatum Saxoniæ attribuit Lothario Imperatori. Henrici Aucupis proſapia tenuit Brunſuigam titulo marchionum Saxoniæ, vſque ad eundem Lotharium, Echardo poſtremo Marchione, ad Brunſuigam, in molendino interfecto.

Cùm autem Imperia diuinitùs conſtituantur, & conſeruentur præcipuè, non propter otium, & voluptates hominum, ſed propter Eccleſiam, vt ſint aliqua Eccleſiæ hoſpitia, vbi homines legibus, & diſciplina cicurati, excultíque artibus, ac doctrinis manſueſcant, atque ad humaniorem viuendi rationem traducantur, & muniti, ac recti Monarchiarum potentia, Deum rectè agnoſcere diſcant, & inuocare: Otto intelligens propagationem religionis, & Eccleſiæ præcipuè ad munus ſuum pertinere, bella quæ geſſit, non tantùm ad eum finem retulit, vt ampliatis finibus Imperij, firmatiſque, dulcem ſuis tranquillitatem compararet, ſed etiam, vt Eccleſias ante conſtitutas exornaret, & iis gẽtibus, quæ adhuc alienæ erant à profeſſione Chriſtiana, ad Deum conuerſis, ceu proferret limites regni Chriſti, in genere humano.

Præſtitit ergo Danis, & Henetis, quod antea Saxonibus, Carolus præſtiterat. Fundauit Eccleſias, diſtributas in Epiſcopatus, ordinatis reditibus annuis, quibus Miniſtri Eccleſiarum alerentur. De Danis ſupra dictum eſt, Henetis

condidit Epiſcopatus Aldeburgenſem, Hauelburgenſem, & Brandeburgenſem, quos ſubiecit metropolitæ Hamburgenſi. Sorabis Magdeburgenſem, Mersburgenſem, Cicenſem, & Miſnenſem: Magdeburgenſi attribuit fontes ſalis, qui ſunt in ſalinis Saxonicis.

His tantis rebus confectis, cùm anno Chriſti, noningẽteſimo, ſeptuageſimo quarto, feſtum aſcenſionis Domini celebraſſet Mersburgi, inde profectus Quedlinburgũ verſus, ſubitaneo correptus morbo, quem apoplexiam fuiſſe ratiocinor, è vita exceſſit nonis Maij, anno regni triceſimo ſeptimo, Imperij decimo tertio.

Anno à nato Chriſto, noningenteſimo, ſeptuageſimo quarto.

A mundi initio, quater milleſimo, noningenteſimo triceſimo ſexto.

Viſcera Ottonis condita perhibentur in Turingia, ad Oreſtrum fluuium, vbi fuit cœnobium Mimleben, quod adhuc hodie ſupereſt. Cadauer ſepultum eſt Magdeburgi: Princeps, quo, poſt Carolum Magnum, Germania vix habuit præſtantiorem, ſiue ardens veræ pietatis erga Deum, ac religionis propagandæ ſtudium, ſiue rerum geſtarum magnitudinem, ſapientiam in gubernatione, atque induſtriam militarem: ſiue cæteras mitiores virtutes, iuſtitiam, clementiam, manſuetudinem, moderationem in victoria ſpectemus. Reſtituit enim Imperium, quod erat horribiliter dilaceratum: pacauit Germaniam, Galliam, & Italiam; contudit Vngaros, eiectos Italia, & Germania: Danos, Sorabos, Henetos, Boiemos perduxit ad ſocietatem Eccleſiæ. Tot modis laceſſitus, nihil ſeuerè, crudelitérque ſtatuit, ſed victis clementer ignouit, ac pepercit, deleta ex animo omni offenſionum memoria, quod in primis magni, & heroici animi argumentum fuit.

στρεπταὶ γὰρ φρένες ἐσθλῶν, inquit Homerus. Et:

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Vxores habuit duas: primam Edittam Eduardi Anglorum regis filiam, ex qua nati filij Ludolphus Sueuiæ dux, de cuius poſteritate dictum eſt, & Wilhelmus Epiſcopus Moguntinus: Filia Ludgarda, quæ fuit coniunx Conradi Sapientis, Frãcorum ducis. Hanc amiſſam anno noningenteſimo, quadrageſimo octauo, ſeptimo Calendas Februarij, ſepeliuit Magdeburgi: Alteram Adelheiden, viduam Alberti regis Italiæ, ex qua genuit filios Henricum primogenitum

nitum

nitum, Brunnonem,& Ottonem II.ſucceſſorem, filiam Adelheidem,quam in vxorem tradidit Hugoni Capeto,comiti Pariſiorum,regi Franciæ.

Tribuunt Ottoni primo & filiam Alaſiam, ſeu Voleſcã, quam Alramus,filius Widechindi Saxonis,comitis in Ringelheim rapuit. Propter eam Ottoni reconciliatus, obtinuit ducatum Eporregiæ,& Taurinatium titulo Marchionum Montisferrati, quod nomen inde extitiſſe ratiocinor, quod ea pars Alpium diſtingueret regnum Franciæ ab Imperio, verſus Italiam.

OTTO SECVNDVS.

OTto ſecundus,Magni filius, puer ſeptennis,Aquiſgrani in Germania,poſtea,cùm adoleuiſſet Romæ, anno Chriſti , noningenteſimo , ſexageſimo quarto,declaratus patri in Imperio ſucceſſor : prima militiæ tyrocinia , patre viuo,magna cum laude, fecit in bello contra Græcos , & Saracenos, in Italia vlteriore, quod extitiſſe à violatis legatis,ſupra diximus , quos Conſtantinopolin Otto pater miſerat,confirmatum amicitiam cum Nicephoro Imperatore Orientis,& petitum filiam Theophaniam Ottoni filio,in vxorem. Id bellum enim præcipuum geſſit Otto filius,Græcoſque tunc tota penè Calabria , & Apulia eiecit, Saracenis,qui recens Conſentiam,inopinato aduentu oppreſſam,receperant,& cum Græcis ſocietatem inierãt, partim cæſis,partim diſſipatis.Tantam hæc proſpera,& læta initia,& formidinem hoſtibus iniecerunt, & authoritatem ipſi pepererũt, vt patre mortuo,facilè Imperium obtinuerit citra cuiuſquam aduerſationem,vno excepto Henrico, duce Bauariæ patruele , quem Hezelonem cognominant. Hic enim Ottoni Imperium inuidens , pertractis in ſuam ſententiam aliquot Epiſcopis, ſe Ratisbonæ Imperatorem nominauit.Sed Otto,quod potentia antecelleret, & beneuolentia,ac ſtudio ſubditorum, Henricum ad cauſſam dicendam accerſitum,ſine armis coëgit pacem petere , depoſito,quem aſſumſerat, titulo Imperij. Propter hanc molitionem,exilio eum multauit, & Bauariæ adminiſtrationẽ commendauit Ottoni , Sueuorum duci , nepoti ex fratre Ludolpho.

Henrico Bauaro ſub iugum redacto,arma vertit in reges Danicum Heroldum,Polonicum Meſiconem,Boemicum Boleſlaum, quos fœderibus ſibi adiunctos , concitarat in Ottonem Henricus. Sed hi ſtatim armis poſitis , cum Imperatore in gratiam redierunt.

Succeſſit ergo patri Otto,anno Chriſti,noningēteſimo ſeptuageſimo quinto:& quāquam pręclarè ſeſe dederunt initia,tamen fortuna,quę ſecura eſt,principiis non reſpōdit. Aduerſam enim hanc ſæpiùs,quàm ſecundam,in reliquo gubernationis,& bellorum curſu,expertus eſt.

Iis,quæ diximus,bellis domeſticis ipſo diſtento,Lotharius Franciæ rex, Lotharingiam armis repetiit, quam, etſi Lothario ad famam aduentantis Imperatoris cedente,celeriter recuperarit, tamen cum incautiùs,& confidentiùs Aquiſgrani diuerſaretur, præpropero,& improuiſo Lotharij reditu,penè oppreſſus eſt, vbi, niſi fuga euaſiſſet,in Francorum deueniſſet manus.Irritatus hac ignominia, cum exercitu populabundus, ad ipſam vſque Pariſiorum vrbem penetrauit,& Lotharingiam receptam, denuóq. Germaniæ copulatam,ſed tractuum quorundam auulſione diminutā, quos Epiſcopis,Colonienſi,& Leodienſi attribuit,donauit Carolo,fratri Lotharij: ea tamen lege, vt beneficio Imperatoris,tanquam prouinciam Germaniæ,poſſideret. Inde cùm reuerteretur,reditu intercluſo,Axonæ fluminis inundatione,magna paſſus eſt detrimenta,multis amiſſis,quos partim aquarum impetus abſorpſit, partim interfecerunt ij,qui nouiſſimo agmini prædæ inhæſerunt.

Rebus domi expeditis,adornauit expeditionem in Græcos & Saracenos.Nam Baſilius,& Conſtātinus Imperatores Græci,fratres Theophaniæ,cùm, ſuperatis proſperè in Syria, & ex Creta inſula exturbatis Saracenis, comperiſſent Ottonem domi bellis domeſticis diſtineri, conductis pecunia,ad belli ſocietatem, Saracenis Siculis, Apuliam omnem,& Calabriam recuperarunt,quas Nicephorus nuper amiſerat. Has Otto repetiturus, vt ſuas prouincias, coëgit copias vniuerſas Germanicas,& Italicas, atque in deſcenſu ex Alpibus, per Ottonem Sueuorum ducem, depulſis ex Iſtria,& Dalmatia Græcorum pręſidiis, eó vſque limites Imperij produxit.

Prima caſtra contra Græcos,fiducia auxiliorum Saracenicorum feroces,vniuerſis copiis fixit ad Beneuentum, vbi commiſſum eſt prælium atrox. Sed Romanis,& Beneuentanis ſceleratè aciem deſerentibus reliquæ copiæ Imperatoris fuſæ,fugatæque ſunt:ipſe,abiectis armis,& veſtibus,ad Sinum Tarentinum, Roſanámque eius littoris vrbem,vbi Theophania vxor,& Theodoricus Mediomatricum Epiſcopus ſubſtiterant,cum impedimentis,curſu cōtendit, ſpe euadendi in vrbem: verùm cùm vrgentium Sara-

Saracenorum interuentu, terra excluſus eſſet, in mare deſiliit adnataturus ad vrbem, ſed ab hoſtium nauibus interceptus eſt, vbi, cùm non agnoſceretur, pretio ſeſe à nautis redemit. Sunt qui in Siciliam traductum, & poſtquam agnitus eſſet, piratis ereptum, reductúmque in Italiam, Siculorum opera, affirmant, quod veriſimile non eſt.

Sed, quoquo modo ſe res habet, euaſit ex hoſtium manibus, ſeruatus diuinitùs admirabiliter. Eſtque hæc ipſa Ottonis conſeruatio, exemplum inſigne, cùm inconſtantiæ rerũ humanarum, tum præſentiæ diuinæ in Imperiis, quod adſit Deus Imperiis iuſtis, ea tueatur, & ſeruet, & bonos, ac iuſtos Principes protegat, atque ex circumfuſis malis, admirandis modis eripiat, cum omnibus humanis præſidiis deſtituti videntur.

Græci, ſi perrexiſſent, tota Italia nullo negotio fuiſſent potituri, ſed accidit eis, quod omni tempore euenire conſueuit, vt tunc à ſociis Saracenis impediti, & paulò poſt oppreſſi, penitùs tota Italia, & Sicilia exciderint, quas terras non longè poſt Normanni, à Georgio Maniace, contra Saracenos, inuitati, eripuerunt vtriſque.

Otto, cùm exercitum amiſiſſet, & penè Imperium, diuinitùs ſuis redditus, diſiectas, dilapſáſque reliquias, quantas potuit, collegit, bellum inſtauraturus: in quo eum, nonnulli ſcribunt, Saracenorum auxiliares copias, ad internecionem deleuiſſe, indéque adeptum eſſe cognomentum, vt vocaretur, pallida mors Saracenorum. Deinde puniſſe profugos Beneuentanos, & Romanos, illos, vrbe patria exciſa, ac ſolo æquata, hos, domi cædibus, & ſuppliciis.

Ad hunc modum cùm Italiam à Saracenis liberaſſet, Ottonem ducem Sueuiæ remiſit in Germaniam, qui, antequam fines patriæ attigit, è vita emigrauit, pridie Calẽdas Nouembris, anno Chriſti, noningenteſimo, octogeſimo tertio. Hunc Otto ipſe paulò poſt ſequutus eſt. Mortuus eſt enim ventris profluuio, ſexto Idus Decembris.

Anno Chriſti, noningenteſimo, octogeſimo tertio.

Anno mundi, quater milleſimo, noningenteſimo, quadrageſimo quinto, Imperij decimo. Conditus Romæ in Baſilica S. Petri, ſepulcro porphyretico: Princeps alioquin egregius, ſed patre multò inferior, vt qui felicitate, & virtutis paternę memoria, plus initio, quàm induſtria propria geſſit poſtea.

Ex Theophania ſuſcepit filios Ottonem III. puerum, Hugonem, quem alij Vlricum nominant, marchionem

Saxoniæ, & filias quinque. Narrant eum aliam etiam habuiſſe coniugem, ex familia Marchionum Auſtriæ, ſed quæ fuerit illa, quibúſve ſit orta parentibus, non annotãt. Tribuuntur ei & filiæ plures, inter quas vnam prodiderunt fuiſſe coniugem trium regum, primo Meſcouis Poloniæ, deinde Boleſlai Bohemiæ, poſtremò Vngariæ regis, ſed hæc, quod certi, & explorati nihil de eis reperiam omitto.

OTTO TERTIVS.

CVM Ottone ſecundo mortuo, filius Otto cognomento puer, per ætatem nondum idoneus eſſet ad imperium, nouæ, de ſucceſſione, contentiones exortę ſunt. Romanis author erat Creſcentius, vt ſuũ ſibi crearẽt Imperatorem, nec Germanos amplius admitterẽt. In Gallia, Germanis bellum inferebat Lotharius, de erepta ipſi, ab Ottone Secundo, Lotharingia: & de axiomate Imperij. In Germania Henricus Bauarus, denuò, fiducia nonnullorũ ordinum, ad Imperium aſpirabat. Is, poſt mortem Ottonis Sueuici, ab exilio reuerſus, Bauariam receperat, & vt, prætextu tutelæ, facilius Imperium conſequeretur, patre mortuo, Ottonem puerum ad ſe tranſtulerat. Plurimi ex proceribus Germaniæ, Ottonem ab Henrico repoſcebant, & huic, vt hæredi legitimo, Imperium deferebant. Vicit tamen ſententia eorum, qui Ottonem Imperatorem eſſe volebant.

Otto ergo & ſuffragiis, conſenſuque procerũ, & ſucceſſione adeptus Imperium, quàm primùm ætas maturuit, rebus domeſticis conſuluit. Interea Lotharius, qui Lotharingiam repetiuerat, deſiit eſſe in viuis. Ludouicus, filius eius, tãtum vnum annum poſt patrem ſuperſtes, fato & ipſe functus eſt. Interiit & Carolus, Lotharij frater, ab Hugone Capeto oppreſſus, & captus, dum è Lotharingia, regnum Francicum, tanquam ſibi debitum, iure hæreditario, occupare conatur. Ita Hugo comes Pariſiorũ, ſtirpe Carolina prorſus abſumpta, dudum appetitũ, affectatúmque regnum Franciæ, tandem obtinuit: de quo, ne cogeretur cum Germanis dimicare, citra controuerſiam axioma Imperij Ottoni conceſſit, & Caroli filium, Ottonem, ab omni ſpe regni Francici excluſum, ſiuit Lotharingiam, beneficio Imperatoris, poſſidere. Hic Hugo, vt dixi, conditor eſt tertiæ ſtirpis regum Franciæ, quæ & res magnas geſſit, pro republic. Chriſtiana in Europa, & adhuc regnum tenet. Prima enim à Merouæo in Hilderico rege, quẽ Pipinus, Caroli magni pater in monaſterium ingredi compulit: Secunda Pipi-

da Pipini, & Caroli magni, in hoc Ludouico vltimo deſiit.

Cùm ergo in Germania, à domeſticis, & externis motibus, tranquillitas eſſet, Italia verò, aut cum ſeditionibus conflictaretur perpetuis, aut, ſi quieſceret, non deſineret tamen occaſiones quærere, quibus à Germania & ſeſe auelleret, & axioma Monarchiæ transferret vel ad ſuos, vel ad alienos ſuo arbitrio, pernicioſo prorſus nimiæ libertatis amore, ac ſtudio: quæ res magnorum, & cõtinuorum motuũ cauſſa fuerat, per annos ſexaginta: Otto totus in eam curã, cogitationémque incubuit, quomodo ſaluti, & quieti Italiæ conſuleret, & Germaniæ illam copularet, ad eum modum, vt æquabili ſeruitutis, ac libertatis temperamento, Germania bello partam Monarchiæ Romanę, atque Italiæ poſſeſſionem retineret: Italia viciſſim Germaniæ & axioma Imperij relinqueret, & certis legibus pareret, atque ab hac, cùm opus eſſet, defenderetur. Hanc tantam rem, quomodo ordiretur, & quibus artibus, atque conſiliis perficeret, non dubito diu eum ſecum, & cum aliis deliberaſſe.

Quod autem comperiſſet, Creſcentium vſurpata poteſtate conſulari, vel tribunitia, Romæ tumultuari, & Pontificem vrbe pepuliſſe, eò cum exercitu profectus eſt. In itinere, cùm ad Rauennam ſubſtitiſſet, allatus eſt opportunè nuncius de morte Pontificis. Statim ergo decreuit ei ſucceſſorem agnatum ſuum, Brunnonem, filium Ottonis, ducis Sueuię, Ludolphi nepotem, qui, nomine mutato, Gregorius quintus appellatus eſt. Nonnulli nepotem fuiſſe tradunt Conradi Sapientis. Huius opera, & conſenſu, vt diceretur, quod de Imperio conceperat, exequutus eſt. Pręmiſit autem Pontificem Romam. Ipſe cum exercitu ſequutus eſt, & intromiſſus in vrbem, Creſcentio ignouit.

A Pontifice declaratus Imperator, conſtituerat redire in Germaniam, ſed cùm, illo vix digreſſo ab vrbe, Creſcentius rediret ad ingenium, & eiecto Gregorio, Pontificem feciſſet, priuata autoritate, Johannem Placentinum, hominem prædiuitem, inſtauraſſet mœnia vrbis, apparaſſet neceſſaria ad defenſionem, &, ſi foret opus, etiam ad ferendam obſidionem, re cognita, Imperator Romã, quantis potuit itineribus, reuerſus, Creſcentium in vrbe obſeſſum cepit, & vili iumento facie auerſa, impoſitum, circumduxit per vrbem, tandemque longo cruciatu laceratum, ad portam, cum duodecim aliis ſeditionis ſociis, ſuſpendit, Iohannem Placentinum naſo truncatum, & exocula-

tum,præcipitauit de Capitolio. Cæteros Senatores conſiliorum,& molitionum Creſcentij conſcios,exilio mulctauit,deportatos in Saxoniam.

Ex his ſeditionibus ſumpta occaſione,cum Gregorium reſtituiſſet, decretum fecit, Pontifice aſſentiente, ídque ſanciente, & promulgante, vt in poſterum ius omne,atq; poteſtas eligendi Romanum Imperatorem eſſet apud ſolos Germanos, nec liceret Romano Pontifici quenquam proclamare Imperatorem, niſi quem proceres Germaniæ, ad id faſtigium euexiſſent.

Huius cõſtitutionis,ſine dubio,cauſſas habuit grauiſſimas. Meminerat enim, quanta inter Francos de Imperio orbis Chriſtiani bella extiterant: quoties maiores ipſius, cum iiſdem, de eodem decertarant: quoties non Imperatores,ſed Tyrannos mutarit Italia, & quantis fuerit iniuriis,ac direptionibus Græcorum, ac Saracenorũ obnoxia, Germanorum defenſione, ac præſidiis deſtituta:nec quieturos norat Francos, tantiſper donec aliqua de Imperio ſpes ſupereſſet,quos omnibus inhiare occaſionibus, retrahendæ ad ſe Monarchiæ didicerat.

Meminerat etiam, quomodo ex perniciofis de Imperio contentionibus,creuerit Tyrannis,& potentia Pontificum Romanorum,& licentia Principum Italiæ,& ſimilia multò magis in poſterum conaturos, animaduertebat, poſt auulſam à Germanis Franciam,memoria veterum bellorũ, inter Longobardos, & Francos, quos Pontifices inter ſe commiſerant,donec Longobardi ſuperati, cum ſpe Imperij,regnum ſuum perdiderunt.

Præterea intelligebat, orbi Chriſtiano neceſſariam fore Germaniæ,& Italiæ coniunctionem, contra imminentem vim externam à Græcis, Saracenis,Henetis,Vngaris,Turcis, quorum tunc in Aſia creſcebat potentia: præſertim ſi vtramque teneret Imperator ex gẽte bellicoſa, & potente, qui non tantùm Germaniæ, & Italiæ defenſor eſſet, ſed etiam præcipuus,inter reges orbis Chriſtiani, publici conſilij Princeps, & cæterorum dux in tuendo pio cõſenſu Eccleſiarum, & in reprimendis barbaris gentibus, quibus Italia, à vicinis deſerta,ſemper fuerat impar. Hanc coniunctionem effici poſſe, firmaríque videbat, cùm animorum etiam inter ſeſe mutuo coalitu, non aliter, quàm ſi certis legibus Germani imperarent,Itali parerent,quibus ad imperandum vires deerant ac nerui.

Denique nec finem fore,ſeditioſarum conſpirationum,

ſuper-

ſuperbæ gentis Italicæ, contra quemcũque Imperatorem, digladiationúmque inter ipſos Italiæ Principes, de Imperio, aut irruptionis peregrinarum gentium aſſiduæ, nec reprimi, aut prohiberi contentiones, de eodem, ac certamina alibi, nec Francis ſpem recuperandæ Mornarchiæ adimi, nec Germanis, quod ſua virtute acquiſiuerunt ἀξίωμας Imperij, confirmari aliter poſſe, proſpiciebat: niſi hoc obtineretur, vt nec aliis, quàm Germanis, nec aliunde, quàm ex Germanicis familiis Imperatorem creare liceret. Ad externos enim hoſtes terrendos, & in metu, atq. officio continendam Italiam, deniq. ad ſtabilitatem, ac firmitatẽ Imperij tuendam, hoc fore accommodatiſſimum videbat, ſi certò conſtaret, Imperatorem non aliunde expectari oportere, quàm ex vicina gente Germanica, quæ cæteris gentibus bellica virtute, ſucceſſibus, & potentia, magnum terrorẽ incuſſerat, & axioma Imperij Francis eripuerat, & Italiam recèns magnis terroribus, ac periculis liberarat.

Has, exiſtimo, Ottonem habuiſſe cauſſas conſilij, de trãſferenda omni poteſtate eligendi Imperatoris Romani, in ſolos Germanos: quo perfectũ eſt, vt poſſeſſio Imperij apud Germanos, perpetua fuerit, inde vſque ab Ottone, nec propagata ſit ſucceſſione, ſed tradita iudicio delectis, & vt ordines Germanię, non tantùm regem Germanię, ſed Imperatorem Romanorum, & orbis Chriſtiani, deſignarint. Pontificibus non eſt plus relictum iuris, aut poteſtatis ab Ottone, quàm habuerunt antea, beneficio, & conceſſione Caroli Magni: qui à Romano Epiſcopo renuntiationem Imperatoris ſolennem, id eſt electionis, aut decreti legitimè facti, promulgationem fieri voluit, qua notum fieret orbi Chriſtiano, hunc Imperatorem ritè electum eſſe. Non enim tradit, hac renuntiatione, Pontifex Imperiũ electo, ſed profitetur, ac teſtatur, huic ab iis, penes quos eſt poteſtas electionis, curam, & gubernationem orbis Chriſtiani impoſitam eſſe, atque commendatam. idque facit, non iure diuino, ſicut adulatores pontificij impudenter comminiſcuntur, ſed conceſſione, vt dixi, Imperatorum.

Ad hanc tamen renuntiationem, non eſt alligata poteſtas Imperatoris, ſed ſuffragia, & ſententias eorum, à quibus confertur. Confertur autem, Ottonis decreto, atque inſtituto, à Principibus Germanię, qui hoc eis ius, & potuit tribuere, & rectè tribuit, tanquam verus Monarcha Occidentis, & Italiæ dominus. Nec magis tradit Imperium electo, Pontificis vox & conſecratio, quàm conſula-

tum tradebant ſucceſſoribus, conſules Romæ, magiſtratu abeuntes, cùm ad populum, de creatis à Senatu cōſulibus, referrent. Et valde conſentaneum eſt, vel in eum præcipuè finem, Ottonem hanc conſtitutionem voluiſſe facere, vt iniiceret frænos tyrannidi Pontificum. Meminerat enim, quanta hi perfidia, diſſidia excitarant, & aluerant in orbe Chriſtiano quoties & quanta immanitate, attractis in Italiam, interque ſeſe commiſſis peregrinis gentibus, patriam cædibus, ac ſanguine compleuerant vt vel cupiditates explerent ſuas, vel tollerent, quos officere iis rebus experiebātur, quas moliebantur: denique, qua ambitione, quos vellent, accerſerent, quos odiſſent, vel repellerent, vel deponerent.

Illorum verò deteſtanda eſt impudentia, qui Pontifici collocato ſupremo loco inter Principes orbis Chriſtiani, & armato poteſtate ſumma, ſubiiciunt Imperium, & regna cætera, authoritate, vt nonnulli contendunt, diuina: vt cæteri modeſtiores, humana, ſcilicet conceſſa ab Imperatoribus: quorum illud, expreſſe prohibitiones diuinæ, ne Miniſtri Eccleſiæ rapiant, vel vſurpent poteſtatem politicam: hoc hiſtoriarum conſenſus redarguit, atque refutat.

Primum de Eccleſia, certiſſimum eſt, regnum Chriſti nō eſſe politicum, ſed ſpirituale ſicut inquit Chriſtus: Regnum meum non eſt ex hoc mūdo. Nec colligitur, & gubernantur Eccleſia aliter, niſi voce, & Miniſterio Verbi, & ſacramentorum, Filio Dei per verbum, & ſacramenta effundente Spiritum ſanctum in corda credētium. Nec Caput eſt Eccleſiæ aliud, niſi Filius Dei, ſicut vocatur, κεφαλὴ καὶ ἀρχηγὸς τῆς ἐκκλησίας.

Deinde, non modò non conceſſum eſt, permiſſu diuino Miniſtris Eccleſiæ inuadere, quocunque prætextu, regna mundi, ſed ſeueriſſimè interdictum. Nota ſunt teſtimonia plurima; Iohannis viceſimo: Sicut miſit me pater, ita ego mitto vos. Cúmque hæc dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata: remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta ſunt. Hoc teſtimonio diſertè exprimitur, ad quas res ſancitum ſit miniſterium: Marci cap. 10. Scitis, quia hi, qui videntur præeſſe gentibus, dominantur eis, & principes eorum, poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt autem in vobis. Sed quicunque voluerit fieri maior, erit veſter miniſter, & quicūque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus, Nam filius hominis non venit, vt miniſtraretur ei, ſed vt mini-

miniſtraret,& daret animam ſuam redemtionem pro multis.Luc.12.Quis me conſtituit iudicem inter vos?

2. Corinth.10.Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Dei,redigentes in captiuitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti.

1. Cor.4.Sic nos æſtimet homo,vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores miniſteriorum eius.

2. Cor. 1. Non dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.Nam fide ſtatis.

2. Cor.3.Euangelium,eſt miniſterium Spiritus.

Ex his omnibus,manifeſtiſſimum eſt,non pertinere ad Pontifices Imperia politica, cúmque ea rapuerunt , feciſſe eos contra vocationis ſuæ leges,diuinitus præſcriptas. Et quidem ſi conferant Eccleſiam,quam ſuis condiderunt decretis, poſt Henrici quinti tempora , ad Eccleſiam primorum annorum quingentorũ, proximè à Chriſti aſcenſu ad cœlos,quomodo hæc ad illam congruat,reperirent: quanquam non ignorant hoc,neque ignorare poſſunt Sed non eſt eis religio curæ, verùm confirmatio ſuę Tyrannidis,quę nititur idololatria,ſuperſtitionibus,& abuſibus.

Alterum figmentum,euidentiſſimè redarguunt, hiſtoriæ vtręq. , eccleſiaſticę,& politicæ. Sed omiſis vetuſtioribus, quarũ iudicio manifeſtè condemnantur,ex recentioribus paucula ſummatim referam.Prorſus non eſt dubium,Pontifices ita fuiſſe ſubditos Imperatorib.vt nullius ſit rata habita electio,quam Imperator non approbaſſet : cúmq; adhuc,Henrico tertio imperante,tria portenta, contentione ambitioſa,de Pontificatu , turbaſſent vrbem Romam,Jmperator depulſis,& duriter caſtigatis omnib.his,alium,ſuo iudicio,conſtituit,renouata vetere lege de Pontificum electione.Hoc iugum,cùm impatienter ferrent, nec amoliri à ſeſe,vi manifeſta,poſſent,excuſſerunt id tandem arte,concitatis in Henricos quartum,& quintum,fraude,Germanicis principibus,vt ſuo dicetur loco , quibus ſuffectus Lotharius,poſtulatis Pontificum aſſenſit. Jta hi tum ſeſe ſubtraxerunt poteſtati Jmperatorum , de qua maiores acriter pugnarant,contra ciues Romanos:cõſtitutóq. Senatu cardinalium,eligi,vt Monarchæ voluerunt , & paulatim iura Jmperatorum conuellendo , ac labefactando , vrbi Romæ etiam dominari cœperunt.

Hoc,cùm perfeciſſent, poſtea aliud maius aggreſſi ſunt, vt quibus ipſi paruerant antea,hos ſibi ſubiicerent. Ante Saxones, cùm ſtirps Carolina rerum potiretur , patres ex.

filiis, quos volebant, creabant & nominabant Imperatores. Idem fecerunt Saxones, ad Imperij faſtigium euecti; etſi iam tum à deliberationibus de Monarchia, & ſuffragiorum iure, cæteros Principes excludi noluerunt. Poſt Ottonis conſtitutionẽ, etiam cùm parentibus filij ſummæ rerum præficerentur: oportuit tamen accedere conſenſum cæterorum ordinum omnium. Sed hi non regem tantùm, ſed Imperatorem crearunt, cui, quę ſunt Imperatoris propria, tribuerunt vniuerſa, ſicut teſtatur ſanctio Friderici Barbaroſſæ, & hiſtoriarum conſenſus. Hanc ergo Principum Germaniæ authoritatem, & poteſtatem, cùm euerſam cuperent Pontifices; ſed labefactare nec vi, nec dolo poſſent: finxerunt, impia, & in Deum contumelioſa audacia, diuino mandato Pontificij iuris eſſe conſtitutionem, & tranſlationem Imperij: qua de re multa extant impudenter condita, & defenſa decreta, quæ recenſere non eſt opus, cùm nota ſint vulgò. Iſto figmento, cùm ſeſe armaſſent, nihil non poſtea tentarunt. Nam & iuramentis peculiaribus Imperatores obligarũt, quorum extat formula in Clementina, & auſi ſunt ab Archiepiſcopo Moguntino poſtulare ſub iuramento, quod Pium ſecundum feciſſe, ex recentib. hiſtoriis conſtat, ne, niſi conſulto, & conſentiente Pontifice, ad electionem Imperatoris, Electores conuocaret.

Innocentij tertij epiſtola, etſi reliquit ius, & poteſtatem eligendi regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum, iis Principibus, ad quos iure, & antiqua conſuetudine pertinet, tamen Pontificibus arrogat authoritatem, ac poteſtatem iiſdem tradendi, confirmandíq; Imperium, iis de cauſſis, quod Romanus Pontifex, & in Carolũ primum axioma tranſtulerit à Græcis, & Principibus Germaniæ hanc facultatem conceſſerit. Quæ omnia falſa eſſe, ſæpè oſtendimus. Quid tribuere enim alteri potuerunt, Pontifices, de quo nec diuina vlla, nec humana mandata acceperunt vnquam? Quæ enim iactare mandata, aut quas conceſſiones poſſunt, reuicti, & condẽnati voce Chriſti, & hiſtoriarum euidentibus teſtimoniis? Carolum enim iure belli, & tranſactionis Imperium Occidentis occupaſſe: Ottonem poteſtatem electionis Principibus Germaniæ tribuiſſe, authoritate ſua, id eſt, Imperatoria, quam à patre, conſenſu ordinum, acceperat, bellíque iure confirmata: Pontifices vtriq; ſubditos, vtriuſque authoritate creatos, ſacrorum tantùm curam egiſſe, ab omni tali gubernatione, qualem poſteriores, ſuperbia, & ambitione, inſtituerunt,

runt,

runt, abſtinuiſſe, euidentius eſt, quàm vt longa indigeat ex hiſtoriis demonſtratione.

Illa verò mentio, de promouendo rege electo in Imperatorem, ſi concedit conferri in electum poteſtatem omnem, quam maieſtas Imperatoria complectitur, ſententiis ſuffragantiũ, ſed titulum vult decerni, tribuíque à Pontifice ſolo, vt non liceat hunc electo vſurpare, ante proclamationem Pontificis, lis eſt de iure nominis, ſeu tituli, nõ de iure rei. Quod ipſum tamen, vt planè ſtolidum, & ridiculum eſt, ſic, ſi tueri id volent, vt à quo ante Carolum acceperint, oſtendant neceſſe eſt. Quos verò producent authores, Deúmne, vt faciunt, an vero Imperatores Orientis? Sed refragatur vox diuina, quæ politicam Epiſcopis poteſtatẽ omnẽ denegat, Jmperatores Orientis ius ſuũ Carolo, cùm bello Jtaliã ſubegiſſet, non Põtifici, conceſſerunt.

Poſt Carolum verò, ſi retexantur hiſtoriæ veteres, reperietur, neq; hoc conſilio & fine, Carolum à Romano Epiſcopo renunciationem fieri voluiſſe, vt quod beneficij eſſet, in ius verteretur certum, atq; poteſtatem: neque, ſi authoritas, atq; poteſtas Jmperij confertur eligentium ſententiis, vſum tituli pendere voluiſſe ex collatione Pontificum: denique ante renũciationem à Pontifice factam, Jmperatoris titulũ Ludouico Pio, ac Lothario tributũ eiſſe. Et qualis eſt ſuperbia, contendere de iure conferẽdi titulos, cùm rem titulorum, id eſt, dignitatem & poteſtatem Jmperatoriam conferant alij: maieſtatem, ac felicitatem, ſucceſsúmque in gubernatione præſtet ſolus Deus.

Neque eſt obſcurum, quibus occaſionibus, hunc etiam rapuerint, neſcio qualẽ prætextum Tyrannidis, quem ſemper affectarunt. Ante diſſidia, & contentiones inter poſteros Caroli Magni, Patres, vt Carolus, Ludouicus Pius, Lotharius, ex ſe natos appellabant Jmperatores, non vſurpata ad eam declarationem lingua Pontificum. Etſi huius decreti Imperatorum, quaſi præcones publicos, eſſe volebant Pontifices Romanos. Poſtea diſceptantibus de Imperio, & Italia, Germanis, & Francis, Carolus Caluus Frãcorum rex, metu Germanicæ potentiæ, Jtalia præoccupata, Jmperator appellari voluit à Pontifice, quod huius artibus ſe Jtaliam obtinere poſse, arbitraretur. Hoc exemplum ſucceſsores verterunt in ius, vt cùm nulla re alia, vel ſola authoritate conferendi titulum, Jmperatores obſtrictos haberent.

Honeſtiſſimum eſt, ac piiſſimum, fieri renuntiationem

Monarchię orbis Chriſtiani, in magna frequentia publica ſolēnibus ritibus, cū ardenti, ac ſeria precatione ad Deum, pro re omnium, in genere humano, maxima, pro ſalute totius orbis Chriſtiani, pro incolumitate, ac felicitate illius, cui cura, gubernatio, protectio, ac defenſio Eccleſię, & reipublicæ commendata eſt: cuius ſaluti, ſingulorum ſalus, eſt incluſa. Sed hoc ius, cur Romanus Pontifex ſibi vendicat, præ aliis? quod, nec diuino, nec humano iure vllo, ſed conſuetudine tyrannica ſuum fecit. De Deo ſcriptū eſt, quod transferat Imperia mundi. De Miniſtris Eccleſiæ aliter præcipit ſcriptura, quos non vult adminiſtrare regna politica. Sed poſſet ei concedi ius renuntiandi, propter Caroli exemplum, ſi non, ex eo, falsò fingeret aliud commentitium ius, quo, ſtabiliendæ tyrannidis ſuæ cauſſa, ad ſuam vocem, ita alligat Imperatoris authoritatem, vt, ſine ea, nullam eſſe contendat: deinde, ſi ad renunciationem vſurparet, atque adhiberet, non inanium ceremoniarum theatrica ſpectacula, quæ ſunt vmbra ſanctiſsimi & laudatiſſimi ritus veteris, ſed preces veras & ſerias, quibus Deo Patri æterno, Domini noſtri Jeſu Chriſti, Eccleſiam Chriſti, & rempublicam commendare: denique ſi id daret operam, vt Imperatoris authoritate emendarētur vitia doctrinę, & rituū ſuperſtitioſorum in Eccleſia, & cōſuleretur, cum tranquillitate publica, ſaluti animarum.

Vtut verò ſe res habeat, conſtitutio Ottonis, à cæteris gentibus, ius eligendi Imperatorem Romanum, transfert in ſolos Germanos, ea conditione, vt aſſumatur natus in familia Germanica, nec admittantur exteri, & peregrini, quod ſeruatum eſt deinceps ea lege, vt, vel nominaretur, Francorum veteri conſuetudine, à patre filius, qui, ſi accederet conſenſus, & approbatio ordinum Imperij, ſuccederet, vel, ſine alicuius indicatione, fieret electio, libera deliberatione, & ſuffragiis ordinum. Hoc decretum, quo anno factum ſit, non traditur, ſed non multò ante mortē Ottonis factum eſſe narratur: qua in re, flagitioſa ſcriptorum negligentia deteſtanda eſt; vt in pleriſque aliis rebus maximis. Scribit Abbas Vrſpurgenſis Ottonem tertium mortuū eſſe anno milleſimo, primo; quinto Calend. Februarij. Blondus annotat, decretum de electione Imperatoris, ſancitum eſſe biennio ante; & conſentaneum eſt, deliberationem de re tanta, non fuiſſe ſubitam, præſertim cùm ſecum in Italiam adduxerit Pontificem, quem huic rei perficiendæ, ex compoſito, idoneum fore notat.

Sed maior hîc oritur quæſtio, quibus ſcilicet ordinibus in Germania, poteſtas electionis, ab Ottone ſit attributa: & an certis ſit omnibus attributa, an verò nulli fuerint certi deſignati electores, ſed paria ſuffragia habuerint omnes? Recentiorum ſcriptorum plerique, Senatum ſeptem Electorum, qui nunc eſt, trium nimirum Epiſcoporum, Moguntini, Colonienſis, Treuirenſis: Quatuor Principum politicorum, Palatini ad Rhenũ, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgenſis, & regis Bohemici tradunt inſtitutũ ab Ottone. Nonnulli & cauſſas addunt, cur in eum Senatum, Palatinum ad Rhenum, & Marchionem Brandeburgenſem cooptarit, præteritis agnatis, qui de ipſius familia reliqui erant. Item, cur Eccleſiaſticos numero æquarit Politicis, & addiderit vtriſque velut arbitrum, ac diſceptatorem, regem Bohemiæ, ſi qua diſſenſio inciderit.

Huius cõſtitutionis author, an fuerit Otto, vt multi dubitent, non leues ſunt cauſę. Si euoluantur enim, & diligenter expendantur, quæ, de Imperatorũ rebus geſtis, extant literis, monumentíſque vetuſtioribus prodita, antè interregnum, quo, poſt Fridericum II. & Conradum eius filium, atque eas, quæ exortæ ſunt de Imperio concertationes, & in electione diſſenſiones, Imperium, annos amplius octodecim, certo gubernatore caruit, Principum aliis, nouo exemplo, contra leges veteres, Alfõſum Hiſpanum, aliis Richardum Anglum ad Imperium depoſcentibus. Illa ergo ſi perluſtrentur, nulla reperietur mentio, vel horum ſeptem electorum, vel inter ordines, qui Imperatorem crearunt, Palatini ad Rhenum, Marchionis Brandeburgẽſis, & Regis Bohemici, qui regiam dignitatẽ, antè Henricum tertium, non habuit. Sed ſcriptores pleriq; veteres, vno conſenſu, meminerunt cunctorum ordinũ Imperij. Nec certos nominant, nec cæteros à communi deliberatione, & ſuffragiorum iure, excludunt: etſi, dum ſtetit, & floruit Imperij maieſtas, ſæpè potẽtia plus valuit, & authoritas, quàm conſultationes, & calculi ſuffragantium. Nam ferè potentiores familiæ, in Imperij poſſeſſione, ſemel occupatæ, conſenſu ordinum, ita ſeſe munierunt, vt neque excuti inde facilè potuerint, neque oppreſſerint tamen cęteros tyrannicè: ſed tum etiam, cùm petiuerunt filiis Imperium decerni, rem totam permiſerint arbitrio ordinum, quorum ferè pars maxima iis, quorum virtutem, ſapientiam, authoritatem, & felicitatem perſpexerat profuiſſe patriæ, poſtea ſententiis, voluntatibus, & ſtudiis ſeſe

adiunxit, donec æmulatio, quæ fuit inter Francos, & Saxones poſt reuolutum, à morte Henrici Sancti, Imperium in Francos, in bella ciuilia erupit, Pontificum impulſu potiſſimum, quorum finis fuit nullus, dum ex vtraque ſtirpe aliquis fuit reliquus.

His familiis mutua cæde conſumtis, cùm in eorum loca aliæ nouæ ſucceſſiſſēt, in magna Germaniæ parte, quarum nec magnæ, nec confirmatæ erant vires, creuit potentia, & authoritas Sueuorum, inclinantibus ad eos Imperium cæteris, tanquam ad potentiſſimos, quibus, quanquam grauiter aduerſaretur Hēricus, Lotharij gener, qui, quod recens, ſoceri beneficio, cum Bauaria Saxoniam coniunxiſſet, magnas habebat vires: fruſtratus tamen ſpe ſua, non tantùm Imperium, ſed & potentiæ partem præcipuam amiſit, vincente Sueuorum fortuna, quibus Deus, cùm vellet eos euectos ad hoc faſtigium, ſucceſſibus authoritatem adiunxit. Iis etiam deletis, fraude, & perfidia Pontificum, talis, horum artibus, & machinationibus, excitata eſt in Germania, & voluntatum diſtractio, & Imperij iam labefactati perturbatio, vt diſſidiorum magnitudo, non facilè aliquem ex Germanis ad hoc faſtigium peruenire, nec, ſi perueniſſet, conſiſtere in eo ſit paſſa, & aduocati ſint domini peregrini, qui tamen, præter nomen inane, conſecuti ſunt aliud nihil.

In his motib. ac perturbationibus, ſæpè plus Epiſcopos reliquos potuiſſe, itémque Principes, quàm hos, apud quos poteſtas eligendi nūc eſt, hiſtoriæ docent, vt omnino quibus legibus, quo numero, quóve ordine in electione ſententiæ dictæ, & lata ſint ſuffragia, certò nequeat oſtendi.

Poſt Fridericum ſecundum, & numerus ſeptenarius exprimitur, crebróque repetitur, & familiæ indicantur ſuffragantium. Etſi verò, quod certò affirmem, non habeo, moueor tamen hiſtoriarum annotatis, vt ſub Sueuorum Imperio numerum ſuffragiorum, in electione, ad ſeptenariū redactum eſſe, horum authoritate, conſilio, & opera, & ex conſuetudine antiqua, id ipſū cœpiſſe, atque extitiſſe, coniiciam. Nam valde conſentaneum eſt, in tanto procerum numero, tum etiam obſeruatum eſſe, quod nunc in vſu eſt, vt cum de rebus arduis deliberādum aliquid eſſet, vel decernendum, deligerentur, ex ſingulis ordinibus, aliqui antecellentes authoritate, potentia, & ſapientia, qui, vel προβουλεύματα facerent, quæ cæteris in deliberationem proponerentur: vel, quod à cæteris iam conſultatum, atque in omnem

omnem partem penſitatum eſset, concluderent, exigēte id ſalute publica, & neceſſitate, cùm & ambitione nonnullorum, & Pontificum artibus, ſæpè conſultationes aut turbatæ eſsent, aut prorogatæ, cum graui detrimēto reipub. Huius conſuetudinis cùm alia reperio argumenta, tùm hoc, quod expreſsè tradunt hiſtorici, Henricos patrem, & filiū, Superbum, & Leonem, qui ad Imperium aſpirarunt, hoc prætextu, oppugnaſse electionem Conradi, & Friderici Barbaroſsæ, quod non cunctis ſuffragiis, ſed authoritate paucorum, decreta eſset, qua illos armarat conſenſus cæterorum, qui Henricos, propter potentiam, & faſtum, imperare nolebant. Quod verò conſuetudinis fuit, id iuris eſſe cæpit, accedente non comprobatione tantùm, ſed ordinatione, & conſtitutione Imperatorum, de qua, etſi mandatum literis nihil reperio, tamen, vt eam Sueuis tribuam, moueor, cum expreſsa ſeptem Electorum mentione poſt horum Jmperium, tum mutatione dignitatum, quæ & anteceſſit hos, & ab iiſdem facta eſt, & multò maximè immani in hos Pontificum ſæuitia, ex faſtu plus quàm diabolico profecta, quæ coëgit Principes optimos, & patriæ amantiſſimos, cogitare de aliqua ratione, qua Pontificum tyrannis coërceretur, & afflicta Jmperij maieſtas fulciretur, ac confirmaretur.

Habuerunt bella Henricorum quarti, & quinti, exitum talem, vt veteres Francicas, & Saxonicas familias penè extirparint & auxerint Pontificum tyrannidem, nimium his indulgente Lothario: qui quidem & generum Henricum Superbum euexit, adiectione totius Saxoniæ auctum, propter ſucceſſionis ſpem, & alterum generum Ludouicum comitem prouincialem Turingiæ conſtituit. Opes Francicas diripuerunt, Jmperator auulſa Haſſia: & Epiſcopi vicini, quarum partem bonam rapuit Wirceburgenſis, cum titulo ducum Franconiæ, Cōrado tertio Jmperatore mortuo, cui eum conceſserat Henricus quintus. Sueuiæ ducatus ceſserat Friderico in Hohenſtauffen: Miſnenſis marchia, Thymoni, marchioni Landsburgenſi: Brandeburgenſis Alberto Vrſo, comiti Aſcaniæ, in Ballēſtet, & Sold-Wedel.

Cùm verò, poſt Lotharium, Henricus Superbus Conradum, Henricus Leo Superbi filius, Fridericum Barbaroſſam grauiter aliquandiu exagitaſsent, & ſuæ inuidentiæ, ac ſuperbię, & Pontificum inſtinctu, quibus cum conſpirarant: Fridericus, poſtquam Leonem, omni principatu exu-

tum, pepuliſſet in exilium, Bauariam cum Palatinatu ad Rhenum, Ottoni Witelsbachio, Saxoniæ partem, cum ducis titulo, Bernhardo Anhaltino, Alberti Vrſi filio, vtriq., propter egregiè nauatam in bello operam attribuit.

Poſt has mutationes, coniicio, vel hunc Fridericum, vel poſteros, penè coactos memoria veterum contentionum, de Imperio: & recens perpeſſæ à Pontificibus iniuriæ, cum opportunas occaſiones attuliſſent conſuetudo vetus, & hæ ipſæ mutationes, rationem iniiſſe, quæ conſulerent tranquillitati Germaniæ, & dignitati Imperatorum, tot modis à Pontificibus impugnatæ, quod propter duas cauſſas, præcipuè factum eſſe, res oſtendit, & conſiderata hiſtoriarum veritas, euincit. Primùm, vt tollerentur incommoda, quæ ex ſuffragiorum multitudine, & diuerſitate, & cõceſſa omnibus horum ferendorum poteſtate, oriri, ac prouenire conſueuerant, quæque ruinam Imperio attulerant, ſicut fieri ſolet, cùm in magna ſuffragantium diſſimilitudine, ſententias dicunt: alij affectu magis, quàm iudicio: alij ambitione, alij conducti mercede, & pretio: alij factionũ ſtudio, alij ſpe maiorum opum, dignitatum, ex ruina, & interitu meliorum, ſicut dicitur veteri verſu.

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

Quales multi ſunt ſemper, quibus bello ciuili opus eſt. Quas clades enim perpeſſa ſit Germania, ex diſſenſionib. obortis, de electione Henrici Sancti, & Conradi Saliqui, quas ex conſpiratione Saxonum in Henricum quartũ, qui primò Rodolphum Sueuum, & hoc cæſo, Hermannum cognomento Knuffloch Lucemburgi comitem: tandémque filios Conradum, & Henricum, & Ecbertum marchionem Saxoniæ, Henrico oppoſuerunt, quas ex oppugnatione Sueuorum, ab Henricis Bauaris, patre, & filio, in recenti verſatum eſt omnium memoria.

Deinde propter Pontificum ſceleratam perfidiã, qui, per has occaſiones, toties cum Francis Saxones commiſerant, & Sueuos crudelem in modum exagitarant, & Germaniã inteſtinis bellis toties perturbarãt, cùm, quos odiſſent, aut ad Imperium non admitterent, aut ſi id obtinuiſſent, quãdo vellent excuterent. Vt ergo Tyrannis Pontificia, his velut metis, conſtringeretur, & amputarẽtur occaſiones turbandi publicas deliberationes, conſtitutum fuiſſe omnino mihi perſuadeo, ſapientiſſimo, ac grauiſſimo conſilio, vt ſuffragantium numerus contraheretur in pauciores, quod eò fuit facilius factu, quia alia & penè noua Germaniæ diſcerptæ,

cerptæ, exhauſtæ, & eneruatæ fuit facies, alia ordinum diſtributio, aliæ familiæ in priorum veſtigia ſucceſſerāt: quarum quædam nouæ erant, quædam de veteribus reliquæ, ex obſcura conditione, & humili rurſus excreuerant, & inclaruerant.

E conuerſo, de ordinibus Imperij, hoc quoque conſentaneum eſt, quod huic conſtitutioni ideò libentiùs aſſenſerint, quod intelligerent Electores Imperatoribus adiūgi, non aliter quàm in regno Perſico, Senatus ſeptem Principum, aut in republica Spartana Ephori regibus fuerunt adhibiti, qui moderarentur potentiam Imperatoris, regerent conſilia, reprimerent conatus iniuſtos, & cuſtodes eſſent publicæ dignitatis, ac libertatis, prouiderentq; ac perficerent, ne vel creſceret nimium potentia vnius, vel ne quid reſpublica detrimenti caperet, ſi nimium extolleretur authoritas vnius. Quæ enim ante determinatam, ac velut circumſcriptam his metis, ac legibus, poteſtatem Imperatorum Germania pertulerit ſub Saxonibus, & Francis, qui multa ſuo arbitrio, & libitu, ſine conſilio cæterorum conſtituerant, ac mutarant, non ignorabant.

Sed dolendum eſt, adeò de hac tanta re, nihil vllorum ſcriptis expoſitum eſſe, vt, vel quorum authoritate, & conſilio, vel quibus de cauſſis, vel quo tēpore, grauiſſimus Septem Electorum Senatus primùm ſit conſtitutus, vel cur in hunc Senatum hi ipſi aſciti ſint, & non alij, nec plures nec pauciores, vix coniecturis explicari poſſit, niſi quod authoritate moueor, in Eccleſiaſticis, quæ inde vſque à principio Jmperij maior fuit, apud iſtos tres Epiſcopos, quā cæteros: potentia in Politicis, qua, poſt Monarchiā Sueuorum, Palatinus ad Rhenum, dux Saxoniæ, & marchio Brandeburgenſis ſuperarunt cæteros, quorum nullus fuit, qui his compararetur. Marchiones Auſtriæ potentiam tunc habebant imbecillem, quæ poſtea creuit acceſſionib. nouis. Ducum verò Brunſuicenſium, ac Luneburgenſium vires valde attriuerant ac diminuerant bella Sueuica.

Fortaſſe authores huius conſilij, vt ex Politicis Principibus hos aſſumerent, præter potentiā, id etiam mouit, quod cum deliberatio, de Jmperatore eligendo, pertineat ad omnes ordines, & debeat eſſe communis, ſicut fuerat antea, conueniat ex ſingulis Jmperij ordinibus, adhiberi vnum, quod de cauſſa, ad omnes pertinente, oporteat eſſe deliberationem communem, iuxta verſum Apollonij.

Ξοίνα γὰρ χρειώ· ξοίνη δέ τε μῦθοι ἔασιν. Jdeò, ne vllus ordo, ſe

præteritum, vel excluſum eſſe poſſet queri, voluerunt aſcribi in Senatum electorum vnum ex regibus, vnum ex ducibus, vnum ex marchionibus, vnum item ex comitibus, qui præ cæteris eminuerunt opibus, authoritate, & robore.

De ſeptenario numero veriſimile eſt eoſdem reſpexiſſe ad conſuetudinem regni Perſici, vel quod voluerunt numero exæquare politicos Eccleſiaſticis, & vtrorumque arbitrorum eſſe ſeptimum, qui regia authoritate antecelleret omnibus. Quod verò Bohemiæ rex cæteris prælatus eſt, eius rei cauſſas poſtea exponam, etſi & vicinitatis, & amicitiæ, atque confœderationis, & non magnæ potentiæ, quę non eſſet formidabilis, nec grauis futura Imperio, rationē habitam eſſe, exiſtimo.

De tempore ſunt, qui conſtitutos ſeptem Electores tradunt, ſub Pontificatu Gregorij decimi paulò ante Imperium Rudolphi Habſpurgenſis, perſuaſi cùm aliis coniecturis, tùm quod circiter eadem tempora, Senatus cardinalium in Italia eſſe cœpit, & huic leges in Pontificum electione obſeruandæ, deſcriptæ ſunt. Sed vetuſtiorem eſſe, non eſt dubium.

Siue ergo ſub hoc Gregorio, ſiue quocunq; alio ex ſucceſſoribus, hæc ſeptem Electorum conſtitutio facta eſt, ſi qui mirabuntur, cur Pontifices, cùm intolerādo abuſu iniuſtę, & impiæ tyrannidis, Imperatores ipſos, & cætera horū inſtituta, atq; decreta, eo tempore, non tantùm oppugnarint ſed etiam conculcarint, cur huic non ſint aduerſati conſtitutioni, quam, ſine dubio, intellexerunt ſuæ tyrannidi offecturam eſſe: iis veniat in mentem, quod, nō aliam ob cauſſam id fecerint, niſi vt hac, ſeu conceſſione, ſeu conniuentia viciſſim in præſentia obtinerent, ne quam tum moliebātur inſtitutionem noui Senatus Cardinalium, quo muniturі erant in confirmata, & inſtructa Monarchia, poteſtatē electionis pontificiæ, Imperatorib. recens extortam: ne ergo illam Principes Imperij, vi & armis impedirent, atq; eliderent. Nā quibus artibus, huius etiam Senatus authoritatem conuellere ſtuduerint deinceps, docent hiſtoriæ Ludouici Bauari & aliorum.

Etſi ergo nec quibus authoribus inſtitutus ſit, nec quando eſſe cœperit Senatus Septem Electorum, certis argumentis hiſtoriarum concludi poteſt, tamen nullam eorum fieri mentionem ante Sueuorum Imperium, certum eſt. Secutus tandem Carolus quartus, ordines Imperij accuratius diſtinxit, & leges cùm Electoribus, tum cæteris

Princi-

Principibus impoſuit, etiam Imperatoribus ipſis, quæ extant comprehenſæ in ea formula, quam vocant Bullam auream, ſicut infra dicemus.

Sed Deo imprimis conditori Imperiorum, deinde Ottonis tertij ſapientiæ, induſtriæ, & virtuti debetur, quod Germania occupatam ſemel poſſeſſionem Imperij huc vſque conſeruauit. Hac re perfecta Otto rediit in Germaniã, inde profectus in Poloniam, Boleſlaum principem Poloniæ, amicũ Imperij Romani, & regem ſalutauit, impoſito tributo. Ab hoc Boleſlao reliqui ſunt Duces Sileſiæ, qui nunc Lignicum, & Bregam tenent. Cœpit ergo, beneficio Ottonis tertij, Polonia regnum eſſe. Eodem tempore Vngaria regni titulum vſurpauit, quem, poſt Ottonem, confirmauit Henricus Sanctus.

Sub idem tempus, regnum Franciæ deuenit ad Hugonem Capetum, extincto Ludouico vltimo, ex proſapia Caroli. Conciduntergo initia Monarchiæ in Germania, regnorũ Vngariæ, ac Poloniæ, & Principum familiæ Hugonis Capeti in Gallia, à quo tempore, cùm elapſa ſit fatalis periodus annorum quingentorum, metuendum eſt, his regnis omnibus, magnas, & fatales imminere mutationes, quas clementer Deus mitiget, & ſeruet aliqua Eccleſiæ hoſpitia, ne doctrina de Filio Dei, & inuocatio vera, honeſtæque leges, & ſtudia prorſus aboleantur.

Tandem tumultuantibus Romanis, præcipuè propter amiſſam omnem in ferendis ſuffragiis, cùm fieret electio Imperatoris, poteſtatem, Otto Romam rediit, poſtremò, & ſedatis motibus, cùm in vxorem Creſcentij, quem antea ſupplicio capitis affecerat, deperiiſſet: illa, quod Imperatore in Germaniam reditũ parante, videret ſe ſpe coniugij excidiſſe, chirothecis veneno infectis donatũ, eum necauit.

Deceſſit autem anno Chriſti Saluatoris, primo ſupra milleſimum.

Anno mundi, quater milleſimo, noningenteſimo, ſexageſimo tertio.

Anno Imperij decimo nono, quinto Calẽdas Februarij.

Cadauer in Germaniam deferri curauit Henricus Bauariæ dux, ſucceſſor in Imperio, & inteſtina condidit Auguſtæ, quorum ſepulchrum, inſigni marmoreo monumento, ornauit Fridericus tertius elector Saxoniæ. Reliquum corpus Aquiſgranum delatum eſt. Princeps fuit ingenij, magnitudinis animi, induſtriæ, conſiliorum, & ſapientiæ argumentis, ſummus, ſed quem mors citius ab-

ripuit, quàm ex ætatis, & iudicij maturitate, de naturę prę-ſtantia iudicium fieri exactum potuit.

Vxorem habuit Mariam Arragoniam, mulierem impudicæ, & procacis libidinis, quam adulterij conuictam, ad Mutinam vrbem viuam cremauit.

HENRICVS COGNOMENTO Sanctus, & Claudus.

OTtone tertio veneno extincto, ordines Germaniæ, de recenti illius conſtitutione, deſignarunt Imperatorē Henricū Bauarię ducē, ſanguine Saxonē, patria Bauarum, Ottonis agnatum, progenitum patre Henrico Hecelone, auo Henrico Rixoſo, cui frater Otto Magnus, Bauariæ ducatū tradiderat, excluſis, vt dictum eſt, Arnolphi Bauari poſteris, quos comitatu Schirenſi contentos eſſe oportuit. Natum ſcribunt Henricū Sanctum, anno Chriſti, noningēteſimo, ſexageſimo nono, & educatū, atque inſtitutum in doctrina ſacra, & optimarum artiū ſtudiis, in collegio Hildeſiano, quod poſtea, perceptorum beneficiorum memor, locupletauit, & amplificauit.

Cùm Imperij adminiſtrationem ſuſcepiſſet, anno Chriſti milleſimo ſecundo: primùm eos compeſcuit, qui electioni aduerſati, ne conſequeretur Imperium, impedire ſtuduerant, inter quos fuit Echardus Marchio Saxoniæ, nepos Ludolphi ducis Sueuiæ, ex Ottone filio, pronepos Ottonis Magni. Hunc interfecerunt duces Saxoniæ fratres, Lotharius, & Benno, filij Hermanni primi ducis. Henricum etiam Marchionem Auſtriæ, ex proſapia comitum Schirenſium, res nouas molientem, ſpe recuperandæ Bauariæ, & huic fauentem fratrem Brunnonem Epiſcopum Auguſtanum, repreſſit.

Inteſtinis motib. domi ſedatis, Henetos, qui repudiata fide Chriſtiana, cui ſeſe, ſub Ottone primo, addixerant, ad priſtinam idololatriam redierant, & templa deleuerant, trucidatis Epiſcopis, denuo domuit, & Epiſcopatus Merſburgenſem, Miſnenſem, Magdeburgenſem, barbarorum armis dirutos, ac deuaſtatos inſtaurauit, nouiſque donationibus auxit. Præcipuè verò Merſburgenſem locupletauit, cui attribuit maximam partem comitatus Merſburgenſis, poſt mortem Eſici comitis: quod factum ſcribunt, anno Chriſti milleſimo, ſeptimo, poſtquam bellum Bohemicum confeciſſet. Nam Henetis domitis, Boleſlaos duos, alterum Bohemię ducem, alterum Poloniæ regem, noui Imperatoris authoritatem aſpernantes, bello adegerat

rat

rat ad obedientiam præſtandam,& vetera pacta tuenda.

Eodem anno, Rinoldo comite Bambergenſi, qui filius Henrici comitis, ſine maſcula prole extincto, condidit Epiſcopatum Bambergenſem, quem ita muniuit, vt præcipuos omnis Germaniæ Principes huius Epiſcopi vaſallos eſſe,& ea fide, quæ domino feudi debetur, huic obligatos eſſe voluerit. Ex ea conſtitutione adhuc hodie, Electores Imperij vaſalli ſunt Epiſcopi Bambergenſis, quæque illi Electorum nomine, & titulo tenent, ab eodem eis, vt feuda, conferuntur.

Habebat Imperatoris Henrici coniunx Cunegũda, fratres plures, Fridericum ducem Lotharingiæ, ad Moſellam fluuium, Henricum, cui Imperator dedit ducatum Bauariæ: Theodoricum Epiſcopum Metenſem: & Adalberum, qui tũc ambiebat Epiſcopatum Treuirenſem. Ex his Hẽricus,& Theodoricus conſpirarunt in Imperatorem, quod dotem Cunegundæ ſororis, qua ſe, illa mortua, ſperabant potituros, diſtribueret ocioſis ſacrificulis, & adiuncto ſibi Guelpho principe in parte Sueuiæ, bellum ei intulerunt, occupata primùm Auguſta,& pulſo inde Brunnone Imperatoris fratre. Sed Imperator acie victos, diſiecit, ac diſſipauit,& Henricum ducatu mouit, quem paulò poſt in gratiam receptum reſtituit. Theodoricum, expugnata Metenſi vrbe, ad deditionem coëgit.

Interea Stephanus, Vngariæ rex, miſerat legatos, qui peterent in vxorem regi ſuo, Giſelam, ſororem Imperatoris, quã deſpondit illi, ea conditione, ſi ſuſcepto baptiſmo, accepturum ſe profeſſionem Chriſtianam, & in hac perſeueraturum, promitteret. Quod ille cùm feciſſet,& coniugem impetrauit,& vt regni titulus ei confirmaretur, obtinuit. Ab hoc Stephano, qui cognomentum Sãcti, à religioſa in fide Chriſtiana perſeuerãtia, adeptus eſt, religionem Chriſtianam in Hungariam introductam, poſteri ſanctè retinuerunt,& coluerunt huc vſque,

Hermanno Sueuię duce mortuo, ducẽ Sueuis dedit Erneſtum priuignum Henrici Marchionis Auſtriæ, maritum Giſelæ conſobrinæ ipſius, quam ſcriptores tradunt, primò nuptam fuiſſe Brunnoni Marchioni Saxoniæ, auo Ecberti fundatoris collegij Naumburgenſis: deinde huic Erneſto Sueuo, tandem Conrado Imperatori. Hanc Giſelam aliqui Francam fuiſſe perhibent, Lotharij filiã, ex Caroli Magni poſteris, aliqui originem eius ex Henetorum ſtirpe deducunt. Erneſtum ipſum, ſcribũt, nepotem fuiſſe Alberti co-

mitis Bambergenſis , quem ſupra retulimus à Ludouico tertio, Arnolphi filio, capite plexum eſſe. Aliqui volunt filium fuiſſe eum Hermanni ducis Sueuiæ, ex Gerbirga filia Conradi regis Burgundiæ. Hoc conſtat, quòd non multò poſt adeptum ducatum Sueuiæ, à quodam comite Alberone, in venatione confoſſus ſit, anno Chriſti, milleſimo, decimo quarto : quod aliqui caſu, ictu ſcilicet aberrante, dum feram petit, aliqui conſultò, ſcilicet in gratiam Conradi Imperatoris, in quem arma mouerat, factum perhibent.

Rebus in Germania conſtitutis, Imperator ſuſcepit profectionem cum exercitu in Italiam. Huius profectionis cauſſæ fuerunt tres: Prima, vt poſſeſſionem Imperij, Italia occupata, Germanis confirmaret. Secunda, vt Arduinum Marchionem, quē Epiſcopi, & Nobiles Italiæ, Mediolani Imperatorem declararant, opprimeret. Tertia, vt in Italia tumultuantes Græcos, & Saracenos compeſceret, ac depelleret. Ingreſſus in Italiam, Arduinum duobus magnis præliis victum, trucidauit. In eo bello captum Henricum, & cum deceptis cuſtodibus, elapſus, de muro ſe præcipitaſſet, luxato, fractóve crure, poſtea claudicaſſe ſcribunt: vnde cognomentum Claudi habuit. Poſt hanc victoriam, renunciatus eſt Imperator Romæ, à Benedicto Pontifice, inde verſus Apuliam, & Calabriam directis aciebus, Græcos pariter, & Saracenos adortus eſt, qui, dum contenderunt inter ſeſe, de vlterioris Italiæ Imperio, interea non pepercerunt iis, quę erant Romani Imperatoris. Apuliam, & Calabriam adhuc tenebant Græci, magna ex parte, etſi aliquam partem ademerat eis, recens ſub Ottone tertio, Guilielmus Normānus, cognomento Ferrabrachus, natus patre Tancredo, de quo poſtea dicemus : partem aliam vexabant, continuis direptionibus, & populationibus, Saraceni. Vtroſque ergo afflictos, Imperator compreſſit in Italia. Troiam vrbem Apuliæ, quam Græci munierant, expugnatam euertit. In Apuliam, & Calabriam Normannos collocauit, vt tuerentur eam Italiæ oram, contra vtroſque. Hoc tempore poſtremò Græcis pariter, ac Saracenis tota vlteriore Italia depulſis, Apulia, & Calabria ceſſerunt Normannis, quod, quibus occaſionibus acciderit, poſtea paucis exponam, vbi de rebus Siculis, poſt Græcorum Imperatores aliquid dixero.

Imperator, pacata Italia, victor per vrbē Romam in Germaniam rediit. Sunt qui affirmant, à reditu, congreſſum

eum

eum cum Roberto Francorum rege, & fœdere inito, de communibus orbis Chriſtiani rebus collocutum eſſe.

Tandem Bambergæ mortuus eſt. tertio Idus Iulij, anno Chriſti, milleſimo, viceſimo quarto.

Anno mundi, quater milleſimo, noningenteſimo, octogeſimo ſexto.

Imperij, viceſimo quarto, ſi cõnumerentur duo anni interregni, quo vacauit Imperium, diſcordantibus de electione proceribus. Princeps fuit religione maximus, munificentia erga Eccleſias, & pauperes, caſtitate, clementia, & rebus bello fortiter geſtis, inſignis.

Vxorem habuit Cunegundam Franconiæ ſtirpis Palatinã. Pater enim Sigefridus, dicitur fuiſſe pronepos Ludouici regis Franciæ, ex matre Cunegunda, & auia Hermendruda. De huius Cunegundæ continentia, & caſtitate, plurima leguntur literis, monumentíſque prodita, multis affirmantibus, quod virginitas eius violata nunquam fuerit.

Henrico Sancto mortuo, Imperium Occidentis, & Bauaria, deſierunt eſſe apud ſtirpem Saxonicam Henrici Aucupis, reuolutum ad Francos. Bauariam Imperator conceſſit Henrico, nepoti ex fratre coniugis Cunegundæ, è Lotharingia Moſellana, etſi ſupereſſent agnati principes, qui in Saxonia amplis regionibus dominabantur titulo marchionum Saxoniæ. Erant enim Henrico Bauaro, Ottonis primi fratri nati Henricus Hecelo, Sancti pater, qui in Bauariæ principatu ſucceſſit, & Bruno marchio Saxoniæ, cuius filius Bruno, cognominem filium & Ludolphum reliquit: Ludolpho filij fuerunt Bruno, Ecbertus, vltimi Ecberti pater, & Otto dominus terrarum ad Viſurgin, prope Weſtualiam, qui ab Henrico quarto Bauariã recepit. Sed ob conſpirationem factam in Imperatorem, iterũ excuſſus, Hẽrico Craſſo, ſeu Pingui filio, comitatum in Ringelheim, cũ dominio terrarum ad Viſurgin reliquit, vt dicetur. Sed Henricus Sanctus hos teſtamento præteriit. Id vel perſuaſu coniugis, vel ob præſtitam in bellis operam, factum eſſe ratiocinor. Tranſlatio verò Imperij ad Francos, quanta, & quam diuturna, ac funeſta commouerit bella, poſtea commemorabimus, cũ prius ſtrictim percurrerimus Græcorum Imperatorum hiſtorias, quorum gubernatio incidit in eandem, cum iam expoſitis Imperatoribus, ætatem, narratione deducta, vſque ad ea tempora, quibus à noſtris expeditiones in Aſia ſuſceptæ ſunt, & recepta eſt Palæſtina, atque ipſa vrbs Hieroſolymorũ, quam Turcæ Sarace-

nis ereptam, anno quarto, vel, vt alij malunt, duodecimo Imperij huius Henrici Sancti, occuparunt, Saracenis oppreſſis. Sed non ita multò poſt Saraceni eam recuperarunt, templo, quod à Conſtantino ſplendidè fuit exædificatum, direpto, ac diruto.

IMPERATORES
ORIENTIS.

SVpra dixi, me ex Græcorum Jmperatorum hiſtoriis tantùm decerpturum, quantum ſatis fore iudicauero, ad intelligendas res Aſiaticas noſtras, Turcicas, & Saracenicas. Etſi autem vix dignæ ſunt, vt commemorentur, tamen, ne interrupta ſeries narrationis alicubi hiet, & mutila ſit, atque afferat obſcuritatem cæteris, ordine Jmperatores recenſeri neceſſe eſt: in quibus hoc tamen admiratione dignum eſt, & argumentum eſt illuſtre, præſentiæ, prouidentiæ, iuſtitiæ, clementiæ, bonitatis, ac miſericordiæ diuinæ, quod conſtiterit tam diu Jmperium Orientis, à talibus gubernatum portentis generis humani, idololatris, luxu perditis, parricidiis, libidinibus, rapinis, & aliis ſceleribus multipliciter pollutis, & quidem circumſeſſum vndique, totiéſque & impetitum, atque oppugnatum, & diſcerptum ab hoſtibus tam potentibus, ex parte vna Saracenis & Turcis, ex altera Roxolanis, Bulgaris, Boſſinis. Conſeruatum eſt autem, immenſa Dei miſericordia, Jmperium, inter tot lanienas, & parricidia inter ſe pollutiſſimorum Principum, & conflictus eorundem cum potentiſſimis, & ex omni parte circumfuſis hoſtibus; ſine dubio, propter Eccleſiæ reliquias, vt eſſent aliqua Eccleſiæ, & bonarum artium, ac diſciplinarum hoſpitia reliqua in Oriente.

Etſi enim magna fuit & Principum petulantia, καὶ ὕβρις, & populi, Principum exemplo, licentia, in Græcia; præſertim temporibus poſtremis, cùm licentiam & auxerunt latrocinia Turcica: tamen libros veterum hiſtoriarum, mathematum, artis medicæ, doctrinæ legum, ac ſacrarum literarum ibi conſeruatos, indéque exilio tranſlatos eſſe in Italiam: ex Italia, in Germaniam, & Galliam: ex his tandem doctrinę vtriuſque, cœleſtis ac philoſophicę, puritatem reſtitutam, & Eccleſiam ab erroribus, atque abuſibus repurgatam eſſe certum eſt, vt Græciæ debeatur non minima pars inſtauratarum, cum Eccleſia, diſciplinarum. Sed

interea tamen, dum conſeruatur Imperium, Tyrãni pœnas dant ſcelerum ſuorum, ac ſuis exemplis confirmant regulas; Qui gladium acceperit, gladio peribit: Item omnis anima, quæ fecerit hæc, delebitur de terra. Recenſebimus ergo Imperatores, qui inciderunt in tempora Saxonum, quorum res geſtas hactenus expoſuimus, vſque ad Alexium Comnenum, & res geſtas ſingulorum paucis, ac ſummatim perſtringemus.

NICEPHORVS COGNOmento Phocas.

DEceſſit, vt ſupra diximus, Romanus iunior, relictis impuberibus filiis, Baſilio, & Cõſtãtino; & filiab. Theodora, & Theophania; quarum Theodora nupſit Iohanni Cimiſcæ, Theophania Ottoni II. Imperatori Occidentis. Cùm ergo filiis, propter ætatem committi non poſſet gubernatio Imperij, tot periculis expoſiti, conſilio procerum, ſummę rerum pręfectus eſt Nicephorus cognomento Phocas, Nicephori Phocæ filius, clarus ob res præclarè geſtas in Sicilia, & Apulia, contra Saracenos.

Hic Theophaniam Romani viduam matrimonio ſibi iunxit, & bella geſſit contra Saracenos pręcipuè, terra maríque. Terra feliciter in Cilicia, primùm duce Johanne Cimiſce, poſtea ſuo conſilio, recepta magna parte Aſię, & Syriæ, as metropoli Antiochia: mari autem infeliciter ad Siciliam, duce Manuele, qui locis aſperis, & anguſtis à Saracenis concluſus, amiſſis copiis vniuerſis, in hoſtium poteſtatem venit.

Fuit in Nicephoro auaritia inexplebilis, adeò vt nullas extorquendæ à ſubditis pecuniæ, & quæſtus conficiendi occaſiones prætermitteret, & fame graſſante, etiam inſultaret egentibus, frumenti pretio plus æquo adaucto. Sed dum, prætextu bellorum deglubit, & expilat ſubditos, & numiſmata diminuta vſitati ponderis parte, attenuat, incurrit in odium ciuium, cuius occaſione à Johanne Cimiſce, quem antea offenderat, trucidatus eſt in cubili: conſilium cædis & operam adiuuante Theophania coniuge, vt Imperium, quod Nicephorus in fratrem Leonẽ transferre decreuerat, redderet filiis ex priore marito natis. Imperauit annos ſex, vixit annos quinquaginta ſeptem.

IOHANNES CIMISCES.

NIcephoro obtruncato, Imperium occupauit Johannes Cimiſces, maritus Theodoræ, quæ filia fuit Romani iunioris & Theophaniæ. Hic ab exilio reuocauit, quos,

metu inſidiarum, Nicephorus pepulerat,& affines Baſilij, atque Conſtantinum fratres, in Imperij ſocietatem aſciuit. Ante Imperium adeptum, plus: poſt illud, minus ipſe per ſeſe, bello geſſit. Per duces ſuos, inter quos præcipuus fuit Bardas Sclerus, Saracenos ab obſidione Antiochena depulit. Roxolanos, auxiliis Bulgarorum Thraciam deuaſtantes vicit, fuſo, ac diſſipato exercitu trecentorum millium; Suendoſlao duce eorum, ad pacem petendam adacto; quem, pace impetrata, reuertentem cum reliquiis, Boſſini oppreſſerunt, atque interfecerunt.

Vrbes quaſdam Aſiæ defectionem molientes, vi retinuit in fide, à qua expeditione reuerſus: cùm hauſiſſet poculum, lento veneno infectum, à quodam Baſilio eunucho, cui ſe potentiam derogaturum fuerat interminatus, lenta tabe conſumtus pœnas dedit, & parricidij & idololatriæ. Manichæos enim ex Aſia, in Europam deductos collocauerat in vrbe Philippopoli. Interiit, cùm imperaſſet annos ſex, menſes totidem.

BASILIVS PORPHYROGENITVS, & Conſtantinus, fratres.

MOrtuo Cimiſce, rediit Imperium ad filios Romani iunioris, quorum Baſilius viceſimum, Conſtantinus decimum ſeptimum tunc egit annum. Baſilius gubernationem à ciuili bello exorſus eſt. Nam Bardas Sclerus, elatus fortuna ac ſucceſſibus ſub Cimiſce, & confiſus fauore, ac ſtudio militum, magnam Imperij partem ſuam fecerat. Cum hoc bis conflixit, terra, marique, infeliciter, tertiò victum, duce Phoca Barda, & omni exercitu exutum, coëgit fugere ad Perſas, ſed tandem eum in gratiam recepit: Poſtea & Phocam recentis victoriæ inſolentia, ad res nouas aſpirantem, acie ſuperauit, & filios eius, patris fortunam vlturos, oppreſſit, altero cæſo, altero capto.

Poſt inteſtina bella, ad externa ſeſe conuertit, Georgium fratrem Dauidis, dominum interioris Iberiæ, carpentem limites Imperij, coegit pacem pecunia redimere, & eandem, dato obſide filio ſancire, quem tandem, cùm, non ſeruatis pactis, bellum renouaret, magna ſtrage deuictũ profligauit. Saracenos etiam, qui Phœniciam, & vicinam illi Syriam depopulabantur, domuit. Bulgaros, duce Nicephoro Vrano, magno prælio debellauit, & nouo crudelitatis exemplo, ad cæteros terrendos, quindecim captiuorum milibus oculos eruit, in ſingulis centuriis relicto vno monoculo, qui dux itineris eſſet ſociis, domum reuer-

reuertentibus.

Tandem totã perdomuit, & ſuo Imperio ſubiecit Bulgariam, & regioni Ducem peculiarem impoſuit. In Italia, ducibus Baſilio Sanio, & Conto Leone Cephalonio, res infeliciter geſſit, contra Melen Barenſem. Poſtremò, cùm inſtrueret claſſem contra Saracenos Siculos, fatali morte præreptus, expeditionem illam non abſoluit. Obiit anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo, cùm regnaſſet annos quinquaginta duos. Princeps acer, & bellicoſus, ſed Tyrannide, auaritia, & fraudulentia, ac ſubdola calliditate infamis.

CONSTANTINVS FRATER Baſilij.

POſt Baſilium, ſuſcepit Jmperium frater Conſtantinus, ætate illo paulò minor, & gubernationis prorſus imperitus, vt qui, viuo fratre, res Jmperij neq; attigerat neque curarat, ſed voluptatibus ſuis indulſerat, & iam tum ætate fractus, tũ effœminatus otio, ignauia, luxu, ac libidinibus languebat. Jtaque Jmperio potitus, cùm nihil de prioris vitæ indulgentia vel mutaret, vel remitteret, tyrannidem inſuper adiunxit, quod eſſet iracundus & ſuſpicax.

Hoc imperante, Conſtantinus Diogenes, Syrmij & Bulgarię pręſes, Boſſinos vltra Jſtrum reiectos, compeſcuit, & Sami præſes claſſem Saracenorum, Cycladas depopulantem, diſſipauit; duodecim nauibus captis. Contra eoſdem, in Sicilia, & Jtalia, quanquam bis reparato exercitu, proſperè nihil geſtum eſt, propter imperitiam, & audaciam ducis Oreſtis. Jpſe Jmperator, cùm annos tres, vno menſe dempto, Jmperium tenuiſſet, in fata conceſſit. Vxorem habuit Helenam Alipij prædiuitis viri filiam, ex qua ſuſcepit filias, Eudociam, Theodoram & Zoën. Hanc, cũ Jmperio, deſpõdit, & tradidit Romano Argyro, fraude diuulſo coniugio Romani priore, & vxore eius in ordinem redacta. Jncidit autẽ Jmperium Conſtantini huius, in principium annorum Conradi Salici. Qui ſequuntur Græci, σύγχρονοι fuerunt poſteriorum huius Conradi: vſque ad Henricum quintum.

ROMANVS ARGYRVS.

ROmanus Argyrus vxore priore relicta, alteram Zoen, Conſtantini filiam duxit, vnà cum Jmperio, ipſe ſexagenarius, Græcarum literarum, doctrinæ legum, philoſophiæ, ac rerum plurimarum cognitione excellens, & naturâ moderatus, quinquagenariam procaciſſimæ, & intemperãtiſſimæ libidinis fœminam. Jnitio gubernationis

cùm beneficum ſeſe, & iuſtum exhiberet omnibus, poſt acceptam à Saracenis cladem ad Alepum Syriæ, moribus mutatis, facultates priuatorum immoderatis, & acerbiſſimis exactionibus exhauſit.

Saracenos deprædantes Cycladas inſulas, & littoralem Græciam duce Nicephoro Carãteno depulit, victos duobus naualibus præliis, in quorum priore, claſſis Saracenica partim incẽdio, partim in tẽpeſtate, in mari Siculo abſumta eſt. In altero, plurimi viui venerũt in poteſtatem Græcorum. Paulò poſt, cùm apud coniugem impudicam veniſſet in odium, quæ Paphlagonẽ quendam Michaëlum deperire cœperat, morbo contracto ex veneno, quod vxor propinarat, toto corpore intumuit. Sic affectus cùm ingrederetur in balneum, inſidiis adulteri, capite in dolium aqua plenum demerſus, & cùm iam expiraturus eſſet, retractus, atque in lectulo collocatus, vitam finiit, poſtquam imperaſset annos quinque, menſes ſex.

MICHAEL PAPHLAGO.

CVm hoc Michaëlo conſueuerat Zoë, marito Romano viuo, quo mortuo Imperatorem eum inſtituit. Hic clementem ſeſe, iuſtum, & beneficum in Imperio præbuit: hoſtibus formidabilem. Cùm Calipha Ægyptio inducias pepigit tricennales. Edeſſam ab Arabum obſidione liberauit. In Sicilia Saracenos, per Georgium Meniacem, fortiter debellauit. Et quanquam ex eo morbo, quo, magna cum deformitate, ſæpè proſterni, atque horribiliter diſtorqueri fuerat ſolitus, ex vindicta diuina, pœnas dans periurij, tandem incidit in hydropem, cúmque hæc ingraueſceret, mole ventris augeſcente, parum videretur idoneus ad res gerendas, tamen Bulgaros rebellantes compeſcuit. Cúmque nepotẽ ex ſorore ſuum, Michaëlem Calaphatẽ, Imperij hęredem inſtituiſset, ipſe in monaſterium ſeſe abdidit, cùm præfuiſset Imperio annos ſeptem.

MICHAEL CALAPHATES.

MIchaël Calaphates ex ignobili & obſcura origine, à Paphlagone, & Zoë adoptatus; cùm gratia vtriuſq; & ſimul ſpe Imperij excidiſset, tamen per auunculum Orphanotrophum obtinuit apud Zoën, prouolutus ad genua Imperatricis, poſtquam Paphlago ſeſe Imperio abdicaſſet, vt, propter adoptionem, vel titulum ſaltem Imperij illi concederet, quem conſequutus, mox rediit ad naturam, quam callidè diſſimularat. Et, vt fuit ingenio vafer, inſtabilis, mendax, iracundus: ſic, vix ingreſsus in Imperiũ,

mox primam tyrannidem in auunculum, cuius opera obtinuerat id omne, quod habebat, & in Zoën, atq; eius cognatos conuertit, Zoë relegata in inſulam, habitu Monaſtico. Id indignè ferentes cæteri, concitata ſeditione, Zoën reuocarunt ad Imperium, adiūcta ei ſocia in gubernatione, ſorore Theodora. Michaëlem verò fugiētem, cum fratre Conſtantino, retractum, oculis priuarunt, cum rerum eſſet potitus menſes quatuor, dies quinque. Fuit ergo aliquādiu ſumma rerum, penes duas ſorores, Zoën, & Theodoram: quo tempore Georgius Maniaces, opera Normannorum, qui recens in Italiam venerant, oppreſſis Saracenis, Siciliam recepit, quàm paulò poſt rurſus amiſit, iniuſtitia, & auaritia, ſociorum animis alienatis. Sed cum Zoë, quanquam decrepita, tamen adhuc impotenti libidine arderet, maritum ſibi delegit Cōſtantinum Monomachum, quem ab exilio reductum, in Imperio collocauit: ſed non diu cum eo vixit, extincta iam ſeptuagenaria.

CONSTANTINVS MOnomachus.

Conſtantinus ergo ab exilio reductus, & ex priuato ad Imperium, beneficio Imperatricis, euectus, quod pertæſus eſſet laborum, atque ærumnarum, quas in exilio ſuſtinuerat, totum ſeſe libidinibus, & quieti dedidit, & conſilia gubernationis omnia, compoſuit, & inflexit ad affectus & volunntatem mulieris, vir moribus quidem facilis, ſed effœminatus, ac luxurioſus, literarum ignarus, ſed literatorum amans.

Bella geſſit domeſtica, & externa. Domeſtica duo, vnum cū Georgio Maniace in Epiro, qui ob bella in Sicilia fortiter & feliciter confecta, enitebatur ad Imperium, fretus copiis, quas habebat inſtructas, & exercitatas. Hoc bellum citò, vno ſecundo prælio, & Maniacis interitu, finitum eſt. Alterum geſſit cum Tornitio Leone, ad Oreſtiadem, de qua extructa eſt Adrianopolis: hunc de inſidiis ſuſpectum habebat, ex vaticiniis, quibus Leoni Imperium promitti compererat. Propterea in exilium hunc relegarat: vbi Leo iniuriam vindicaturus, cùm exercitum comparaſſet, & ab hoc Imperator eſſet ſalutatus, arte pertractis ad ſe copiis orientalibus, ad vrbem Conſtantinopolin caſtra poſuit. Sed aliquot præliis victus, & viuus in hoſtium poteſtatem redactus, oculos amiſit.

Externa bella cōtra Roxolanos, & Boſſinos geſſit. Turcos Aſiam longè latéque deuaſtantes, neglexit. Roxolanos

claſſe vicit, Boſſinis debellatis, locum tribuit inter Bulgaros, vnde Boſnenſium reliquiæ ſunt, vbi antiquitus Dardani habitarunt. Publicæ pecuniç fuit profuſiſſimus. Cúmque, fiſco exhauſto, inopia pecuniæ, gentibus etiam, quæ, ſuo ſumptu, fines tutabantur, contra vicinorum hoſtium irruptiones, ideóque à publicis oneribus immunes erant: his ergo cùm tributa imperaret, factum eſt, vt Imperium orientis, & belli neruis, & præſidiis ſpoliatum, vndique externis hoſtibus patuerit.

Hoc ergo imperãte, extulit, & dilatauit ſeſe potẽtia Turcorũ, qui, oppreſſis Saracenis in Perſide, & Babylone, magna celeritate in maiorem Aſiam effuſi, ibidem Græcorum viribus attritis, regnum conſtituerunt, quod; quando, & quibus initiis, atque occaſionibus cœperit, ſupra expoſui. Magnam Orientis partem Monomachus amiſit, cùm nec pecuniæ, quas inconſultis largitionibus dilapidarat, ad bellum ſuppeterent, nec ipſe, ex incontinenti luxuria, & delicatiore viuendi ratione, articulorum morbo eneruatus, rebus gerendis eſſet idoneus.

Sub eodẽ, Normanni paulò ante irritati, auaritia Georgij Maniacis, quo cum ſocia arma coniunxerant, ad opprimendos in Sicilia Saracenos, certis pactionibus, Calabriam, & Apuliam omnem Græcis ademerunt, exturbatis etiam inde Saracenorum præſidiis, quibus, non ita multò poſt, Siciliam arripuerunt.

Cùm autem ingraueſcente articulorum morbo, & cruciatibus augeſcentibus, nec incedere poſſet, nec conſiſtere, & humorum acumen in corpore ſummum eſſet, pleuritide accedente, extinctus eſt, cum imperaſſet annos duodecim, menſes octo. Imperium reliquit Theodoræ ſorori coniugis, quæ maritum in Imperij ſocietatem nullum adduxit, ſed ſola Imperium adminiſtrauit. Quanquam autem ætate effœta corpore tamen non fuit inualida, ſed iliaco morbo correpta, cùm vitam deſperatam eſſe ſentiret, ſuaſu procerum, delegauit Imperium viro Byzantino, Michaëlo Stratiotico, admodum ſeni, cùm, poſt Monomachum, ſola rebus præfuiſſet annum vnum, menſes nouem. Hæc & mulierum, & virorum imbecillium Imperia, labefactatam antea, & acciſam dignitatem, ac potentiam, adeò debilitarunt, vt ex eo tempore nunquam ſeſe poſtea recollegerit.

MICHAEL STRATIOTICVS.

COnſecutus Imperium adoptione Michaël ſenex, cùm bene-

bene-

beneficus eſſet erga populum,& Senatum , delectíſque ex hoc ordine, dignitates decerneret,& prouincias diſtribueret,atque præfecturas : duces militiæ verò & militares copias non tantum negligeret,ſed aduerſaretur etiam,ac penè aſpernaretur, venit in odium apud exercitum , à quo Iſaacius Comnenus Imperator ſalutatus, miſſum contra ſe Theodorum,acie vicit,ac profligauit,Nicea in belli arcem occupata. Etſi autem Micael,inita cum Comneno pace,inter conditiones cæteras, ſe teſtamento eum hæredem Imperij nuncupaturum aſſenſerat:tamen,cum,mutata voluntate,clam largitionibus corrumperet animos populi, & optimatum,ne id ratum haberent:Comnenus,re cognita,opera Patriarchæ,Imperium ei derogauit, cum id tenuiſſet annum vnum.Ita loco motus,reliquum vitę priuatus tranſegit:nec,quòd ſapientiæ,ac virtutis adminiculis deſtitueretur,ac propter ætatem inualidus eſſet, tantę moli rerum par fuit.

ISAACIVS COMNENVS.

COmnenus,cum Patriarchæ auxilio,Michaelum Imperio exuiſſet,mox,in authorem beneficij,odio cõcepto, Patriarchatu depoſitum,miſit in exilium. Bellum geſſit cũ Vngaris,& Boſſinis,quibus vtríſque pacem petentibus, inducias conceſſit, perpeſſus non exigua detrimenta à cœli, & tempeſtatum inclementia. Extinctum ſcribunt,cum Imperio præfuiſſet biennium , & menſes tres , alij pleuritide oborta,ex commotione corporis nimia, ſub cœlo gelidiore,alij morbo ſeu caduco,ſeu attonito,cùm inter venandũ circa Neapolin,aprum aſpectu horrendum perſecutus,quẽ ſpectrum fuiſse conſentaneum eſt , & hoc in mare demerſo, ipſe ſubitò fulgure territus, ex equo præceps decidiſſet. Vir moribus arrogans,& ſęuus,cętera mediocris,etſi ab iis,qui in eius ætatem inciderunt,laudatur.

CONSTANTINVS DVCAS.

COnſtantinum Iſaacius,ante mortem , nominauit Imperatorem , virum iuſtitiæ quidem , & pietatis opinione celebrem , ſed ingenio tardum , & hebetem , ac credibili corradendæ pecuniæ ſtudio negligentem Imperij defenſionem contra Turcos. Dum enim inexplebili auaritia, pecuniæ inhiat , nec præſidia neceſsaria defenſioni comparat , interea ab Oriente Turcæ magis , magíſque progreſſi , ad littus contra vrbem Conſtantinopolin vſq. acceſſerũt.Ab Oriente Vſi gens Scythica,Macedoniam,&

Græciam depopulati ſunt, qui maiora damna daturi fuiſſent niſi plurimis peſte abſumptis, reliquias domum redituras, cum magna præda Bulgari internecione deleuiſſent.

Irruptionem hanc nouorum hoſtium, & Turcorum progreſſum anteceſſit, Maio menſe, cometa: qui poſt ſolis occaſum effulſit, plenæ lunę fulgore, & paulatim deflagrauit. Secutus poſtea, viceſima tertia die Septembris, terrę motus, plurima ædificia Cyzici, Niceæ, & alibi euertit. Anno vno poſt Imperiũ, longo morbo extenuatus, deceſſit, ſexagenario maior, cùm præfuiſſet Imperio annos ſeptem cum dimidio. Commendauit autem Imperium Eudociæ coniugi, iuramento obligatæ, ne id cuipiam concederet, niſi natis ex ipſo filiis, Michaelo, Andronico, & Conſtantino. Fratrem Johannem Cæſarem nominauit. Cuius filius Andronicus poſtea patrueles adiuuit in Imperio recuperando.

Eudocia ergo ſuſcepta adminiſtratione, etſi, vt erat ingenio aſtuto, & ſolerti, temporib. tranquillis Imperiũ filiis impuberibus conſeruare potuiſſet, tamen quod ingruentẽ vndiq. vim hoſtiũ pertimeſceret, & lacero, ac ruenti Imperio, videret ſtrenuo propugnatore opus eſſe, oblita iuramenti, quo marito viduitatem ſpoponderat, alium ſibi delegit, natum ex familia militiæ laudib. celebri, Romanum Diogenem, ſex, poſt obitum prioris, menſibus, & aliquot diebus elapſis.

ROMANVS DIOGENES.

Romanus ergo Diogenes, propter connubium Eudocię, Imperio potitus, quod Turcis, priorum Imperatorum ignauia, animatis, & ſucceſſu proſpero in ſpem occupandę Aſię erectis, ac longè, latéque graſſantibus, nemine prohibente, maturè occurrendum cenſeret, mox contra datam fidem, excluſa Eudocia, ſuo conſilio, & arbitrio omnia adminiſtrare cœpit.

Summa rerum, apud Turcos, tũc erat penes tertium, ex iis, quos Imperatores Aſiæ, Calipha Babylonię, creauerat, nomine Aſpaſalem. Hic ſedem habebat in Perſide, & per Suldanos, cũ prouincias cęteras regebat, tum finib. prolatis, regnum ampliabat. Hic, bipartito agmine, Diogenẽ aggreſſus, vno verſus ſeptentrionem, Cappadociam occupauit, & vicinas regiones deuaſtauit, altero verſus meridiem Syriam inuaſit. cui Diogenes cùm occurriſſet, Turcis repulſis, Calepum, Hierapolin, & aliquot vicina oppida recepit. Verno tempore, cùm Turci ex Cappadocia, Lycaoniã popularentur, reduxit exercitum ex Syria. Sed quod iam

Tur-

Turcos præda onuſtos, & ſponte recedentes, Armenij magna ex parte trucidaſſent, ipſe in hiberna ſeſe recepit. Sequentes expeditiones eius, infelices fuerũt, nã & ducum aliquos amiſit, & ipſe tandem ad Theodoſiopolim pugnans, equo ex lethali vulnere collapſo, venit in hoſtium poteſtatem. Adductũ ad ſeſe Axan Sultanus, honorificè tractauit, & pactus cum eo fœdus, certis conditionibus, ſanciẽdũ connubiis liberorum, incolumem, ac muneribus ornatum dimiſit. Interea, quod in odio eſſet apud Eudociam coniugem, & liberos ex priore marito natos, Byzantini, abſenti, Imperium abrogatum Micaëli natu maximo Conſtantini Ducæ filio tradiderant, qui Diogeni reduci, præter iuriſiurandi fidem capto, oculos eruit, ex qua re, cùm vulneris curatio negligeretur, capite toto intumeſcente, & verminante, miſerè mortuus eſt, poſt annum tertium, & menſem octauum Imperij.

MICHAEL COGNOMENTO Parapinacius.

CAptoà Turcis Romano Diogene, Imperium, odio illius obtinuit priuignus Micael, cui ingens fames, quæ ſub eo graſsata eſt, à Pinatio Medimni quadrante, cognomentum Parapinacij attulit. Anteceſſit hanc famem natiuitas monſtri, quod pedes habuit caprinos, in media fronte oculum vnum. Secuta eſt mox ingens peſtilentia. Micael, etſi in liberalibus artibus, ac diſciplinis, bene profecerat, operâ Micaeli Pſelli philoſophi, cuius adhuc arithmetica circũferuntur, tamen Imperio non fuit idoneus. Id, cùm imperitia rerum & ignauia, negligeret, factum eſt vt regiones Aſiæ, verſus Pontum omnes, Turcis ceſſerint, & ſit ſibi conſtitutum regnum, quod vocatum eſt Turcomanniæ regnum, hodie adhuc nomen retinet. Ab occaſu Croatæ, gens Heneta progreſſi paulatim ad ipſam vrbem regiam vſque acceſſerunt populabundi, & tandem obtinuerunt ſedem in ea Illyridis, vel Pannoniæ parte, quæ olim Liburnia vocata, nũc dicitur Croatia. Domi, defectionibus nouis turbarunt omnia, Naſtor præfectus limitũ ad Iſtrum. Cúmque hic, deſperato Imperio, ad Boſſinos tranſiiſset, Nicephorus Botoniates, attractis in Aſiam Turcis: Nicephorus Briennius Dyrrachij dux, iiſdem adductis in Europam. Sed Briennio profligato à Ruſelio Larino, cum Botoniatæ potentia, Turcicis auxiliis fulta, inualuiſſet: Michael Imperio, quod conſeruare non poterat, ſponte abdicato, monaſticum habitum induit, & in ſolitudinem, cũ

Maria Alana coniuge ſeceſſit, poſt annum Imperij ſextum, & dimidium.

NICEPHORVS BOTONIATES.

HIc Botoniates ortus ex poſteris Nicephori Phocæ, cùm & ignauia Micaelem exoſum ciuibus reddidiſſet, & ipſe, ſocietate Turcicorum armorum, eundē terruiſſet, Imperium ſibi aſſeruit, quod, etſi confirmarat cæde Briennij Baſiliaci, qui idem affectabat, & redacto in ordinem Conſtantino Duca, Micaeli filio, quem ad Chryſopolin exercitus Imperatorem proclamarat, tamen conſpiratione Comnenorum fratrum, violenter oppreſſus, monaſterium, Imperio relicto, ingredi coactus eſt, tertio Imperij anno, cùm pœna talionis, luiſſet iniuriam, quam Micaelo intulerat.

ALEXIVS COMNENVS.

AMoto ergo Nicephoro Botoniata, Imperium inter ſeſe partiti ſunt Comneni fratres, ea lege, Vt titulū Imperij vſurparet, & exerceret poteſtatem Alexius: alter Iſaacius vocaretur σεβαστοκράτωρ nouo nomine: tertius Adrianus nominaretur πρωτοσέβαστος: minimus σέβαστος. Affiniū verò, qui ſorores duxerant, Micael Taronites πανυπερσέβαστος, Miliſſetus verò Cæſar nuncuparetur, & cederent ſingulis, ex Imperij reliquiis, certi reditus annui, ſcilicet ne quid ex ambitione, & ęmulatione diſſidij, inter eos exiſteret, quod familiam euerteret, Imperio nondum ſtabilito.

Cùm autem, dilaceratis hac partitione, reditibus Imperij, ea, quæ ad Imperatorem redibant, non ſufficerent defenſioni limitum, ac vicinorum hoſtium incurſionibus, Alexius conuerſus ad rapinas, & exactiones, ſubditos immanem in modum expilauit, cúmque, corrupta moneta, pro aurea, & argentea, æneam ſignaſſet, tributi loco tamen auream dependi voluit. Ingenio fuit verſuto, vafro, ſuſpicaci, auaro, & rapaci, bello infelix. A Normannis ad Epidamnū victus, fugatúſque, magnam cladem accepit. Amiſit in mari Chium, Lesbum, Samum, & Rhodū inſulas, quas Turci duce Zachabo, occuparunt, ſubacta littorali Aſia: Cretam, & Cyprum recepit. Bello petitus a Boſſinis, & victus fœdus cum eis pepigit, pacem mercatus, partæ ſuæ ditionis ad Moglenem, quam incolendam eis attribuit.

Hoc imperante, ſuſcepta eſt à noſtris Argonautis inſignis illa in Aſiā, cōtra Turcos, & Saracenos, expeditio, Duce Godefrido Bilionco, à quo Syria omnis, & Palæſtina, cū pro-

prouinciis vicinis, recepta, & regnum Hieroſolymitanum conſtitutum eſt, de qua expeditione cùm dixerimus, crebra fiet mentio huius Alexij, cui fortunæ aduerſitas, multa poſtea in natura, & moribus correxit, auaritia, ac rapacitate, in liberalitatem, & beneficentiam, occulta ſæuitia in clementiã commutata. Deceſſit tandem ſeptuagenarius, diuturno, & graui morbo fractus, cùm imperaſſet annos triginta ſeptem, menſes quatuor, cum dimidio. Vxorem habuit Irenem neptem Johannis Cæſaris, fratris Conſtantini Ducę, ex qua ſuſcepit filios, Johannem, Andronicum, & Iſaacium: filias, Mariam, Theodoram, & Eudociam. Johannem ſucceſſorem in Imperio deſignauit.

His Imperatoribus, etſi de Oriente conuulſo, atque diſcerpto armis Henetis, & Turcicis, ſuperfuerunt exigua rudęra, tamen hæc ipſa conſeruauit Deus, & in his aliquam Eccleſiam, admirandis modis, vſque ad extremam euerſionẽ, repreſſis Turcis, primùm virtute eorum, qui, ab Occidẽte, oppreſſæ Aſiæ ſuppetias tulerũt, multis annis. Deinde excitatis Tartaris, qui Turcis omne Aſiæ Imperium ademerunt, & ſuſtentat ac protegit adhuc aliquas Eccleſiæ reliquias in Armenia, Iberia, Alania, & in ipſa Græcia, ſub tyrannide Turcica, ſicut ſeruauit Eccleſiam in Babylone, & poſtea graſſantibus Tyrannis, Nerone, Diocletiano, Maximino, & aliis.

Etſi autem Eccleſiæ græcæ non ſunt ſine erroribus, & abuſibus multiplicibus, ſicut omni tempore Eccleſia aliâs plus, aliâs minus lucis habet, tamen retinent fundamenta, ſcripta Prophetica, & Apoſtolica, & Symbola, & Sacramentorum vſum: vtuntur vtraque parte Cœnæ Dominicæ, cùm ſit diſtributio in vna cõmuni miſſa. Hoc exemplo confirmati, ſtatuamus manſuram eſſe certò aliquam Eccleſiam in hac vita, quicquid euenerit de Imperiis: neque ad Monarchias, & politica regna reſpiciamus, neque horum aut potentia, atque amplitudine, aut colliſionibus inter ſe, & ruinis moueamur, neque ad hæc ita Eccleſiam alligemus, vt cum eis ſurgentibus, & efflore ſcentibus, naſci, atque conſiſtere, collabentibus interire Eccleſiam fingamus, ſicut homines prophani iudicant. Eſt enim Eccleſia cœtus Deum rectè agnoſcentium, & inuocantium, fiducia Jeſu Chriſti Mediatoris, diſperſus in totum orbem terrarũ. Conſideremus & pœnas, ſicut dixi, Idololatriæ, Tyrannidis, parricidiorum, auaritiæ, libidinum, & aliorum ſcelerum, quibus polluti gubernatores, & ſubditi, mutatio-

nem Imperij accelerarunt.

DE OCCVPATA A NORMANNIS SICILIA.

Siciliā, poſt eiectos inde Carthaginenſes, ſemper tenuerūt Romani, aut Romanorū Imperatorum titulo, Græci, vſque ad Saracenos: qui, cùm occupaſſent Ægyptū, primum inde, circa annum Chriſti, ſexcenteſimum quinquageſimum, Rhodo capta Siciliam etiam claſſe aggreſſi ſunt, ſed direptione contenti, ſuam non fecerunt, vel quod metuerent vicinā Italiam, vel quod propinquam Ægypto Africam Vandalis & Gottis expulſis, prius ſubiugandam eſſe, cēſerēt. Omiſſa ergo Sicilia, promotis ex Ægypto caſtris, & multis in littore Africano vrbibus captis, nō procul à Carthagine, in belli arcem condiderunt Caruenum vrbem, ſic dictam, quod fuerit ceu receptaculū exercitus, & arx belli. Inde reliquam Lybiam omnem, Africam minorem, Numidiam, & Mauritaniam vtranque domuerunt Carthaginem, quam anno ſecundo, ſupra centeſimum, poſtquam à Scipione iuniore deleta eſt, Auguſtus inſtaurarat, annis ſexcentis octoginta poſt, funditus excīſam, ſolo æquarunt. Dehinc freto Herculeo traiecto, Beticam occuparunt in Hiſpania, vbi regnum Granatæ inſtituerunt, & Rhoderico gottorum rege cęſo, progreſſi, Toletū etiam expugnarunt.

Omnis autem illa Africæ pars, quæ hodie Barbariæ nomine celebris, interiacet Cyrenaicæ, & monti Atlanti, & à littore maris mediterranei, verſus ampliſſimas Æthiopum ſolitudines extenditur, in quatuor regna tunc fuit diuiſa: quorum vnum in Mauritania Tingitana ad montem Atlantem metropolin habuit vrbem Marocum, quæ antiquitus fuit Boganum Hemerum, & ſedes regni Bogudis. Fuit autem hoc regnum cæteris amplius, ac potentius, diſtinctum in regiones ſeptem. Alterum in eadem Mauritania, propè anguſtias freti Herculei, ſedem habuit in vrbe Feſa, quæ apud Ptolemæum eſt Volubilis, & adhuc hodie regni Feſani caput eſt. Hoc totidem regionibus diſtinctū, à flumine Cuſa, pertinuit vſque ad fretū Herculeum. Tertium in Mauritania Cæſarienſi, Romanorum colonia, Metropolin habuit Tremeſinum, vel Teleſinum vrbem: cuius cognomentum vetus fuit Tinice. Huic ſubiectæ fuerunt regiones tres. Quartum Tunetanum, quod complexum totam Africam minorem, & magnam Numidiæ partem, caput regni habuit vrbem Tunetum, non procul a ruderibus veteris Carthaginis, vnde pulſum Muleaſſem,

ab

ab Ariadeno Barbaroſſa, Carolus V. Imperator reſtituit, anno milleſimo, quingẽteſimo, triceſimo quinto. Sed rurſus excidit regno Muleaſſes, excæcatus a filio Amida. Fuit autem diſtinctum in regiones quatuor. Ex his quatuor regnis, progreſſu temporis, conflictu inter ſeſe mutuo debilitatis, ac dilaceratis, poſtea emerſerunt plura minora regna, poſitis ſedibus Hipponæ Bugiæ, vbi antiquitùs fuit Salda colonia. Biſertæ, vbi olim fuit Vtica: Algieræ, quæ olim fuit Julia Cæſarea, & ſedes Jubæ, regis Mauritaniæ: item Conſtantinæ, & alibi.

Ex his ergo regnis in Africa, Saraceni ſępè Siciliã claſſe adorti, ac depopulati ſunt: ſub Cõſtantino, patre Conſtantini Barbati, & cæteris, multóq; crebrius tunc, cùm maximę partis Italiæ, ab Imperio Græco, auulſione, potentia Græcorum debilitata, paulatim corruiſſet. Tandem ab Euphemo Exarcho, qui ſpe obtinendæ Siciliæ, & Italiæ, ſe nominarat Imperatorem, contra Michaëlum Balbum, attracti è Carneno, certis conditionibus, cùm in ſubigenda Siciliæ magna parte, ſtrenuam ei operam nauaſſent, illo trucidato, & cæteris Gręcis in ſeruitutem redactis, inſulam ſibi vendicarunt. Factum id eſt, imperante apud Occidentales Ludouico II. Etſi autem poſtea, & de Sicilia, & de Apulia, atque Calabria cum Græcis, & Francis continenter dimicarunt, tamen per annos ducentos, quinquaginta octo, de occupatis aliquid retinuerunt.

Dimicantibus ad hunc modum inter ſeſe Græcis, & Saracenis, interea paulatim ſeſe collegerant rurſus reliquiæ Longobardorum circa Neapolin. Et res Siculas turbarant diſſidia orta inter reges Saracenos, fratres, Apollopharũ, & Apocophẽ: & inclaruerat virtus Normãnorum in bellis Berengarij, contra Hunnos. His occaſionibus, rei gerendæ contra Saracenos, Græci vtendum rati, miſerũt cum claſſe in Siciliam, Georgiũ Maniacem, imperantibus cum Zoë cõiuge, Michaëlo Paphlagone, & Calaphate, qui aſcitis in belli ſocietatem Longobardis, & Normannis, Saracenos nouarum copiarũ acceſſione auctos, magna ſtrage, deuicit, & tredecim præcipuas Siciliæ vrbes recuperauit. Sed cùm contra pacta, auarè, & iniquè partam prædam, inter ſocios diſpertiretur, Normanni irritati, Apuliam Guilielmo Ferrabracho duce, Græcis eripuerũt. Paulò poſt Georgio Maniace in Epiro acie victo, & obtruncato, Saraceni etiam Siciliam recuperarũt, imperante apud Græcos Conſtantino Monomacho, apud Romanos Conrado Franco,

Hæc fuerunt initia potentiæ Normannicæ in Italia.

Normannos autem, Rollone duce, è Cimbrica Cherſoneſo eam regni Frãcici partem claſſe inuaſiſſe, ac diripuiſſe, poſtea verò, ex tranſactione cum Carolo Simplici, Frãciæ rege, obtinuiſſe: quæ, quod in occidentem vergeret, corrupta voce, Neuſtria antiquitùs dicta fuit, quaſi regnũ occidentale, ſupra commemoraui. Conditor ſtirpis, Rollo nomine, cum religione mutato, poſt baptiſmum ſuſceptum, appellatus eſt Robertus. Ab hoc Rollone quintus fuit Tancredus, natus patre Roberto comite, tenuis fortunæ, ex vxore plebeia. Is, cùm ex duabus vxoribus, duodecim ſuſcepiſſet filios, & res domeſticæ eſſent anguſtiores, quàm pro tot filiorum numero, ad ampliores quęrendas, in Italiam profectus, primum militauit Berengario contra Hunnos. Deinde Pandulpho Longobardorum duci, contra Guimarum Salernitanum. Moriturus, cæteris filiis pręfecit Guilielmum, qui, à corporis robore, nominatus eſt Ferrabrachus. Præter hunc Guilielmum, celebrantur ex fratribus, Robertus cognomento Guiſcardus, quod nomen, Normannica lingua, aiunt ſignificare erronem victorem, & Rogerius cognomento Boſſus, a corporis proceritate, & craſſitie.

Guilielmus, cùm adiuuiſſet Georgiũ Maniacen, in Sicilia recuperanda, anno Chriſti, milleſimo, quarto, illo promiſſam mercedem negante, primus Apuliam occupauit, móxque, cùm Græci, per ignauiam, negligerent Italiam, Calabriam omnem Apuliæ adiecit. Paulò poſt illo mortuo, fratres Robertus Guiſcardus, & Rogerius inuitati à Battumeno Saraceno, qui à cæteris odio defecerat, conſilio eius, & opera, expugnarunt Meſſanam in Sicilia, anno Chriſti, milleſimo, ſexageſimo. Inde progreſſi, continentibus triginta annorũ bellis, poſt Saracenos aliquoties profligatos, Sicilia vniuerſa potiti ſunt, anno Chriſti, milleſimo, nonageſimo.

Robertus febre deceſſit, apud Caſſiopam Epiri vrbem, debellatis Epiro, Acarnania, & Dyrrachio, anno Chriſti, milleſimo, octogeſimo tertio, anno ætatis, ſexageſimo tertio: relictis filiis Rogerio Apuliæ duce, & Boemundo, quæ expeditio Hieroſolymitana celebrem fecit. Rogerius fratri diu ſuperuixit, obiit Mileti Calabrię, anno Chriſti, milleſimo centeſimo primo, ætatis ſeptuageſimo, rebus magnis bello geſtis, vſque ad extremam ſenectam. Filios reliquit Simonem, & Rogerium, qui anno Chriſti, milleſimo, cen-

mo,centeſimo,ſecundo, potitus Sicilia,& tota propemodum Apulia, atque Calabria: primus Regium nomen vſurpauit,tranſlato eo, cum regni hæreditate, deinceps in filium Guilielmum primum, cognomento Malum. Cui ſucceſſit Guilielmus ſecundus cognomento Bonus. Quo ſine liberis extincto,Siculorum aliqui, regem declararunt Tancredum nothum filium Rogerij regis. Id ægrè ferens Henricus,filius Friderici Barbaroſſæ Imperatoris, qui regnum ſibi vendicabat, propter Conſtantiam vxorem, filiam regis Rogerij, quam duxerat in vxorem quinquagenariam,cùm exercitu profectus in Italiam,cùm Neapolin fruſtra obſediſſet, peſte exercitum depopulante, regredi coactus eſt,re infecta. Sed Tancredo mortuo,qui Rogerio filio regnum tradiderant,reuerſus,cùm ſe,ne tum quidem vi profecturum quicquam, cerneret, fraude propoſitis conditionibus de regno partiendo,vt Neapolin ipſe, Siciliam Rogerius teneret, adoleſcenti vt aſſentiretur perſuaſit. Ad confirmandas ergo conditiones intromiſſus in vrbem Panormum,pridie Calend. Decembr. anno Chriſti milleſimo,centeſimo, nonageſimo quinto, nulla admiſſa deliberatione,regem ſe ſtatim Siciliæ,& Neapolis proclamari curauit:Rogeriúmque oculis priuatum, & virilibus, cum tribus ſororibus, Alteria,Conſtantia, & Madonia,in Germaniam abduxit. Ita regnum Siciliæ, cum Apulia, & Calabria,à Normānis,qui id annos centum triginta quinque tenuerant, deuolutum eſt ad Sueuos: qui quando id amiſerint,ſuo loco dicetur.

IMPERATORES ROMANI IN OCCIDENTE, EX Francis orientalibus.

CONRADVS SECVNDVS COgnomento Salicus.

VVlt ſciri Deus, Imperia non rapi,aut obtineri viribus, nec regi,aut ſuſtineri conſiliis humanis,nec conſiſtere,aut ruere caſu: ſed conſtitui, ac ſeruari diuinitùs: & rurſus,creſcentibus gubernatorum, aut ſubditorum vitiis, & impunitate,vel deleri,vel mutari, ac transferri diuinitùs, non tantùm de gente in gentem, ſed & de ſtirpe in ſtirpem. Vix enim,in vllis hiſtoriis, diuturnam fuiſse eiuſ-

dem familiæ potentiam, & vltra quintum ſucceſſorem, pari ſeſe felicitate extendiſſe reperias. Sicut & oraculi verſu dicitur:

Καὶ σὺ, καὶ παῖδες σῶν παίδων ἐκ ἔτι παῖδες.

Sæpe etiam oſtendit Deus, totarum familiarum deletione, regnorum conſeruationem, non ita eſſe alligatam ad ſucceſſionem, ex certa ſtirpe; vt his faſtigiis poſteri excidere nequeant; & propterea vel perpetuam potentiam, vel certum atque immutabile ius ſibi ſomnient. Nec ſi quę mutationes accidant bello, aliíſve de cauſſis, quenquam, fiducia generis, inuadere, & occupare dominationem, aut recuperandæ potentiæ ſtudio, moliri aliquid, vel muniendi ſui cauſſa, præſentem formam gubernationis turbare debere Denique, nullam eſſe felicem gubernationem, niſi Deo adiuuante. Quàm infelices ſint magnæ potentiæ, extra vocationem, & ordinem, affectationes, oſtēdunt exempla hiſtoriarum.

Transfertur legitima electione, Imperium à Saxonibus in Conradum Salicum, & huius poſteros, quibuſcum Saxones, fiducia generis, quod Henrico Aucupe nati & propagati eſſent, qui primus in eam gentem faſtigium Imperij intulerat, & alieni iugi impatientia, parere recuſarunt, funeſta bella ciuilia accenſa ſunt, flammas etiam ſubdentibus Pontificibus. Hæc bella vtriſque familiis abſumptis, & pluribus aliis, non ſolum Germaniam præſtantiſſimorum virorum præſidio, orbarunt, vt deſineret eſſe formidabilis exteris regibus, ſed & Imperij formam mutarunt, & Pontifices, ſeditioſis conſiliis, ac molitionibus implicitos, noua Tyrannide armarunt.

Sint etiam in conſpectu cauſſæ innumerabilium vitiorum & calamitatum, quibus Imperia opprimuntur, & tandem euertuntur, Ordo in Imperiis, vt in rerum natura, ſine dubio, eſt opus Dei. A Deo ſunt, & boni ac præſtantes, humanóque generi vtiles Principes, & felix, ac ſalutaris gubernatio. Huius ordinis confuſiones nec vult, nec approbat, nec adiuuat Deus, etſi permittit, & metis conſtitutis, quo vſque toleraturus ſit, tandem authores confuſionum grauiſſimè vlciſcitur, ſarcítque, ac reſtituit labefactata. Oriuntur autem confuſiones, in gubernatione, à Diabolorum furoribus; qui odio Dei, ordinem diuinum, quibus poſſunt modis, turbare conantur, & ab hominum imbecillitate, quæ, & per ſeſe facilè labitur, & furoribus Diabolorum incitata, magis ruit extra metas, & ordinem,

idolo-

idololatriis, libidinibus, tyrannide, quæ ferè ex ſuperbia orta, vel auaritia, deſiuit in ſeditiones, in quibus verè, ſecundem Thucydidem πᾶσα ἔνεστι ἰδέα κακοῦ, ſicut Germania experta eſt in bellis Henricorum. Et omni tempore, vel in ſeditionibus, extulit ſeſe improbiſſimorum hominum audacia, & creuit eorundem potentia, ſecundum verſum veterem:

ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς, ſicut ex noſtris diſſenſionibus emerſit, & confirmauit ſeſe Tyrannis Pontificia, quam priores Imperatores repreſſerant: vel, propter ſeditiones, attracti ſunt homines peregrini, qui domi inter ſe conflictantes, oppreſſerunt; vt hiſtoriæ omnium temporum teſtantur. Etiam Imperia, quæ amplitudine ſua fulta, ac maieſtate, ſolius potentiæ nixu, & ſeſe ſuſtentarunt, & omnem vim externam reſpuerunt, tandem, inteſtinis quaſſata, conuulſáque motibus, corruerunt.

Nunc ad Conradum venio: Ad hunc de iudicio. & ſententia Henrici Sancti, ſcribunt eſſe Imperium delatum, cum, poſt interregnum biennij, diſcordantium inter ſe principũ ſententiæ, tandem in eum conſenſiſſent; rem promouentibus Epiſcopis. Moguntino, & Bambergenſe, refragantibus paucis, inter quos Conradus, patruelis Imperatoris Imperium ambiebat: Erneſtus verò priuignus Imperatoris, Sueuiæ dux, & Guelphus dux Bauariæ occidentalis, partes ambientis, contra iam deſignatum Imperatorem, fouebãt. Sed horum molitiones initio, cęterorum ope, facilè retudit Imperator, quæ tamen illo in Italia abſente, rurſus ſeſe commouerunt.

Inunctus à Moguntino, mox comitantibus regibus, Rudolpho Burgundiæ, qui erat Giſelæ vxoris auunculus, & Canuto Cimbrorum, Italiam adiit, vt compeſceret, ad defectionem, cupiditatẽ libertatis, inclinatos: & Italiæ occupatione confirmaret, recenti conſtitutione, traditam Germanis Imperij poſſeſſionem, ac proclamaretur Imperator. Priuſquam exceſſit è Germania, Henricum filium annum agẽtem XII. declarauit Imperatorem; atque eundem, tertio anno poſt, Henrico Bauaro, fratre Sanctæ Cunegundę extincto, collocauit in ducatum Bauaricum.

Ex Italia reuerſus, denuo bellum mouit in eos, qui, conſpiratione renouata, res patriæ, ipſo abſente, turbarant. Erneſtum, cùm non quieſceret, tandem Satellites Imperatoris, biennio poſt, fuſum acie, fugatumque, & in ſilua circumuentum, atque concluſum interfecerunt.

Authores ſunt,qui affirmant,antiquiſſimas in Sueuia, gentes fuiſſe, Gibellinorũ & Guelphorum,interq;ſeſe,capitalibus ſemper odiis diſſediſſe,etiam,ante Imperatorum, & Pontificum diſsenſiones,illis Imperatori adhęrentibus, his aduerſantibus,& vtraſque tandem, velut colonias,Sueuorum temporibus, in Italiam traductas eſſe , ibidémque veterum diſcordiarum ſemina ſparſiſſe, & aluiſſe, iis,qui Gibellinorum nomen profitentur,Imperatorias,Guelphis, pontificias partes,bello, pacéque acriter tuentibus.

Harum factionem memoria adhuc in Italia durat,ſciſſis in diuerſum ciuium animis; Gibellini ab oppido Sueuiæ, Weblingen,vbi Fridericum Barbaroſſam natum tradunt, Guelphi a ſtirpis conditore nomen traxerũt. Si quis principia gentis vtriuſque altiùs repetat,Gibellinos cognoſcet Francis procreatos , & Sueuiæ,cum Alemannia Francorũ armis edomita eſt,inſitos eſſe,vt pręeſsent,ac dominarentur: Guelphos origine ſeu Sueuos , ſeu Alemannos retinuiſse auitas, & patrias ſedes, ea conditione,vt nouis dominis ſubiecti eſsent,atque parerent. Ex ea verò mutatione,nata odia , ac nouis ſubinde iniuriis , vel ęmulatione potius exacerbata magis,magíſque,atq; adaucta,ita ætate inueteraſse , penéque occalluiſse in animis vtrorumque, vt ſanari nunquam potuerint. Apud Italos,Sueuis imperantibus, vtraque factio primùm innotuit & inoleuit.

Ex Gibellinorum veterum proſapia, quæ origine Francica eſt , ortum eſse prodiderunt hunc Conradũ II. Welphus,noſtra lingua,catulum ſignificat.Proſapia Welphorum, quæ initio anguſtas ſedes habuit ad Altorphum , & Rauenſpurgum, oppida Sueuiæ, illuſtrauit primus Welphus,cuius filia Juditta,nupta Ludouico Pio, peperit Carolum Caluum.Fratribus Judittæ Rodolpho & Conrado, genitus Etycho,reliquit filium Henricũ,& Ludgardã filiã, nuptam Ludouico Germanico, Bauarorum,& Franciæ regi.Hic Ludouicus Henrico affini,in Bauaria,attribuit,quę a Lyco ad Abronem, & à Gelone amne, ad Alpes Penninas pertinent.Hęc fuerunt principia Welpphorum in Bauaria. Henrico patre nati ſunt, Conradus Epiſcopus Conſtantienſis , Etycho conditor ſtirpis dominorum Suitenſium , in Rapoldſvvil, & Rodolpus pater Welphi,quem ſecundum aliqui, aliqui primum nominant,quod ſcilicet inter illos,qui Bauariæ partẽ obtinuerunt, ſit primus. Huius ex Rodolpho filio,nepos fuit Welphus ſecundus , qui electioni Conradi ſecundi aduerſatus eſt. Welpho ſe-

cundo

cundo,ex coniuge Irmengarda,quæ ſoror fuit Diuæ Cunegundæ Auguſtæ,natus eſt Welphus tertius,& Cunegunda filia,quę nupſit Aſoni marchioni Ferrarię.Cum autem frater Cunegundæ,Welphus tertius moriens,non reliquiſſet maſculam ſobolem,mater obtinuit apud Henricum quartum,vt auunculi hæreditas cederet nepoti, ex filia Cunegunda, Welfo,filio Aſonis Ferrarienſis; quem, etſi poſtea Imperator proſcriptum,rurſus ducatu mouit,quod ad Pōtifices ſe contuliſſet,contra ipſum tamen,cùm ab illo rurſus diſceſſiſſet,poſt viginti annorum exilium,reſtituit.Hic Welphus pater eſt ſtirpis ducum Brunſuicenſium, ac Luneburgenſium,vt ſuo loco dicetur,& tenuerunt Bauariam Welphi;annos, centum & nouem.Hæc de Gibellinis, & Guelphis, déque Guelphorum origine,monuiſſe hoc in loco ſatis eſt.

Conradus pacata Germania, bellum fecit Stephano Vngarorum regi,repetēti Bauariam, hoc prætextu,quod filio eam aſsereret,nato ex ſorore Henrici Sancti. Hoc bello, poſt vltrò citróque datas, acceptaſque clades,morte Emerici filij,finito,res ad pacificationes deducta eſt.Inde turbatam à Meſicone Poloniam, qui fratrem Ottonē regno pepulerat,in tranquillum reſtituit, tumultuantes Francos, Gallos,ac Boiemos compeſcuit.Fuit enim virtus,& potētia adhuc tanta Imperatorum Germaniæ, vt vicinis regibus formidabilis eſſet, & vt cęteri Imperatorem,tanquam ſummum Monarcham orbis Chriſtiani, agnoſcerent, ac venerarentur.

Cùm autem delegatum ipſi,teſtamento,regnū Burgundiæ,a Rudolpho rege, qui interea deceſſerat,Otto Belgici præſes,intercepiſſet, quod Rodolphi nepos eſset, ex ſorore, Conradus illi deuicto,Burgundiam omnem, vſq; ad Rhodanū fluuium ademit,& rurſus cū Germania coniunxit. Ab eo tempore Imperatores Germanici, iura,& titulum regni Arelatenſis vſurparunt, quæ Carolus quartus alienauit.Deſiit ergo Burgundia regnum eſſe, cùm, poſt mortem Caroli Calui,per annos cētum,quadraginta quatuor,ſuos reges habuiſset,decem ordine,inde vſque a Rodolpho,fratre Boſonis,regis Italiæ; filio Conradi, comitis cuiuſdam in Burgundia, qui à Carolo Caluo conſtitutus dux Burgundiæ,eo mortuo, ſub Arnolpho,regium nomē vſurpauit. Sed aliquantò poſt Burgundia in tres eſt partes diſcerpta : Ottonis Belgici poſteris vnam partem comitum titulo, circa Veſontionem : Guidone Groſſo alte-

ram, ducum titulo, tertiam & maximam Humberto Allobrogum duce occupante.

Quod autem interea Italia, ſeditionibus turbata eſſet, Imperator cum exercitu in Italiam regreſſus, præter alias vrbes Longobardię, Mediolanum obſedit, & cepit; Epiſcopum ſeditionis auctorem, exilio mulctauit. Inde Apulia, Calabria, totáque littorali Italia, quæ tunc erat Normannorum, perluſtrata, & in fide erga Imperatorem Romanorum cõfirmata, rediit in Germaniam. Abſente eo, Belgici præſes, violatis pactis, atque conuẽtis, in agrum Lotharingicum irruperat, ſed iam cæſus erat à Gottelone præfecto Imperatoris ad Tullum, vrbem Leucorũ. Quare reuerſus in Germaniam Imperator, Burgundos, Soioduri, in verba filij Henrici iurare coëgit, & Hermanno duce Sueuorum, peſte extincto, in Italia, ducatum tradidit Ottoni, nepoti Ottonis tertij Imperatoris ex ſorore, agnato Hermanni. Tandémque, pridie nonas Junij, repentina, inopinatáque morte deceſſit, anno Imperij decimo quinto.

Anno Chriſti Saluatoris, milleſimo, triceſimo nono.

Anno mundi, quinquies milleſimo, primo.

Corpus ſepultũ eſt Spiræ, in templo, quod extruere cœperat magnificè, vbi adhuc patris, filij & nepotum monumenta viſuntur, cum hac inſcriptione:

Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet iſtic.
Hic proaui coniunx, hic Henrici ſenioris.

De ſtirpe huius Conradi non conuenit inter omnes. Aliqui originem referunt in Eberhardum, fratrem Conradi primi. Aliqui in Conradum Sapientem, generum Ottonis Magni, quem in prælio contra Vngaros, ad Auguſtam cecidiſſe, ſupra docuimus; ſed diſſimiliter. Nonnulli pronepotem faciunt Conradi Sapientis ex filio Ottone, nepote Henrico. Aliqui abnepotem eiuſdem, ex Ottone filio, nepote Cunone, pronepote Hermanno, ſed quæ fuerit origo Conradi Sapientis, non annotant. Ego, vt ſupra dixi, è primi Conradi proſapia deſcendiſſe eum, ratiocinor. Cognominat⁹ eſt Salicus, quod originis eſſet, ac sãguinis Frãcici, à Francicis Saliis veteribus, accolis Salæ amnis, qui & nomen hoc genti tribuit. A Francis Saliis verò, vt authorib. profectum eſt nomen legis Salicæ, cuius verba ſunt:

IN TERRA SALICA MVLIERES NE SVCCEDANT.

Fit eius mentio in libro Feudorum, & retinuit eam legem regnum Franciæ conſtantiſſimè, nec vllis eam familiarum

liarum

liarum mutationibus, labefactari paſſa eſt.

Fuit autem vir præſtans hic Conradus, & princeps ſalutaris, qui maiorum exemplo, & Eccleſias fouit, quanquam iam multiplici ſuperſtitione obrutas, & acceptum à maioribus Imperium, virtute, ac ſapientia ſtabiliuit, reſtitutione Burgundiæ, auxit.

Dixi & de Giſelæ proſapia, variare authorum ſententias. Plerique tamen eam, decimo quarto gradu, Carolum Magnum attigiſſe, affirmant, ſed non enumerata maiorum ſerie. Superuixit marito annos quinque: mortua, anno Chriſti, milleſimo, quadrageſimo quarto: decimo ſexto Calendas Martij. Tertio eam nupſiſſe diximus, Conrado Imperatori, cùm primũ Brunoni, marchioni Saxoniæ, Ludolphum filium: deindè Erneſto Sueuiæ, gemellos, Erneſtum ſcilicet ſeditioſum, & Hermannum, peſte in Italia extinctum, pepeſiſſet. Habuit Giſela agnatum, Ludouicũ nomine, ex veteri ſtirpe Francica, cui nonnulli tribuunt titulũ comitum Aurelianenſium. Huic Conradus, interceſſione coniugis, impetrauit ab Hugone Epiſcopo Moguntino fratre, partem quandam Turingiæ. Huius Ludouici nepotem, auo homonymũ, poſtea Lotharius Imperator, comitem prouincialem, ſeu, vt vocant, Landgrauium Turingiæ conſtituit, auctum opibus, & ampliore ditione.

Meminerunt etiam hiſtoriæ, circa hæc tempora, Ottonis tertij, Henrici ſecundi, & Conradi ſecundi, præfectorum limitis orientalis, ſeu marchionum Auſtriæ, & nominatim quidem Bertholdi, quem in eam prouinciam collocauit Otto tertius, & filiorum eius Alberti, Henrici & Erneſti. Albertus patri ſucceſſit, Erneſtus ducatum Sueuiǫ adeptus eſt.

Henricus, cùm Auſtriam adminiſtraret tutorio nomine, fratre Alberto defuncto, oppoſuit ſe Henrico Sancto. Alberto genitus Leopoldus, Conrado, & filio eius, Henrico Nigro, imperantibus. Petrum Vngariæ regem, quẽ poſt Emerici filij mortem, Stephanus rex Vngariæ adoptarat, mandato Imperatoris reduxit in regnum, vnde ab Ouone quodam Tyranno fuerat pulſus. Hæc ſtirps marchionum Auſtriæ, ab Alberto Bambergenſe, vt aliqui prodiderunt, propagata, tenuit Auſtriam vſque ad familiam comitum Habſpurgenſium, quæ nunc rerum potitur in Imperio. Sed aliquantò poſt, nomen cum dignitate mutauit, pro marchionum nomine, ducum titulo, & dignitate aucta, vt ſuo loco dicetur.

HENRICVS TERTIVS IMPERATOR, cognomento Niger.

HEnricum cognomento Nigrum, quem aliqui ſecundum, excluſo ſcilicet ex Imperatorum numero Henrico Aucupe, quod Italiam non adierit, aliqui tertium nominant. Hunc ergo Conradus pater, Procerum conſenſu, deſignauit ſucceſſorem, cùm eſſet Italiã petiturus. A morte patris, Imperium capeſſentem, duo grauia bella exceperũt, quorum priore Boëmos, qui noui Imperatoris authoritate ſpreta, Vratiſlao duce, annua tributa contumaciter detrectabant, Vngaricis auxiliis freti: hos ergo altero prælio (cum primã expeditionem, intercluſa, obſeptáque ſiluarũ ſucciſione, itinera, reddidiſſent irritam) grauiter afflictos, coëgit, ſolutis tributis, priſtino ſeſe iugo rurſus ſubdere. Altero, reduxit Petrum Vngariæ regem Stephani nepotẽ: quem inuiſum ſuis, & ſuſpectum, ob ſtudium, & affectionem erga peregrinos, Chriſtianę religionis cauſſa, & quod inſolentius, atque crudelius multa faceret, de conſilio paucorum, ex quibus pendebat, Ouo quidam, conſpirationis dux, regno pepulerat. Huic Ouoni primum, opera Leopoldi marchionis Auſtriæ, qui à rebus feliciter contra Vngaros geſtis, fulmen, terrórque Vngaricæ gentis cognominatus eſt, magna regni Vngarici parte exuto, & pacem, ſimulata humilitate, ſuppliciter petenti, clementer ignouit. Poſtea, cùm, violata fide bellum atrocius redintegraſſet, magno prælio victum, ad Scaurinum, quod hodie Iaurinũ eſt, in fugam coniecit, in qua alij obtruncatum eum ab Vngaris, alij captum, deductúmque ad Petrum, & de ſentẽtia procerum regni, ſupplicio capitis mulctatum, ſcribũt. Pugnatum eſt, anno Chriſti, milleſimo, quadrageſimo quarto, quarto Nonas Iulij. Sed cùm de priſtina ſæuitia, Petrus nihil remitteret, nec repudiata Chriſtiana religione, vellet redire ad veterem ſuæ gentis, Vngarorum conſpiratione, qui ad regnum Andream, Petri cognatum, ab exilio reuocarunt, oppreſſus, & excæcatus, diem clauſit extremum Albæ regiæ.

Interea domi turbarat patriam, Godefridus Lotharingiæ Moſellanæ dux, inito fœdere primùm cum vicino Frãciæ rege, poſtea cum Balduino Flandriæ comite, coacturus Imperatorem armis, vt excluſo fratre Gottelone, ducatus partem vtramque ſoli ſibi concederet. Hanc ducis perfidiam, etſi ægrè tulit, tamen culpam confitenti, ac deprecanti, veniam dedit, & cæteri cùm eum incluſiſſet in arce

vicina

vicina Salinis Saxonicis,quæ nunc eſt Archiepiſcopi,rurſus dimiſſum,adiunxit Leoni nouo Pontifici,ad reprimendos Normannos.

His bellis domi occupato Imperatore,commouerant Italiam,& vrbem Romam tria teterrima monſtra, ſeditoſa & ſcelerata, de pontificatu,contentione, contra leges traditas,& confirmatas ab imperatoribus,ſcilicet Benedictus nonus,Sylueſter tertius,& Gregorius ſextus.Hanc contẽtionem Imperator diremptturus, & contumacem audaciã, ac ſcelera,quibus certatim alter alterum depulerat, vlturus,Italiam adiit,deiectiſque ſententia Synodi, quam authoritate Imperatoria,celebrauit,& ſacro ordine motis vniuerſis,ſuffecit Suidigerum Epiſcopum Bambergenſem, qui Clementis ſecundi nomen aſſumpſit.

Eodem tempore, cùm alia ſtatuit ad Imperij tranquillitatem neceſſaria,tùm vetus interdictum , de non creando Põtifice,ſine Imperatoris aſſenſu,denuo ſanciuit,cuius abrogandi cauſſa nihil non mouerunt Pontifices.

A Clemente renunciatus Imperator,exercitum duxit in Italiam vlteriorem,vbi inter Normannos, & veterum Lõgobardorum reliquias,bella erant,quibus compoſitis,præſidiiſque depoſitis,quæ vtroſque in officio continerent , & Normannos,ſi pergerent tumultuari , compeſcerent,exercitum in Germaniam reduxit.In ea expeditione,cùm Henricum Bauariæ ducem,nepotem ex fratre diuæ Cunegundæ , & Ottonem Sueuiæ ducem , Ottonis tertij ex ſorore nepotem,Hermanni Sueui,cui ſucceſſerat, agnatum amiſiſſet : illi Conradum quendam, huic Ottonem Schvveinfurt ſucceſſorem dedit.

Nondum reuerſo in Germaniam Imperatore , Clemens ſecundus, veneno ſublatus,deceſſerat , móxque poſt illum alter Damaſus.Tertium ergo,ante diſceſſum ex Italia, cõſtituit Pontificem , cognomento Leonem Nonum. Hic ſequutus Imperatorem in Germaniam , cùm Moguntiæ, in frequenti Synodo , quam Imperator indixerat , eius loci Epiſcopo ſeſe anteferret,hoc ſua iura allegante, ac tuente,cedere coactus eſt. Nondum enim Pontifices Romani tyrannicè imperabant Epiſcopis cæteris , & multò minus Imperatoribus , quorum authoritate, & patrocinio nitebantur,& conſiſtebant. Sed poſtea hanc tyrannidem , ſæpè quidem ante appetitam, & mirificis artibus quæſitam bello etiam, & ſeditionibus tentatam , nunquam tamen obtentam,tandem , Henrico quinto , huius tertij nepoti,

crudeli perfidia, extorſerunt, quam ſucceſsor Lotharius confirmauit.

Poſt reditum ex Italia, duabus expeditionibus Andreã Vngariæ regem, vt Petri necem vlciſceretur, fruſtra aggreſsum eſse, & cum Henrico Franciæ rege, ad Burgundię fines, fœderis feriendi cauſsa coiuiſse, & Conradum Bauarum, ob malè, & crudeliter adminiſtratam prouinciam, & inita cum Vngaris fœdera exilio puniuiſse, ſcribunt. Vngari pacem mulcta pecuniaria redemerunt, annua penſione, & auxiliis promiſſis, ſicubi foret opus.

Conradus in exilio periit, cuius loco, Bauariam filio Hẽrico, tum bimo, deſtinauit, cum obtinuiſset, vt ab ordinib. Imperij Imperator crearetur: quod factum eſt anno Chriſti, milleſimo, quinquageſimo ſecundo, cùm nouus Imperator Henricus quartus natus eſset anno præcedẽte, quinquageſimo primo, vel, vt tradunt nonnulli, quinquageſimo, tertio Idus Nouembris, quæ res ἀφορμὴν, & occaſionem præbuit mutationibus, quæ ſequutæ, Germaniam ita afflixerunt, vt penè totam euerterint, & maieſtatem Imperatorum conuuiſerint: Pontificum tyrannidem extulerint.

Leoni Pontifici, in Italiam reuertenti, magnum exercitũ addidit, duce Godefrido Lotharingo, cuius ante meminimus, qui augeſcentem Normannorum potentiam retũderet, cum illi ab iis etiam, quæ Imperij erant, non abſtinerẽt. Sed cùm Godefridus, rebus contra hoſtes non admodũ feliciter geſtis, potitus eſſet nuptiis Beatricis, viduæ Bonifacij marchionis Italiæ, & videretur aſpirare ad maiora, Imperator metuens dubiam turbulenti, & ambitioſi hominis fidem, ipſe cum exercitu in Italiam rediit, rebus turbatis, opitulaturus, & Godefridum, vt à molitionibus ſuis deſiſteret, territurus. Ante hoc iter, filium quadrimum Aquiſgrani Imperatorem coronauit.

In Italia annum integrum commoratus, & rebus omnibus compoſitis, euerſus, exercitum inſtruxit cõtra Sclauos Luſatios, qui ad internecionem cæſus eſt. Quam iacturã, cùm grauiter tuliſſet, non ita multò poſt, ęgritudine correptus, diem ſuum obiit, buccella panis grandiore, vt nõnulli tradunt, ſuffocatus, tertio Nonas Octobris,

Anno à nato Chriſto, ex Maria virgine, milleſimo, quinquageſimo ſexto.

Anno mundi, quingenteſimo, decimo octauo, cum imperaſſet annos decem & ſeptem, vixiſſet quadraginta. Princeps bonus, & ſalutaris, clemens erga deuictos. hoſtib. formida-

midabilis,qui poſtremus maieſtatem Imperij,& iura contra Pontificum artes, ac molitiones,& defendit acriter, & conſeruauit feliciter. Conditus Spiræ, prope patrem Conradum,quinto Calend.Nouembr.quo die natus fuit.

Vxores habuit duas:Primam Cunegundam Anglicã,Gynetonis regis Anglici filiam de qua diſsimiles extant ſcriptorum ſententiæ:aliis peſte extinctam,ante nuptias,aliis repudiatam, ob ſuſpicionem adulterij affirmantibus. Alteram Agnetam filiam Wilhelmi Pictauienſium principis, & Aquitaniæ ducis. Ex hac nati ei filij duo,Henricus quartus Imperator,& Conradus, cui pater Bauariam attribuit. Sed hic non diu patri ſuperuixit. Filiæ tres, quarum primã Judittam deſpondit Salomoni filio Andreæ regi Vngariæ. Altera Mathildis nupſit Rodolpho, comiti in Reinfelden, Sueuorum duci. Tertia Itha Leopoldo quarto, marchioni Auſtriæ,& duci Sueuiæ.

HENRICVS QVARTVS
Imperator,cognomento Senior.

ANnus iniit à nato Chriſto, milleſimus, quinquageſimus ſeptimus,ab inſtaurato per Carolũ Magnũ Imperio Occidentis ducenteſimus, quinquageſimus ſeptimus, quãdo Hẽricus quartus,puer ſeptennis, Imperiũ adiit.Primũ autem,in hac hiſtoria,conſiderentur fatales periodi regnorũ,quas & Propheta Daniel definit, & ſeries hiſtoriarũ oſtendit,rebus humanis inſignes afferre mutationes. Ferè enim aut integra quingentorũ,aut dimidia ducẽtorũ quinquaginta annorũ periodo circumacta,accidere ſolent mutationes quaſi fatales,nõ regnis ſolũ,& rebus publicis, ſed etiam Eccleſiæ,quæ quales inciderint,in hæc tẽpora,eò diligentiùs cognoſci debent, quod inuexerunt in Eccleſiam regnũ nouum,politiis ſimile,& ab illo Chriſti regno quod promittunt,& deſcribunt litteræ ſacræ,diuerſiſsimum.

Eccleſia,inde vſque à prædicatione Apoſtolorum, anno milleſimo completo, & periodum inchoauit tertiam, & doctrinam,diſciplinam, atque formam ipſam gubernationis, in nouam prorſus, & priori diſsimilem commutauit.Prima Eccleſiæ quaſi renaſcentis ætas, prioribus annis quingentis tantò fuit integrior,& purior,quantò Apoſtolis,& horum auditoribus propior. Et quanquam certamina ſuſtinuit grauiſsima,cum Ethnicis, & hæreticis multiplicibus, vicit tamen ſinceritate veræ doctrinæ defenſa,

confirmatáque exemplis confeſſionis, ac teſtimoniis conſtantiæ, inter exiliorum ærumnas, & in ipſis ſuppliciorum cruciatibus: erroribus contrà exploſis, ac profligatis. Sub extremum, ſeu ſeneſcens, labeculam cōtraxit, ex inuectis, ſuperſtitione vulgi, & doctorum nonnullorum errore, vitiis, quæ poſtea in dilaceratione Imperij, infuſæ peregrinæ gentes cumularunt, cùm diſciplina vetus laxata eſſet, & ſuperſtitiones creuiſſent, cuius generis fuerunt opiniones de Monachatu, votis, cœlibatu, veneratione ſanctorum, & de ſimilibus traditionibus humanis, quarum ſemina conſtat paulatim irrepſiſſe, & adoleuiſſe poſt Synodum Nicenam: cuius propter tradita, graui authoritate, teſtimonia de controuerſiis dogmatum & ſuppliciis plurimorum obſignata præcipua ſemper fuit authoritas.

Etſi verò in hac ipſa Synodo, & politica quædam ordinata ſunt, de gubernatione Eccleſiarum, vt Alexandrinus Epiſcopus præeſſet Eccleſiis in Africa: Antiochenus, Aſiaticis: Romanus Europæis vicinis. Item, vt Epiſcopi ordinarentur à vicinis Epiſcopis, tamen nec politia conſtituta eſt, Monarchiis ſimilis, nec vllus ex Epiſcopis armatus eſt authoritate, & potentia tali, vt cæteris poſſet imperare, neque hæc decreta in eum finem facta ſunt, vt haberentur pro articulis fidei, quæ, cùm ſint extra verbum Dei, & temporibus mutentur ſicut deleta ſunt, cum Eccleſiis ipſis, illarum regionum, propriè non pertinent ad Eccleſiam, quæ non ad dogmata, cultus, aut leges, humana authoritate traditas, neque ad rituum, & politiæ externæ conformitatem, ac ſimilitudinem, ſed ad verbum Dei alligata eſt.

Non licuit aut Romano tunc, aut Antiocheno aut Alexandrino indicere, & conuocare Synodos, aut onera nouorum rituum aliis Eccleſiis imponere, multò minus noua condere dogmata, aut fingere cultus alios ab illis, quos requirit vox cœleſtis. Sed valuit ſola authoritas verbi diuini, vt teſtantur aliquot piarum Synodorum decreta, & ſententiæ poſt Nicenam, quales fuerunt Conſtantinopolitana prima, quæ damnauit Eunomium: Epheſina, quæ Neſtorium: Chalcedonenſis, quæ Eutychen, & aliquot alię his poſteriores. Sed hæ poſteriores, cùm de dogmatibus rectè ſtatuerint ac pronunciarint, legum tamē, ac traditionum humanarum authoritatem, ex ea ſuperſtitione, quæ iam inuaſerat, nimium extulerunt, vt Laodicea, cùm rectè damnarit Nouatianos, non rectè taxat digamos laicos. Mileuitana Synodus, cui interfuit Auguſtinus, rectè defen-

defendit doctrinam de peccato originali, de gratia, & iuſtificatione, ſed non rectè confirmat ſuperſtitioſam opinionem de votis. Anchyrana Synodus conceſſit coniugium diaconis: poſtea in Carthaginenſi conſequuta eſt prohibitio. Ita paulatim inualuit ſuperſtitio: cùm pluris fierent, & vrgerentur vehementius conſtitutiones humanæ, quàm diuinitùs traditæ.

Poteſtas autem congregandi Synodos, præſertim œcumenicas, ſemper fuit penes ſolos Imperatores, ſicut & aliquot pij Principes, Conſtantinus, Theodoſius, & alij conuocarunt Epiſcopos ad diiudicationes controuerſiarum, & collationibus ſententiarum ipſi interfuerunt, ac præfuerunt. Hanc poteſtatem qui ſequuti ſunt Imperatores, longo ordine, ad Lotharium Saxonem vſque, conſeruarunt & vſurparunt.

Sequuta eſt deinceps ętas proxima, quę accepta ex priore, errorum, ac ſuperſtitionum ſemina, auxit, & confirmauit, & paulatim longiùs diſceſſit à norma verbi diuinitùs traditi, donec ſuperſtitionum, & errorum multitudo, lucem doctrinę prorſus obruit, & extinxit. Cùm enim multæ barbaricæ gentes influxiſſent in Italiam, vt Gotti, Lõgobardi, & horum ſocij, non ſolùm ſtudia literarum conticuerunt, & Eccleſiæ ſunt neglectæ, ſed etiam illæ ipſæ barbaricæ gẽtes, quę tenebant Italiam, ſecum inuexerunt, aut facilè receperunt multas ſuperſtitioſas opiniones: inde breui tempore valdè cumulati ſunt abuſus.

Perſequutiones primæ ætatis, præbuerunt cauſſam ſeceſſibus, & Monachatui: poſtea acceſſerunt dilacerationes horribiles Imperij, & peregrinarum gentium confuſiones.

In illa dilaceratione Italiæ, cùm videretur eſſe peculiaris felicitas, abeſſe à repub. procul in aliqua ſolitudine degere, ſine familia, ſine liberis, non ſpectare vrbium excidia, & vaſtationem patriæ, homines modeſti, qui habebant familias, gratulabantur Monachis ſuam tranquillitatem. Inde creuit & opinio de cœlibatu, & admiratio Monachorum, vt plures cœperint expetere, & quærere ſeceſſus.

Deinde homines barbari naturâ, mirantur nouos ritus, qui præ ſe ferunt ſpeciem eximiæ pietatis, & cuiuſdam quaſi commercij cum Deo. Nihil mirum eſt igitur, tunc & Monachorum cœtus creuiſſe, & opiniones de hoc vitę, & operum genere plauſibiles, latè vagatas eſſe, quæ tandem extinxerunt Euangelij lucem, de vera fide, & veris cultibus.

Grata fuit Barbaris veneratio Sãctorum: poſtquam autem receptum erat ſemel hos ſtatuis, & templis peculiaribus ornare, creuit mox, imitatione potentũ: & paulatim acceſſit tantùm pietatis, vt nihil differret veneratio Sanctorum, à manifeſtis furoribus Ethnicorum.

Talia ergo cùm iacta eſſent impiarum ſuperſtitionum fundamenta, initiò, & ætate confirmata, iam altè inſediſſent in hominum animis, acceſſit publica authoritas Gregorij Magni Pontificis Romani, qui Põtificatum adiit anno Chriſti, quingenteſimo, nonageſimo tertio. Hic publicum ritum inuocationis Diuorum inſtituit, & oſſibus, ac pulueribus Sanctorum templa dedicari iuſſit. Auxit plurimùm falſam perſuaſionẽ de Monachatu, & de operibus, ſine mandato Dei excogitatis, de ſatisfactionibus canonicis, de votis, de cœlibatu, quo eneruauit Diaconos Siculos, qui, eò vſque, iuxta conſuetudinem Eccleſię Græcæ, & Synodorum veterum decreta, retinuerant coniugia in omnibus gradibus Eccleſiaſticis. Irrepſit tunc etiam opinio de oblatione corporis, & ſanguinis Chriſti facienda, pro mortuis, quæ horribilem peperit prophanationem ſacramenti: hanc Gregorius comprobauit, motus ſpectris.

Hi errores publica authoritate ſanciti, ac ſtabiliti, magnam deinde traxerunt ruinam, quæ doctrinam de iuſtitia coram Deo, & gratuita remiſſione peccatorum, ac reconciliatione, de meritis Filij Dei, de vero cultu inuocationis, qui fieri debet fiducia vnici Mediatoris Filij Dei, Domini noſtri Jeſu Chriſti, de vero vſu ſacramentorum, horribilibus erroribus, abuſibus, & idololatriis polluerunt. Et, vt ſemel dicam, doctrinam legis diuinæ, falſa de humanis traditionibus perſuaſione, Euangelij promiſſionem de beneficiis filij Dei gratuitis, & Chriſto vno mediatore, & opitulatore, impio, & blaſphemo de meritis operum, & cultuum humanorum, déque interceſſionibus, atque auxiliis diuorum figmento, oppreſſam, prorſus deleuerunt. Ipſorum verò Pontificum Romanorum adeò creuit ambitio, ac ſuperbia, vt, non niſi velut in ſeruitutem redactis, ac ſuæ ſubiectis Tyrannidi, Eccleſiis cæteris, conquieuerint.

Victor primus Põtifex, circa annum nati Saluatoris, ducenteſimum, Eccleſiis Orientalibus, nouas ferre leges, & has, ſi recuſarent, anathemate minitari fuit auſus. Huic acriter reſtitit Irenæus, Lugduni Epiſcopꝰ, auditor Polycarpi. Poſtea ſeruata eſt cõſtitutio Synodi Nicenæ authorita-

te

te Conſtantini Magni comprobata, vſque ad tempora Mauricij, & Phocæ, Imperatorum: quibus, quidam Johannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, ex vita monaſtica, ſimulatæ humilitatis commendatione, ad Epiſcopatū euectus, non contentus ſuo loco, & munere, ſe οἰκουμενικὸν dici, & cæteris ſuperior eſſe voluit. Huic, cùm ſe opponerent Pelagius ſecundus, & Gregorius Magnus, aſſenſit illi tamen Mauritius Imperator. Sed Phocas, cùm, interfecto Mauritio, metueret Italiæ defectionem, ab Imperatoribus Græcis: vt per Pontifices eam retineret in fide, titulum hunc Gregorio detulit: qui, cùm tragicè declamitet, ſe abhorrere ab vniuerſalis Epiſcopi appellatione, id ſe tamen, quod titulus profitetur, vehementer cupiuiſſe, re ipſa declarauit, cùm Imperium in alienas ſibi Eccleſias ſumpſerit. Certarant tamen de principatu cum Græcis, & Africis, etiam ante Mauricium, Soſimus, & Gelaſius: ſed conatu irrito. Poſt Gregorium, eundem titulum ſibi vendicauit Epiſcopus Rauennas, cùm, graſſantibus in Italia Gottis, & Roma capta, ac vaſtata, Valentinianus iunior Imperij ſedem collocaſſet Rauennam, & miſsi ad defenſionem Italiæ Exarchi eandem muniiſſent. Sed hoc oppreſſo, poſt Gregorij mortem, idem certamen inter Romanum, & Græcum Epiſcopum recruduit, ſub Bonifacio tertio, & agitatum eſt vehementiùs, cùm quidem cauſſam cognoſcente, ac diſcrepante Phoca, decretum factum eſt, vt titulus vniuerſalis Epiſcopi tribueretur Romano. Hoc decreto freti Romani Epiſcopi, poſtea, cùm Orientales Eccleſias deleuiſſet Mahometicus furor, paulatim augere ſuam potentiam in Europa, fruſtra reclamantibus aliis Epiſcopis, Græcis præſertim, & cùm gentes barbaras, ſuperſtitione captas, ſibi deuinxiſſent, atque adiunxiſsent, confirmare ſeſe magis, magíſque, atque extollere, harum aſſenſu, collationibus, & opera, cœperunt.

Hæc initia fuerunt Monarchiæ pontificiæ in Eccleſia. His occaſionibus arripuerunt, & occuparunt primatum inter Epiſcopos, vſi occaſionibus, quas attulerunt ruinæ atque interitus Eccleſiarum in Oriente, & inuectæ in Eccleſias Occidentales ſuperſtitiones, atque idololatriæ, quæ nouæ gentes auidiſsimè arripiebant, impensè colebant, pertinaciter tuebantur.

Hoc potiti principatu, etſi ambitio eos, vt paulatim progrederentur, impulit, tamen initiò nondum arbitrio priuato omnia adminiſtrare in Eccleſia, & gerere, aut ceteris

Epiſcopis tyrannicè imperare, & leges præſcribere, atque imponere onera, multò minus iura Imperatorum inuadere auſi fuerunt, refragantium Epiſcoporum aduerſatione, & Imperatorum authoritate, ac potentia cohibiti, qui inde vſque à Carolo Magno, veterum Imperatorum exẽplo, & creabant Pontifices, atque Epiſcopos, & loco, atque ordine ſuo indigna faciẽtes, rurſus abigebant, ſuffectis aliis, & Synodos cogebant, nec concedebant Pontificibus, vt ipſi, vel indicerent, vel gubernarent Synodos, authoritate regia, aut prætoria, vel ſine Imperatorum, & aliorum Epiſcoporum authoritate, & conſenſu, quidquam ſtatuerent. Sæpè celebrabant Synodos in Germania, & Italia, Pontificibus non conſultis, multò minus adhibitis.

Etſi verò hæc Pontificibus ſeruitus grauis admodum, ac moleſta fuit: eam enim vt excuterent, nihil intentatum reliquerunt: tamen, quòd Imperatores intelligerent, quo conſilio, & initio, hæc ita conſtituta eſſent à Carolo, legibúſque munita peculiaribus, & poſtea à ſucceſſoribus crebrò renouata, armíſque defenſa, & quid molirentur Pontifices, quóque, ſi eam obtinerent licentiam, ac libertatem, quam affectabant, euaſuri eſſent, & quantum ad Eccleſiæ & Imperij tranquillitatem, ac ſtabilitatem referret, Pontifices Imperatoribus ſubditos, atque obnoxios eſſe, ne, abiecto iugo, eniti eò poſſent, quo vellent, & contenderent, prohibuerunt, vſque ad hunc Henricum quartum.

Etſi autem hac ſecunda periodo, errores, ſuperſtitiones, abuſus, idololatriæ ita inualuerunt, vt in maxima parte orbis Chriſtiani, ad extremum, lucem purioris doctrinæ oppreſſerint: multi tamen fuerunt viri docti, & pij, omnibus temporibus, & plures quidem initio huius ſecundæ periodi, vſque ad medium, & vltra, in Græcis & Romanis Eccleſiis, qui rectè ſenſerunt, & docuerunt, de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus: etſi ſuos etiam habuerunt errores, vt Vigilius, Beda, Alcoinus, Caroli Magni præceptor, & alij. Johannem Scotum, Ludouici Pij ſeculo, enarrantem libellum Dionyſij de hierarchia, & taxantem opinionem tunc receptam in Eccleſia, de oblatione Cœnæ Dominicæ, pro viuis, & mortuis, diſcipuli graphiis confoderunt. Talis ergo fuit Eccleſia, tẽporibus ſecũdæ periodi.

Secuta eſt deinceps tertia periodus Eccleſiæ, quæ cœpit huius Henrici quarti ætate, in quam incidit dimidia Imperij, inde vſque à Carolo. Hæc inſignem mutationem Eccleſiæ, atque Imperio attulit. Confirmata eſt enim tyrannis

rannis

rannis & ſuperſtitionum , atque idololatriæ , in Eccleſia contra regnum, id eſt, doctrinam, cultum atque inuocationem Filij Dei, & nouę poteſtatis Pontificię, contra iuſtam, & legitimam poteſtatem Imperatorum. Introductus eſt in Eccleſiam , ad priores idololatrias , & abuſus, cultus idoli Maozin, quod occupauit in Eccleſia locum, & honorem adorationis, ſoli Deo debitum , & ad ſe oculos hominum, mẽteſq; conuertit. Hoc ſeſe, in proceſſionum, & theatricæ Miſſæ ſpectaculis, vndique oſtentante, conticuit vox doctrinæ, hoc ordinis eccleſiaſtici dignitatem euexit, amplificauit potentiam, auxit opes, muniuit regnum. Hoc Monaſteriis compleuit orbẽ Chriſtianum, vbi infinita Monachorum agmina, quotidiana ſacrificia Miſſę , & alia ſua opera, pecunia vendiderũt aliis: &, velut in ſtatione, & excubiis, pro regno Pontificio, non deſtiterunt alias ex aliis, texere carnificinas conſcientiarum , ad captas faſcino idolomanię , atque irretitas multiplicium figmentorũ laqueis mentes, in eo carcere retinendas, in quo cruciatus conſciẽtiæ, inanibus commentorum, & traditionum humanarum terriculamentis, iniectos, ſuſtinere difficilius fuit, quàm vllas corporum lacerationes. Inde creuerunt opes Monaſteriorum in immenſum. Prodiit & nouum doctorum genus, quod doctrinam traditam in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis de peccato, de lege, de iuſtitia coram Deo, de operibus Deo placentibus, penè prorſus aboleuit, & abuſuum, errorum, atque idololatrię regnum , forúmque indulgentiarum, nouis , atque ab analogia fidei Chriſtianę alienis, pręſtigiis pinxit, atque defendit.

Imperij maieſtas, & dignitas, artibus Pontificum, labefactata, penéque euerſa, concidit: quibus perfectum hoc eſt, vt nõ tantùm Pontifices, colla ſua iugo Imperatorum ſubtraxerint, ſed iura eorundem, præcipuè Eccleſiaſtica , in creando Pontifice, conſtituendis Epiſcopis, agendis Synodis, ad ſe traxerint , & hos ſibi ſubiectos, crudelem in modum preſſerint, atque exagitarint: vt Monarchia ſit conſtituta, quę complexa eſt totum orbem Chriſtianum : denique, vt tota Eccleſię, Imperij Romani , & Germanię ſit facies mutata.

Prima fuit cura Põtificum, vt, cùm ſæpe antea fruſtra, & infeliciter tentaſſent abrogationem legis, quę Imperatoribus tribuit poteſtatem in Pontificẽ, & Epiſcopos , pretextum quęrerent, quo, accenſis bellis ciuilibus, diſiungerent Principes Germanię, & quos poſsent, incitarent cõtra Im-

peratorem. Hoc perfecto, cùm Germania arderet inteſtinis bellis, & conſpiratione Saxonum diſtractæ, fractæque vires Imperatoris, labaſcerent, cœperunt apertè idem flagitare. Id verò, cùm tandem obtinuiſſent, multo Germanorum ſanguine, & præcipuarum familiarum interitu; veteribus legibus, & moribus abolitis, atque Imperatorum poteſtate antiquata prorſus, & abrogata: fatali quodam ſucceſſu, ius creandi Pontifices, & Epiſcopos ad ſe tranſtulerunt, cõſtituerúntque Senatum, cuius ſuffragiis Pontifices legerentur, qui imperarent non Epiſcopis tantùm, ſed Monarchis ipſis, & regib. orbis Chriſtiani, & religiones, ac Imperia moderarentur ſuo iudicio, ex ſuis emolumentis ac dignitate, regnáque, & Epiſcopatus, quibus vellent, traderent, & adimerent. Imperatores, & reges cæteri orbis Chriſtiani, velut ſatellites, præſto eſſent Põtificibus, & ad eorum iuſſa, hanc Monarchiam propugnarent, contra hoſtes externos, ac prouiderent, & præſtarent, ne quid domi detrimenti caperet. Arma etiam ad ipſorum iuſſa, quoties opus eſſet, & contra quos illi vellent, ſtringerent. Ad hanc audaciam, quæ ſucceſſibus creuit, ex diſſidiis noſtris, addiderunt flagitioſam, ac deteſtandã impudentiam. Omnem enim Tyrannidem, qua nulla maior, de vllo vnquam ordine ſacro, cognita eſt, exercuerunt, titulo authoritatis diuinæ. & poteſtatis diuinitùs conceſſæ, faſtu planè Diabolico, ſicut oſtendit vox, & exemplum Alexandri Pontificis, ad Fridericum Imperatorem.

Talem adduxit Eccleſiæ, & Imperij ſtatum, periodus tertia; quem, etſi multi præſtantes viri, hiſce annis quingentis, ſæpe improbarunt, & oppugnarunt voce, & ſcriptis: conſtitit tamen, ſua nixus potentia, & faſcinatę multitudinis ſtudio fultus, ac periodum compleuit annorum quingentorum, vſque ad Lutherum. Tam diu enim Monarchia Romanæ Eccleſiæ ſtetit.

Hæc digna eſſe iudico, vt conſiderentur initio, in hiſtoria Henrici quarti; qui, etſi acerrimè contra inualeſcentem Pontificum tyrannidem, Imperatorum maieſtatem, & iura armis, bellóque tutatus eſt; nec ceſſit, quanquam proditus, deſertus, atque oppugnatus à ſuis, & Pontificij anathematis fulmine ictus: tandem tamen, fatali ruina Imperij oppreſſus, ſuccubuit. Cogitentur verò & cauſſæ harum mutationum, quæ ſunt idololatriæ, & alia peccata, quæ idololatriam comitari conſueuerunt, vt libidines turpes, parricidia, & ſimilia, Diabolo, homines à Deo auulſos, & irretitos

erro-

errorum laqueis, impellente ex vno ſcelere, in aliud. Punit enim Deus ſæpè peccata peccatis, cęcitatē cæcitate, errores erroribus, & aliis ſceleribus ac flagitiis; quibus ingraueſcentibus, tandem totas gentes, his pollutas, bello, fame, peſte, & ſimilibus pœnis publicis delet, ſicut de gentibus Paulus ait: διότι παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας. Item: παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς νοῦν ἀδόκιμον, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, qualia multa ſpectarunt & pertulerunt, magno cum dolore, & gemitu, pij, ſuperiore ſeculo, & adhuc non tolerat tantùm, ſed etiam fouet, & excuſat regnum Pōtificium.

Væ terræ, cuius rex puer eſt, inquit Eccleſiaſtes: & inter comminationes diuinas, apud Prophetam, eſt: Dabo pueros principes eorum. Id, ſi vlla alia terra, certè Germania ſub Principatu Henrici quarti, experta eſt. Egit is annum ſeptimum, cùm, pater è viuis exceſſit; qui, moriturus, tutelam filij, & gubernacula Imperij matri, curam, & educationem eiuſdem, Conrado, cuidam nobili Sueuo commendauit. Mater annos quinque res Imperij prudenter adminiſtrauit. Poſtea depulſa à gubernaculis, conſpiratione quorundam Saxoniæ Principum, abdidit ſeſe in monaſterium. Abductum hi à matre filium, fraude tranſtulerant in Saxoniam, conſilium inſtruentibus, & adiuuantibus Epiſcopo Colonienſe, & Ecberto Saxoniæ Marchione, patruele Imperatoris: Ottone verò Saxone, cui nuper, Imperatrix, aſſenſu Filij, Bauariâ ceſſerat, vt ab eo defenderetur, colludente. Huic rei prætexebant Imperium muliebre, & molliorem, ac delicatiorē adoleſcentis in gynæceo, educationē, qua effœminaretur generoſus animus, ea ætate, quæ in gubernatione, & negotiis militaribus eſſet exercenda: cùm reuera, inſidiarentur Imperio, quod ſe, vel ita cum adoleſcēte, recuperaturos, vt pro eo, omnia ſuo arbitrio, iudicióque conſtituerent, atque adminiſtrarent: vel, ſi is interiret, conſuetudine tamen imperandi interea ita confirmaturos eſſe ſperabant, vt facilè id retinerent, excluſis cæteris, freti ſcilicet potentia familiæ. Nam & Ludolphus, Ecberti pater, Conradi auxilio: quę Ottones tenuerant in Saxonia, poſt Henrici Sancti mortem, receperat vniuerſa titulo Marchionum Saxoniæ: & recèns Otto, dux terrarum in Saxonia ad Viſurgin, nouas intulerat in familiam vires Bauarię principatu, beneficio Imperatoris, ditatus, & multorum ei ſtudia conciliarant, recentes de Sclauis victoriæ. Fuit autem hic Otto, vnus ex poſteris Henrici, fratris Ottonis Magni, Bauariæ Ducis, Ecberti agnatus.

His ipſis annis pubertatis Henrici, in viuis eſſe deſierant, Conradus Carinthiorum, & Otto Sueuorum duces. Hos ducatus pater Henricus tertius, promiſerat Bertholdo duci Zaringiæ, in Sueuorum Briſgoia. Sed Hẽricus filius, excluſo illo ab vtroque, Carinthiis Ludolphum quendam cognatum ſuum, Sueuis Rodolphum comitem in Reinfelden, ducem dedit; qui conſilio, & opera Rimoldi Epiſcopi Conſtantienſis, recens potiturus erat nuptiis Mathildis, ſororis Hẽrici quarti; qua iniuria Bertholdus grauiter offenſus, cœpit de vltione cogitare, & fuit hæc, ſeu præteritio, ſeu excluſio Bertholdi, non minima ſequentium turbarum cauſſa. Duces Zaringię, nonnulli propagant, ab Hugeberto, fratre Ditbergę coniugis Lotharij, qui filius fuit Lotharii Imperatoris: nonnulli, ab Erneſto Sueuo, ſupra memorato. Proſapia eorum extincta eſt, ſub Friderico ſecundo. Rodolphum Reinfeldenſem deriuant à Comitibus Auentici qui ſunt Habſpurgenſes.

Creuerat interea & licentia apud Saxones, militibus, abuſu indulgentiæ, & licentiæ; ſub impubere rege, à bellis ad latrocinandi conſuetudinem conuerſis. Horũ numerus auctus, magnæ multitudinis cõcurſu, cùm nactus eſſet ducem idoneum Ottonem, fratrem, ex ignobili concubina, Wilhelmi Marchionis Turingiæ, graſſari iuſto exercitu, pulſiſque Principibus, igne, ac direptionibus deuaſtare Saxoniam cœperat. Hunc latronum exercitum Bruno, & Ecbertus fratres, Marchiones Saxoniæ, copiis Imperatoris adiuti ſupra Mersburgum, diſſiparũt, ac deleuerunt, cùm quidem Imperator puer, ad exercitum, in terrorem hoſtium, adductus, non procul à conflictu ſubſtitiſſet. Ceciderunt in eo prælio, Bruno, Ecberti frater, & latronũ ductor Otto, cuius in Turingia hæreditatem adiit Ecbertus Saxonum Marchio, qui etiã paulò poſt mortuus eſt, relicto filio Ecberto, quem Echardũ alii nominãt. Cõdidit Ecbertus ille collegium canonicorum, in oppido Naumburgo, ſede Epiſcopali ex Cyzico, eò tranſlata.

Sed ſedari hæc initia malorum, ab Imperatore vbi adoleuiſſet, & ſanari offenſiones potuiſſent niſi acceſſiſſent alia maiora. Iiſdem enim occaſionibus, ex imbecilliore ætate Imperatoris, inſana ambitio, & Romano Imperio fatalis furor Pontificum accenſus, denuò ſeſe, & multò, quàm antè vehementiùs commouerat, ad tentandam denuò potentiæ Pontificiæ amplificationem, & Imperatorũ oppreſſionem: Hildebrando, qui ſe Gregorium ſeptimũ nomi-

nominauit, fiducia Normannorum, contra leges veteres, quæ paulo ante Henricus tertius renouarat, audacter trāſferente ad ſe ius, atque poteſtatem conſtituendi de electione Pontificum ordinandíque Epiſcopos: ac prohibente, ne peteretur confirmatio ab Imperatore: quod exemplum, cum ſucceſſores, Deſiderius, Vrbanus, & Paſchalis imitarentur, & incitarent Epiſcopos, & Principes in Imperatorem ſua iura tuentem, Germania odiis inflammata mutuis, ſuíſque inter ſe viribus crudeliter colliſa, non tantum ex mutuis cædibus, ſuo inundauit ſāguine, ſed exhauſta viris, eneruatáque belli, ac dignitatis præſidiis, penè interiit.

Prætexuit Pōtifex nouæ Tyrannidi, liberiorem vitā, & diſſolutiores mores Imperatoris adoleſcentis: quē cum, auulſus à matre, velut à cuſtode, ſui iuris eſſe cœpiſſet, ex occaſione liberioris vitæ, degeneraſſe in luxum, & laſciuiam, Pontificum aſſentatores declamitant: Fatentur tamen, indulgentia potiſſimū Epiſcoporum, id factum eſſe, quibus regendi, formandíque adoleſcentis cura demandata fuit; & accuſatur præ cæteris Bremēſis Epiſcopus. Alij, etſi aliquid deſiderant, in moribus primæ adoleſcentiæ Imperatoris, tamen in Pontificibus ambitionem, ſuperbiam, & cupiditatem dominandi grauiùs, & veriùs accuſant. Vt maximè enim fuerit adoleſcentia Imperatoris diſſolutior, nulla potuit tamen, vllius vel diuini, vel humani iuris ſpecie, Romanus Pontifex, nec debuit propterea, rapta, & occupata tyrannide in Eccleſia, & Imperio, cōuellere, & euertere leges diuinas, & humanas, demoliri, aut ſaltem labefactare Monarchiam orbis Chriſtiani, bellis ciuilibus committere inter ſe Principes Germaniæ, & prætextu impio religionis, ſæuitiam exercere in optimos Principes, & reipub. amantiſſimos, quanuis Cyclopica crudelitate immaniorem.

Sed redeo ad Henricum. Hunc fata ruentis Imperij, annum agentem decimum tertium, penè puerum è cunis extruſerunt ad gubernacula, obiectum crudeliſſimis ſuorum odiis, perfidioſſimis Pontificum machinationibus, & callidiſſimè ſtructis inſidiis, difficillimis bellis externis, ac domeſticis; quibus patria conflagrauit? per ętatē tamē, nulla re parem iis auertendis, aut amoliendis, quæ vndiq; parabantur, & intentabantur, vi, & fraude, in reipublicæ perniciem. Ex domeſtica matris diſciplina protinus in aciem productum, velut ex vmbra, in lucem, cōtra fortiſſi-

mos hoſtes, & dimicando fortunam belli experiri, priuſquam arma, aut geſtare poſſet, aut tractare didiciſſet, & Imperatoris obire, præſtaréq; munus oportuit, priuſquam, quæ militem decerent, cognouiſſet.

Primò auxiliũ tulit Salomoni Vngariæ regi, affini ſuo, quẽ Bela regno exegerat. Hunc, magna ſtrage copiis Belæ fuſis, diſiectíſque, repoſuit in regnum. Inde in Sclauos Luſatios mouit; à quo bello feliciter confecto, reuertentem exceperunt ſeditioſæ conſpirationes Saxonum; quas non habuiſſe aliam cauſſam reperio, niſi odium Imperij alieni, conceptum ex opinione, & fiducia generis ſui, confirmatúmque dolore repulſæ, quod præterirentur ab Imperatore, in gubernatione, & de negociis Imperij, quod conſilia communicarentur cũ aliis, ac ſperarant. Acceſſit deinde innata genti libertatis cupiditas, quam longi temporis licentia acuerat. Huic aduerſabantur, qui res Imperij, pro Imperatore adminiſtrabant, ac moderabantur; illo, vel propter imbecillitatẽ ætatis, vel nimio ſtudio ſuarum voluptatũ, ſi modò quæ de eo, ſcriptis Pontificiorum, prodita leguntur, vera ſunt; non tantùm negligente gubernationis curam, ſed nimiũ permittẽte, atque indulgente illis, ex quibus pendebat. Conſentaneũ eſt etiam, hos ipſos multa iniuſtè, auarè, & inſolenter ex affectibus, vel cõmodis ſuis ſtatuiſſe, ac feciſſe; conceſſę poteſtatis abuſu, quæ irritatis, & alienatis antea, πρόφασιν præbuerunt ſpecioſiſſimam ad Imperatorem criminandum. Vſitatum eſt enim, errata in gubernatione ab aliis commiſſa, aſcribere, & imputare Principibus, quos opinio eſt corrigere multa, ac mutare poſſe, ſi res ipſi cognoſcerent, & adminiſtrarent, vel ſuo iudicio, vel admoniti. Sed poſtea, vt fit, ſemel exulceratis animis, acceſſerunt plures alię cauſſæ.

Author, & dux cõſpirationis fuit Otto Bauarię dux, quẽ paulò antè Imperator ablegarat in Italiam cum Epiſcopis, Colonienſe, & Tridentino, vt obligatam iuriſiurandi religione Italiam, confirmarent in fide, erga Imperatorem, & exigerent tributa vſitata. In eo itinere, quod familiarius ſe inſinuaſſet Principibus Italicis Otto, venit in ſuſpicionẽ affectati Imperij: nec temerè. Socios primos conſpirationis habuit Epiſcopos Magdeburgenſem, & Halberſtadẽſem, Magnum, & Hermannũ Saxoniæ duces, Vdonem primum marchionem Brandeburgenſem, Ecbertum marchionem Saxoniæ, & alios. Hos, cum primo occurſu fudiſſet, ad Oneſtrũ Turingiæ fluuium, auxiliis Rodolphi Sueui, Welphi

phi Bauari , Godefridi Lotharingici, Erneſti Marchionis Auſtriæ, & aliorum : Rodolphus bellum dirempturus,ſeſe interpoſuit,& Saxonibus , ſi,poſitis armis,deditionem facerent,perſuaſurum ſe Imperatori, promiſit , ne quid in illos duriùs ſtatueret. Id,cùm non obtinuiſſet,Principibus deditione captis , & in vincula coniectis , ſed è cuſtodia rurſus elapſis , animi vehementius incanduerant , & odia magis ſunt exacerbata. Otto Bauarus,etſi prælio nõ interfuit,cõuictus tamen, de inſidiis vitæ Imperatoris ſtructis, Bauariam amiſit , occupante eam Welpho , beneficio, & conceſſione Cæſaris. Qua re accenſus Otto,percurſa Germania,quos potuit,ad belli ſocietatem concitauit.

Edixerat Gregorius Pontifex Epiſcopis,contra leges antiquas, ne diſtribui Epiſcopatus ab Imperatore paterẽtur, qui conferret vel indignis , vel non idoneis, néve ab Imperatore in poſterum , peterent ſui confirmationem : & multò minùs,ab hoc tot,vt ferebatur,contaminato vitiis. Pertinere curam illam , & ordinationem , non ad Principes politicos , quos rerum ſacrarum deliberationem tractationémve attingere , nefas ſit : ſed ad ſacrum ordinem, & huius præſidem in primis,Pontificem Romanum. Quę res,propter libertatis , & potentiæ maiorem ſpem, Epiſcopis gratiſſima, Põtificibus, ad eam tyrannidem adipiſcendam & exercendam,quam affectarant dudum,accommodatiſſima erat. Idcirco facilius aſſenſerũt Epiſcopi,& Pontificios conatus libentiùs adiuuerunt. Ad eas enim opes, quas ex maiorum pia beneficentia , iam ante poſſidebant, maximas , ex hac conſtitutione , hoc accedere intelligebant,quod religiones,& res Imperij in poſterum moderaturi & alterum in curia pedem,alterum in Eccleſia habituri eſſent.

Formula Gregoriani decreti extat quæſt.16.cap.7. Hoc edicto , quod fax fuit incendij , quo maieſtas Imperij abſumpta eſt,hoc ergo fiſſa Germania, diſceſſit in partes. Saxones enim protinus ad Põtificias partes conceſſerũt, impium,& tyrãnicum edictum amplexi : eò quòd Imperatorem odiſſent,& ſublatum cuperent, quicquid euenerit de Imperatorum iure, authoritate, & poteſtate:cui enim ſoli bello pares eſſe nequibant , eo ſe Pontificij anathematis fulmine armatos,facilè ſuperiores fore confidebant.

Imperator Romam , Pontifice citante profectus,vt religioſa humilitate crimina,quibus pręgrauatus erat,partim excuſando dilueret, partim pœnitendo expiaret,dum ſta-

tutas,atque indictas,tyrannica Pontificũ ſententia pœnas, pro ipſorum libidine, luit,ad valuas, & limina templorum ſeſe volutato,domi Põtificis, & Saxonum conſpiratione, Imperio excidit.Interea enim Põtifex,vt alienaret ab Imperatore ſtudia nationis Germanicæ, quem hanc Tyrannidem,& hos conatus vlturum eſſe,ſciebat,decretũ in Germania promulgarat, quo Henricum ex Eccleſia proſcripſit,& miſerat, hortatu Saxonum, ad Rodolphum Sueuorum ducem,nouo,&inuſitato exemplo,coronam auream, cum hac inſcriptione:

Petra dedit Petro,Petrus diadema Rodolpho.

Et præceperat Epiſcopis, Moguntino,atque Colonienſi,hunc,deſerto altero, vt complecterentur,ac ſicubi opus eſſet,inſtruerent.

Rodolphus,etſi alienum à boni ciuis officio, videbatur, Principis, cui fidem dediſſet, maieſtatem lædere, & talis Principis,à quo affect⁹ eſſet maximis beneficiis,perſuaſus tamen Epiſcoporum argumentis, quæ, in ſpeciem, plena pietatis erant,non ſeruandã eſſe fidem excõmunicato,quo cum nulla iuris, aut officij ſocietas eſſe debeat,ne iudicaretur contra religionem facere, ſi non obtemperaret Pontifici,ſuſcepit Cæſaris titulum. Mogũtiæ ergo coronatus, mox Imperium inuaſit,fretus & ſua potentia,&ſtudiis,atque auxiliis Saxonum,bellũmque, quanta potuit vi,molitus eſt. Contulerunt ſe ad eum plures alij, aut veteribus, aut nouis iniuriis Imperatoris irritati, vt Bertholdus Zaryngiæ dux, Welphus, immemor acceptæ ab Henrico Bauariæ,paulò ante,anno milleſimo,ſeptuageſimo primo. Et præter hos, Epiſcoporum magna colluuies,inter quos præcipui fuerunt Moguntinus, Colonienſis, Salisburgenſis, Wirtzburgenſis,Magdeburgenſis, & Halberſtadenſis.

Rhenani contra, & Franci deteſtati, & Pontificum, & cæterorum,qui defeciſſent,perfidiam,duce Godefrido Bilioneo, dum abfuit Imperator, quantas potuerunt copias, ad Imperatoris defenſionem, coëgerunt,quibus Imperator,cum, admonitus ab Epiſcopo Argentinenſi, clam ex vrbe Roma in Germaniam ſeſe proripuiſſet, mox Rodolpho occurrit,immiſſo prius in Sueuiam nouo Duce,Friderico in Hohenſtauffen, & Rodolphi præſidio Moguntia exturbato.

Conflixit cum Saxonibus nouem iuſtis præliis. Quarto Rodolphus profligatus,& lethaliter ſauciatus,ad Eliſtrum Myſiæ occubuit,amiſſa dextra, anno Chriſti milleſimo octogeſimo,

ctogeſimo, Idibus Octobris. Vbi, cũ iam expiraturo,dextra,quam in prȩlio amiſerat,allata eſset, nimis ſerò ſcelera,& perfidiam Pontificum deteſtatus:Hæc (aſtantium Epiſcoporum agmen allocutus) dextra eſt,inquit,qua Imperatori promiſſam fidem confirmaui.Hæc violatæ à me, vobis impulſoribus,fidei argumentum,& nefariæ perfidiæ veſtræ teſtis eſt,de qua vobis rationes reddendę erũt Deo. Dextram Rodolpho,in eo prælio,præciſam eſſe perhibent, à Godefrido Biloneo.

Imperatorem,cùm ſignificatum eſſet,Rodolpho regium extrui monumentum,reſpondiſſe affirmãt:Non ſe inuidere ei ſepulturæ honorem,ſed optare ſe potius, vt hoſtes ſui omnes talibus monumentis conditi ſint.

Rodolpho cæſo,totam belli molem è Germania conuertit in Pontificem,diſcordiarum facem,repetiturus occupata ab illo Cæſarum iura,& labefactatam authoritatem eorundem vindicaturus,patris exemplo:ſed prius coacti Brixiæ Epiſcoporum Synodo,emiſſa anathematum fulmina à Gregorio ,in authorem retorſit , illo Pontificatu deiecto, & ſucceſſore deſignato Clemente Epiſcopo Rauennate. Hunc armata manu in vrbem, poſt bienuij obſidionem vi captam,introduxit,& Pontificis loco collocauit,ſolenni ritu conſecratum. Ab eodem Imperator eſt renuntiatus, cum vxore Bertha , anno Chriſti, milleſimo, octogeſimo quarto.

Sed qui ſucceſſerunt Gregorio , quanquam pulſi vrbe,& exules,tamen telam ſcelerum,& malorũ,ab illo inchoatam, præclarè pertexuerunt.Omnibus enim perfidiæ, & ſæuitię modis,Imperatorem oppugnarunt. In ea expeditione caſtigauit etiam Normannos,qui Pontifici adhærebant.

Abſente Imperatore , Welphus Auguſtam occuparat, quam mox,vbi rediit Cæſar , recepit , Saxones reparatis à Rodolphi interitu,viribus,Imperatorem, Pontificis iuſſu, fecerant Hermannum Lotharingiæ Lucelburgicæ Principem,Iſlebij ad Hercyniam,qui,Henrico ad Vuirceburgum ſuperato,vrbe potitus, ſed mox inde repulſus, cũ recepiſſet ſe in Saxoniam, inſtauraturus bellum , deſertus eſt à ſociis. Is tandẽ,in oppugnatione quadam,vel lapide è muro præcipitato:vel,vt alij malunt,ruina portæ,cũ multis aliis oppreſſus,miſerabiliter interiit,anno Chriſti milleſimo, octogeſimo ſeptimo.Huius exẽplo, nil territus Ecbertus marchio Saxoniæ,Imperium arripuit, ſed is quoq; anno quinto poſt , in molendino, prope Brunſuigam , à ſatellitibus.

Henrici circumuentus,& obtruncatus eſt.

Tot aduerſis præliis,vindictæ diuinæ exemplis, Saxonũ impetus retuſus,nonnihil deferbuit.Sed Pontificum rabies è diuerſo,adeò nõ eſt mitigata,vt furioſius exarſerit. Nam Vrbanus ſecundus,cùm hac non ſucceſſiſſet,alia aggreſſus Imperatorem via,concitauit in eum Conradum filium, ex prima coniuge natum , quem Italiæ pater præfecerat , & hoc immatura morte perempto,Paſchalis ſecundus , alterum Henricum,quem pater , alterius ingratitudinem puniturus,illo preterito, deſignauerat ſucceſſorem. Hic rurſus,ope Saxonum adiutus,patri certaminibus longis,& exagitationibus crudelibus , grauiter afflicto, & auxiliis ſociorum,inſigni perfidia nudato, Imperium tandem extorſit,Moguntino Epiſcopo,Pontificis iuſſu,nimis inſolenter, & crudeliter,omnia ornamenta regia , in conſpectu filij,ei detrahente: quam iniuriam & contumeliam vlturus ſenex cùm bellum repararet,auxiliis Lotharingicis,Leodij mortuus eſt,anno ętatis quinquageſimo ſexto, ſeptimo Idus Auguſti.

Anno Chriſti,milleſimo,centeſimo ſexto.

Anno mundi,quinquies milleſimo, ſexageſimo octauo, cùm regnaſſet annos quadraginta nouem.

Hoc fine,vitam in terris clauſit ſuam,Henricus quartus Imperator fortiſſimus,& bellicoſiſſimus , patrię amantiſſimus,maieſtatis Imperij vindex poſtremus, & acerrimus, qui,cùm ſexagies bis acie dimicarit , expertus difficultates aſperrimarum aduerſationum,nunquam tamen deſpondit animum,neque ſemetipſum,aut eas res , quibus maieſtas Imperij maiorum conſtitutione , continebatur, deſtituit, aut prodidit.

Etſi autem vicerunt magnanimitatem,& fortunam Imperatoris,aduerſa fata publica , oſtendit tamen Deus illuſtribus,& tragicis ſummorum Principum exemplis,adeſse ſe ordini politico,& legitimis magiſtratibus,hoſque tegere ac tueri , & iniuſtas ac ſeditioſas molitiones elidere, ac peſsundare,iuxta dictum : Qui gladium acceperit , gladio peribit.Dederunt enim pœnas,quotquot ſeditioſorum cõſiliorum fuerunt authores, & ſocij, ex ordine vtroque,politico,& Eccleſiaſtico.Nam & in authores Põtifices atque Epiſcopos ſcelera redierunt ſua: plurimi enim ex his in acie interfecti ſunt, & veteribus Principum in Saxonia familiis extinctis,deuenerunt Principatus ad alienos.

Ceciderunt in his bellis,Otto dux terrarum ad Viſurgin,

cum

cum filiis Cõrado, patre ſtirpis Comitum Bichlingenſium in Turingia, & Henrico Craſſo Northemio, qui à Friſiis, ex inſidiis, trucidatus eſt. Ottonem hunc, Ludolpho patre, ex poſteritate Henrici Bauari, fratris Ottonis primi, ortũ eſſe, ſupra dixi. Ducũ Saxoniæ ſtirps defecit in Magno, duce Saxoniæ, quem ſqualor, & ſordes carceris conſumpſerunt. Ecberto Marchione Saxoniæ iugulato concidit poſteritas Henrici Aucupis. Vdone Marchione, à Bribiſlao Obotritorũ regulo pulſo, & poſteritate eius extincta, ceſſit Marchia Brãdeburgenſis Alberto Vrſo, comiti Aſcaniæ. Interfectus eſt & Gebhardus, Lotharij Cæſaris pater.

Mutauit tunc & Marchia Miſnenſis dominos. Cùm enim mortuo Dedone Marchione, qui inter primos coniuratos fuit, & eius filio Dedone, etiã à proprio miniſtro confoſſo, Marchiam obtinuiſſet Henricus, Dedonis patruelis: Cęſar quòd ad Saxones ille tranſiiſſet, eandem decreuit; & donauit Thymoni Magno, patrueli Henrici, pręmium præſtitę fidelis in bello operæ: fuerat enim educatus apud Cæſarẽ. Sed hic eam quòd adhuc teneretur à Boëmis, cum vicina Luſatia, qui Henricum, mandato Imperatoris, expulerant, non poſſedit. Sed aliquantò poſt Conradus, filius Thymonis, Lotharij Cæſaris auxiliis, Boëmis eiectis, totam recuperauit, adiectis pluribus, quæ fuerant iuris, ac ditionis comitum Wiperti Groicenſis, & Hermanni Bincebergenſis. Hic Thymo conditor eſt ſtirpis Marchionum Miſnię, quę paulatim aucta, illuſtratáque opibus, authoritate, potẽtia, ex vbertate venarum metallicarũ, & acceſſionibus Turingiæ, Saxoniæ, ac dignitatis electoralis, magnam conſequuta eſt celebritatem, virtute præcipuè, ſapientia, moderatione, & iuſtitia, quorum extant documenta, pulchrè conſtituta iudicia, reſpub. honeſtiſſimis legibus ornatæ, ſcholæ, & Eccleſiæ florentes doctrina, & diſciplina, gens exculta literis, & humanitate.

Luſatiæ bonam partem Miſnenſibus ademerunt Boëmi, quorum ducem Vratiſlaum, ob præſtitam contra Saxones, fidam operam, Cæſar creauit regem, ſeptimo decimo Calend. Iulij, anno Chriſti milleſimo, octogeſimo ſexto, in vrbe Pragenſi. Tribuunt hoc alij Friderico Barbaroſſę.

Welphum, quem ad Rodolphum deſciuiſſe diximus, captum in acie, carceri incluſit, ex quo elapſus, & cùm viginti annos exulaſſet, Imperatori reconciliatus, Bauariam recepit.

Dedit pœnas & Henricus quintus, filius, iiſdem artibus

Pontificum euerſus, quibus ipſe patrem excuſſerat, ſicut veteri verſu dicitur.

Ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται ὥσπερ ὑπῆρξεν.

Anteceſſerunt hos motus prodigia plurima: arſit cometa aliquot menſes, fulſere igneæ acies, exauditi ſunt ſtrepitus confligentiũ exercituum, viſa arma in cœlo cruenta, & obſeſſæ ciuitates, faces ardentes, iacula ignita, monſtroſi partus editi, loquuti infantes in vtero materno, panes fracti fluxere ſanguine. Durauit autem hoc bellum, perfidia Pontificum excitatum, annos totos triginta octo, à reditu Henrici ex vrbe Roma, vſque ad obitum eius, in quo, etſi vicit ipſe crebrius, quàm victus eſt: ceſſit tamen tandẽ pertinaci ſuperbiæ, & improbitati filij, non animo fractus, ſed ſuperatus fatali ruina Imperij, perfidia, & Pontificum, & ſuorum euerſi: hoc felicior hoſtibus, quod inter tanta certamina, & pericula, intérque tot modis ſtructas inſidias, tantùm ſeruatus diuinitus, præſentiæ, ac vindictæ diuinę exempla in ruina hoſtium, atque interitu ſpectarit, florẽs adhuc authoritate, & potentia: cùm pręcipui ſeditioſæ cõiurationis ſocij, intra annos decem, & ſeptem, interierint tragicè. Rurſus, poſt mortem, duabus de cauſis, infelicior iiſdem: primùm, quod illis, ritu Chriſtiano, honorificè ſepultis, ipſe caruit honore ſepulturæ totos annos quinque, Pontificibus non contentis crudeli exagitatione viuentis, ſed hyenarum inſtar, rabie immani, in cadauer etiã deſæuiẽtibus. Nam, poſt quintum annum, demum Leodio Spiram tranſlatus, & prope patrem collocatus eſt. Deinde quod ab adulatoribus Pontificum, illi, à ſeditionibus, propter obedientiam erga Pontificem, celebrantur: Hic, pro rebus ex vſu, & dignitate Imperij fortiter geſtis non multò clementiùs tractatur, quam exagitatus eſt à Pontificibus ipſis. Sed compleri oportuit, quod de idolo vaſtaturo Eccleſiam Filij Dei, prædictum eſt à Daniele, & Chriſto. Oportuit Pontifices parricidiis, & perfidia irruere in Eccleſiam: & oppreſſis iis, qui idolomanię abominationes, piorũ opera, prohibituri fuiſſent, tyrannidem conſtituere, conflatam ex idololatria, erroribus, abuſibus, libidinibus, & iniuſtis cædibus. A qua liberatos nos eſſe, Deo gratias agamus & precemur ardentibus votis Filium Dei, ne lucem doctrinæ ſuæ, quam immenſa bonitate nobis ex caligine tenebrarum pontificiarum, reddidit, veram Dei inuocationem ſinat extingui.

Vxor Henrici prima, fuit Bertha, filia Ottonis marchionis

nis Italiæ, ex qua nati filij Conradus, & Henricus. Conradus, cùm à patre conſtitutus eſſet gubernator Italiæ, perſuaſu Pōtificis, ducta filia Rogerij Normanni, regem ſe Italiæ nominauit, Pontifice proclamante. Sed paulò poſt diem ſuum obiit, Florentiæ ſepultus. Henricum, Conrado præterito, pater regem fecit, anno Chriſti, milleſimo, nonageſimo nono, quæ res, ſi Cōradus vixiſſet, ciuile bellum paritura fuiſset. Sed malam patri gratiam degener filius reddidit. Natæ ſunt, ex eadem, duæ filiæ. Primam Agnetā, pater deſpondit Friderico in Hohenſtauffen, cui, Rudolpho affine cæſo, Sueuiam attribuit. Filius Henricus, Friderico mortuo, eandem Leopoldo, marchioni Auſtriæ, iunxit. Altera Bertha nupſit Marquardo ſeniori, duci Carinthiæ, & marchioni Stiriæ. Prima vxore mortua, anno Chriſti, milleſimo, octogeſimo ſeptimo, Moguntiæ primùm, deinde Spiræ ſepulta, duxit aliam Praxeden, viduam Vdonis marchionis Brandeburgenſis, filiam regis Ruſſorum, cum qua nuptias celebrauit Coloniæ, anno Chriſti, milleſimo, nonageſimo quinto. Ex qua, an ſobolem ſuſceperit, non conſtat.

Hoc Henrico imperante, ſuſcepta eſt expeditio in Aſiam, ad vrbem Hieroſolymam recuperandam, duce Godefrido Bilioneo, de qua paulò poſt.

Idē Pontifex Gregorius ſeptimus, vendicatæ potentiæ, & vſurpati noui iuris primus author, prohibuit etiam ſacerdotibus vxores, interdicto ſeueriſſimo, & contracta coniugia diuulſit in Germania: qua lege, horribilis impuritas in mundum introducta, & accumulata eſt: ſed Pōtifices hanc turpitudinem, & obſcœnitatem inſuper confirmarunt immanitate. Jugularunt enim Sacerdotes, qui vxores, caſtitatis cauſsa, duxiſsēt: quos quidē veteres canones tantùm officio priuant. Euangelium docet coniugium nulli mortalium, ad hoc idoneo, interdicēdum eſse, & leges prohibentium, vocat doctrinam dæmoniorum. Et inter ſigna Antichriſti, apud Danielem, recitatur, quod ſit futurus oſor mulierum: quo dicto ſignificatum eſt, odium coniugij, & turpitudo flagitiorum. Sed accommodata fuit hæc lex opibus, potentiæ, luxui, & otio collegiorum: qui, vt dignitatem ordinis amplificarent, aſsuerunt commentum aliud, apertè blaſphemū, ex profanatione Cœnæ Dominicæ: Neminem, niſi Sacerdotem cœlibem, & ritu Pōtificio initiatum, conſecrare, id eſt, ſubſtantiā panis & vini, in Miſſis theatricis, mutare poſse in ſubſtantiam corporis,

& ſanguinis Chriſti:quæ cùm alterius ſint loci,non prolixius hic ea attingam.

HENRICVS QVINTVS, COgnomento Junior.

HEnricus filius,Henrico patri,incitatione Pontificum, ſeditioſos,ac parricidiali bello,improbè,& inclementer diuexato , & tandem debilitato , Imperium primò, mox etiam, crudeli parricidio , vitam inſuper eripuit,enecto illo doloribus animi, anno Chriſti, milleſimo , nonageſimo ſeptimo. Id, quanquam errori potius tribuo , in quem ſuperſtitionis,& falſæ perſuaſionis faſcino,à Pōtificibus inductus fuit: qua cupiditati Imperij,quod hanc nō plus valuiſſe in animo , & per ſe generoſo , & religione Chriſtiana delibuto , quam pietatem erga parentem , memoriámque accepti ab eo Imperij , planè mihi perſuadeo, & mirificè moueri, percellique animos,mentione,& prætextu religionis, certum eſt:dedit tamen pœnas,iiſdem inuolutus ſeditionibus Pontificum artibus,& eadē de cauſſa, propter quam, patrem ipſe oppugnarat:verumtamen, quòd ſtatim mutata voluntate,litem mouit,ac bellū Pontificibus,de eadem cauſſa, quam bello, contra patrem defenderat,excuſari iniuſta eius crudelitas,erga patrem,non poteſt:oſtendit enim, cauſſam illam , patri iuſta arma induiſſe. Quod rurſus deinceps,ſeu motus magnitudine ſeditionum,ſeu fractus anathematum diris , ceſſit importunitati Pontificum,& prodita his libertate ac dignitate Imperij , ſuſcepit exitiale reipublicæ , & Eccleſiæ Tyrannidis pontificiæ iugum,odio digna eſt neglecta, vel violata potiùs pietas,& fides erga patriam.

Solus rerum potitus eſt,poſt obitū patris,initio pœnas bello exegit ab iis , qui , ſollicitati ad defectionem,diſcedere pb Imperatore legitimo,noluerant,inter quos fuerunt Henricus Lotharingiæ dux, & Robertus , qui Flandrenſium comes fuit,cum aliquot ciuitatibus, quarum præcipua Colonia. Noribergam enim,paulò ante captam fūditus euerterat.His vindicatis,atque in fidem,deditione acceptis,Almo Vngarico regi opem tulit, contra Calomannum adiutus à Suātopulto Boëmo:ſed conatu irrito.Mox eodem ſocio tētauit Polonos, qui tributa Imperio,ex pacto,& oblatione debita,denegabant.Sed quod,dilapſis,ob cædem clandeſtinam ſui ducis Suantopulci,Boëmis,diffideret reliquis copiis , abduxit exercitum ab obſidione Glogouiæ, conſilio Wipperti comitis Groienſis, & cum

Polonis

Polonis tranſegit.

Hinc Romam profectus eſt cũ exercitu, vt renuntiaretur Imperator, & vt vetera iura conferendorum Epiſcopatuum vindicaret, atque aſſereret: quæ Pontifices iam, tanquam ſua, vſurpabant. Qua de re, quàm primùm innotuiſſet Imperatoris conſilium, Paſchalis Pontifex, tantam concitauit in eum repentè ſeditionem, vt Imperatorem ipſum dimicare de vita, & fortunis ſuis oportuerit. Idcirco, poſtquam, multa ciuium cæde, ſeditionem compreſſiſſet, diſceſſit ex vrbe ad montem Soractis abducto eò ſecum Pontifice, vbi tranſactis rebus, annuit Pontifex, ſe nihil derogaturum poteſtati Imperatorum. Reuerſis itaque ambobus ad vrbem, Pontifex & Henricum proclamauit Imperatorem, & publica tranſactionis, ac decreti promulgatione, vetera iura confirmauit: quod factum eſt anno milleſimo, centeſimo, vndecimo.

Anteceſſit hos motus, cometes, qui diu fulſit, & iudicatus eſt minitari Italiæ.

Sed vix erat ab vrbe digreſſus Imperator, cùm Pontifex decreta illius reſcidit vniuerſa, & ſua retractauit promiſſa, additis inſuper diris, atque execrationibus, & incenſis, atque impulſis Saxonibus, ad nouas ſeditiones, qui iam ante, extincto Vlrico Saxoniæ Marchione, quem, Echardo ſucceſſorem datum eſſe, coniicio, etſi de origine certi nihil annotatum reperio, armis inter ſe contendebant de illius hęreditate. Fax ſeditionis fuit Albertus Epiſcopus Moguntinus, vir ſceleratus. Hic peruolitata Saxonia, quos potuit ad bellum excitauit, ac compulit.

Coniunxerunt ſeſe ergo cum Lothario Saxonum duce, qui, vt dicemus, Saxoniæ omni, magna ex parte, beneficio Henrici quinti, dominabatur, multi alij, vt Wippertus comes Groicenſis, Rodolphus Marchio Brandeburgenſis, Otto comes Aſcaniæ in Ballenſtet, Sigefridus Palatinus Saxoniæ, cui, non multò ante conuicto criminis læſæ maieſtatis, Imperator vitam condonarat, & pœnam perpetui carceris, ad quem fuerat condemnatus, iudicio, & ſententia procerum Imperij. Hos cùm magno ſuperatos prælio, diſſipaſſet, in quo Sigefridus Palatinus occubuit, celebrauit deinceps nuptias Moguntiæ, cum Mathilde Anglorum regis filia: vbi, etſi Lotharius Saxo, longa indutus cinerea veſte, ſupplex coram Imperatore, deprecatus eſt moti belli culpam, tamen, paulò poſt ſe à data fide rurſus auertit.

Poſt nuptias,arma moturum in Friſios,nouę Principum defectiones retraxerunt. Magnas enim coëgerant copias Saxones,ducibus Lothario , & Epiſcopo Halberſtadenſi: quibus cum congreſſus, ad ſiluam , in comitatu Mansfeldenſi , Welphici ſaltus nomine, in hiſtoriis:ab hoc prælio celebrem, victus,ac repulſus,amiſſo præcipuo duce,Hogero,comite Mansfeldenſe,fugit. Dimicatum eſt tertio Idus Februarij , anno Chriſti , milleſimo , centeſimo , decimo quinto.Enituit in hoc bello virtus,& inclaruit nomen Ottonis,comitis Aſcaniæ , in Ballenſtet: qui duo Sclauorum millia,auxilium latura Henrico,itineribus intercluſis,cōcidit eodem tempore.Hic,antiquiſſimo propagatus ſtemmate,comitum Aſcaniæ,ad Hercyniam, genuit Albertum Vrſum , conditorem trium ampliſſimarum familiarum in Germania , priorum Saxoniæ ducum,marchionum Brandeburgenſium veterum,& principum Anhaltinorum.

Quod ergo & odia ingraueſcerēt, & diſſidia domeſtica augeſcerent indies magis magíſque, atque gliſcerent,Imperator ceſſurus furoribus hoſtium , abiit in Italiam,accitus ad capeſſendam hæreditatem viduæ Mathildis , quæ ſoror fuit Ecberti marchionis Saxoniæ. Sed cùm Pontificum rabies iſtic quoque conſiſtere eum non pateretur , irritatus tot iniuriis,Gelaſium, qui Paſchali ſucceſſerat, deiectum de Pontificatu , vrbe pepulit,ſuffecto alio Burcino Hiſpano,Epiſcopo Bracharēſi,quem Calixtus,Gelaſij ſucceſſor,Sutrij,captum miſit in exilium, Imperatore excommunicato. Fruſtratus ergo omni in Italia conatu,rediit in Germaniam,Moguntinos,propter perfidiā Epiſcopi multiplicem, puniturus:ſed territus contrario apparatu Saxonum,quos, per Moguntinum, Pontifex inflammare non ceſſabat,deſtitit ab incœpto.

Sic expugnatus tandem,& perculſus, Pontificum pertinacibus machinationibus , & ſuorum infinitis ſeditionib. fatali furore in perniciem patriæ commotus , cùm vrgere, & flagitare Epiſcopi non deſinerēt , de ſuo iure aliquid vt remitteret tranquillitatis publicæ cauſſa,conſenſit in Pontificum poſtulata. Quod cùm Wormatiæ, in magna hominum frequētia, publicatum eſſet, anno Chriſti milleſimo,centeſimo,viceſimo ſecundo,nono Calend.Octobris, applauſus ſequutus eſt ingens populi, ſtolidè acclamantis & inani ſpe tranquillitatis futuræ, gratulantis ſibi Tyrannidis Pontificiæ impium,& crudele iugum.

Ita conſtituta magna ſapientia,& quodam quaſi præſa-

gio

gio malorum, quæ ambitio, & ſuperbia Pontificũ Imperio, & Eccleſiæ eſſet inuectura, ſi nõ coërceretur: Ita ergo conſtituta, ſancitáque à Carolo Magno iura Imperatorum, & annos trecentos cõſeruata atque defenſa, ſedioſa domeſticorum conſpiratio, fatali ſucceſſu, in Põtificum grátiam, penè vno momẽto eliſit, atque euertit. Quibus malis in Eccleſia, & Republica, hęc cõceſſio cauſſam prębuerit, quæ damna dederint Pontifices, hac Tyrãnide armatis; quid non tentarint, vt labefactatam, penéque proiectam Imperatorum authoritatem, penitus conculcarent: denique quoties, horum crudeli impulſu, Germania cõcitata, ruerit in ſeſe, & ſuo perfuſa cruore, maduerit, ac rubuerit, ſenſerunt, & deplorarunt maiores noſtri.

Eripuerunt Pontifices, huius ceſſionis prætextu, vniuerſæ Eccleſiæ, violenter legitimam clauium poteſtatem, ſéque finxerunt conſtitutos eſſe diuinitus dominos, & iudices omnium Eccleſiarum, Epiſcoporum, paſtorum, regũ: denique orbis Chriſtiani totius, in negotiis vniuerſis, Eccleſiaſticis & Politicis: Epiſcopos coëgerunt à ſe accipere ius exercendi muneris ſui, & ad claues annexuerunt licentiam inſtituendi nouos cultus diuinos, & ferẽdi leges nouas, quas, qui tranſgrederentur, eos licere pronunciare amputata, & reiecta membra corporis Chriſti, ſeditioſos, hæreticos, ſchiſmaticos, & addicere perpetuis ſuppliciis. Denique telo excommunicationis, terrenas ditiones, acquiſiuerunt: reges ſtabilierunt, & euerterunt.

Ex his, quæ ſecuta ſint, ante oculos, & in conſpectu eſt. Germania ſpoliata, & ornamentis dignitatis, & præſidiis ſtabilitatis ſuæ, redactáque in captiuitatem turpiſſimam, pauit, & expleuit immania odia, & turpem luxuriam Romanorum Pontificum, mutuis inter cædibus Principum, in bellis ciuilibus, penè continentibus, & pecuniæ, ad luxum Romanum, profuſione. Imperatorum, quæ fuit alia conditio, quàm viliſſimorum mancipiorum; quorum, qui non annuerunt omnibus Pontificum poſtulatis, quas diras, & execrationes, quas aduerſationes perpeſſi ſunt? Religio verò, quod omnium maximè deplorandum eſt, doctrina, & ritibus è Deo auerſa, & ad idola, ac ſuperſtitionem conuerſa ſeruiuit ſuperbiæ, auaritiæ, & tyrannidi eorundem, ſicut oſtendunt repetiti, inde vſque ab Henrico quatto, canones, dogmata noui, & idololatrici cultus: commenta indulgentiarum, & totum chaos errorum, atque abuſuum, quibus fuit huc vſque Eccleſia oppreſsa. Tantam

vim habet ſuperſtitio, quando occupatas, & obſeſſas hominum mentes deuinxit, & excæcauit.

Sed ne ita quidem Henricus, placatis vti Saxonibus, potuit. Nam & per ſe Lotharius nouis ſtuduit rebus, & ſororem viduam Hollandicam impulit ad res, in Belgico, nouandas: quas cùm ſedaſſet Hēricus, ſubſidio venit ſocero, regi Anglico, bellum gerenti cum Ludouico Gallo. Tandemque rebus in Germania ſuperiore, Bambergę, compoſitis, profectus Traiectum, illi quoque oræ redditurus pacem, in morbum incidit, quo extinctus eſt, decimo Calen. Auguſti.

Anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, viceſimo quinto.

Anno mundi, quinquies milleſimo, octogeſimo ſeptimo, cùm regnaſſet annos nouemdecim.

Ex vxore Mathilde, cùm ſobolem non ſuſcepiſſet, Franconiam attribuit Cōrado Sueuo, filio Friderici ducis Sueuię in Hohenſtauffen, qui, poſt Lotharium, imperauit. Hic inſtaurauit vrbem Noricam, & monaſterium ibi condidit ad S. Ægidiū. Nam, vt vera pietas, initiò neceſſarios propagādæ doctrinæ Epiſcopatus: ita ſuperſtitio poſtea, monaſteria velut præſidiarias arces, & propugnacula Pontificij regni, cōdidit, cumulauit, & locupletauit, inuecto & ſtabilito cultu idoli, in Miſſa priuata, & repoſitione, circumgeſtatione, & adoratione panis.

Huius Henrici ſeculo, circiter annum Chriſti, milleſimum, centeſimum, viceſimum quartum, Otto Epiſcopus Bambergenſis, de cuius ſtirpe ſupra quædam monuimus, gentem Pomeranicam conuertit ad fidem Chriſtianā, ducib. Bertiſlao, & Caſimiro, Chriſtianis ſacris initiatis: vnde cognominatus eſt Apoſtolus Pomeranorū. Caſimirus, Ottonis ſuaſu, Epiſcopatum condidit in celebri Emporio gentis Iulimo: quo à Danis deleto, ſedes Epiſcopi trāſlata eſt Caminum. Filiis Bertiſlai, Bugiſlao, & Caſimiro, Fridericus Barbaroſſa, in bellis Saxonicis, ducali dignitate, & priuilegiis decoratis. locum tribuit inter Principes Imperii. Graſsata eſt & peſtis ſæuiſſima, qua extincta eſse perhibetur penè tertia pars hominum.

LOTHARIVS SAXO.

INterierat, vt dixi, in bellis Henricorum flos Principum, & nobilitatis Germaniæ: neque vlla ferè reperiebatur pars, quæ dominos non mutaſset. Imperatores enim alibi alios in loca cæſorum promouerunt, vel tranſlatos in ordinem ſuperiorē, vel ornatos noua dignitate, pro me-

ritis

ritis,& fide in bellis præſtita. Nondum deflagrarāt tamen, ex æmulatione, & inuidentia, contentionéq; de Imperio, nata odia; quæ in ſucceſſores, velut lege hęreditaria, propagata, in nouum mox eruperunt bellum.

Ex mutationibus, creuerat præcipuè potentia Conradi, & Friderici patruelium, in Sueuia, & Francia orientali, de quibus paulò poſt, & Lotharij in Saxonia. Inter, hos, Conradum ſcilicet, & Lotharium, graue certamen de Imperio exortum eſt, Lothario ſubnixo nouorum clientum in Saxonia ſubſidiis, & Henrici Superbi Bauari ſocietate, cui filiam deſponderat: Conrado freto coniunctis Francorum, ac Sueuorum viribus, ſtudiiſque cęterorum Principum, & ordinum, qui memores ſeruitutis perpeſſæ ſub Saxonibus, ne amiſſam Imperij poſſeſſionem illi recuperarent, prohibere cupiebant. Erat verò Conradus natus ex Henrici quinti ſorore, cuius pater Sueuiam ſoceri Henrici ſenioris, ipſe Franciam orientalem, iunioris beneficio, obtinuerat. Idcirco Imperiū etiam, quodam iuris titulo, propter matrem, ſibi vendicant. Hunc ſequebantur Fridericus Sueuus patruelis, & Leopoldus Auſtriacus.

Saxones è conuerſo, indignum arbitrati, & ſua, & maiorum virtute, ſe gentem liberam, & Imperio aſſuetam, ab omni gubernatione excludi, & aliorum authoritate, velut mancipia regi, præſertim cùm, hiſce proximis annis, Imperatores Francicos parū clementes eſſent experti, repetendum cenſebant Imperium, quod maiores magna cum laude geſſerant, & magno ſuo cū commodò, velut coloniis Principum ex Saxonia, in reliquam Germaniā deductis, atq; in prouincias diſtributis: vnde & opes, & vires gentis creuerant. Hæc opinio vehementer extimulabat, & acuebat in animis, naturâ genti inſitam dominandi cupiditatem, ac libertatis amorem, & ſtudium.

Lotharius cæteros antecellebat authoritate, & opibus. Is natus parte gebhardo, comite in Supplenburg, & Arnsberg, antiqua ſtirpe comitum Querfordi, ad Hercyniam, Hērico quinto adhæſerat contra patrem. Ab eo, nauatæ operæ præmium, conſequutus erat Saxoniam vniuerſam. Etſi enim filias Magni ducis Saxoniæ, qui maſculam ſobolem non reliquit, duxerant in vxores, vnā Helicen, Otto Aſcaniæ comes, alteram Wlfhilden, Welphus Bauarus, ſpe potiundi Saxonia: tamē his Henricus prætulerat, propter auxilia, contra patrem præſtita, Lotharium, cui iam antea Rixa coniunx, nata Henrico, comite Northemij, de

quo dictum eſt, & Gertrude ſorore Ecberti Marchionis, attulerat dotis loco, conſenſu Imperatoris, & ſubditorum, auitam regionem eam, quæ ad Viſurgin eſt, à patre Henrico, alteram quæ ad Brunſuigam, vbi Marchionum Saxoniæ ſedes fuit, a matre Gertrude: Et munierat ſeſe Lotharius affinitate potentis Principis, Henrici ſuperbi. Hic confiſus rebus, & opinione virtutis, ex memoria primorum ſucceſſuum, quibus Henricum quintum debellarat, & eneruarat, accedentibus inſuper incitationibus ſociorum, præſertim Epiſcoporum, inuaſit Imperium contra Conradum: ſunt, qui pertractum eum ad Imperium fuiſſe perhibent, Alberti Moguntini, & legati Pontificij conſiliis. Hos conſentaneum eſt, res ad Lotharium traxiſſe, opinione, & ſpe, quam de eo conceperant, quod religione, & fide non minore ſuſcepturum eum defenſionẽ, & amplificationem dignitatis Pontificiæ, conſiderent, collocatum in Imperio, & publica armatum authoritate, quàm feciſſet antea priuatus. Et cœperant iam Pontifices, quanquam repugnantibus Principibus, ingerere ſeſe, ac miſcere conſultationibus publicis, quę de Imperij ſumma, & electione inſtituebantur, non eò tantùm, vt extortam recens Henrico poteſtatem, creandorum Epiſcoporum, conſuetudine, & vſu ratam facerẽt, ſed vt huic aliam inſuper adiicerent, quam vſurparant paulò ante, cùm nouo, & inuſitato exemplo, Hẽrico quarto in ordinem redacto, ſucceſſorem dederant, ſcilicet, vt Imperatores, quos vellent, admitterent, quos nollent, aut reiicerent, aut amouerent.

Conradus, vbi præſidio firmaſſet vrbes Imperij præcipuas, Vlmam, Noribergam, Auguſtam relicta Germania, in Italiam contendit, omni ſpe poſita in celeritate, ſcilicet, vt Imperium Lothario, impetrata renunciatione, præriperet: & iam occupata Longobardia, rem eò deduxerat, vt Modoëciæ Mediolanenſis Archiepiſcopus, coronam ferream ei impoſuerit. Sed ſpe pariter, & Imperio excidit, repulſus ex Italia anathemate Honorij Pontificis, qui Lothario fauebat, Lotharij in Germania ſucceſſibus territus; qui, ad Imperium adipiſcendum, plus poſitum ratus in Germanico robore, cùm vrbes, quas Conradus munierat, præſidiis vel vi eiectis, vel deductis, recepiſſet; Vlma diruta; nõ magno negotio, eum ex Italia retraxit, in qua propter factionum ac diſſenſionum ſtudia, Germanicis orbatus auxiliis, alioquin conſiſtere non poterat, domi aditus ad Italiam omnes præcludente, & commeatus intercipiente Henrico Bauaro,

Bauaro,qui & Fridericum Sueuum,patruelem illius depulerat, & Boëmos, ſubſidio venturos Friderico, auerterat.

Reuerſum in Germaniam Conradum, & ſpem Imperij abiicientem, Lothario reconciliauit S. Bernhardus Clareuallenſis,qui illa ætate floruit.Huius Bernhardi ſcripta, etſi plena ſunt ſuperſtitioſis opinionibus illius temporis, tamen doctrinam de Iuſtificatione hominis, coram Deo,ex miſericordia,per fidem,in vnicum Mediatorem filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, rectè eum intellexiſſe,ac tradidiſſe teſtantur. Extat in concione de annunciatione dictum,quod perſpicuè, & propriè recitat ſententiam Pauli,& noſtrarũ Eccleſiarum de Juſtificatione; Neceſſe eſt primò omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis,niſi per indulgentiam Dei. Sed adde,vt credas & hoc,quod per ipſum peccata tibi donantur.Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet Spiritus ſanctus, in corde tuo,dicens: Remiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus iuſtificari hominem per fidem. Et ſimilia teſtimonia plura leguntur, in eius ſcriptis, quæ oſtendunt minùs aliquantò, illo adhuc tempore, corruptam fuiſſe aliquorum capitum doctrinam, quàm regnum ſuperſtitionum deinces,tyrannide Pontificum ſtabilitum, & amplificatum, munimentíſque regnorum, & maximarum opum ſubſidiis,fultum prorſus extinxit.

Apparet etiam monaſteria tunc,nondum à prima,& vetuſtiſſima forma,atque conſuetudine ſcholarum, prorſus fuiſse mutata,ſed priſtini moris aliquid conſeruaſse,exercitiis pietatis,doctrinę,& ſtudiorum.Collegia Eccleſiarum initio conſtituta erant,vt eſsent ſcholæ, & mos fuit in his collegiis,adoleſcentiam Chriſtianis, & literis,& moribus formare, quod inſtitutum, cùm videretur vtile moribus publicis,maiores noſtri, pio ſtudio, ea locupletarunt, ne vnquam deeſsent ſumtus neceſsarij diſcentibus. Poſtea, cùm pietati ſuperſtitio ſucceſſiſset,& pro Euangelij doctrina,receptæ eſsent leges Pontificum;collegia, quæ fuerant hactenus conuentus ſtudioſorum, paulatim ad ſacrificos tranſlata, opes verò collegiorum in luxum Romanæ ſuperbiæ, atque otioſorum hominum voluptates, profuſæ ſunt,ſcholis abolitis. Docendi verò prouincia delegata eſt familiis monachorum nõ Chriſti,ſed Benedicti, & Bernhardi nomen profitentium, & ſectantium, vt iactitant præcepta. Sed collegiorum exemplum hi quoque ſequuti,cum ſuperſtitionem quæſtuoſiorem docendi laboribus

experirentur, literas, vna cum docendi munere, deſerue- runt, nouam viuendi formam commenti. Redactæ ſunt ergo ſcholaſticæ operæ, ſtudiis penè vbique ſepultis, poſt Sueuorum Imperium, ad nouos regni Pontificij fœtus, ſcilicet ad Mendicantium Monachorum agmina, qui fœcundiſſimo prouentu, his poſtremis annis ducentis, vbique locorum & gentium, matre ſuperſtitione, patre Pontificum tyrannide, editi: ſed diuerſitate, ac diſſimilitudine profeſſionis penè infinita, commentis ſuis, compleuerunt orbem terrarum, & tyrannidis Pontificiæ leges, cùm exaſperarunt, tum executi ſunt acerbiùs, multò, quàm Pontifices ipſi, eóque res tandem perduxerunt, vt ipſis etiam Pontificibus formidabiles eſſent. His doctrinæ cuſtodibus, & occiderunt literæ, & interiit pietas Chriſtiana, antiquata doctrina Euangelij, rectioribus ſtudiis deletis, ſuperſtitionibus cumulatis, ita vt neceſſitas coegerit bonos, & ſalutares Principes cogitare, de ſcholarũ inſtauratione, in quibus, poſtquam cœpta eſſent reſtitui, & excoli liberalium artium, ac linguarũ ſtudia, paulatim depulſa barbarie, philoſophicarum opinionum, & putidæ, ſordidæque orationis, redditus eſt tandem, etiam Dei immenſa benignitate, ſuus nitor, ſplendórque doctrinæ cœleſti. Hæc ita eueniſſe, manifeſtiſſimum eſt, hiſtorias conſideranti.

Sed ad Lotharium redeo. Is bis duxit exercitum in Italiam. Primùm rogatu Innocentij ſecundi Põtificis, vt excitatos, contra eum tumultus, in vrbe Roma, electione Anacleti, ſopiret. Quo tempore, poſtquam reduxiſſet Pontificem, quem factio contraria, vrbe eiecerat, viciſſim ab eo renunciatus eſt Imperator; ſed vetera Imperatorum iura, cùm ſe repetiturum oſtendiſſet, Pontifice, ne id tentaret, deprecante, ceſſit, perſuaſus S. Bernhardi, quem ſecum adduxerat, precibus, ſeu religione, qua nihil in animis magnorum Principum potentius eſt, ſeu ſpe firmioris concordiæ, atque cõiunctionis inter diſtractos animos, ordinis vtriuſque, ſacri, & politici, ſeu metu ſæuiorum bellorum, quod intelligebat, non quieturos eſſe Pontifices. Sed nocuit plurimùm, vt dixi, Eccleſiæ, & reipublicæ hæc conceſſio. Nam verè patefecit feneſtram illis, ad omne nequitiæ, & crudelitatis genus, impunè exercendum.

Secundò venit in Italiam, euocatus contra Rogeriũ Siciliæ regem, qui in bona Eccleſiæ inuolarat. In ea expeditione, quòd tota, vltra citráque Apenninum, Italia domita, captis vrbibus, Rogerióque profligato, auxit opes, dignitatem,

gnitatem, & potentiam Romani Pontificis, vnus cum Carolo Magno confertur, quam fortaſſe non meruiſſet laudem, ſi minùs indulſiſſet Pontificibus: aut, ſi tam Imperij, quàm Romanæ ſedis potentiam extuliſſet. Cùm enim excelluerit, ſapiētia, pietate, virtute, induſtria, & felicitate, & Italiam beneficiis affecerit maximis, nō tamen tam hęc celebrantur, quàm quæ in Pontifices collocauit.

Sunt reuera hæc beneficia ſumma, reſtitutio dulciſſimæ pacis, ex longis, & aſperrimis bellis, & iuſtitiæ, ac legū, ex longa rerum perturbatione. Vtroque autem nomine, de Germania, & Italia, Lotharius præclariſſimè meritus eſt. Nam & pacem vtrique, quantum in ipſo fuit, reddidit: etſi diuturnam eſſe, non ſiuerunt Pontifices, & eandē, ceu muniuit præſidio legum, reuocatis in lucem, & ad vſum, veteribus legibus Romanis. Eo enim tempore, quo Italiam Longobardi, & Franci dilacerarunt, paulatim ibi, cum forma iudiciorum mutata eſſet, barbarici mores recepti erant, & Romanæ leges, his oppreſſæ, conticuerant. Conſeruauit tamen ſtudia veteris illius doctrinæ, ſicut aliarum artium Græcia, Conſtantinopoli: & extant adhuc commentarij in ius Romanum, ſcripti Cōſtantinopoli, ſimiles gloſſematis & enarrationibus doctorum Italicorum. Ideò, cum Italia à Germanis pacata, Ottonum tempore, quaſi reſpiraſſet, & paulatim mores barbaricos emendaret, homines ingenioſi, excellentes dexteritate iudiciorum in negotiis, & inſtituti, atque exculti doctrina Conſtantinopolitana, odio, & faſtidio barbaricarum conſuetudinum, cœperunt ius Romanum deſiderare. Ita paulatim celebrari hoc ſtudium cœptum eſt.

Sed Henrici quinti tempore, fuit in Italia vir ſummæ authoritatis Irnerius, qui gubernauit eas partes, quæ tum erant Romani Imperij. Is, cùm eſſet eruditus, fortaſſe Conſtantinopoli, aut ab iis, qui audierant Conſtantinopolitanos, ſæpè ritus barbaricos in ſucceſſionibus, & aliis negotiis, ex iure Romano, aut correxit, aut moderatus eſt. Grauiter autem quaſſarant Italiam, bella Henrici quarti, quibus, vt fit in bellis ciuilibus, patrimonia multorum trāſlata fuerunt ad alienos. Ex ea calamitate nonnihil recreauit eam prudentia, & moderatio Irnerij, qui, cùm poſteritati etiam conſulendum putaret, cupiebat, authoritate Imperatoria, proferri ruſus ius Romanum, vt certæ leges, & eruditè ſcriptæ extarēt, & vitarentur occaſiones diſcordiarum, quę, ex incerto iure, naſci conſueuerant. Hic Irnerius

cùm fides eius,& integritas perſpecta eſſet,in gubernatione eius,& integritas perſpecta, auxiſſet authoritatem,nactus Imperatorem Lotharium Saxonem, minus impeditũ bellis ciuilibus, & qui plurima ad tranquillitatem retinẽdam neceſſaria conſtituit,fuit huic hortator, vt præciperet cauſſas diiudicari ex legibus Romanis, & vt curaret Romæ & Bononiæ eaſdem publicè enarrari, ſicut fieret Conſtantinopoli,& antiquitus Athenis, in Beryto,& inſtituto Theodoſij,Bononiæ fuiſſet vſitatum, & ne deeſſet doctrinæ copia,produxit libros ſcriptos. Fertur & ipſe Romæ,ac Bononiæ docuiſſe,& primus ex Italis gloſſemata textibus addidiſſe.

Cõſilio ergo Irnerij, authoritate Lotharij reuocata ſũt ſtudia doctrinæ legum, & reductus eſt quaſi poſtliminio vſus earũ in forum,à quo annos amplius ſexcentos exularant.Neceſſe eſt autem eos,qui reſtituerunt, quaſi imaginem veteris Imperij,non ſolùm ingeniis,& prudentia excelluiſſe, quam vſus rerum acuerat, ſed etiam diligentiam mirabilem,atque acre, & ardens ſtudium adhibuiſse,in legibus conferendis,& conſiderandis fontibus erũditiſſimarũ cõſtitutionum,quas ex lege naturæ deriuatas eſse, atq; extructas,rationes oſtendunt,demonſtrationibus,reductę ad fontes,& principia, quod fuit res maximi negotij,mutata veteri reipublicæ forma, prorſus antiquata fori conſuetudine, amiſsa proprietate linguę, ſtudiis ſqualida,tetráq; barbarie deformatis. Certè Italiæ,Galliæ,& Germaniæ plurimum eam profuiſse doctrinam,res docet.

Secuti poſtea Irnerium,auditores ipſius Bulgarus,Azo, & alij in ſchola pariter, & reipubl.adminiſtratione,floruerunt: deniq; capta adminiſtratione doctrinæ huius,Italia certatim in eã incũbere cœpit, & prodierũt ex illis ſcholis plurimi,qui docendo, ſcribendo, & de iure reſpondendo, regendis Imperiis, de vita hominum optimè ſunt meriti. Accurſius attigit tempora Friderici ſecũdi, & Caroli quarti ætas, celebrat Bartolum, Baldum,& plurimos alios horum auditores, qui doctrinam quaſi per manus traditam, docendo propagarunt,& commentando illuſtrarunt.

Eſt autem verè diuina res, rerumpublicarum conſtitutio,legúmque ſeu emendatio,ſeu mutatio in melius:quæ, niſi regatur diuinitus, nec procedit, nec euenit feliciter: quòd, cùm ſapiens antiquitas agnouerit, prudenter cauit mutationes omnes,& ſæpè inueteratæ cõſuetudinis vitia, ſi non prorſus eſsent enormia, ſapienter tulit,ac diſſimulauit:

uit: ſicut næuos corporum, qui, ſine deformitate multo maiore, elui, vel expungi nequeunt. Facile eſt, inquit Pindarus cuiuis, mutare ciuitatis ſtatum, ſed commotum, turbatúmve ſedare, & in tranquillum reſtituere, ſolius Dei opus eſt. Et apud Thucydidem Alcibiades cēſet: τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι, καὶ νόμοις, ἢν καὶ χείρω ᾖ, ἥκιστα διαφόρως πολιτεύωσι. Idcirco, cùm euentus oſtenderit, vel in ipſa fori, iudiciorúmque emendatione, conſilium de reſtitutione iuris Romani, à Deo profectum eſſe, diuinitùs Lotharium adiutum, atque gubernatum fuiſſe, agnoſcamus, & tueamur hoc beneficium, & Deum primò, deinde optimum Imperatorem, authores huius beneficij grati celebremus.

Vixit, Lotharij ætate, Gratianus, qui Pontificum decreta congeſſit: etſi & ante Gratianum, ſimilis liber, in hominum manibus fuiſſe traditur, opera cuiuſdam Epiſcopi Wormatienſis collectus. Intexuit his decretis, ex veterum Synodorum canonibus, quæ ad Hierarchiæ Romanæ dignitatem extollendam, & amplificandam facere viſa ſunt, & recentes, ac præſenti ſtatui accommodatas conſtitutiones miſcuit: ſed ſeueriſſimas ſanctioris diſciplinę leges, quibus Eccleſia purior ſtetit, commutauit otioſa, ac theatrica ſpectacula, ceu ludorum quorundam. Hic Gratiani liber cauſſam præbuit, vt Pontifices deinceps, infinita audacia conderent ac cumularent decreta, quibus, quæ liberet, in doctrina cœleſtis & ciuilibus legibus Imperatorum, mutarunt, & ſeſe, aduerſus vim omnem, vt exiſtimarunt, ſuperam, terrenámque armarunt. Inde æmulata ſtudia exarſerunt.

Feruebat recens excitatum ſtudium doctrinæ legũ Romanarum, certatim in id incumbentibus ingeniis Italicis, & Germanicis, vt eſt natura humana rerum nouarum auidiſſima: quod, quia Imperatores muniebat, atque armabat, videbatur minitari recenti, nec dum ſatis confirmatę Pontificũ Tyrannidi. Pericula ergo, quę inde emerſura eſſent, ſi inualuiſſet, vt maturè auerterentur, extolli cœpta eſt canonum authoritas, & legibus Romanis anteponi: vtpote quæ de rebus, ad Eccleſiam pertinentibus, conſtituerent, cuius ſit maior authoritas, & poteſtatem quæ habeat moderandi, ac determinandi ciuilia. Itaque ferri cœptæ ſunt leges, quibus de Romanis aliquid derogaretur, authoritate Eccleſiæ ceu correctum ac limitatum. Cúmque nouo iuri, ac legibus nouis, patronis etiam, ac defenſoribus opus

eſſet citò commouit ſeſe duplex genus hominum, Canoniſtæ,& Scholaſtici :quorum illi Hierarchiam ,& Tyrannidem Romanam propugnandam ſuſceperunt, ex canonũ decretis,non minore contentione, quàm cæteri Imperatoriam poteſtatem,ex ſacris literis,& iure Romano tuebantur. Hi dogma nouum excogitarunt, ad faſcinos errorum, ac ſuperſtitionis capiendos , & irretiendos hominum animos,quibus laqueis hi vincti, permanerent in obedientia, erga ſedem Romanam Scholaſticę Theologię nomine,id celebre eſt,& reliquas doctrinæ purioris ſcintillulas , de lege,de Euangelio,de peccato,de gratia,de fide , de Iuſtificatione coram Deo,de vero vſu ſacramentorum, de vera Dei inuocatione , de operibus Deo placentibus , prorſus obtriuit,atque extinxit. Cũ enim errores,& abuſus,vel recepti conſuetudine,vel à Pontificibus orti, aut approbati, defendi,ſi exigerentur ad regulã verbi ſacri, non poſſent, illo neglecto,quæſita sũt alia præſidia. Huius doctrinæ fũdamenta Petrus Longobardus,ſententiarũ Magiſter,imperante Friderico primo,contraxit in libros quatuor, quibus ex colendis,illuſtrandiſque, ita occupata fuit omnis ſcholaſticorum,& Monachorum colluuies deinceps,vt præ illo,Biblia ſacra è manibus , & penè ex animis illorum aſſeclarum exciderint , atque in pulpitis,& ſuggeſtibus,non Chriſti,aut Pauli,ſed Magiſtri ſententiarum nomen, aſſiduè ſonuerit , & auditum ſit. Interpretes Thomas Aquinas,& Scotus,cũ inter ſe certaſſent ſubtilitatibus , Eccleſiã ita quæſtionibus partim ineptis, partim impiis, partim inextricabilibus referſerũt, ac ſimul philoſophiam corruperunt,ac polluerunt , vt recentioribus Wilhelmo Occam, & aliis,neceſſitatem attulerint diſſentiendi ab ipſis. Inde nati ſunt mirabiles conflictus,quos lux doctrinæ reſtitutæ tandem diremit;ac ſuſtulit.

Fuit autem hoc doctrinæ genus, conſutum,ex malè detortis ſcripturæ ſacræ ſententiis,& confuſis cum Platonicis & Ariſtotelicis diſputationibus,ethicis, phyſicis,& metaphyſicis,ſed alicubi deprauatis,& Pontificum conſtitutionibus,quod labyrinthis inextricabilibus inuolutum,particulam doctrinæ legis, ſeu potius philoſophiæ moralis , enarrat,prorſus more philoſophorum, Euãgelij vocem obruit , atque abolet,ſublata certitudine promiſſionis,& fidei,amotóque Mediatore. Eſtque totum attemperatũ Tyrannidi Pontificum,& præſenti regno ſuperſtitionũ , nititurque hypotheſibus impiis, & falſis:quod , quæ a Pontificibus

tificibus

tificibus conduntur, vel approbantur, aut in doctrina, vel ritibus vetuſtis, mutantur, etiam contra normam Verbi diuini, ſint iuris, mandatíque diuini, & valeant propter Eccleſiæ authoritatem, quæ labi & errare nequeat: cui aduerſari nefas ſit: denique cuius ſit caput Romanus Pontifex. Et quod, quale fuerit, oſtendunt libri, qui extant, cuius pudet iam pleroſque: qui niſi conuinci poſſent, eſſent id abiuraturi. Hoc, pręclarum illum conſenſum complectitur, quem toties Pontificij iactitant, & tam ambitiosè prædicant, atq. inculcant: ad quem, tanquam canonum decreta, in Eccleſia, inflecti, ac dirigi, & opiniones, ac iudicia exigi, atq. explorari volunt, pertinacia tam cæca, vt euidentia teſtimonia doctrinæ ſacræ, ac primæ, puriorísque Eccleſiæ repudient potius, quàm conuelli hunc patiantur, ſcilicet, ne labefiat, aut inclinetur ſtatus regni Pontificij, qui, his decretis inſiſtit, atque innititur.

Peperit autem hoc nouum doctrinæ genus ambitioſiſſimas æmulationes, & mirificas contentiones inter Iuriſcōſultos, Theologaſtros, & Canoniſtas. Hinc factionum exiterunt ſtudia, orbe Chriſtiano ſciſſo in partes, aliis Imperatores Gibellinorum, aliis Pontifices Welphorum titulo ſectantibus, & ſuum vtriſque ducem, pertinaci odio, & inſidiarum crudeli conatu, cædiúmque, ac ſeditionum ſæuitia propugnantibus. Nos de reddita nobis luce, veræ doctrinę, Deo gratias agamus, & ardentibus votis precemur, vt has, & alias ſimiles veteres, & nouas præſtigias, à noſtris Eccleſiis procul arceat, & colligat ſibi inter nos æternam Eccleſiam, Miniſterio veræ doctrinæ, per Filium, & ſanctificet eam Spiritu ſancto.

Redeo ad Lothariū. Hic, Italia ex confuſionibus difficillimis explicata, in trāquillum locata, conſtitutáque, & ornata legibus, & iuſtitia, rediturus in Germaniam, per vallē Tridentinam, morbo correptus eſt, cúmque properaret in patriam, ingraueſcentis morbi ſæuitia, ſuperatus inter Enum, & Lycum amnes, in pago ignobili, diem ſuum obiit. octauo idus Decembris, anno Chriſti, milleſimo, cēteſimo, triceſimo octauo: anno mundi, quinquies milleſimo, cēteſimo, cū imperaſſet annos tredecim. Sepultus eſt in Lotharia Cæſarea, monaſterio Saxoniæ, cui à ſe nomen indidit. Ante poſtremam expeditionem in Italiam, coërcuit tumultuantes in vicinia reges, Magnum Danicum, & Bribiſlaum Obotritorū. In huius victoriæ memoriam, trophæum erexit, arcem Sigeburgum, & deinde prouincias huius Ger-

maniæ quæ cis Herciniam, conſtituit.

Vxorem habuit Rixam, vt diximus. Ex hac nati ei filius Lotharius qui annos pubertatis non attigit: filiæ Gertrudis & Hedvvigis, quarum illam collocauit Henrico Superbo, Bauaro: hãc Ludouico Barbato, comiti Turingię nepoti illius Ludouici, cuius meminimus in Conrado Salico. Hũc Lotharius, ſupra cæteros Turingiæ comites, quorum numero erant duodecim, extulit, noua ornatum dignitate, comitis prouincialis, ſeu Landgrauij, & vt antecelleret viribus, ac potẽtia iis, quibus imperaret, auctum adiectione coniunctarum terrarum Haſſiæ, & Turingiæ. Ab hoc defluxit ſtirps Landgrauiorum Turingiæ, qui regionem vtramque tenuerunt vſque ad Ludouicum vltimum, quo, ſine maſcula ſobole extincto, auulſa eſt Turingia ab Haſſia, hãc occupante Henrico duce Brabantino, illam Henrico Marchione Miſniæ, de quibus, ſuo loco indicabitur.

Hẽrico Superbo attribuit Saxoniã. Fuit hic nepos Welphi, filij Aſonis Ferrarienſis: cui, cùm Welphus vltimus, abſque maſcula ſobole deceſſiſſet, mater impetrauit Bauariam, ab Henrico quarto, ſicut ſupra dixi. Huic nati filij Welphus. & Henricus, quorum vterque Bauariam poſſedit. Sed Welphus cum ex vxore Mathilde, marchioniſſa Veronenſi, ſobolem non ſuſtuliſſet, relicta illa, domum reuerſus vitam cœlibem egit. Henrico, ex Wlfhilde, Magni ducis Saxoniæ filia, nati ſunt Welphus, & Henricus Superbus, quorum hic potitus Saxonia cum filia Lotharij Gertrude procreauit ex ea Henricum Leonem, parentem totius ſtirpis, ducum Brunſvvicenſium, ac Luneburgenſium. Welphus in Italia Principatum Sardiniæ, ducatum Spoletanũ, & Tuſciæ marchionatum, beneficio Friderici Barbaroſſæ, conſequutus, Welphum filium huius nominis vltimum genuit. Horum cum Conrado Sueuo, & Friderico primo, cõtentiones, de Imperio poſtea perſtringemus. Ducum Saxoniæ ſedes prima fuit ad Ludeburgum. Hi poſitã contra Danos, & Henetos Nordalbingorum regionẽ, quæ hodie Holſatorum eſt, tanquam ſuam, adminiſtrarunt per aliquem ex familia natum, vt tunc moris erat comitum titulo, annos circiter cẽtum, quinquaginta. Magnus, ab Hermanno primo, vltimus commiſerat eam gubernationem vni, quem hiſtoriæ nominant Godefridum: quo obtruncato a Vandalis, Lotharius Holſatiam ſubdidit Adolpho, comiti Schaumburgio, à quo deſcendit ſtirps ducum Schleſuici, & Holſatiæ, quæ produxit proximos reges

ges

ges Danicos, & comites Oldemburgios, ac Schaumburgios.

Auxilio Lotharij, & Conradus Miſniæ Marchio, Boëmis tota ditione exterminatis, hæreditatem paternam ácquiſiuit, cui, eiuſdem promiſſo, & deinceps Conradi Sueui conſenſu, adiunxit, quæ tenuerat Wipertus, comes Groicenſis ad Pliſſam, & Eliſtrum amnes. Fuit enim Conradus, natus ſorore Henrici comitis Northemij, cuius filia Lotharij vxor erat.

Marchia Brandeburgenſis pertinuit tunc ad Henricũ, Vdonis ſecundi filium, primi nepotem, qui & Stadenſes Marchiones nominati ſunt. Vdoni ſecundo eripuerat eam Bribiſlaus Obotritorum regulus, inſtigatus ab Henrico quarto, quod fuerat inter coniuratos.

Cùm ergo Bribiſlaus, conuerſus ad religionẽ Chriſtianam, adoptaſſet Albertum Vrſum, Henrico mortuo ſine liberis, hæreditatem Albertus, permiſſu Conradi Sueui, adiit. Fuit autem natus Albertus, patre Ottone, comite Aſcaniæ, cui à coniuge, filia Magni, ducis Saxoniæ, acceſſerat comitatus Solduuedelenſis.

Lotharingia etiam, bellis Henricorum quaſſata & exagitata grauiter variéque diſcerpta, dominos crebrò ſuos, vario euentu, mutauit. Lotharingiæ ad Arduennam tractus tenuit, Henrico quarto imperante, Godefridus, is, qui poſtea, ducatu Bilioneo vendito, memorabili in terram ſanctam, cum Balduino & Euſtathio fratribus, expeditione, victricia arma per Aſiam, Syriámque, in vrbem Hieroſolymam intulit, Turcis procul, ex anteriore Aſia, abactis ad Pontum: Saracenis depulſis, atque concluſis in Ægyptum, & regnũ excitauit, quod, ipſo mortuo, adminiſtrauit Balduinus frater. Tertius Euſtathius, domũ ex Palęſtina rediit, à quo Juliacẽſes Principes, ortum ducere exiſtimãtur.

Godefrido, in Lotharingia, ſucceſſit Henricus, ex ſtirpe Limburgenſium comitum, is, qui Henrici quarti partes, ad extremum vſque defendit. Filios hic reliquit Conradum, & Henricum. Henricus in Hiſpaniam militatum abiit, vbi, cùm multa præclarè geſſiſſet, contra Mauros, & Saracenos, in præmium militiæ, impetrauit ab Alphonſo ſexto, rege Caſtiliæ, & Legionis, notham ex pellice filiam, Tireſiam, & Portugalliæ regnum, circiter annum Chriſti, milleſimum, centeſimum, decimum. Ab hoc origo eſt regum Portugalliæ. Conrado abſque ſobole maſcula mortuo, Henricus quintus, Lotharingiam tradidit Godefrido, &

Wilhelmo fratribus, Louanij comitibus. Hi partiti ſunt inter ſe Lotharingiam: Godefridus retinuit inferiorem & mari, Rhenóque proximam, Brabantiæ nomine, quod de prouinciæ corrupto nomine extitit. Wilhelmo ſuperior ceſſit ad Arduennam ſiluam, & Moſæ fontes. Hic Lotharingicos procreauit Principes, vſque ad Carolũ vltimum, à quo deuolutus eſt ducatus ad Fridericum comitem de Vademont, authorem ſtirpis ducum, qui nunc Lotharingiam tenẽt. Godefridus Brabãtinos duces, & Haſſiæ Landgrauios produxit. Sed cùm Brabantinorum ſtirps interiiſſet, tranſlatus eſt ducatus ad Hollandiæ comites. Inde ad comites Lucelburgenſes, qui originem trahunt ab Hugone comite, nepote Lotharij, qui filius fuit Lotharij primi, Imperatoris.

Sed huius loci non eſt, mutationum omnium viciſſitudines recenſere. Has recitaui, vt aliquid lucis afferrẽt, præſertim commemorationi, & exempla monerent lectorem, de ortu, & interitu Imperiorum, & familiarum. Non caſu accidere tantas mutationes, cogitemus: ſed reſpiciamus, & ad Deum authorem Imperiorum, & ad mutationum cauſſas. Quàm longam texuit malorum ſeriem perfidia Pontificum? Quantam, exigua initia, pepererunt ruinam? Quantam poſtea, cõfirmata Pontificum tyrannis, dedit cauſſam euerſioni religionis, & Imperij? quam ſequutæ ſunt aliæ pœnæ, irruptiones, & graſſationes Turcicæ, & ſimiles. Hęc cùm videant, legant, cognoſcant, & intelligant Pontificũ ſatellites: tamen, quæ poſſunt, impudenter conquirunt, vt illis patrocinentur, & tyrannidem tueantur.

DE REBVS ÆGYPTIIS, ET TRANSLATO à Caliphis ad Sultanos regno.

ETſi ordo rerum poſtulabat, hoc in loco, dicere aliquid de occupata, a noſtris Argonautis, Aſia, & condito regno Hieroſolymorum: tamen cùm, in ea ipſa expeditione, decertandũ fuerit illis, præcipuè cum Turcis, & Saracenis, & crebra fiat mentio Calipharum, & Sultanorum, qui Ægyptum rexerunt, prius, quando horum in Ægypto regnũ cœperit, quas & hoc pertulerit mutationes, & quos tunc rectores habuerit, paucis monere volui, quæ illis afferrent perſpicuitatem.

Ægyptum Auguſtus Cæſar, poſt deuictos Antoniũ, & Cleopatram, ad Actium promontorium redegit in formã prouinciæ. Ex eo tempore, etſi, vt fuit gens ſuperba, & cõtumax, inuita admodum paruit alienis Dominis, & ſæpè

ad

ad quaſcunque occaſiones, conata eſt ſeſe aſſerere in libertatem, tamen ſuperata, & cohibita magnitudine potentiæ Romanæ, vndique circumfuſæ, iugum excutere nequiuit.

Poſt tranſlatam verò ſedem Imperij in Græciam, & interitũ Romani nominis, Græcis ceſſit, à quibus cùm ſuperbè, auaréque imperitaretur, Ægyptij pertęſi ſeruitutis, euocatis in auxilium Saracenis, qui in Aſia, longè latéque graſſabantur, pérque eos ſubinde exturbatis, atque reiectis Græcis, Calipham Saracenorum ducem, regem ſibi delegerunt. Is à Mahomete, qui religionem nouam, ex Arij hæreſi, & diſciplina Judaica conflatam, Orienti dedit, originem duxit. Factũ hoc eſt circiter annum, à nato Chriſto, ſeptingenteſimum, tertium. Fuit autem hic alter gentis Saracenicæ Calipha, religionis pariter, & Imperij dominus, ab eo, quem, aliquantò ante, gens eadem, occupata Perſia, in Babylonem collocarat, diuerſus Imperio, & ſuperſtitione. Authorem enim profeſſus eſt ſuæ ſectæ, Halim, altero Baldacenſe, Homarum iactante. A Calipha, cæteri reges, qui eum, varia ſucceſsione, ſecuti ſunt, per annos circiter quadringentos, quadraginta ſeptem, omnes, veluti repetita veterum Pharaonum, & recentiorum Ptolemæorum conſuetudine, Caliphæ nomen acceperunt, quod ſupra monui, lingua Saracenica, ſignificare rectorem, ſeu Imperatorem generalem, quia huic paruerunt cæteri.

Vltimus regum eius nominis, incidit in id tempus, quo Chriſtiani, Godefrido duce, Aſiam, Syriámque, victricibus armis, peruagati, ereptam Saracenis Hieroſolymam, regni ſedem fecerũt. Is ab Almerico, qui Hieroſolymis Balduino ſucceſſerat, bello laceſsitus, cùm tantam belli molem ægrè ſuis viribus ſuſtineret, à Sultano Syriæ, qui Alepo præſidebat, & à Perſis alienus, Ægyptiæ ſectæ leges, & rationes magis probabat, contractis, vt ratiocinor, contagiis, ex vicinia, ab illo ergo ſubſidia, duce Sarracone, impetrauit, circiter annum Chriſti, milleſimum, centeſimum, quinquageſimum tertium.

Sarraco, cùm, repreſſo Almerico, Chriſtianos tota Ægypto exegiſſet, captus amœnitate regionis, vbertate terræ, opulentia regni, & multiplicibus occaſionibus inuitatus ad ſpem regni, præſertim infirmis Caliphæ viribus, hunc, nihil tale expectantem, regno ſpoliauit, & in carcerem incluſit. Ex eo, in poſterũ, Caliphæ, regia dignitate, & poteſtate prorſus exuti, ſolis præfuerunt ſacris. Reges tamen,

Pontificum Romanorum ritu, inaugurarunt. Ita Sarraco, patria Hyrcanus, excuſſo Calipha, Ægypti regnum ſibi, & poſteris confirmauit. Nomen ſignificat, lingua Ægyptia, dominum certum, ſeu confirmatum.

Sarraconi Saladinus, illius ex fratre nepos ſucceſſit. Hic Chriſtianos in Syria, & Palęſtina, proſperrimo ſucceſſu, debellauit, & ad extremum, afflictis opibus, atque acciſis viribus eorum, regnum Hieroſolymorum euertit. Nomen ſignificat inſtauratorem iudiciorum, eò quòd regno leges nouas dederit, prioribus Calipharum ritibus, & moribus abolitis, & certam iudiciorum formam deſcripſerit, & ordinarit. Moriens, fratri regnum reliquit, à quo plures filij, nepotéſque, ex ordine AEgyptum rexerunt, vſque ad Melechſalem qui liberorum regum poſtremus, ex Sarraconis poſteritate, cum Chriſtianis continenter bella geſſit.

Melechſala ergo, cùm veteranos, vt accidere tot pręliis, fuit neceſſarium, & fortiſſimos ſuorum amiſiſſet, AEgyptiorum ingeniis, & opibus diffiſus, noui generis præſidia, ex venalitiis ſeruis, comparauit. Inuaſerant, ſub id tempus, Aſiam, per Caſpias portas Tartari, gẽs Scythica. Hi Comanos populos, ad Cappadociam pertinentes, vbi Colchici, Iberi, & Albani habitant, longo tractu, iuxta Pontũ Euxinum, hodie Mengrellinorum, Georgianorũ, & Siberiorum nominibus celebres, ac noti: hos ergo recèns ſubiugatos, belli iure vendiderant, ſub corona. Ex his Comanis Melechſala egregiam manum, non magno coëmptam pretio, in AEgyptũ traduxit, & armis inſtructos, ſpéque ingentiũ præmiorum, ſi egregia fortitudinis documenta, in præliis, contra hoſtes, ederent, excitatos, magna cura ad militares operas aſſuefecit, cúmque, opera eorum, D. Ludouicum Gallorum regem, ad Daniatam AEgypti vrbẽ, quę Heliopolis, ſeu Peluſium fuit, memorabili prælio victum, cepiſſet viuum, & fratrem regis Robertum, lõgius in Agyptum progreſſum, deleuiſſet, tanti eos fecit, vt inde cohortem prætoriam deſcripſerit, cui vitam, corpúſque ſuum credidit, & phalangem inſtituerit, in qua poſuit ſpem victoriæ, contra hoſtes. Sed, non multò poſt victoriam, cõſpiratione ſeruorum, Melechſala trucidato, regnum ſerui arripuerunt, cùm id Sarraconis poſteritas, annos circiter centum, tenuiſſet, exemplo vſitatiſſimo plurimorum, qui ad defenſionem, vel inuitati, vel conducti, rebus confectis, ſocios oppreſſerunt. Nomen Melechſala ſignificat regẽ ſaluantem, quod ei tributũ opinor, propter partas, de Chriſtianis,

ſtianis,crebras victorias,atque AEgyptum fortiter defenſam,nouóque præſidio munitam. Sedes regum fuit in vrbe ſeu Memphi, ſeu Babylone Ægyptia, quam Alcayrum appellarunt,id eſt,ciuitatem.

Qui poſt Melechſalem Ægyptum rexerũt,ex hoc nouo coemtorum militum ordine, vel vi regnum inuaſerunt, vel ſuffragiis id obtinuerunt conſeruorum. Quo quiſque enim,cùm è literario,militariq. ludo exiiſſet,celerius virtute,ac magnitudine rerum geſtarum, ſingulorum ordinum honores percurrit, atque promeruit, eò ad regnum citius peruenit. Viciſſim autem hi,lege & inſtituto gentis, ordinem,ne minueretur,ac deficeret, inſtaurarunt, atque expleuerunt nouo milite, aut mercede comparato, ab eadem gente aut allecto,ſpe honorum, & præmiorũ. Ægyptij Comanos ipſos, Caphac nominarunt, id eſt,plagio abreptos ad ſeruitutem.

Fuerunt autem ferè precipui omnes Heneti,Sarmatæque, & Getę, ac Baſtarnæ, qui ad Pontum,& Mæotidem habitarũt,ab ea maximè parte,qua Corax amnis in Euxinum effunditur.Regionem, recenti vocabulo, Cercaſſiam vocãt,à Cercitis populis,qui in Colchidem vergunt.Eum enim Euxini maris tractum incolũt qui à Colchis ad Boſphoros, contra Tauricam Cherſoneſum,extẽditur.Aquilonis flatibus obiectus,perpetuóque rigens gelu, & propterea ſqualidus,rerúmque prope omnium inops. Eadem hi lege,atque iiſdem ceremoniis, Chriſtũ Deum adorãt, quibus vicini à Septẽtrione Moſchi,& Roxolani, Gręcorum ritus ſequẽtes, vti ſolẽt.Hos Cercaſſos,Walachi,antiquitùs Gotti,qui Iſtro adiacent, Tartari,qui Tauricam ad Dromon Achillis inhabitant, alięque finitimæ gentes, Podolij,Sarmatæ,Roxolani, vel ab vberibus matrum abſtractos, vel aliis interceptos caſibus vendiderunt mercatoribus, è quibus poſtea, delectu habito, ſi qui eorum corporis,& virtũ robore, vel generoſi animi indole præſtiterunt, hos illi nauibus Alexandriam, atque inde ad Memphiticũ regem perduxerunt, vbi adultiores,abiurato Chriſto,circuncisos, laniſtæ ad hoc deſtinati, primùm in ludo literario, religione Mahometica erudierunt, poſtea inde eductos ad militiam, armorum, equorúmque tractatione exercuerũt.Mamaluchi deinceps dici cœperunt, quæ vox circumciſos ſignificat.

Fuerunt autem Mamaluchi Chriſtianæ religionis deſertores omnes, à captiuitate Mahometanis ſacris initiati,

cúmque, contumelioſo in Filium Dei decreto, cõſtitutum eſſet, ne ad regnum admitterentur alij, quàm ex hac gente orti, vel ex hoc ſaltem ordine delecti: cautum etiam fuit, ne in equitum numerum adſcriberentur, niſi Chriſtianis parentibus nati, & Chriſtiana religione imbuti, ſi fidem Chriſtianam iuramento prius abdicaſſent. Mahometani & Iudæi arcerentur. Ex hac lege, neque ad Mamaluchorum filios, iura dignitatis equeſtris tranſibant, nec ad filios à Sultanis regnum tranſmittebatur.

Primus è ſeruis, qui, poſt interfectum Melechſalam, arripuit Imperium, & nomen Sultani, quod regibus omnibus poſt ſublatos Caliphas commune fuit, à primo Sultano gétili nomine vocatus eſt Turquemenius, qui, cùm priſtinæ cõditionis immemor, conſeruos, à quibus principatum acceperat, inſolentius deſpiceret, a Cotho pariter equite Comano, domi obtruncatus eſt.

Cothus ſalutatus rex ab exercitu ſeruorum, cùm relictos ab Hyalone, in Syria, Tartaros latè cæcidiſſet, victor domum rediturus, in itinere oppreſſus eſt. Interfector Bendocader regnum obtinuit. Vocatus eſt autem Cothus Melechmoes, à tributorum exactione, quæ maiora, quàm cæteri, Ægyptiis ad bella Tartarica extorſit, id eſt, rex tributi exactor.

Bendocader regnum adeptus, Melechdaër dici cœpit, id eſt, rex vehemens, & acer. Hic Mamaluchorum potentiam plurimùm auxit, Ricardo Britanniæ rege, & reliquis, Chriſtianorum copiis, tota Syria profligatis. Recuperauit Antiochiam, anno à Chriſto nato, milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo octauo. Indéque progreſſus magnas clades Armeniis intulit. Damaſci obiit veneno necatus.

Melechſait filius Bendocaderis, id eſt, rex ordinarius, aut legitimus. Hunc patri ſucceſſurum, depulit Elpis.

Elpis, quod nomen, ſi Ægyptium eſt, geſtientẽ ſignificat, & exultantem, regnum cæde conſequutus: Tripolin Chriſtianis ademit, anno à nato Chriſto, milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo nono; trucidatus eſt ab vno ſatellitum ſuorum, in caſtris.

Melech, Vſtrephus, vel Melechſeraph, id eſt, rex vrens, à ſæuitia & crudelitate. Hic Ptolemaidẽ, quæ ſola inter omnes, Chriſtianis ad extremum reliqua fuit, vi expugnauit, anno Chriſtj, milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo primo; interfectus eſt à ſuis in venatione.

Secundum hos, longa ſerie, plures eiuſdẽ conditionis viri

fortes,

fortes,Ægyptum rexerunt, vt Melechnaſar, id eſt, rex aquila vel ſublimis; item Melechadel, id eſt, rex cunctator vel ceſſans, qui metu & ſuorum, & Tartarorum,ſeſe continuit intra vrbem Alcayrum,aliique, quorum & nomina obſcura ſunt,& ignorantur res geſtæ, vſque ad Caitbeium Sultanū Hic,patrum noſtrorum memoria,deuictis ſemel, ad Adenam,iterum ad Tarſum, copiis Turcicis nō magno Mamaluchorum numero, & captis duobus præcipuis ducibus,Meſithe Palęologo,& Cherſeogle Baiazetis genero, Mamaluchis illuſtrem gloriam peperit, Turcis ingentem incuſſit terrorem.De hoc Caitbeio,& ſucceſſoribus,vſque ad vltimum Tomumbeium, quo ad portam Memphiticam ſuſpenſo,Selimus Turcorum Tyrannus,regnum Mamaluchorum demolitus eſt,infra dicimus.

Tenuerunt autem Ægyptum Mamaluchi annos circiter ducentos,ſexaginta,ſerie numerata à Turquemenio,vſque ad Tomumbeium.

Ita Ægyptus,quæ Eccleſias primas & florentiſſimas habuit,plantatas Apoſtolorum prædicatione(Alexandriæ enim primùm docuit Marcus Euãgeliſta,Petri Apoſtoli,ex ſorore nepos) quæque regnum fuit pulcherrimum, conuerſa eſt,iuſto Dei iudicio, in arcē blaſphemiæ, & ſtabulum peſſimorum latronum. Et tota, inde vſque ab Ario hæretico,hiſtoria Ægypti plena eſt turpiſſimorum exemplorum,& triſtiſſimarum pœnarum. Natum eſt Alexandriæ dogma Arij.Id gens Ægyptia,magna leuitate, vt fuit in ſuperſtitionem proniſſima, repudiata doctrina ſaniore, celeriter amplexa eſt. Poſtea, ſimili leuitate,deſciuit ad detextos inde furores Mahometicos, & odio magis Chriſtianæ religionis, quàm faſtidio præſentis Imperij Græcorum,attraxit Saracenos. Sequutę ſunt ergo pœnę,quę blaſphemiam etiam in hac vita comitantur, in quibus adhuc hæret Ægyptus,horribilis, & perpetua cæcitas in mentib. euulſis à Deo,ſcelera abominanda, crudelis ſeruitus corporum,quam ſuſtinuit Ægyptus,per annos octingētos,toties mutatis barbaris, & impotētibus Tyrãnis.Sed multò triſtius malum eſt,vagari ſine Deo, eſſe abiectum,& deſertum à Deo,& tandem ruere in æternas pœnas. Seruitutem hanc vtramque, & animorum occupatorum opinionibus blaſphemis,& corporum,accerſiuit,ac impoſuit ſibi,ſua leuitate,gens Ægyptia.His exemplis exſuſcitemur ad amorem,& ſtudium veræ doctrinæ,& timorē Dei, atque inuocationem, & regi nos petamus diuinitus,ne, ex

ſecuritate, incidamus in furores ſimiles, quibus poſtea in exitium noſmetipſos præcipitemus. Vt autem Tyrānis Mahometica Arianos furores vlta eſt, ſic cogitemus Mamaluchorum in Syria, & Turcorum poſtea in Aſia, & Europa ſucceſſus, idololatriam multiplicem Romanæ Eccleſiæ, atque illam præcipuè, quæ fuit in Ethnica ſtatuarum adoratione, in abuſu Miſſæ, & cultu idoli Maozim, vindicaſſe, & vindicaturam eſſe multò grauiùs, niſi emendatio ſuſcepta fuerit, ſequuturamque tandem, extincta luce doctrinę, cęcitatem ſimilem, cum triſtiſſima corporum ſeruitute, quam à nobis, vt auertat, atque depellat Deus miſericors, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, aſſiduis votis precemur.

Conſiderentur & tragici Tyrannorum exitus, & mutuę inter ſe eorundem lanienæ.

DE SVSCEPTA IN ASIAM expeditione, duce Godefrido Bilioneo, & de conſtituto regno Hieroſolymorum.

INcidit in Henrici quarti Imperium memorabilis illa noſtrorum Argonautarum expeditio, in Aſiam, ſuſcepta, non cupiditate opum Orientis, vt olim Principum Græciæ in Colchidem, ad rapiendum aureum vellus, quæ tot poëtarum eſt celebrata monumentis, ſed conſilio ſanctiſſimo, ſtudióq. acerrimo & ardentiſſimo, ſcilicet, vt proferrent notitiam Filij Dei Eccleſiæ ampliatione, & Orientem ereptum Tyrannidi blaſphemi dogmatis, & crudelis iugi Mahometici, vindicarent ac lucrarentur Chriſto: denique, vt pio conſeruata, ac multis præclaris monumentis illuſtrata, & communicata nobis doctrina primæ Eccleſiæ, viciſſim diſperſas tota Aſia reliquias Chriſtianorum, & ſine certa ſede, ſinéque publica doctrinæ voce, errantes, prædicatione verbi, & ſacramentorum libera, ſolennique adminiſtratione, colligerent rurſus conditis templis, vel repurgatis, inſtituto miniſterio, legibus, & iudiciis deſcriptis. Hæc enim vera fuit cauſſa, ſuſceptæ tam longæ, dificilis, & periculoſæ expeditionis: ad quam acceſſerunt & aliæ cauſſæ, quod huius ſacræ militiæ duces, dilacerationis, & ruinę patrię & conflictu inter ſeſe mutuo ciuium, collabentis, ſpectatores amplius & adiutores eſſe nollent, & quòd ſe abruptuTos inteſtina bella ſperarent, Germania milite hauſta.

Dux

Dux militiæ præcipuus fuit Godefridus Bilioneus Lotharingiæ Princeps, cuius induſtria, magnitudine animi, & virtute, Henricus quartus hactenus, in bellis ciuilibus, fuerat ſuperior, vir armis pariter, & conſilio, animóq; prõtiſſimus, & acerrimus. Hic impetrata miſſione ab imperatore, & conſenſu eiuſdem, ducatu paterno vendito, Epiſcopo Leodienſi, pecuniam omnem in belli apparatum inſumpſit, adiunctis ſibi fratribus Balduino, & Euſtathio. Acceſſerunt ad eum ex Germania, Gallia, & Italia: Robertus Flandriæ comes, è vetuſtiſſima Francorum ſtirpe: Hugo frater Philippi regis Francorum: Robertus dux Normannorum, Anglici regis filius: Boiëmũdus Tarẽtinorum Princeps Roberti Guiſcardi Normanni filius, & plures alij, quorum aliqui terra, aliqui claſſe ducem ſequuti, ſe ad Byzantium cæteris coniunxerunt.

Godefridus, contractis terreſtribus copiis vniuerſis, ex Lotharingis, Friſiis, Sueuis, Saxonibus, Francis & Bauaris, iter ingreſſus eſt, decima quinta die menſis Auguſti, anno Chriſti milleſimo, nonageſimo ſexto.

Præceſſerant Godefridum tres alij exercitus, numeroſiſſimi, & inſtructiſſimi, quorum primus, duce Petro Heremita, peragratis finibus Vngariæ, Bulgariæ, & Thraciæ, ſuperatóque Helleſponto, euaſerat in Aſiam; nullas, niſi à ſolis Bulgaris, paſſus iniurias. Hunc Solimannus Turcus, Niceæ Sultanus, totum ad internecionem iam ceciderat. Reliquos duos deleuerant Vngari, quorum poſtremus circiter ducenta peditum millia, & tria equitum millia habuiſſe traditur. Sequutus ergo Godefridus quartum exercitum Cõſtantinopolin vſque perduxit, ante anni finem, imperante Gręcis Alexio Comneno, quo, primo vere, & cæteri ſocij, claſſe, copias ſuas adduxerunt. Ibi, cùm, Græcis auxiliis, traductas in Aſiã copias vniuerſas, & ad Chalcedonem, quæ hodie Scutarium eſt, congregatas, atque ordine diſtributas, luſtraſſent, ſexcenta peditum milla equitum loricatorum cẽtum millia numerata ſunt; qui ſponte militatum profecti ſunt, ſuis ſtipendiis, pietatis ſtudio.

Imperabant tum toti Aſiæ interiori, Turci, a Ponto, ad mare mediterraneum, vſque ad Helleſpontum: eam, vix triginta, aut quadraginta annis, ante irruptiones noſtrorũ hominum, ſubegerant, excluſis Græcis, & Saracenis, & acciſa potentia Caliphæ vtriuſque; Babylonij, & Ægyptij: promouerant enim Imperij limites vſque in Palæſtinam, expugnata vrbe Hieroſolymorum, quam Ægyptius Cali-

pha poſtea recepit. In Syria eos ab Ægyptiis dirimebat Laodicea. Turcis autẽ, ſub id tempus, imperabat Belchiarochus, à primo Zadoco, quintus.

Prima igitur σύρραξις, in ipſo Aſiæ aditu, & quidem aſperrima ac difficillima fuit noſtris, cum acerrimo Turcorum Sultano Solimãno, qui Niceam Bithyniæ vrbem, Synodi Nicenæ memoria celebrem, firmo præſidio tutabatur contra Græcos. Hæc, poſt viginti ſex dierum obſidionem, vi effracta, captáque quinto Idus Junij, anno milleſimo, nonageſimo ſeptimo, felicitérque repulſo exercitu Solimanni, qui digreſſis ab vrbe incubuerat, reliquas Aſiæ prouincias Lycaoniam, Ciliciam, Syriam, Meſopotamiã, Comagenam, quatuor annorum ſpacio penè omnes partim cæſis, partim fugatis inde Turcis, perdomuerunt: qua celeritate, tantùm iniecerunt terrorem Saracenis, vt Calipha Ægyptius, deſperatione quadam, obuiam miſſis legatis, amicitiam, & fœdus petiuerit.

Antiochiam ad Orontem fluuium, nouem menſium difficili obſidione fatigatam, tandem proditione ceperũt, tertio Nonas Junij, anno Chriſti, milleſimo, nonageſimo octauo. Sed repentino, & improuiſo aduentu auxiliorum Perſicorum, quæ à Sultano Belchiarocho adduxit Cardagatus Perſa, rurſus intra vrbem, nullo commeatu inſtructam, concluſi, obſidionem ſuſtinuerunt, rerum neceſſariarum inopia, multò difficiliorem, quàm pertulerant hoſtes, cum natura ſcilicet luctati, ſimul & hoſtibus. Tandem, fame compulſi, ad dimicandum, magno auſu, conatúque, eruptione facta, & copiis Perſicis fuſis, fugatíſque, obſidionem ſoluerunt.

Hieroſolymam tùm Saraceni tenuerũt. Nam paulò ante, eam Turcis pulſis, receperant, cùm Turci, vt ſupra monui, Saracenis ademtam, poſſediſſent annos octo. Noſtri viciſſim Saracenis excuſſis, ceperunt eam Idibus Quintilibus, anni ſequentis, triginta octo dierum continua oppugnatione grauiter quaſſatam: cùm, penè deſperatis rebus, eſſent reuocati ad nouam aggreſſionem oſtento quod ex monte Olíueti, præfulgidi clypei agitatione, fecerat ſpem victoriæ. Ibi regni ſede conſtituta, conſentientibus ſententiis, regem Hieroſolymorum declararunt Godefridũ ducem, qui ſolẽni initiatus ritu, ſpinea, exemplo Chriſti Saluatoris, non aurea corona ornari voluit.

Occuparat, iã ante, Ciliciam, Comagenam & Meſopotamiam Balduinus, frater regis, qui Edeſſani comitis titulum

lum vſurpauit. Eſt enim Edeſſa Comagenæ ciuitas, quæ Rages dicta in hiſtoria Thobiæ, hodie Orphæ cognomine dignoſcitur. Tyberiam recens captam, beneficio regis obtinebat Tancredus, nepos Roberti Guiſcardi, ex ſorore. Syriam, ex Antiochia, adminiſtrabat Boëmundus: hæc in ſacris literis Reblata eſt.

Cùm ad hunc modum regni ſedes, & arx belli, in Hieroſolymorum vrbem collocata eſſet, deinceps in reliquam Palæſtinam, Syriam, & Phœnicum regionem, debellarunt circum circa Godefridi ſucceſſores. Ipſe enim, vno tantùm anno, rerum potitus, decimo quinto Cal. Auguſti, anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, fato functus eſt.

Godefrido ſucceſſit Balduinus frater, comes Edeſſanus, hic ad regnum euectus, ceſſit Edeſſam Balduino de Burgo, conſobrino, & Antipatridem, Cæſaream, Ptolemaidem, Tripolin, & Berythum vi expugnatas, regno adiecit, edita ingenti ſtrage Saracenorum.

Expugnatæ etiam tunc ſunt Apamea, & Laodicea, Syriæ vrbes, & Carræ Meſopotamicę, ex Abrahæ hiſtoria notæ, Tancredo, & Raimundo Toloſano ducibus. Deceſſit autem Balduinus, anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, decimo octauo, regni decimo octauo, poſtquam reuerſus eſſet ex AEgypto, capta inſula Pharo, quo tempore, repetiuerunt patriam Robertus Flandriæ comes, Euſtathius regis frater & Boiemundus Apulus.

Poſt Balduinum, tertius regnum poſſedit Balduinus de Burgo. Hoc rege, maturo, & ſalubri conſilio, inſtitutus eſt, Hieroſolymis, equeſtris ordo militiæ ſacræ, qui excubias ageret, pro Chriſtiano orbe, perpetuas, & regi adeſſet in reprimendis, & extirpandis hoſtibus, nouo regno infeſtis, finibúſque tutandis, & præſtaret, accedere terram ſanctam volētibus, tuta itinera, terra maríque, latronibus depulſis. Hic ordo, à profeſſione S. Johannis, nomen adeptus initio, poſtea dominorũ Rhodiorum titulo celebratior, notiórq; euaſit, cum plurimas maris mediterranei inſulas, bello domitas, perpetuò contra Saracenos, & Turcas, præſidio muniuiſſet, magno Europæ vniuerſæ cum cõmodo. Plurimũ enim profuit orbi Chriſtiano horũ equitum vigilantia, & virtus, dum viguit. Diu enim repreſſerunt hoſtes vtroſque magno ſucceſſu, adiuti vicinorum regum, & Imperatorũ auxiliis. Nunc deſerti ab omnibus, & Imperij Turcici circunfuſa potentia fracti, Rhodo amiſſa, ægrè ſeſe intra Melitæ inſulæ anguſtias tuentur, & ſuſtinent.

Cùm autem aſſiduè magna multitudo,certatim,partim religionis,partim militiæ cauſſa,in Palæſtinam cõuolaret, exemplo illorum , aliis ſimiliter ſeſe coniungentibus, nouæ duæ ibidem familiæ ſacrorum militum conditæ ſunt, Templariorum,& Teutonicorum. Feruebat enim in animis hominum ardor belligerandi pro gloria Dei , & Eccleſia , ſucceſſus creſcentis ſuperſtitionis opinione, & victoriarum exemplis.

Templarij cœperunt,authoribus, vt vocantur,Hugone de Paganis,& Ganfredo deS.Adelmar.Hi primò ad vrbem Hieroſolymam conſederunt , deſtinati adducendis tutò, reducendíſque iis , qui nauibus appulſi, peregrè,ad vrbem cõmearent,& remearent, vrbíque cuſtodiendæ. Nam limites longiùs ab vrbe tutabantur cæteri,cõtinentibus aduerſus hoſtes bellis. Sed breui tempore, in præcipua diſperſi regna orbis Chriſtiani , & pia , largáque beneficentia hominũ,immẽſis locupletati opibus, cùm ſeſe in aulas Principum inſinuaſſent , ita degenerarunt à ſua , maiorúmque virtute,grauitate, fide, priſtinóque inſtituto,vt,de tollendis illis, Principes cogitare oportuerit. Et quidem inita in illorum cædem conſilia , ſtructáſque inſidias, Monarchis miro ſilentio occultantibus , paſſim toto orbe Chriſtiano, penè vno momento,ſimul exciſi ſunt,atque extirpati vniuerſi,ducenteſimo ferè, ex quo cœperant,anno,imperante Henrico ſeptimo. Supremus familiæ magiſter ſedem habuit Hieroſolymis.

Teutonicorum familia, quos à profeſſione, & Symbolo,Marianos nominant, initium habuit ad Ptolemaidem, imperante Henrico VI.anno Chriſti , milleſimo , centeſimo, nonageſimo, decimo tertio , Calend. Decembris, authoribus quibuſdam ciuibus vrbium Bremæ, & Lubecæ, qui magnis ſumptibus ædificato , & inſtructo ibi xenodochio , in vſum eorum , qui familiæ inſererentur,poſtea cùm numerus creuiſſet, ceu colonias inde in Germaniam deduxerunt. Gubernatio familiæ commẽdata fuit cuidam Henrico Walpodio,qui primus munus, vt vocant,Magiſtri obiit. Nouæ coloniæ in Germania auctæ,& roboratę numero,opibúſq; ditatæ, Friderici ſecundi Imperio,Pruſſiam,& aliquantò antè,Liuoniam,domitis barbaris gentibus,Imperio adiecerunt,& diu exceptis,repreſſiſque feliciter ferarum gentium irruptionibus , velut murus , has regiones protexerunt,de quibus ſuo loco.

Conſilium inſtitutionis fuit optimum,& ſanctiſſimum,

quo

quo ſpectatum aliud nihil eſt, niſi plantatio, & propagatio Eccleſiæ in genere humano, & Imperij ampliatio. Quid verò poteſt ſuſcipi, geriq; pro gloria nominis diuini, laudabilius, iis operibus, quibus dilatatur Eccleſia, abolentur idola, multi adducuntur ad veram Dei agnitionem, exuitur barbaris feritas, & præſtatur defenſio? Conſilio etiam reſpondit euentus initiò: cùm ex vero zelo profecto, acres, & ardentes animorum impetus, homines pij, ad rem tantam adferrent, & conatus regeret, atque adiuuaret Deus. Sed, vt nihil eſt in rebus humanis perpetuum, aut durabile: ita, cùm pericula ſuperata eſſent, paulatim conſuetudine ex opum, & ocij abundantia, deciderunt hę familiæ à pietate, integritate, & fortitudine, in Epicureā ſecuritatem, luxum, mollitiem, & ignauiam: & nimio ſtudio ſuarum voluptatum, prorſus abiecerunt cūram Eccleſiæ, religionis, & diſciplinæ: in qua, vt rudis, & imperita multitudo rectè inſtitueretur, & aſſuefieret ad cultum humaniorem abducta ab idolis, & beluina feritate, præcipuè præſtare debebant.

Sequutæ ſunt ergo pœnæ, quas cernimus. Liuonia, quę, per annos ferè quingentos, virtutis Germanicæ pręmium, victoriarum de barbaris partarum trophęum, Imperij aduerſus eoſdem præſidium fuit, auulſa ab Imperio, diſcerpitur à vicinis regibus impunè. Pruſſia aliquantò ante periit. Sic acquiſita virtute, multóque maiorum ſanguine, flagitioſa ignauia perduntur.

Sed redeo ad reges Hieroſolymitanos, Balduinus depulit aliquot magnis præliis, ex parte vna Turcos, qui Damaſcum tenebant, ex altera Saracenos Ægyptios. Expugnauit Tyrum anno milleſimo, centeſimo, viceſimo quarto, tertio Calend. Julij: & poſtea Raphaneas in Caſſiotide. Deceſſit, anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, triceſimo primo, regni decimo tertio, vndecimo Calend. Septembris.

Hoc mortuo, Principes diſtracti diſſidiis, mulierum ambitione excitatis, cœperunt inter ſe belligerari, refrixit paulatim ardor pietatis, & elanguit virtus. Ita neq; virtus eſt diuturna, neque felicitas, & citò diſcedunt poſteri à veſtigiis, & exemplis maiorum. Creuerunt & diſſenſiones, belli duces defecerunt, & præſidia: mulieres adminiſtrationem rerum, & imperia, hæreditarij iuris prætextu, traxerunt ad ſeſe, & in quos deperierunt inſana libidine, eos ad regnum, per connubia, ſuſtulerunt. Ex his creuit animus hoſtibus acerrimis, & in omnes occaſiones rei geren-

dæ intentiſſimis,qui ſibi non defuerunt,& ſuis rebus.

Fulconem comitem Andegauenſium,Balduini generum, conſtitutũ in regno,contentiones domeſticę exercuerunt, motæ de Principatu Antiocheno.Interiit is anno Chriſti, milleſimo,centeſimo, quadrageſimo ſecundo,regni vndecimo,Idibus Nouemb.præcipiti lapſu concitati equi,terrę alliſus in venatione , ad Ptolemaidem,relictis impuberib. filiis,Balduino,& Almerico.

Balnuino impuberi auxilium tulerunt Conradus Sueuus Imperator terra,Ludouicus Francorum rex mari. Sed Imperator magnas in itinere perpeſſus clades, infeliciter tentata oppugnatione Damaſci,& Aſcalonis , domum, re infecta,miſerabiliter rediit,poſtquam amiſiſſet omnem exercitum,partim alieni,atque inſueti cœli iniuriis, partim itinerum difficultatibus,& commeatus penuria abſumtũ.

Aſcalonem tandem Balduinus deditione cepit.Is deceſſit in Berytho,Idibus Februarij,anno Chriſti,milleſimo,centeſimo,ſexageſimo ſecundo,regni viceſimo quarto.

Almericus frater Balduino ſucceſſit.Inuaſit Ægyptũ,dimicauit cum Saracone Suldano,qui,Ægypto recẽs occupata,abrogarat Caliphis Imperium,& ſucceſſore eius Saladino , ſed infeliciter. Suppetias tulit Almerico Fridericus Imperator,ſed ante res cõfectas , præpropera morte abreptus,animũ Saladino, quem,victoriarum ſucceſſu,ei ademerat,interitu ſuo reddidit. Deceſſit Almericus,anno milleſimo,centeſimo,ſeptuageſimo tertio, regni duodecimo, Idibus Iul. relicto Balduino filio impubere , qui elephantiaſi correptus,cùm de prole deſperaſſet,regẽ inſtituit Balduinum , Wilhelmi Longateſpatæ , marchionis Montiſferrati filium,nepotem ex ſorore Sibylla:cui , etſi Raimundum comitem Tripolitanum,teſtamẽto tutorem deſignarat:tamẽ Guido Luſignanus pueri vitricus,cui Sibylla Balduini mater,nupſerat,illo extruſo , in adminiſtrationem regni,& tandem priuigno mortuo,in regnum ipſum,vi,ſeſe ingeſſit. Ob quã rem, cum veniſſet in ſuſpicionem,dati puero veneni, bello petitus à Raimundo, attraxit Saladinum ex Ægypto,qui, vt fit,cùm inuitantur ad belli ſocietatem potentes,& infeſti vicini, oppreſſo vtroq.,magnas, rebus Chriſtianis,in Palæſtina , Syriáq; & Meſopotamia, clades intulit,& tandem regnum deſtruxit,acceptis in deditionem vrbibus,Ptolemaide, Azoto, & Berytho,& Aſcalone , ipſáque regia vrbe, oppugnatione vnius menſis, capta,anno Chriſti,milleſimo,centeſimo, octogeſimo ſepti-

mo,

mo,poſtridie Cal. Octobris,anno poſtquam à Godefrido occupata fuit,octogeſimo octauo.

Hic finis fuit regni Hieroſolymitani, verè heroica virtute,cõcordíque conatu primorum regum inſtaurati, vt terra ſancta repurgata ab inquinamentis blaſphemiæ Mahometicæ,rurſus fieret ſedes Eccleſiæ Dei,ambitione verò,& diſcordiis ſucceſſorum,proditi,atque euerſi.

In ipſo captę vrbis tumultu,Sibylla,cum quatuor liberis, occubuit,cuius ſoror Iſabella maritum habebat Honfredũ Toronium,à quo vi eam abripuit Cõradus, marchio Mõferratenſis,regnum ſibi,coniugis prætextu , vt vendicaret: ſed à ſicariis,quos Saraceni arſacidas vocant,in foro trucidatus eſt. Ita de ſtante,& florente regno,odiis,ambitione ac perfidia:de amiſſo,cædib.etiam certatum eſt. Marchionis Conradi crebrò meminerunt hiſtoriæ Græcæ. Magna enim illi cum Imperatoribus Orientis interceſſit coniunctio,ac neceſſitudo.Iſabellam Henricus Campaniæ comes Tyri dominus,ad ſe tranſtulit,ſed titulum regis Hieroſolymorum recuſauit,quod eundem ſibi,liberíſque ex Sibylla natis,arrogaret Guido Luſignanus. Hic, cùm Ricardum Angliæ regem,inclinatas,penéque collapſas res Chriſtianorum in Aſia,inſtauraturum,pecunia adiuuiſſet,Cyprum, quam Ricardus,recens Alexio Cõneno , Tyranno capto, relegatóque in exilium,occuparat,pro ea pecunia obtinuit. Huius poſteri tenuerunt Cyprum vſque ad Iacobum Luſignanum,regem vltimum:quo mortuo, Veneti,memoria patrum,Cyprum ſuam fecerunt,vidua,quæ Veneta mulier erat , è Corneliorum gente, exaggeratione periculorum, quæ à Turcis impenderent, perſuaſa, vt abdicato regno, cui nouum regem matrimonio erat inductura, in patriam reuerteretur.

Poſt Guidonem regnum Cypri, Americus frater excepit,adiecítque,ducta in vxorem vidua Iſabella, regni Hieroſolymitani titulum,& Tyri principatum. Hũc,quod negligentiùs adminiſtraret,reliquias Chriſtiani regni, in tanto rerum diſcrimine,Iohannes de Bregna, nobilis Gallus, Tyri dominatu exuit. Hic Iohannes iuuit Andream Vngariæ regem,Belæ tertij filium , Auſtriæque ducem,& comitem Niuernenſem,oppugnantes Damiatam Ægypti,in qua oppugnatione,ardenti tragula ictus, vſtulatúſque, induciis cum Sultano factis , rediit in Galliam, & regnum Hieroſolymorum , cum Iole filia,quam ex Iole , Conradi marchionis Montisferrati,& Iſabellæ filia ſuſceperat,dotis

loco tradidit Friderico ſecundo Imperatori, à quo titulus regni deuolutus eſt ad reges Neapolitanos. De hoc Friderico, & cæteris Imperatoribus, qui ante eum, res Chriſtianas, in Aſia, erigere, ac reſtituere conati ſunt, ſuo loco dicemus.

Nauarunt aliquid in his bellis, reſp. Italicæ, Veneta, Genuenſis, & Piſana, quæ tunc opibus antecellebant, & virib. ſed eo conſilio, & euentu, vt belli ſumtus, labores & pericula deriuarint in ſocios: præmia, & fructus tranſtulerint ad ſeſe, potitis & præreptis, interceptíſve tota Syria ſpoliis, è quibus peramplæ eis opes acceſſerunt, & maris Imperio, quo confirmatæ ſunt vires, quarum fiducia, & mouerunt multa deinceps, & Veneti, cæteris oppreſſis, Italiæ Imperium affectare ſunt auſi, quòd eſſet Imperatorum potẽtia, Pontificum artibus languefacta.

Latè dominatæ ſunt in mari hæ reſpub. poſt excluſos, ab hoſtibus, tota Aſia, Chriſtianos. Genuenſium Imperiũ, tota mari incõmodè diſperſum, ad ipſam vſque Tauricã Cherſoneſum ſeſe extendit, per Ægeum mare, Helleſpontum, Boſphorum Thracium, & Pontum Euxinum. Diu enim tenuerunt Capham, celebre in Taurica emporium, quæ eſt Theodoſia veterum, & defenderunt fortiter Byzantini Imperij limites, vrbémque ipſam, contra augeſcentem, & ex propinquo vndique imminentem Turcorum potentiam. Corſicæ, & Chio inſulis adhuc hodie imperant.

Veneti rectiore conſilio, ex Creta, quæ nunc Cãdia eſt, Iſtriæ, Illyricóque, peropportuna ad firmum, ſtabiléq. Imperium commoditate, coniunxerũt Peloponneſum, & Cycladas inſulas, longo tractu, Theſſalonicam vſque, ex parte vna: ex altera, Ionij maris inſulas, & littora. Sed citò aliena virtute parta opulentia, in æmulationem abiit, æmulatio in bellum exarſit: quod, cùm ad Ptolemaidem, ex leuibus initiis natum eſſet, Piſanis oppreſſis, reliquas duas, longo tempore exercuit. Diu enim, inter ſe, de maris Imperio decertarunt, vario euentu, quaternis vicibus bello redintegrato, donec Genuenſes ad extremum, magno prælio victi, ad Metonem, Imperium maris Venetis reliquerunt.

IMPE-

IMPERATORES ORIENTIS vſque ad Francos.

CALOIOANNES, ALEXII Comneni filius.

IMperatores Orientis,pro innata genti malitia,penè plus nocuerunt rebus Chriſtianis, in Aſia, occulta perfidia, quàm hoſtes,vi manifeſta. Nã,ne progredi poſſent,ſéque cõfirmare, impediuerunt,vbicunque fuit occaſio,cõmeatu aut denegato,aut interuerſo,aut infecto & adulterato,auxiliis interceptis, clam inſtigatis, ſi quieſcerent, atque adiutis hoſtibus,vel Chriſtianis,ſpe amicitiæ,aut fictis occaſionibus,rei cõtra Barbaros gerẽdæ,in diſcrimen adductis: denique depopulatione occupatarum prouinciarum,amicitias,& fœdera fide dubia, coluerunt, extimeſcentes, ſuſpicaci metu, efflореſcentem potentiam nouorum hoſpitum,& inuidentes gloriæ, ac ſucceſſibus eorundem,& dolentes, ab exteris & alienis, quaſi præ foribus intercipi, quæ, non multò ante, maioribus, barbarorum violentia extorta,reditura ad ſeſe ſperabant.

Accidit autem hoc ipſum paulò poſt, vt excuterentur à Francis.Ferè enim,aut in ea nos mala præcipitamus ipſi, quibus occurrere,immaturis conſiliis, quæque,aut virium humanarum,aut ſapiẽtiæ,vel calliditatis fiducia, ſine Deo amoliri, ac depellere conamur: aut, cum fatalibus vrgemur pœnis,dũ contra fata mirifico, vt videtur,aſtu,apparatúque,tendimus,in fata ipſa ruimus, vt apud Platonem dicitur,fugientes fumũ ſeruitutis,in ignem ſeruum incidimus.Sed nec Franci diu imperarunt,aſtutis leuiũ ingeniorum artibus,euerſi: quod incertæ dubiæque beneuolentiæ fiducia,nimium ſeſe, & aperirent, & crederent animo,ſtudióque alieniſſimis, ex ſuarum naturarum ſimplicitate, & rectitudine, illorum ſubdola,& fraudulenta ingenia non rectè æſtimantes.

Vituperatur præcipuè Alexij Cõneni perfidia: huic Caloioãnes filius ſucceſſit,patre,& victoriis bellicis,& opibus ſuperior,vir melior. Nam in Aſia Turcos repreſſit,in Europa Scythas,Tartaros Thracia,Macedoniáque expulit,in quas, Alexio Comneno imperante, ex ſeptentrione inuolarant,tantis agminibus, vt locuſtarum inſtar,omnia obruerint,atque compleuerint.Hæc Tartarorum,quos Græci vniuerſos, veteri nomine, Scythas appellant,prima fuit in

Europam irruptio:inde,per Vngariam effuſi, Poloniam,& magnam Sileſiæ partem, celeri,per loca plana,atque expedita,progreſſu, cædibus,incendiis,rapinis,ac deprædationibus horribiliter peruaſtarunt. Paulò ante,per Caſpias portas,Aſiam adorti,tentarant regnum Turcicum, ad Põtum. Sed de his infra plura, Tartaris ſummotis,bellum fecit Hunnis,quibus ad Saui,Iſtríque cõfluentem, profligatis, prope Belgradum,in loco nobilitato ſtrage Frãcorum, quos,in Aſiam militatum profecturos,ab Vngaris diximus eſſe cæſos, φραγγοχώριον enim nominatum in hiſtoriis reperio: tunc ergo bonam inferioris Pannoniæ partem edomuit. Legatos miſit ad Lotharium Saxonem,gratulatum, depulſo ex Apulia Rogerio. Poſtea & cum Conrado Sueuo fœdus fecit,& affinitatem contraxit, dato filio Manueli in vxorem ſorore Gertrudis, coniugis Conradi, filia cõmiti- Sultzbachici.

A Raimundo Principe Antiocheno,emit vrbem Antiochiam,cùm eſſet pecunioſus:hanc occupaturus,cùm prohiberetur ab Epiſcopo Gabulenſi, iratus, Syriã depopulatus eſt. In reditu,vbi Cilicum fines attigiſſet,memorabili exitu vitam finiit,manu, ad digitum minimum,venenatæ ſagittæ illapſu, ſtrictim læſa, quam, vna cum aliis,aper ab eo ſauciatus, ſubito inſultu, pharetra excuſſerat, ex læſa parte veneno celeriter in omnes corporis partes diſcurrente. Locum,in quo id accidit,Coruorum nidos cognominatum fuiſſe,& ambiguo oraculo, indicatum tradunt: ὦ πῶς γλυκίστη βεζῦμα δύγνων κοράκων Fuit enim gẽs Gręca dedita plurimùm,atque addicta χρησμολόγοις, qui Magiam,prętextu diuinatricis phyſicæ,exercuerunt. Ab his,ſicut antiquitus,ab oraculis,reſponſa petita ſunt,vt fit,extincta vera inuocatione,& corrupta doctrina Eccleſię. Deceſſit,cùm imperaſſet,ſecũdùm Nicetam, annos viginti quatuor:ſecundum alios,viginti quinque,mẽſes octo. Filios habuit quatuor,quorum duo Alexius,& Andronicus, obierunt viuo patre:de duobus reliquis Manuelem natu minimum, maiori Iſaacio, tanquam ad gubernacula parum idoneo,prætulit.

MANVEL COMNENVS.

Manuelem hunc humili natum loco, & Tryphonis cognomine, à pueris deriſum, ſunt qui vxorem Alexij principis,ob conſuetudinem interiorem, ad Imperium extuliſſe prodiderunt. Nicetas ex Caloioanne natum ſcribit. Princeps fuit ingenioſus,leuis,turbulẽtus,infidus,per-

fidioſus,

ſidioſus, infelix, ſed eloquens, exercitatus in diſciplinis, amãs ſophiſtices, & nouarũ opinionum, in diſputando acer, & curioſus. Venetos bello laceſſitos, cùm ſuſtinere non poſset, reſtitutione eorum quæ eripuerat, rurſus placauit. Conradum Sueuũ Imperatorem cum ad fœdus, & amicitiã inuitaſset, propter affinitatem, pollicitationibus blandiſſimis poſtea, fiducia amicitiæ, ſecuriùs ſe, tranſmiſso Helleſponto, Aſiæ committentem, inſigni perfidia, penè grauius hoſtibus ipſis afflixit, ferro, fraude, & veneno, exercitum depopulatus. Magnam enim partem eius perdidit, ſubmiſſis panibus, qui parati erant ex farina infecta commoliti gypſi tenuiſſimo puluere. Huius perfidiæ pœnas Rogerius Siciliæ rex, bello perſequutus, Corcyra, AEtolia, Acarnania, Corintho, & Acrocorintho, partim vi, partim deditione captis, atque direptis, claſsẽ regiæ vrbi admouit, & impetu in eam facto, ſuburbia flammis iniectis exuſſit, ægrè ſeſe, cùm Imperij titulo, intra mœnia Imperatore conſeruante. Pax demum inter vtrumque, Romano Pontifice conciliante, facta eſt.

Cum Scythis etiam, Turcis, Perſis, & Hungaris ei res fuit, ſed raró ſucceſsu.

Curioſitate naturæ, & ingenij leuitate, multa turbauit in doctrina Eccleſiæ. Cùm enim, & ingenio valeret, & eloquentia, & delectaretur monſtroſis opinionibus, atque oſtentatione ingenij in diſputationum cõflictibus, nouis, ac ſophiſticis interpretationibus, multa Eccleſię dogmata, quæ per ſe, plana fuerunt, atque explicata, labefactauit, & implicuit, præſertim de Filio Dei, nato ex Maria virgine, déque his, in conſeſsu Epiſcoporum, motis controuerſiis, diſseruit, ac declarationibus veteribus repudiatis, vt illos, quib. cum conflictari libuit, exerceret, affinxit noua, καὶ σοφὰ φάρμακα, iam olim condemnatis erroribus, audacia tanta, vt Mahometicas blaſphemias, etiã præſtigiis ſpecioſis, lenire, molliréque veritus non ſit, & hæc, aliáq; his ſimilia, excuſarit, verum eſſe Deum, τὸν ὁλοσφυρὸν, τὸν μὴ γεγεννημένον, ἢ γεννήσαντα θεὸν. Quod, etſi ingenij ludus eſſe debuit, indignum tamẽ Chriſtiano fuit Principe, & malitioſæ leuitatis argumentum. Fuit enim Ethnicis etiam ἐχθρὰ σοφία, λοιδορῆσαι θεὸν, ſiue ioco id fiat, ſiue ſeriò.

Agitata tunc eſt & quæſtio, de oblatione, quæ fit in Miſſa, pro viuis, & mortuis: profecta, ſine dubio, ex ſcholis Latinorum, & in Græciam à Monachis introducta. Diſputatum eſt de verbis canonis Græci, qui verecundiùs loqui-

tur, quàm Latinus Canon, τὸν ἐσταυρωμένον θεὸν προσφέρειν τε ὁμοῦ καὶ προσφέρεσθαι, quod in Miſſa Filius Dei offerat ſeſe Patri, offeratur manu ſacerdotis, ſicut obtulit ſeſe in cruce, pro peccatis generis humani. Cui figmento, quotquot contradixerunt, ſacro ordine moti, & extorres acti ſunt. Nam eò vſq; iã perſuaſio falſa de idololatrico cultu, & Miſſa theatrica, & huius, pro viuis, & mortuis, applicatione, proceſſerat; vt non audirentur euidentia doctrinæ ſacræ teſtimonia: quæ & vnica oblatione, Filij Dei, conſummata eſſe omnia, teſte Paulo ad Hebræos, & beneficiorum omnium Filij Dei applicationem, vnicuique fieri, fide propria, conuincunt, & hæc blaſphema commenta redarguunt, ſed vt pluris fieret conſuetudo, qua cœna Domini, magna ex parte, ad mortuos tranſlata, & horribili idolomania contaminata eſt.

Manuel Imperio, cui præfuit annos triginta octo, ſponte relicto, incluſit ſeſe in monaſterium, in quo, non ita multò poſt, iam ſexagenarius, obiit. Imperij finem, hoc verſu, ei prædictum, tradunt.

Ἀλλ' ὑστάτη σε κερδαίνει λάζη λόγου.

Poſtremæ enim literæ nominis Μανουὴλ, Græcis, triginta octo, ſignificant. Vxores habuit duas, vnam, de qua ſupra dixi, Germanam, ſororem coniugis Conradi Imperatoris: alteram Conſtantiam, filiam Raimundi Antiocheni principis, ex qua reliquit ſucceſſorem.

ALEXIVS COMNENVS.

ALEXIVM filium pater, regno decedens, puerum, prorſus Andronici patruelis tutelæ commendauit. Hic Andronicus ſtatim, vt in Imperium ingreſſus eſt, amouit æmulos omnes, quos impedituros ſuſpicabatur, ne, quod animo conceperat, de Imperij raptu, perficeret: móxque omni metu liberatus, Alexium quoque pupillum, Imperij hæredem, cùm vix annum attigiſſet decimum quintum, neruo arcu eliſo, immaniter ſtrangulatum, incluſúmque arcæ plumbeæ, demerſit in mare, acclamantibus cædis ſociis, velut ἐπινίκιον ᾆσμα, Homericum illud:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

ANDRONICVS COMNENVS.

ANdronicus, iugulato Alexio, rerum potitus, deſponſatam illi Annam regis Francorum filiam, in vxorem duxit. Vir fraudulenta calliditate, & lupina ſæuitia, nulli ſecundus. Nam & ſuos, & Alexij patruelis conſanguineos, amicóſ-

amicóſque, quoſcunque arripuit, vel crudelibus ſuppliciis tortos, enecauit, vel oculis priuauit. In Nicenos, & Pruſaenſes, qui Theodoro Cantacuzeno, & Iſaaco Angelo adhæſerant, cùm ſeſe, poſt Cantacuzeni, viri impigri, & ſtrenui, interitũ, dedidiſſent, nullum crudelitatis genus prętermiſit. Cũ Theſſalonicenſibus egit paulò mitiùs, deprecante Epiſcopo Euſtachio, viro doctiſſimo, cuius extant in Homerũ commentarij. Iſaacium Angelum recepit in gratiam. Bello petitus à Wilhelmo Sicilię rege, vindicaturo iniuſtam cædem impuberis Alexij, & prælio victus, cùm, ob immanem ſæuitiam, publico flagraret odio, Angelo, quem ad ſupplicium corripi mandarat, ſeditionem concitante, dum fugam parat, comprehenſus eſt, mutilatúſque altera manu, & oculo, & ſcabro camelo, facie ad poſticam verſa, per vrbem circumductus, vulgíq; tumultu, vncis, & harpagonibus penè fruſtillatim concerptus, pœnas dedit parricidij, raptæ tyrannidis, & iniuſtæ ſæuitiæ, cùm biennio rebus præfuiſſet. Odium, quo laborauit pater, & crudelitatis ab illo vſurpatæ pœnas, expiarunt & filij, Johannes, & Manuel oculis capti, nulla ſua culpa, ſed propter patris tyrannidem.

Ita, propter ſcelera parentum, graſſantur pœnæ publicæ, in totas familias, non vno tempore, ſed multis interdum ſeculis, ſicut de iuſtitia diuina concionatur vox Decalogi: Viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem: & congruunt ad hanc veteres verſus, de talibus pœnis:

Ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσι
Εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήματι βαίνει.

Pleuæ ſunt hiſtoriæ exemplis calamitoſarum familiarum, vbi parentum ſcelera, pœnas poſteris attraxerunt, quæ in plurimos vagatæ ſunt, & totas abſumſerunt ſtirpes, aut perpetuis exiliis diſſiparunt, quale eſt exemplum OEdipi Thebani, & ſimilium.

ISAACIVS ANGELVS.

Iſaacium Byzantini collocarunt ad gubernacula, deſtinatis, ab Andronico tyranno, ſuppliciis ereptum. Hic ſimulatione iuſtitiæ, & moderationis, cùm eſſet natura timidiſſimus, & idcirco truculentus, ac ſæuus, initio res afflictas Byzantinorum rurſus erexit aliquantulum, & exiliis deſolatam vrbem ab Andronico, exulibus reſtitutis, inſtaurauit. Bellũ mouit in Siculos, qui Theſſalia occupata, & expugnata Amphipoli, vrbi ipſi, & Imperio immine-

bant, accitis in ſocietatem belli Alanis, in quo bello, claſſe Sicula ad Theſſalonicam diſſipata, exercitus partẽ mari fuga excluſam, fame necauit, captis ducib. Richardo, & Balduino comite. Sed poſtea cum Wilhelmo rege Siculo, vltionem meditante, pacem fecit.

In Walachos, quos & Blachos nominant Græci ſcriptores: in hos ergo, nouis defectionibus Imperium detrectantes, aliquoties infeliciter mouit. Inſignibus enim cladibus repulſus eſt. Primùm autem, quantum ego memini, nominantur Walachi in hac hiſtoria, quorum nomẽ, quo tempore, & quibus occaſionibus innotuerit, aut quando gens ipſa, in ea intra Tyram, & Iſtrum regione, conſederit, certò non ſcio. Inhabitat enim veterem Daciam, quam poſtea tenuerunt Gotti. Ea diuidebatur antiquitùs, à Sarmatiæ parte, vbi hodie ſunt Ruſſia, & Podolia, flumine Tyra, quem incolæ Neſtrum appellant. Ab occidente ſole, attingebat Iazygas Metanaſtas, quorum regionem Tranſſyluani poſſident. Ad orientem, diſtinguebatur ab inferiore Mœſia, quæ Bulgaria eſt, Hieraſſo, quem Prutum nominant, & Iſtro fluuiis. Ad meridiem, à ſuperiore Mœſia, quæ nunc Boſna eſt Seruia, diſiungebatur Iſtro.

De origine ergo gentis, mihi videtur non abſimile eſſe vero, quod Imperatores Orientis, poſt ſummotos inde partim, partim exciſos Gottos, agros illos, veteri more, diſtribuerint veteranis militibus, & vt ſtipendia his exoluerent, & vt per eos, à finibus Imperij, ex ea parte, arcerent tumultuantes Sarmatas. Inter illos, plurimos fuiſſe Romanos, lingua argumento eſt, quæ ex latina eſt deprauata. Ab his Romanis profectum eſſe Walachorum nomen, vicinis in Tranſſyluania Gottis authoribus, qui Italos, Germanica conſuetudine, Wallios nominarunt, conſentaneum eſt. Nam, quod à Flacco quodam, eorum præfecto, nomen tractum eſse nonnulli fingunt, fabuloſum prorſus eſt.

Latuerunt autem Walachi, quàm diu quieti Conſtantinopolitanis Imperatoribus paruerunt, & viciſſim inclaruerunt, cùm admixtione Sarmatarum aucti, & ab iiſdem incitati, recuſare Imperium cœperunt. Eoſdem, Sarmatis ductoribus Lituaniam, indéque Liuoniam, & vicinam Boruſſiam, nouis colonis, mixtim compleuiſse, teſtantur veteris linguæ veſtigia, quæ latinitatem referunt.

Poſteriori tempore Walachorum vna gens, in duas eſt partes diuulſa, dominatu diſtincto; ſúntque, qui ad orientem, & ſeptentrionem habitant, Podoliæ finitimi, Wala-

chi,

chi, antiquo nomine; cæteri ad meridiem, & Tranſſyluaniam, Muldaui, nouo nomine appellati, etſi aliqui nomina permutantes, Walachos hos, Muldauos illos vocare malunt.

In Alexium Comnenum Cypri Tyrannum, nauiganti, claſſem tempeſtas diſiecit, & ad ſcopulos alliſſam confregit. Hunc Alexiũ anno proximè ſequente Richardus Angliæ rex, oppugnata inſula, cepit, & abduxit; de quo ſupra dictum eſt. Fridericum Barbaroſſam ad Helleſpontum, aditu Aſiæ, & traiectu prohibiturus, aliquot aduerſis præliis caſtigatus, à bello deſiit, initáque cum eo amicitia, & obſidibus confirmata, progredientem commeatu iuuit.

Domi occultis aliquorum conſpirationibus, & apertis etiam ſeditionibus quorundam Imperio inſidiantium, irritatus, metu inſidiarum, & inopia, ad crudelitatem ſe cõuertit, & rapacitatem, quibus cùm odia ſuorum cõflaſſet, à fratre, quem à Turcis captum, multo auro redemerat, Imperio, & oculis priuatus, atque in ſordidum carcerem detruſus, de illa ſpe decidit, qua, ex falſo oraculi promiſſo, Imperium in annos triginta duos ſibi deſponderat; cùm imperaſſet annos nouẽ, menſes octo. Poſtea è carcere per filium extractus, cùm inſueti aëris nouitatem, & aſperitatem ferre non poſſet, morbo contracto, interiit.

ALEXIVS ANGELVS.

NOn diu fraude, & parricidio raptum Imperium, tenuit Alexius, cùm natura meticuloſus eſſet, & ignauus, totúmque ſe in voluptates effudiſſet, neglectis vicinis Walachis, & Scythis. Nam Iſaacij filius, Alexius, cui mortem machinatus erat, concitatis in exilio Francis, & Venetis, quorum in vicinia tunc erant vires validiſſimæ, & horum ope, vrbe ferro, flammáque expugnata, fugatóque patruo, Imperium recuperauit, occaſione tali: Moturi in Aſiam aduerſus Turcos, & Saracenos, Bonifacius marchio Mõtisferrati, Balduinus Flandriæ, & Henricus S. Pauli comites, & cum his Allobrogum dux, conuenerant Venetiis, cúmque, interueniente mora, belli ſumtus exhauſiſſent, petiuerunt à Senatu Veneto pecuniam mutuò, quæ data eſt eis, cum promiſſo maioris pecuniæ, certis conditionibus, ſi rempub. occupatam bello Iſtriano, & oppugnatione Iaderæ vrbis, iuuare vellent. Quas illi conditiones cùm accepiſſent, obſidio Iaderæ tentata, ſed opinione omnium longiùs protracta eſt. Circumſidentibus vrbem, ſuperuenit Alexius, Iſaaci filius, qui patrui ſce-

leratas manus effugerat,& multa queſtus de huius crudelitate, cæcitatem patris, ſordes, & ſqualorem carceris, ſuum exilium, multa etiam, ſi reduceretur, pollicitus, auxilia impetrauit. Claſſis ergo ex Dalmatia ad Boſphorum Thracium adducta: ſinus, qui Peram à Byzantio, quinquaginta ſtadiorum interuallo, dirimit, rupta, quæ obtenſa fuit, catena ferrea, occupatus: vrbs deditione capta, & Alexio Juniori reddita eſt, iis, quibus inter eos conuenerat, conditionibus. Alter Alexius Debelatum profugit, auectis ſecum theſauris Imperij, cùm imperaſſet annos octo, menſes tres, dies decem, & irrito conatu, Imperium deinceps repetiuit.

ALEXIVS JVNIOR.

SEd nec Alexij Junioris diuturnũ fuit Imperiũ, quem inuiſum ſuis reddidit ſeu timiditas, ſeu ignauia, ſeu potius ſuſpicio de colluſione cum Francis, & Venetis, quos cenſuerat non laceſſendos bello, ſed auro placandos eſſe; Byzantiis vociferantibus ignauia, & perfidia Imperatoris fieri, quod per Græcorum prouincias, ínque ipſo vrbis conſpectu, impunè graſſarentur, nemine vindicante. Quare illi, per ſeditionem repulſo, datus eſt ſucceſſor Nicolaus Canabus, aliquantò minus ad Imperium idoneus Alexio. Hac occaſione, Alexius Ducas, cognomẽto Murzuphilus, ob coniuncta, ac velut oculis imminẽtia ſupercilia, homo ſubdolus & ſceleratus, Alexiũ, amicitiæ ſpecie, ad ſe, fraude, traductum, tanquam eum contra iniurias defenſurus eſſet, inſanienti: plebi vinciendum obiecit: alterum Nicolaum, paucorum ſubnixũ ſtudiis, per ſuos ſatellites, præſidio diffugiente, cepit, atque ita amoto vtroque Imperium inuaſit. Alexio, bis potu veneni fruſtra tentato, laqueo guttur ſua manu eliſit, menſe Imperij ſexto, die octauo, Ipſe, cum exercitu, Balduinum Flandriæ comitem adortus, qui cum exercitu non procul aberat, ſed repulſus, ac Venetis, duce Dandalo, perſequentibus, intra vrbem compulſus, & obſidione cinctus, cùm de vrbis defenſione deſperaret, clàm ſeſe ex vrbe ſubduxit, fuga vitam conſeruaturus. Obſidio terra maríque in diem octauum, & ſexageſimum continuata eſt, cui finem impoſuit, inſana, intra vrbem, de Imperio cõtentio, inter Theodorum Ducam, & Laſcarem. His enim inter ſe digladiantibus, vrbs capta, direpta, incenſáque, maiore ſui parte conflagrauit. Tyrannus Murzuphilus deinceps, in Peloponneſo comprehenſus, perductúſque Conſtantinopolin, & poſt exculptos oculos,

culos,

culos,de turri pręcipitatus,promiſcua plebe in cadauer deſæuiente,fruſtillatim eſt conciſus.

Vrbe recepta, cõuenit inter proceres,vt quindecim viri crearentur, quibus eligendi Imperatoris poteſtas foret,atque illud expreſſum eſt , vt ſi Veneti nominis Imperator declaratus non eſſet,quem ipſi vellẽt , è ſua gente,Patriarcham vrbi darent.Ita Flandrenſis,& Sancti Pauli comites quinos:Monferratenſis & Allobrogum duces totidem deſignauerunt. Reliquos adiecerunt Veneti. Horum ſuffragiis,ad Balduinum Flandriæ comitem Imperium delatum eſt.Eidem dimidium vrbis,prouinciarum,vectigalium,rerúmque omnium , quas ex fœdere communi bello acquiſiuerant, attributum eſt. Pacato ciuitatis ſtatu,caſtra in Thraciam promota, quęque intra Byzantium,& Hadrianopolin comprehenduntur , in deditionem accepta ſunt. Balduinus,vt ſociis, quæ ex fœdere decreta erant,exoluerentur,Bonifacium marchionem,Theſſaliæ regem declarauit.Veneto Cretam inſulam , quam dono Alexij Angeli Bonifacius conſequutus erat, attribuit, Bonifacio cedente:quæ res,primam æmulationi inter Venetos,& Genuenſes,cauſſam dedit.

Ita à Græcis ad Francos Imperiũ Oriẽtis eſt tranſlatũ, in quo,vt ſupra dixi,præter exempla iudicij diuini, aduerſus idololatriam , libidines, perfidiam,tyrannidem, parricidia , prætérque tragicos exitus tyrannorum , penè conſideratu dignum nihil eſt. Sed illuſtria proponuntur teſtimonia prouidentiæ , bonitatis , ac miſericordiæ diuinæ, quod , cùm voluerit Deus , aliquid eſſe reliquum, propter Eccleſiam,tulit clementer illa contaminatiſſima, & flagitioſiſſima portenta generis humani , ac pœnas publicas mitigauit,& prorogauit , & ne ante præfinitam diuinitùs metam , interiret Imperium , excitauit interdum aliquos mediocres principes , qui prudentia,& virtute, velut lacinias corroſæ , ac diffluentis tunicæ, rurſus aliquantulum conſuerunt,ac ſarciuerunt.

IMPERATORES OCCIDENTIS ex veterum Gibellinorum ſtirpe,in Sueuia.

NIl magis inimicum eſſe , atque infeſtum , nec pernicioſum magis Eccleſiæ,& reipublic.ſuperba tyrannide ſacerdotum , cum diſcedentes à verbo Dei , & ſuæ

vocationis metis, transformant miniſterium Euangelij in Monarchiam politicam, & falſo miniſterij prætextu, abuſúque rapiunt, exercéntque poteſtatem, in quoſcunque, ſuo libitu; didicit orbis Chriſtianus, hiſce annis quingentis, poſt Henricorum bella, quibus vicit, & regnauit tyrannis Pontificũ. Sed grauiorem hanc tyrannidem Monarchæ ſenſerunt, quàm cæteri, quo maior illorum potentia fuit, & Põtificibus formidabilior, ſi vires reciperet. Hanc, quibus artibus oppugnare, ſemel inclinatam perrexerint; exempla Sueuorum oſtendunt; quibus Imperium capeſſentibus, Germania fracta, feſſáque bellis ciuilibus, atq; exarmata, vix ægrè conſiſtebat. Non deſtiterunt tamen Pontifices impellere eam, turbaréque nouis ſeditionibus; quas, cùm domi, ſingulari prudentia, moderatione, dexteritate, ac felicitate ſedarent noui Imperatores, quorum fuit affectio erga miſeram, & miſerè perditam patriam, verè paterna; ſanaréntque antiqua vulnera, & firmarent, ac ſolidarent pacem, furor Pontificum, Italiam commouere, incitare, & attrahere exteros reges, diris & execrationibus, alienare ab Imperatoribus ſtudia orbis Chriſtiani, & hos externis, ac domeſticis bellis implicare cœpit, ne vnquam orbi Chriſtiano quies contingeret, & tranquillitas. Hi ſcilicet nouæ tyrannidis, nouæque religionis fuerunt fructus. Nam, quæ ſolam antea Germaniam exercuerant bella ciuilia, inde in vniuerſa orbis Chriſtiani exundarunt regna, Pontificum conſiliis, & artibus ceu diſſeminata.

Eleuata eſt, & in contemtum adducta, apud vicinos reges, authoritas Imperatorum, & incitati ſunt hi, vt illis cum rabie Pontificum conflictantibus, paulatim ſeſe ab obedientiæ, & veterum pactorum legibus, ſubducerent, & ab Imperio auellerent, cui certis conditionibus, ita paruerant hactenus, vt annua tributa, ſubiectionis teſtificandæ cauſſa pendere ſint coacti. Hæc tributa Imperatoribus detracta, & controuerſias omnes inter vicinos reges Pontifices ad ſe, tanquam ſupremum orbis Chriſtiani iudicem, tranſtulerunt; quod non ſolùm opum, ſed multò magis authoritatis cauſſa, Romanis profuit, & regibus, libertatis nomine, fuit gratiſſimum. Imperare enim regibus Monarchæ, & conſenſum, atque coniunctas vires orbis Chriſtiani, augeſcenti potentiæ Pontificum opponere amplius non potuerunt.

Sed & regibus ipſis, noui compedes, & noua ſunt vincula commentitiæ ſuperſtitionis terriculamentis, & Epiſco-

porum,

porum, Monachorúmque ſatellitio, circundata, quibus, ſi metu Imperatorum ſoluti, diſcedere ab obedientia Romanæ ſedis vellent, reduci intra carceres, & coerceri poſſent. Denique cogitatum, tentatúmque id omne eſt, quod Imperatores frangeret, Pontifices augeret.

Tandem & cõmiſſi ſunt cum Imperatoribus reges inter ſeſe, ita vt nullus penè fuerit, in orbe Chriſtiano, angulus, qui non ex religioſa tyrannide Pontificum, ſuo ſit cruore reſperſus. Denique, impediti ſunt honeſtiſsimi conatus, optimorũ principum aduerſus Turcos, & Saracenos, potẽtiſsimos, ac ſæuiſsimos Chriſtiani nominis hoſtes, quos, ſi, tunc, vt feliciter cœperãt, procul à finibus Chriſtianorum, in Aſia, compreſsiſſent, non inſultantes nobis, ſucceſſu victoriarum, & graſſantes cædibus, in viſcera noſtra, ceruicibúſque noſtris, triſtiſsimæ ſeruitutis iugum intentantes, in ipſa Germania ſpectaſſemus.

Sed ſola Pontificum perfidia eliſit conatus optimos, qui Imperatores ex medio, & proſperrimo bellorum curſu, perniciosiſsimis ſeditionib. retraxerũt, vnde creuit animus hoſtibus & potentia, magno, perpetuóque cum dedecore, & cum detrimento multò maiore, Chriſtiani orbis.

Sed cur ceſſerũt, inquies, Põtificibus Monarchę? Cur nõ immoderatam tyrãnidem maturè, priuſquam vires acquireret, ac roboraretur, contuderunt? Cur iniuſtã & impiam ſeruitutem Eccleſiæ, & reipubl. imponi ſunt paſsi? Ceſſerũt victi non metu, non imbecillitate animorum, non magnitudine periculorum, etſi ruinam patriæ, tot ciuium lanienas, tot præſtantium heroum interitus, ſpectare, graue fuit, ſed honeſtâ, de religione, opinione, quæ ex confirmatis erroribus illorum temporum, in animis faſcinatis ſuperſtitione, penè obſtinata, dominabatur, cuius, omni tempore, apud bene inſtitutos, magna vis fuit, vndecunque oriatur, & quibuſcunque nitatur fundamentis, modò ſpecie religioſa ſeſe venditet, oculóſque, & animos, aliquo numinis diuini ſenſu, imbuat: quæ Ethnicorum animos pupugit, & flexit. Religionis ergo opinio expugnauit optimos Principes, quod aliter illis perſuaſum non eſſet, quàm vt oſtendebatur, & iactabatur, piè, rectéque fieri, & ex ſententia diuinæ voluntatis, in doctrina ſacra expreſſæ, quæcunque à Pontificibus proponerentur, & ſuſciperentur. Hoc titulo enim fiebant omnia, cui non cedere, piaculum eſſe ducebatur.

Hæc perſuaſio poſtea magis auxit Pontificum audaciã,

& impudentiam, & ad ea molienda, ſtatuendáque impulit, quæ ruinam Eccleſiæ, & Imperio attulerunt, quòd ſuperſtitione falſa, & impia, vinctis vulgi animis, Principes iniurias Pontificum diſſimulare cogerentur: inter priuatos reperirentur pauci, qui, aut hiſcere contra auderẽt, aut impietatem decretorum Pontificiorum, cum ſui capitis periculo, vellent perſtringere.

Cùm autem ſupra dixerim, in hac tertia periodo, poſt Chriſtum erectam, & ſtabilitam eſſe tyrannidem Pontificum, fatali quadam religionum, & Imperij mutatione, ideò, in tota ſequente hiſtoria, obſeruãda ſunt hæc duo præcipuè: primum, quando illi, & quas nouas leges tulerint, aut quæ procuderint dogmata noua, quibus occaſionibus, veteres, vel idololatrias, vel errores cumularint, & diſciplinam in ſuperſtitionem conuerterint, ritibus veteribus laudatiſsimis, abuſu deprauatis, quomodo turbarint Imperium, & regna orbis Chriſtiani, vt ſuam tyrannidem, & opes Romanæ ſedis amplificarent, quæ excitarint bella ciuilia. Item, quæ Imperatorum, & regum cæterorum, in hac ſeruitute fuerit conditio, quæ regnorum, & Imperij forma, & gubernatio extiterit, ſub hac noua tyrannide, quæ acciderent regnorum mutationes, quarum peregrinarum gentium, ex noſtris diſsidiis, in noſtram perniciem, creuerit potentia.

Deinde conſideretur, quæ fuerit, his temporibus, Eccleſia, quos habuerit doctores, quid interſit inter doctrinam veræ Eccleſiæ, & recẽtia commenta Monachorũ, & Scholaſticorũ. Multi imaginantur, ex opinione confirmata diuturnitate inueteratæ tyrannidis Pontificũ, Eccleſiam nihil eſſe aliud, niſi multitudinem vni Romano Pontifici ſubiectam, diſtinctam à cæteris gentibus, per ceremonias, quas inſtituerunt Pontifices, alligatam ad ſucceſsionem ordinariam Epiſcoporum, & ad interpretationem ſcripturæ, quam Pontifices, aut Synodi tradunt.

Cõtra hanc imaginationem, ſciant pij, non fuiſſe Eccleſiam Pontifices, Epiſcopos, & cæteros, qui horũ probarũt opiniones, qui ſunt, & fuerũt hoſtes verę Eccleſiæ, partim epicurei, partim idololatræ manifeſti, & deprauarũt dogmata, ac ſacramenta impio, & idololatrico abuſu, eáque contulerunt ad turpem quæſtum. Sed hos tantum, qui in hoc cœtu, ſanctificati Spiritu ſancto, verè crediderunt in Deum, per filium Dei, iuxta Euangelij doctrinam: etſi alij plus, alij minus lucis habuerunt. Nec dubium eſt, præter multi-

multitudinem,quæ dominata eſt in Eccleſia Romanâ , & errauit,ſicuti errabant Pontifices,&Sacerdotes,Hieremię, aut Chriſti tempore,fuiſse innumeros,qui,etſi habuerunt aliquid imbecillitatis, vel errorum, fuerunt ſeruitute Pontificia oppreſſi,tamen rectè inuocarunt Deum,in agnitione,& fiducia veri Mediatoris,Ieſu Chriſti, & Sacramentorum pio vſu ſeſe erexerunt , atque conſolati ſunt, ſicut ad Heliam Deus inquit quod ſeruarit ſibi ſeptem milla , qui non curuarint genua coram Baal.

Nec moueātur pij,authoritate multitudinis,cōtra verbū Dei,ſed redeant ad regulam : Si quis aliud Euangeliū docuerit,anathema ſit. Prima ſit, authoritas verbi diuinitùs traditi.Deinde illa eſt Eccleſia exiſtimāda,quæ cum verbo illo conſentit,ſicut inquit Chriſtus:Oues meæ vocem meā audiunt.Et Auguſtinus:Quæſtio eſt,Vbi ſit Eccleſia?Quid ergo facturi ſumus?In verbis noſtris eam quæſituri ſumus, an in verbis capitis ſui, Domini noſtri Ieſu Chriſti?Puto, quod in illius verbis quærere debemus:qui veritas eſt: & optimè nouit corpus ſuum.

Nec titulo etiā Eccleſiæ moueantur, quē Pontifices,tanquam Gorgonis caput,obiiciunt.In infinitum enim diſcernenda eſt a membris veræ Eccleſiæ,ingens multitudo impiorum,qui fere in illo cœtu, qui eſt Eccleſia, antecedunt cæteros authoritate , ſpecie religionis , opinione doctrinæ. Quales fuerunt in populo Iuda tempore Hieremiæ, Pontifices , & Sacerdotes impij , qui & ipſi allegabant, contra Hieremiam , authoritatem ſedis, & legis , & promiſſiones : Non peribit lex à Sacerdotibus. Negabant ſuum cœtum errare poſse,cùm tamen prorſus errarent , & diſsentirent ab Hieremia. Sæpe autem accidit in Eccleſia,vt impij excellentes ingeniis,vel authoritate , ſumant impetus conſtituendi religionem, humana ſapientia: qui, cùm non moueantur verbo Dei , ſed ducantur opinione rationis,& quærant concinnas interpretationes , gignunt impia dogmata.ſicut Samoſatenus,Arius , Pelagius. Alij quærunt merita, & ſpecioſum regimen , & δημαγωγίαν populi,& his cauſſis mouentur ad inſtituendos,& cumulandos cultus,vt fecerunt Pontifices,& Monachi,qui diſceſserunt à verbo Dei,inſtituerunt cultus ſine mandato Dei, mutarunt vera dogmata,& contaminarunt,imo obruerunt puritatem doctrinæ.In talibus ergo , non moueantur pij,titulo Eccleſiæ. Nam cum impia multitudo dominatur in Eccleſia,conſtituit,nomine Eccleſiæ,multa impia,& falſa,

& à norma atque analogia fidei alieniſſima: ſed ſequantur regulam traditam diuinitus: Fruſtra me colunt mandatis hominum,

Colligant pij, & exempla illorum, qui errores, & abuſus Pontificios reprehenderunt, & refutarunt, ſicut Prophetæ fecerunt, in populo Dei, quales fuerunt Taulerus, Weſſelus Groningenſis, Iohannes Huſs, Hieronymus Pragenſis, Hiltenius Iſennacenſis, & alij. Sed meminerint ſemper, quòd, quanquam, præter multitudinem impiam, ſint in Eccleſia aliqui pij, qui retinent articulos fidei, tamen hi quoque, moti exemplis aſſentiuntur quibuſdam errorib, quo fit, vt articulo fidei minus puros retineant. Sicut videtur Bernhardus commodiùs ſenſiſſe, quàm cæteri, etſi multis erroribus aſſenſit, vt abuſui Miſſarum, poteſtati Pontificię, votis, cultui ſanctorum. Etſi enim vera Eccleſia, quæ exigua eſt, retinet fundamentum fidei, tamen illa ipſa vera Eccleſia poteſt habere errata, obſcurantia articulos fidei, & multi ita labuntur, vt approbent prorſus impios errores, contra fundamentum, etſi fortaſſis aliqui reſipiſcunt.

Intueantur autem pij Eccleſiam omnium temporum, cũ has confuſiones Eccleſiæ Romanæ coſiderarint. Etſi enim neceſſe eſt veram Eccleſiam ſemper durare, quia regnum Chriſti eſt perpetuum, & ſcriptum eſt: Manebo vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi: tamen hæc vera Eccleſia non ſemper pari frequentia, & celebritate floret, ſed ſæpe admodum exigua eſt, ac ſubinde reſtituitur diuinitùs, miſſis veris doctoribus, ſicut temporibus Nohe, Abrahæ, Eſaiæ, Hieremiæ, Chriſti, anguſta admodum fuit Eccleſia, & paucorum cœtus, & Chriſto naſcente, regimen Eccleſiaſticum erat penes Phariſæos & Saducæos, qui erant palam impij: Saducæi verò etiam Epicuræi erant, & tamen arrogabant ſibi præcipuè titulum populi Dei.

Sic Eſaias, ſuis Pontificibus, & Principibus derogat auguſtũ Eccleſiæ titulũ, cùm inquit: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemẽ, ſicut Sodoma, & Gomorrha facti eſſemus. Prędicunt ſimilia ſacræ literę, de cladibus poſt Apoſtolos in Eccleſiã peruaſuris. Et Matth. 24. Multi Pſeudo prophetæ ſurgent, & decipient multos. Item: Cùm videbitis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.

¶ Ita & teſtimoniis Prophetarum, atque Apoſtolorum, & Eccleſiæ exemplis admoniti, non cogitemus de Eccleſia tanquam de mundana politia, nec eam ſucceſſione epiſcoporum, aut gradu, & loco Pontificum, aut opibus lu-

xu,& ſplendore Romanæ aulæ,aut Romanæ Eccleſiæ Monarchiâ,quæ,poſt Henricum quartum,conſtituta eſt,metiamur: ſed apud eos eſſe ſtatuamus, qui retinent fundamentum,id eſt,ſcripta Prophetica,& Apoſtolica rectè intellecta:etſi ſunt diſperſi,deſpecti,egentes, oppreſſi,obnoxij calamitatibus infinitis. In hoc cœtu eſſe aliquos verè credentes,neceſſe eſt,nam ad hunc cœtum pertinent promiſſiones.

Talem cœtũ,ſub Pontificũ tyrãnide,fuiſſe etiam,firmiter ſtatuamus,multis in locis orbis Chriſtiani,qualis fuit tempore Chriſti,Simeonis,Zachariæ,Ioſeph,Mariæ,& aliorũ, etſi non floruit opibus,potentia,authoritate, ſicut Pontifices,& Epiſcopi,qui fuerunt in ordinaria ſucceſſione. Cũ autem hæc tractatio aliò pertineat, hoc loco ſatis ſit monuiſſe, conferenda eſſe huius tertij ſeculi noua dogmata, ex ſuperſtitionum fundamento detexta, ad veterem doctrinam,traditam in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis,& aliis cum his congruunt.

Exigantur & leges Pontificiæ,quæ,poſt labefactatam, imò abolitam veteris Eccleſiæ diſciplinam, cùm à bellorum motibus nonnihil quieuiſſet orbis terrarum, paulatim introductæ,& coaceruatæ moribus ſeculi, & Pontificum impudentia, nouam, & intolerabilem tyrannidem in Eccleſiam, & conſcientiarum crudelem carnificinam, abuſu ſuperſtitioſo diſciplinæ, inuexerunt. Hæ ergò exigantur ad veteres canones, quibus pręcipiuntur vtilia, & pietatis accommodata exercitia,ſine ſuperſtitione. Sed ſemper in conſpectu ſit diſcrimen inter dogmata, & ceremonias diuinitùs traditas,& inter ritus humanos. Dogmata,& ſacramenta voluit prima Eccleſia,firma eſſe,& perpetua,vt pote accepta ab Apoſtolis,qui nõ errabant in doctrina.Ritus humanos non voluit eſſe perpetuos, aut immutabiles.Neque alligata eſt Eccleſia ad rituum humanorum ſimilitudinem,& conformitatem.De his,cùm ab aliis ſit alibi copioſè tractatum,in hac commemoratione, illa, breuitatis cauſſa,omittam.Nunc ad res Imperatorum accedo.

CONRADVS TERTIVS, FRANciæ, & Sueuiæ dux.

LOthario mortuo, Imperium certò ſibi deſponderat Henricus Superbus, gener,confiſus ſtudiis, & fauore

Saxonum,propter ſocerum Lothariũ,& magnitudine potentiæ.Saxoniam enim Bauariæ connubio copularat. Ea opinione,inſignia Imperij , quæ à ſocero acceperat , apud ſe vi retinuerat,& oſtenderat,ſe nõ paſſurum,vt his,pręter ipſum,alius ornaretur. Quod ergo & faſtum,atque inſolẽtiam eius odiſsent cæteri,& formidarent potentiam,& iudicarent ſuperbiam,potentia inſtructam,non eſse publica authoritate armãdam comitiis , quę indicta erant,electionis cauſsa,Moguntiæ,Confluentiam tranſlatis , ibi crearunt Imperatorem Conradum,Friderici Sueuię Ducis filiũ, ſorore Henrici quinti natum , eum, qui cum Lothario,de Imperio,antea decertarat.

Hæc res nouum peperit bellum.Henricus enim, dolore repulſæ, ſubitò coactis in Bauaria,copiis , Imperatorem circumſedit ad Auguſtam:vbi, cùm fruſtra tentatæ eſſent pacificationes , Imperator non ſatis ad dimicandum paratus,decurrit ad conſilium proſcriptionis. Cum ergo euaſiſſet ad Wirceburgum, de ſententia procerum , publicata proſcriptionis formula,citò copias Henrici diſſipauit, deſerentibus eum ſociis; Saxoniam verò Alberto Vrſo marchioni Brandeburgenſi:Bauariam Leopoldo Auſtriaco,vterino fratri tradidit.

Ita in diuerſa diſtractus Henricus,cùm vtrobique periclitaretur, ne vtroque ducatu excideret, confirmãte ſeſe Imperatore , in Saxoniam profugit, inde Albertum , qui ſorore matris ſuæ,filiæ Magni ducis , genitus erat, & iam magnam Saxonię partem ſuam fecerat,reiecturus.Eo pulſo,cùm amiſſa re cepiſſet,mœſtitia extinctus eſt, anno milleſimo,centeſimo, triceſimo nono , relicto filio Henrico Leone.

A morte eius,bellum in Bauaria atrociùs inſtaurauit, & vrſit,pertinacius Welphus frater,oppugnato Lupoldo,auxiliis Vngaricis & Siculis. Vtrique enim regi, præſertim Siculo Rogerio,qui,poſt Reginaldi mortem quem Apulię Lotharius impoſuerat.Roberto Capuano, ſucceſſore illius pulſo, Apuliam repetebat , proderat Conradum bellis domeſticis diſtineri.

Longum hoc fuit,& cruentum bellum,varióque geſtum eſt euentu,ab vtroque, quod tandem , Welpho ad Flochburgũ profligato, Fridericus Imperatoris patruelis , Welphi ſorore natus, qui poſt eum imperauit,his conditionibus compoſuit, vt tota inferior Saxonia cederet Henrici Superbi filio , cognomento Leoni : Albertus Vrſus contentus

tentus

tentus poſſeſſione marchiæ Brandeburgenſis, & ſuperiore Saxonia abſtineret ab inferiore: Bauariam retineret Henricus Auſtriacus, Leopoldi frater, ducta vidua Henrici Superbi, Gertrude: Welphus certæ partis dominus eſſet. Quibus conditionibus cùm non ſtaret Hēricus Leo, poſtquam adoleuiſſet, ſed iniuriam ſibi fieri quereretur, & peteret ſe, nulla ſua culpa, paterno ducatu exutum, reſtituī in integrum, Fridericus Imperator, rem deduxit eò, vt Henricus parte Bauariæ, quæ veteris Auſtriæ limites attingebat, contentus, & ducis inſignitus titulo, ac dignitate, Bauariam reliquam nouis, & anguſtioribus limitibus, ab Auſtria diremptam, relinqueret Leoni. Ita Auſtriacis amplioris ditionis, & nouæ dignitatis acceſſione, auctis, rediit Bauaria ad Leonem, quam tamen, non ita multò poſt, rurſus amiſit.

In hoc bello, præter cætera, illud maximè eſt memorabile, quod ad oppidum Weinsberg accidit. Cùm enim per annos aliquot, vario fortunæ euentu, in Sueuia, Bauariáque, belligeratum eſſet, & ancipiti ſæpè Marte pugnatum, accidit vt bellum cōſiſteret ad oppidum Weinsberg, cui amæna vineta nomen dederunt, in quem locum vires ſuas Welphus contulerat, vallo, ac mœnibus, ſi acie vinceretur, ſeſe tutaturus. Fuſus ergo, fugatúſque, & intra vrbem compulſus, ac poſt multas difficiles oppugnationes, tandem armis, & fame expugnatus, coactus eſt, & ſeſe, & ſuos victori, quibuſcunque conditionibus, dedere. Ibi Imperator præcepit, vt Welphus, cæteríque equeſtris ordinis viri, vincti in cuſtodiam traderentur, oppidum à militibus diriperetur, ciues vitam, ac libertatem retinerent. Tunc mulieres, quæ fuerunt in vrbe, antequam portæ aperirentur, petiuerunt, vt ſibi ſaluis abire liceret, portantibus de ſuis rebus, quantum vnaquæque poſſet. Quod cum à clementi victore, & Germano, facilè impetrarent, capiūt mulieres conſilium pium, & memorabile. Nam, cùm hoſtes, aurum eas, & gemmas, mundúmque muliebrem, aut pecuniæ aliquid, ſecum elaturas, putarent: illæ, omnibus his rebus militum prædæ relictis, maritos ſolos in humeros ſublatos, & paruos liberos in ſinu, atque amplexu tenentes, vrbe aſportabant. Imperator, ingenioſa philoſtorgia mulierum mirificè delectatus, omnibus conuiuio exceptis, clementer ignouit. Itaque

--------ſæpè vtile vinci,
Victoris placidi fecit clementia multis.

Inſigne hoc eſt, & memorabile exemplum, verè generoſi, & Germani animi, qui contentus laude victoriæ, alieniſſimus eſt à ſæuitia in deuictos. Sunt, qui Welphum euaſiſſe ex prælio, & in obſidione non fuiſſe tradunt. Pace reconciliata, Welphus Conradum in Palæſtinam conſectatus eſt.

Receptus eſt in gratiam & Rogerius Siciliæ rex, qui in Aſiam proficiſcentem Conradum fideliter, omnibus rebus iuuit, & inſtruxit.

Nutare iã, & labi cœperant res Chriſtianæ, in Aſia, præſidiario milite deſtitutæ, quas reliquiæ adhuc, vtcunque ſuſtentabant, Armeniorũ auxiliis, qui, religionis ſocietate, noſtris coniuncti, Turcis agros Chriſtianorum infeſtantibus, à tergo, aſſiduè inhærebant. Nec ſolos Turcos iam, ſed & Saracenos Ægyptios noſtri habebãt hoſtes. His, vt ſubueniretur maturè, priuſquam penitùs conciderent, Conradus Imperator, & Ludouicus Franciæ rex, impulſu diui Bernhadi, maximos traduxerunt in Aſiam exercitus, rebus omnibus ornatos, atque inſtructos, anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, quadrageſimo ſexto. Hi, ad Byzantium, vbi conueniſſent: atque explorata prius Manuelis Comneni, qui Orienti præerat, voluntate, de tota inter ſe belli ratione conſultaſſent, partitis agminibus, hoſtes in diuerſis ſunt locis aggreſſi Sed expeditionis ſapienter deliberatæ, & optima ratione inſtitutæ, exitus fuit infelix, Manuelis Byzãtini ſcelerata perfidia, exercitu Conradi in Aſia, acciſo, attenuatóque ferro, fame, veneno, & fraude. Ita non vt cauſſæ, & conſilia, ſic bellorum euentus ſemper ſunt in poteſtate noſtra, ſed reguntur, ac præſtantur diuinitùs.

Conradus Imperator, quanquam & ob Græcorum perfidiam, magnas accepiſſet clades, & irrita oppugnatione Iconij, in Lycaonia, defatigatus eſſet, tamen ad Mẽdrum fluuium, aperto Marte, cum ingentibus Turcorum copiis congreſſus, tantam edidit eorum ſtragem, vt cruor flumen tinxerit, & ripas, longè, latéque cadauera cæſorum compleuerint. Ea victoria conſternatis, & procul fugatis hoſtibus, per itinera à latrociniis, & incurſionibus hoſtilibus liberata, tutum ad vrbem Hieroſolymam acceſſum aperuit: ſed, quòd exercitus, laboribus itineris, cœlíque iniuria, partim conſumtus defeciſſet, partim affectus langueret, nulla re memorabili effecta, poſt exactum annum quartum, in Germaniam redire coactus eſt. Domi, cùm nouos exercitus collegiſſet, ad pacandã Italiam, domeſti-

cis

cis diſſidiis liberarum ciuitatum turbatam, quæ inter ſe armis de libertate, & Imperio decernebant, morte præreptus, expeditionem non abſoluit.

Obiit Bambergæ, decimo quinto Cal. Martij, cùm imperaſſet annos quindecim, anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, quinquageſimo ſecundo, anno à mundo condito, quinquies milleſimo, centeſimo, decimo quarto.

Inteſtina eius condita ſunt Bambergæ, prope Henricum Sanctum. Cadauer Laureacum delatum eſt, quod Eboracum aliqui nominant.

Vxorem habuit Gertrudim, filiam comitis Sultzbachici, ex qua nati ſunt ei filij duo, Henricus, & Fridericus: Henricum, ante expeditionem Hieroſolymitanam, penè puerum, conſortem Imperij fecit. Hic, ante reditum patris, è vita emigrauit. Fridericum, moriturus, patrueli, Friderico Barbaroſſæ commendauit. Is, cùm militaret in Italia, peſte periit, vnà cum multis aliis, in obſidione vrbis Romæ.

Sub id tempus, Henricus Leo, & Albertus Vrſus, Sclauorum familias, quod religionis Chriſtianę profeſſione, poſt Ottonem Magnũ, repudiata, latrociniis crudelibus, vicinos Chriſtianos infeſtare, non deſinerent, longis continuiſq. bellis magna ex parte extirparunt. Henrico cum Henetis quos tunc rexit Nicolothus, & poſt eum, filij Wertiſlaus & Bribiſlaus, Obotritorum principes ad mare Balticum: Alberto cum Sorabis, ad Albim, in marchia Brandeburgenſi, & Saxonia ſuperiore, res fuit, vt ſupra monui.

Vterque in deſolatas terras, nouas duxit colonias. Henricus tranſlatis in Henetorum regionem, vbi ducatus eſt Megalburgenſis, & Pomeraniæ pars, Friſiis, atque Saxonibus: Albertus ad Albim, Salámque, in Soraborum, & Luſatiorum loca, prope Myſos, & Hercynios, ad Albim, & Hauelam collocatis Hollandis, & Flandris, à quibus totus ad Witebergam tractus, ſeu Flandrorum, ſeu Pleumoſiorum nomen ſortitus eſt, quod huc vſque conſeruauit, & de colonis illis teſtantur appellationes oppidorum, quæ reſtant, vt ſunt Cameracum, Neomagum, Brugæ, & aliæ plures oppidorum, quæ ſunt circa Wittebergam, quorum pleraque habent nomina aut Sorabica vetera, aut Germanica recentia, quæ originem colonorum nouorum, & veterem patriam indicant.

Hoc Alberto patre natos Ottonẽ, & Bernhardum, virtus bellica, fides erga Imperatorẽ, merita in patriam, ad magnam euexerunt potentiam. Otto marchiam Brandebur-

genſem poſſedit, quam poſteri bellis ampliarunt, finibus Pomeraniam verſus extenſis. Bernhardo ceſſit Saxonia ſuperior ad Albim. Huic deinceps, beneficio Friderici Barbaroſſæ, bonam partem inferioris Saxoniæ coniunxit, euectus ad dignitatẽ ducis Saxoniæ, Henrico Leone deiecto. Eſt autem antiquiſſima ſtirps comitum Aſcaniæ, quæ ſola ferè vetuſtiſſimum gentis ſuæ nomen, ortum à veteribus Aſcaniis, qui ad Hercyniam incoluerunt, conſeruauit, inter tot rerum viciſſitudines, & familiarum mutationes tam crebras, & varias. Nam aliæ vetuſtæ gentis Germanicæ appellationes, quas hiſtoriæ Romanæ celebrant, fere omnes interierunt, obtritæ vetuſtate, aut cum familiis ipſis ſimul abolitæ. Prodierunt ex hac ſtirpe Vrſini nobiles Romani, iis procreati parentibus, quibus Imperatores noſtri Italiæ gubernationem commiſerunt.

FRIDERICVS PRIMVS COGNOMENTO Barbaroſſa.

EA fuit de Friderico Barbaroſſa opinio, & Conradi Imperatoris, & procerum reliquorum, vt Conradus moriturus, ſuo eum ſuffragio, Imperio deſtinarit, prętererito filio, cuius tamen ætas iam fuit matura, & προβούλευμα cęteri amplexi, vno omnes conſenſu, citra controuerſiam, Imperium ad eundem detulerint. Hanc de ſe opinionem, Fridericus, non tantùm ſuſtinuit, maxima cum laude, ſed omnibus sũmis virtutibus ſuperauit. Cùm accepiſſet Imperium, vt fuit patrię amãtiſſimus, nihil prius habuit, quàm, vt domi pacẽ ſine publico motu, & cõſilio potius, quàm armis cõſtitueret. Pace enim, & quiete opus eſſe intelligebat concuſſæ Germanię ad ſananda, & ſolidãda vulnera, quę priora bella Henricorum inflixerant, recentia ſucceſſorum refricarant. Nec odia ceſſatura eſſe proſpiciebat, niſi controuerſiis, moderata quadam damnorum exæquatione diremptis, & ſancita ἀμνηστία, perficeretur, vt principum animi, vera inter ſe, mutuáque beneuolentia, coaleſcerent.

Contendebant inter ſe, de Bauariæ principatu, vitricus Hẽricus Auſtriacus, & priuignus Henricus Leo Saxo: hoc queritante, iniuſtè ſibi Bauariam ereptam eſſe. Hanc litem, ne in bellum exiret, ita diremit, vt Auſtriaco, apud quem plus valebat, perſuaſerit, de ſuo vt iure concedere potius, ac regredi, quàm progredi, vellet, pacis publicæ cauſſa. Et, vt iacturam hanc facilius ferret, tranſtulit familiam Auſtriacam in ordinem ſuperiorem, decreto ei, tri-

butóque titulo ducis, & amplificauit fines ditionis, parte Bauariæ ad Auſtriam adiecta. Welphum, vt quieſceret in poſterum, Thuſcia & Spoletano agro, Sardiniæq. principatu donauit. Conradum, ex alia matre fratrē, Palatinum Rheni conſtituit. In hac pacificatione, nec prudentiam ei defuiſse, in cōciliandis principūm animis, nec grauitatem, nec ſucceſsum, qui confertur diuinitus, declarauit euētus. Suſtulit enim maximorum bellorum cauſsas, & occaſiones, Germaniæque tranquillitatem peperit.

Compoſuit & controuerſias, inter Suenonē Canutum, & Woldemarum, reges Danicos, Mersburgum euocatos: qui de regno inter ſe dimicarant, aliquot annos, magno cum detrimento vicinarum terrarum, quæ erant Imperij. Sunt, qui tradunt, Danos, occupata Lubeca, exercitus, toto illo littore, habuiſse firmiſſimos: Fridericum verò, quod verſaret animo expeditionem Italicam, ne implicaretur domi, longo bello, & vt auerteret omnes motuum domeſticorum occaſiones, Lubeca recepta, cum Danis, certis conditionibus, tranſegiſse in caſtris ad Lubecam, in eam ſententiam, vt gentem fortiſſimam, quæ diuturnis, & difficilibus bellis Imperatores exercuerat, ſocietate, atque amicitia Germaniæ deuinxerint.

Rebus domi cōſtitutis, ingreſſus eſt Italiam, vt ibi quoque motibus compoſitis, Romæ, de more, coronaretur. Exules enim Apuli, quos Rogerius Siculus expulerat, reduci cupiebant, & liberę ciuitates in Longobardia, quibus ſeruitutem intentabant Mediolanenſes, cupiditate dominationis, ſe defendi petebant. In illo itinere, Veronenſes, qui eum ſuperbè, & contumaciter, vrbe excluſerant, quòd ante renunciationem à Pontifice factam, obedientiam ei deberi negarent, exquiſito exemplo, ita caſtigauit, vt territæ cæteræ vrbes, cupidiſſimè eum receperint: Mediolanenſes non tam armis, quàm authoritate compeſcuit.

Tranſcenſo Apennino, cùm Romam appuliſſet, & à Pontifice Hadriano quarto coronatus eſſet, quarto regni anno, quarto Calend. Iulij, ſeditioſæ multitudinis tumultu laceſſitus, dimicauit cum ciuibus in ipſa vrbe, multis captis, pluribus in Tyberim demerſis.

Dehinc tota Italia peragrata, rediit in Germaniam, vbi cùm Arnoldus Moguntinus Epiſcopus, & Hermannus Palatinus, priuatis inter ſe diſſidiis, totam ad Rhenum commouiſsent Germaniam, motibus ſedatis, Moguntino, propter ætatem, & ordinem pepercit: alterum coëgit viuum

canem, poſterioribus pedibus ad humeros religatum, vel, vt alij tradunt, manibus ea parte prehenſum, in ſpectaculis publicis circumferre. Tali enim cenſura notabantur, qui, ex ſummis ordinibus, petulanter pacem publicam turbaſſent. Vt olim in militia Perſica, pœna leuitatis, & inconſtãtię, in deſertore, redeunte ad partes priores, erat, geſtare nudam meretricem.

Coëgit armis, & Poloniæ regem, ob non ſoluta annua tributa, mulcta bellum redimere, & exercitui, quem inſtruebat in Mediolanenſes, pręſidiarios equites adiungere. Sed non diu durauit hæc Imperatorum authoritas, apud exteros reges, poſt Fridericum, Pontificum ártibus, profligata, & conculcata. Statim enim eò res redierunt, vt vicinis regibus deſpectui eſſent: a ſuis, præſertim Italis, etiam oppugnarentur. Auxerunt contemtum, perpetuæ excommunicationes Imperatorum, & tyrannica edicta, quibus reges, & Principes, ad excommunicatos bello perſequendos, vrbes ad ſeditioſas defectiones, impellebantur, prætextu authoritatis diuinæ; vt quos à fide, & obedientia erga Imperatores dimouere, honeſti ratio, vel emolumenti alicuius ſpes, non poterat, hos terror, falſæ religionis ſpecie, iniectus, ab iiſdem auelleret. Hæc poſtea abierunt in conſuetudinem, & perpetuis bellis cauſſam dederunt.

Imperatore ergo diſtricto domeſticis bellis, Mediolanenſes confiſi, Pontificum inſtinctu, & patrocinio, & priorem lenitatem Imperatoris, metum, atque animi mollitiem interpretati, quod Imperium Longobardiæ certò ſibi deſponderent, denuo proxima oppida alia iniuſtè vexare, alia ad ſeruitutem adigere, pellectis in ſocietatem potentiſſimis ciuitatibus, cœperant. Quare, etſi grauiter fuit offenſus Imperator, vehementius tamen incanduit ad ſuperbam Adriani Pontificis orationem: qui, per legatos denunciarat, ſui iuris eſſe, Imperium tribuere, cui liberet, etſi poſtea hæc retractauit. Multum exhibuit negotij optimo Imperatori, Mediolanenſium, & Pontificum perfidioſa conſpiratio, quæ ſepties eum, cum exercitu, in Italiam pertraxit.

Quod ergo Mediolanenſes Derthonam, recens ab Imperatore dirutam, inſtauraſſent, & Papiam, ac Nouariam diripuiſſent, & paulatim procederent, totáque Italia in armis eſſet, initiis maturè occurrendum ratus, quanta potuit celeritate, Alpibus ſuperatis, traduxit exercitum in Italiam, Mediolanum vi expugnatum, ſolo æquaturus, repreſſit

preſſit indignationem,cùm ſeſe ciues ad genua ipſius ſupplices proieciſſent , geſtantes ſigna reatus, ſuſpenſos de ceruicibus ſtrictos gladios , & affixas pectoribus cruces. Cenſuerant militiæ duces, ſeruandam eſſe tam pulchram vrbem,& dignum eſſe maieſtate,& magnanimitate Imperatoris,parcere promiſcuæ multitudini,& animaduertere in authores.

Sed vix inde digreſſo in Burgundiam Imperatore,redierunt ad ingenium,ſéq;munierunt nouis fœderibus , aſcitis in ſocietatem non tantùm liberis ciuitatibus , ſed & Wilhelmo Siculo, & Cardinalium magno numero, qui promiſſa grandi pecunia,Pontificem inſtigarunt,vt Imperatorem excommunicaret, quo cõperto , cùm præmiſiſſet exercitũ , ipſe è veſtigio ſecutus,citò hoc incendium,reſtinxit, Mediolanenſibus ad vrbem acie cæſis, ſed vrbem non cepit.

Hadrianum,meditantem fulmen anathematis,in Fridericum,hauſtu aquæ, in qua muſca ſubmerſa fuit, enecatum tradunt.Eo mortuo,Romę duo Pontifices creati ſunt, quorum alter Alexander , Imperatorem anathemate eſt execratus , quod alteri Victori faueret,& incendit vniuerſam Italiam,ac præcipuè Venetos,aduerſus Fridericũ.Non leuiter perturbatus fama anathematis Fridericus, ſcripſit ad collegiũ Cardinalium,vt res diiudicetur.Sed cognitionem prohibuit Alexander,propterea quod haberet,in partibus ſuis præcipuum Italiæ robur,& Gallos. Et ne quid periculi eſſet,recepit ſe in Galliam.

Mouit hæc contumelia,animum Imperatoris,vt in bellũ acriùs incumberet, & quia Mediolanenſiũ præcipuæ fuerant,in ea cõiuratione,partes, vrbem vi captam , diripuit, diruit,& funditus exciſam,ſale conſperſit,authoribus defectionis ſecuri percuſſis. Inde reuerſus in Germaniã,Saxonicos motus compoſuit,ſublata inter Henricũ Leonem, & Albertum Vrſum, contentione,de principatu Saxoniæ, quem ex Conradi promiſſo,Albertus ſuum aſſerebat. Sed deſtitit Albertus,in gratiam Imperatoris, qui,poſt tranſactionem, firmandæ pacis cauſſa, Friderico Conradi filio, deſpondit Leonis, ex prima coniuge, filiam:Leo viciſſim Imperatori promiſit auxilia contra Mediolanenſes.

Interea belli author Alexander,poſtquam percurſa Gallia,Hiſpania,Anglia,reuerſus eſſet in Italiã , Venetos denuo inflammauit, vt bellum renouarent;ad quos,cùm acceſſiſſent,præter alias ciuitates, Mediolanenſes exules , &

vrbem reparaſſent, Imperator redire in Italiam cum exercitu coactus eſt. In hac expeditione, turpiter proditus, & deſertus ab Henrico Leone, in tantum venit deſcrimen, vt ex equo ſit deturbatus, & diu deſideratus. Hanc perfidiam Henrici, vt puniret: ſumma rerum in Italia ducibus Ottoni Witelsbachio, & Bernhardo Anhaltino commēdata; clam profectus in Germaniam, Bambergæ, frequenti Principum Senatu, accuſatū eum, & horum ſententiis condemnatum, proſcripſit, & vicinis cùm præcepiſſet, vt tota eum ditione, imo tota Germania pellerent, mox ad exercitum reuerſus eſt. Genua expugnata, Romam contendit, quam Alexandrum munire didicerat. Romani, cognito eius aduentu, audacter, ſed infeliciter occurrerūt ad Thuſculum. Nam prælio commiſſo, Imperator trucidatis Romanorum ciuium duodecim millibus, vrbem primo impetu cepit, & Calixtum Pontificem conſtituit. Alexander, habitu nautico, deceptis cuſtodibus, Venetias euaſit: poſt eam victoriam, exercitum peſtis corripuit, quæ adſumpſit multos præſtantes viros, atque inter alios, Fridericum Conradi filium, & Welphum Iuniorem. Fugientem Pontificem proſequutus eſt Otto, Imperatoris filius, ſeptuaginta quinque longis nauibus, quo cum, ad Salbotium promontorium, in Peranenſi tractu, ad oram Iſtriæ, conflixit Venetæ claſſis ductor Cianus, & quadraginta octo nauibus captis, inter quas fuit prætoria, duab. media pugna, in mare demerſis, parta victoria, Ottonē interceptū, Venetias adduxit. Vrbē cum triumpho ingreſſo, Pontifex annulum aureum porrexit, quo, ſe authore, in mare proiecto, id ſibi deſponderet, ritu prorſus Ethnico, & inſtituit, vt ſucceſſores, quotannis idem, ſtato die, facerent, quod ſeruatum deinceps, huc vſque, die aſcenſionis Dominicæ.

Quod ergo nec pertinacem ambitionem Pontificum flecti, aut infringi; nec immanem ſæuitiam reſtingui, aut expleri vllis cladibus publicis, vllóve, tot miſerorum, & innocentum hominum ſanguine poſſe, animaduerteret, perſuaſus ab amicis, de communi pace agi paſſus eſt. Quod vt faceret, mouerunt eum præcipuè cauſſæ publicæ. Tanti enim tunc erāt in Aſia Soladini, Sultani Ægyptij ſucceſſus, vt niſi Imperator afflictis opem ferret, viderentur breui nō in Syria tātùm, ſed in tota Aſia regnaturi eſſe Mahometiſtæ. Et Italia cędibus feſſa, pacē petebat. Credibile eſt etiā, præter has publicas cauſſas, multùm valuiſſet paternū dolorem. Nam cùm domeſtica eius vita plena fuerit huma-

nitatis,

nitatis, & pietatis; haud dubiè etiam valdè fuit φιλόστοργος, vt nunc quoque, in Germanis, vehementiorem videmus eſſe liberorum amorem, quàm in cæterarum nationum hominibus. Mouit igitur Fridericum, extincto altero filio, capto altero, patrius dolor, vt animum ad pacẽ conſtituẽdam adduceret, præſertim cùm ipſe ſemper à bello abhorruiſset, & coactus, ſcelere Pontificum, ſumpſiſſet arma.

Itaq; tandem conuenit, vt Fridericus Venetias veniret, & ibi ad pedes Pontificis procumbens, abſolutionem peteret. Deinde, conſtituta pace in Italia, duceret exercitum in Aſiam. Has conditiones Fridericus, etſi erat armis ſuperior, accepit tamẽ; cúmque ſe Venetiis, ad Pontificis pedes abieciſſet, Tyrannus, nõ contentus Imperatoris modeſtia, quod factus eſſet ſupplex, inſignes inſuper cõtumelias addidit: Pedem collo Imperatoris impoſuit, & acclamari iuſſit; SVPER aſpidem, & baſiliſcum ambulabis. O execrãdam ſuperbiam, & tyrannidem! In hoc ipſo tamen ſpectaculo, generoſus animus oſtendit, indignitate rei ſe moueri, palam interpellato Pontifice, cùm inquit? Non tibi, ſed Petro. Significabat enim ſe factum eſſe ſupplicem non huic Tyranno, ſed Apoſtolicæ authoritati. Reclamauit Pontifex tyrannicè, Et mihi, & Petro. Sic abſolutionem tandem impetrauit. Demonſtrat hoc exemplum, quanta ſit peſtis rerumpublicarum, ambitio eccleſiaſticorum.

Sed hoc miretur aliquis, potuiſse Fridericũ iniurias tam atroces obliuiſci, & condonare reip. & ita ſeſe dimittere, vt ſupplex fieret, in cauſsa meliore, & inſuper ſupplicem, ſe affici tanta contumelia ſinere. Vicit optimum Principem opinio religionis, qua tyrannidem ſuam Pontifices ſceleratè, & impiè extollebant, & exaggerabant, cuius in omniũ hominum animis magna vis eſt, præſertim ſi ſuperſtitio accedat, quæ tunc regnabat. Ceſsit autem vtilitati publicæ, vt conſtituta firma concordia in Europa, latrocinia Mahometica, in Aſia feliciùs reprimi poſsent.

Narrant inter cæteros militiæ duces, qui Imperatori ad genua Pontificis prouoluto aſtiterunt, affuiſse Theodorũ marchionem Miſniæ, fratrem Ottonis illius, cuius ſeculo aperuerunt ſeſe venæ metallicæ ad Fribergam Miſniæ, qui cum ad conſpectum tyrannicæ inſolentiæ, ingenti, generoſáque percitus ira, minaci geſtu, & flammantibus præ iracundia oculis accurriſset, Imperatorem proſtratum erecturus, Tyrannum pauore conſternatum, in complexus, & oſcula Imperatoris ſeſe effudiſse, nec priùs auelli ſe

paſſum eſſe, quàm de ſalute ſibi certò caueretur. Tranſegit & cum Wilhelmo Siciliæ rege, & filio Hērico deſpondit Conſtantiam Rogerij filiam. Longobardos, certis pactionibus,rurſus Imperio ſubdidit, quæ diu ſeruatæ ſunt. Acta hæc ſunt Venetiis anno Chriſti, milleſimo centeſimo,ſeptuageſimo ſeptimo, nono Calend.Sextilis. Talibus exemplis immoderatam potentiam,ac tyrannidem Pontifices confirmare conati ſunt; de quibus, cùm manifeſtum ſit, eos contra religionem,contra leges diuinas, & contra communia iura omnium gentium, egiſſe, vt de conſtitutionibus Imperatorum taceam,nunc nihil diſputo.

Pacata hoc modo Italia, rediit in Germaniā Fridericus, tum vt neceſſaria ad bellum Aſiaticum compararet, tum vt ante migrationem ex Germania, conſtitueret rempublicam,& tolleret,ac ſopiret certamina, quæ commouerat proſcriptio Hērici Leonis, qui à vicinis principibus Imperatoris edicto,oppugnabatur,ac diripiebatur. Nam Saxonici ducatus ditionem,ac dignitatem tranſtulerat in Bernhardum Anhaltinum : Bauarici in Ottonem Wittelsbachium, vt compenſaret vtrique nauatam in bellis Italicis fidelem operam, Leone, in perfidiæ pœnam,Saxonia,Bauariáque excluſo. Hoc beneficium vtrique confirmauit coram. Leo,Imperatoris metu, exulatum abierat in Angliam,ad ſocerum,cuius interceſſione, res eo deducta eſt, vt Henricus, quanquam partem ditionis amiſſæ recuperarit,ad dignitatem tamen priſtinam non redierit. Epiſcopus Colonienſis, ex ea direptione, ad ſe vi traxit ducatum Angriuariorum,in Weſtualia: qui,in tranſactione,adiudicatus erat Bernhardo. Ita Leo mulctatus maxima potentiæ,& dignitatis ſuæ parte, Clementis victoris beneficio, ea,quę nunc ſunt ducum Brunſuicenſium,& Luneburgenſium,retinuit.

Otto Witelsbachius,cognomento Maior,è veteri Palatinorum Scirenſium gente oriundus, de qua ſupra diximus, condidit ſtirpem ducum Bauariæ, & Palatinorum ad Rhenum. Nam filius Ludouicus poſtea,Friderici ſecundi conceſſione,Palatinum Rheni, Bauariæ adiecit. Ita rediit Bauaria,longo poſtliminio,ad veteres dominos,viciſſitudines perpeſſa multiplices.

Bernhardum Anhaltinum, Alberto Vrſo patre natum eſſe diximus. Hoc editi ſunt Albertus, & Henricus filij, quorum ille duces Saxoniæ, qui Wittebergam tenuerunt ante Miſniæ marchiones, progenuit, de quibus reliquum

eſſe ſtemma ducum Launburgenſium. Hic principibus Anhaltinis ortum dedit, qui antiquam patriam Aſcaniæ gentis, ad Hercyniç iuga, incolunt.

Tradunt etiam ſcriptores, magno conſenſu, ducem Boëmiæ primùm, apud hunc Fridericum, regiam dignitatem, rebus præclarè ad Mediolanum geſtis, promeruiſſe, quod de renunciatione, & confirmatione, publico ac ſolenni ritu facta, intelligo. Et conſentaneum eſt, voluiſſe Fridericum illorum principum, quos recentibus beneficiis, ſibi ſuíſque deuinxerat, augere dignitatem, ac potentiam, quæ muniti eſſent contra tyrannicas, & ſeditioſas Pontificum machinationes, ne poſſent illi, vt cœperant, quando vellent, aut reſcindere decreta, aut turbare deliberationes inſtitutas, de electione, aut, quos vellent, reiicere. Certè ex hac imperij conſtitutione, & ordinum deſcriptione, ac diſtinctione, primò prodiiſſe, ac cœpiſſe Senatum ſeptem Electorum, vero valdè eſt conſonum, quocunque ſit authore inſtitutus. Nam poſt hunc Fridericum, celebrantur in hiſtoriis, ſuffragia regis Boëmici, ducis Saxoniæ, Palatini ad Rhenum, marchionis Brandeburgenſis. Ante Fridericum, regia dignitate Boëmus caruit. Nomen Palatini ad Rhenum fuit obſcurum. Marchiones Brandeburgenſes in authoritate aut nulla fuerunt, aut exigua: ſolus Saxoniæ dux excelluit, & tunc quidem maximè, cum principatus à Lothario, ad Welphos deuolutus eſt. At horum principum conſilio, & authoritate, poſtea, à Sueuicis tẽporibus, quantum humanitùs fieri potuit, præcipuè effectum eſſe, ac præſtitum, vt minus, quàm antea, de Imperio, certaminum extiterit, minus etiam Pontificibus conceſſum ſit, atque tributum, hiſtoriæ docent. Nec Fridericum, qui plurima ſapienter, & vtiliter ordinauit, nihil de Pontificum rabie, quã expertus ipſe erat, frçnanda, ac reſtringenda, nihil de poſſeſſione Imperij, cui Pontifices non diſſimulanter inhiabant, Germanis confirmanda, cogitaſſe: etſi nihil ea de re extat, niſi quod, de Imperatoris poteſtate, legitur in pace Conſtantiæ: veriſimile non eſt. Sed cùm non habeam, quod certò affirmem, præcido hanc diſputationem, & ad Fridericum redeo.

Hic poſtquam ea, quæ ad pacem, ſe abſente, retinendam in Germania, & Italia, neceſſaria erant, prouidit, atq; conſtituit: legibus etiam optimis latis, quæ titulo pacis Conſtantiæ celebrantur, copias, quas cõtraxit, non magnas numero, ſed veterano milite præſtantiſſimas, magna celeri-

tate Byzantium duxit, vt inde traiiceret in Aſiam. Hanc expeditionem non ambitione aliqua, aut ſuperſtitione ſuſcepit, ſed intellexit, ſui officij eſſe, tam crudele latrocinium; hoſtium tam immanium, vbicunque poſſet, à Chriſtianis depellere, & turpe eſſe, exiſtimauit, deſerere, & prodere hoſtibus, pugnantes pro ſalute publica Chriſtianos, quæque maiorum ſanguine parta eſſent, per ignauiam ſinere perire. Saladinus enim, Ægypti Sultanus, recepta Hieroſolyma, & ferè tota Syria in deditionem accepta, iam Armeniam inuaſerat, & multos Chriſtianorum exercitus, incredibili ſucceſſu, diuerſis in locis, conciderat, videbatúrque, niſi reprimeretur, tota Aſia potiturus. Idcirco iuſtum & pium bellum, ingenti animo mouit, & perfecit, vt rex Angliæ, Richardus, eoſdem hoſtes, mari adoriretur: Franciæ rex Philippus ſuppeditaret pecunias. Sunt qui & hunc mari acceſſiſſe, narrant.

Nec defuit Deus honeſtis conſiliis, Fridericus enim, ſuis copiis, in mediam Aſiam ingreſſus, primò Turcas ad Iconiũ Lycaoniæ, tribus magnis præliis, vicit, fudítque. Hi ſucceſſus, tam ſubitam pepererunt inclinationem rerum, in Aſia tantúmque incuſſerunt Saladino terrorem, vt rebus deſperatis, munitarum vrbium deiiceret propugnacula, & demoliretur arces, déque Aſia relinquenda conſilium caperet. Fridericus enim victricibus armis progreſſus, mox Ciliciam ei eripuit, Saracenis exercitibus deletis. Alibi ad littus, rex Angliæ, multas ei vrbes ademit. Ita, cùm in ipſo victoriarum curſu, Saladinus repreſſus eſſet, Aſia ſeruitutis metu liberata eſt.

Potuiſſent tunc penitus extingui, aut certè ex Syria, & Ægypto expelli Saraceni, & Turci, ſi Fridericus diutiùs ſuperſtes fuiſſet. Sed fata vrgebant Aſiam, & tantùm Imperatorem Europæ inuidebant. Cùm igitur, recuperata Cilicia, Saladini exercitus ex Armenia minore reieciſſet, fortè defatigatus labore, atque æſtu, deſcendit in flumen, lauandi ſtudio, quod Serram incolæ vocarant. Ibi alij ferunt eum abreptum vorticibus, in flumine periiſſe: alij ferunt redeũti ex aqua, epar male affectum fuiſſe, vt fit, quod eò minus mirum eſt, quòd in Cilicia Alexandrum Magnum, lauantem in Cydno flumine frigidiſſimo, lethali morbo correptum eſſe literis proditum eſt. Dicitur itaque Fridericus, epatis morbo, intra paucos dies, in Seleucia Syriæ, extinctus eſſe, quarto Idus Junij.

Anno Chriſti, milleſimo, centeſimo, octogeſimo nono.

Anno mundi, quinquies milleſimo, centeſimo, quinquageſimo primo, Imperij triceſimo ſeptimo.

Hic fuit interitus optimi Principis, in quo magnitudo animi, atque cõſilij, fides, conſtantia, moderatio, pietas adeo excelluerunt, vt nulla ei virtus, magno viro, & optimo Principe digna, defuiſſe videatur. Eſt igitur exemplum boni Principis, & domi, militiæque, & tota vita priuata, quæ caſtiſſima fuit, publicáque, in qua luxerunt omnium virtutum effigies. Idem exemplum eſt humanæ fragilitatis, quod admoneat nos, de humanis miſeriis. Tantus vir, tantis rebus geſtis, in ipſo curſu victoriæ, indigniſſima morte periit, ſicut alij multi heroici, ac fortiſſimi principes, leuibus momentis oppreſſi, miſerè interierunt, quorum exitus indigni tanta virtute fuerunt, vt Achilles, Aiax, Pyrrhus, Alexander, Sãſon. Sed felicitati illius tribuatur, quod & domi profligatis bellis, diuturnæ pacis, & optimi ſtatus author fuerit, & non extinctus ſit antea, quàm Saladinus fractus, & Aſia periculo liberata eſſet.

Fuiſſe in eo præcipuum ſtudium religionis, oſtendunt plurima monumenta. Multa enim collegia regularium, vt vocant, inſtituit, vt in illis colerentur ſtudia doctrinę Chriſtianæ, quæ videbat negligi in collegiis, & monaſteriis opulentioribus, propter opes, & luxũ. In Aldeburgenſi collegio adhuc conſpicitur ſtatua eius, & Filij Henrici. Curã legum, & diſciplinæ, in eo, ſummam fuiſſe, teſtãtur leges eius, & quædã exempla. Celebratur verſibus à Guntero Ligure poëta, qui ei, in obſidione Mediolanenſi, affuit, vt Scipioni ſeniori Ennius: Iuniori ad Carthaginem Polybius. Extat & præclarum eius encomium, apud ſcriptorem Grȩcum, Nicetam Coniatem, qui illo tempore vixit.

Fuiſſe eum [illegible] teſtantur exempla plurima. In ſecunda ad Mediolanũ expeditione, Itali habebant exercitum in vlteriore ripa Abduæ, Germani in citeriore, cũque Itali arbitrarentur ſe tutos eſſe, propter flumen, ferociter prouocant Germanos, in ipſum etiam Imperatorem conuicia dicunt ſuperbiſſimè. Etſi flumen intumuerat, vt tutò tranſiri vado non poſſet, tamen Fridericus impatiens contumeliæ, impulſo ad traiiciendum exercitu, primus ſe flumini committit, & ſubito impetu inuectus in Italos, qui, quod ſe profundi, & vorticoſi fluminis obiectu, tutos eſſe crederent, nec caſtra munierant, nec aciem inſtruxerant, ita imparatos obruit, diſiecit, ac cecidit.

Cadauer patris filius Fridericus honorificè ſepeliuit in

Tyro,quæ arx belli Chriſtianorum fuit,poſt amiſſam Hieroſolymam. Hic, belli mole in ſe tranſlata, poſt obitum patris,Antiochiam præſidio firmauit,inde in Cœleſyriam profectus,Laodiceam ſeditione laborantem,& ad Saracenos inclinantem,pacauit.Berythũ recepit,& plurimas alias Syriæ vrbes,quæ ab inclinata, & penè iacẽte fortuna Chriſtianorum , ad effloreſcentem Saracenorum deſciuerant, Sed cùm exercitum , ad Ptolemaidem oppugnandam, adduxiſſet,peſte extinctus eſt.Exercitus duce orbatus , magna ex parte fame periit.

Vxores habuit duas.Primam Adelam,filiam Theobaldi marchionis Bauarici,in Voburg,quam dimiſit,ob propinquitatem,de ſententia collegij Conſtantienſis.Alterã Beatricem,filiam Reginaldi comitis Veſontionis,in Burgũdia. Ex hac nati ei filij quinque , Henricus in Imperio ſucceſſor,Fridericus,de quo iã dixi, Otto comes Burgundię,hęres maternæ dotis,Cõradus Sueuiæ dux, Philippus Thuſciæ,& Sueuiæ dux,qui,poſt Henricum fratrem,imperauit. Ex eadem,nata eſt ei & filia Sophia,quam Ludgardin alij vocant,alij Iuttam,coniunx marchionis Saxoniæ ſed cùm marchionum Saxonię nomen multò ante interierit,intelligo Marchionem Miſnię, Conradum,cuius vxor Sueua fuit, & in Miſorum Chronicis nominatur Luidgardis.

HENRICVS SEXTVS Imperator.

FRidericus,ante diſceſſum ex Europa,ne,vel ſe abſente, Europa ſine rectore eſſet, vel, mortuo ſe,diſputatio de ſucceſſore,nouas contentiones pareret, conſenſu procerũ, Imperio præfecit filium Henricum primogenitum , anno Chriſti,milleſimo,centeſimo,octogeſimo ſexto, & deſpõdit ei Conſtantiam filiam Rogerij Siculi,è monaſterio eductam,quæ ad eum Siciliæ regnum attulit,vt ſępe admonui.Conſtantia,etſi putaretur,nũquam paritura eſſe,quod quinquageſimum annum attigiſſet,tamẽ grauida facta, & anno Chriſti,milleſimo,centeſimo nonageſimo tertio, ſeptimo Calend.Ianuarij, Panormi enixa eſt filium,Fridericum ſecundum,in ſacello publico,quod,vt ſpectari partus poſſet,extrui Henricus curarat, ne exiſtimaretur eſſe ſuppoſititius.

Imperium adiit anno Chriſti, milleſimo,centeſimo,nonageſimo , quod impedituri Coloniẽſis, & Leodienſis Epiſcopi,ſeditionem mouerunt adiuti Burgundicis auxiliis,

quam

quam citò compreſſit Henricus, Leodienſe interfecto.

Deinde Italiá ingreſſus, coronatúſque à Cœleſtino Pontifice, Apulos, Siculóſque defectionem molientes, multis præliis compeſcuit, & in authores, exquiſitis ſuppliciis, animaduertit, quibuſdam excoriatis, aliis excęcatis, & in palos actis, nonnullis, qui regnum affectarant, ignita corona redimitis. Propter hanc ſuppliciorum atrocitatem, Aſper eſt cognominatus. Italiæ, ne excuſſo iugo, facilè rebellaret, præſides nouos impoſuit. Marchiæ Anconitanæ, Maquardum Dapiferum: Apuliæ Theobaldum quendam: Hetruriæ fratrem Philippum, cui in vxorem dedit Irenem Alexij Imperatoris Græci ſororem, quæ promiſſa fuerat Tancredo notho filio Rogerij.

Quod autem, Saladino mortuo, magnas, de recuperatione Aſiæ, ſpes concepiſſet, hortatu Pōtificis, inſtituit expeditionẽ, patris exẽplo, in Aſiam, delectis ad eam rem ſociis, quos, cum inſtructiſſimo exercitu, pręmiſit, Conrado Epiſcopo Moguntino, Conrado Wirceburgico, quo Cancellario vſus eſt, Henrico Leone, Ludolpho Auſtriaco, Hermanno Turingiæ Lãdgrauio, & aliis quibuſdã. Hi, peragrata Europa atque Aſia, ad Ptolemaidem delati, Berytum dirutam, ac deſertã à Turcis, reędificarunt, Saracenis Ioppẽ ademerũt, & cætera oppida Chriſtianorũ, firmiore pręſidio inſtruxerunt: fuiſſéntque perrecturi, niſi præmatura mors Hẽrici, inchoatũ opus interrupiſset: qua comperta, dilapſi, redierũt in Europã. Henricus enim ex Germania in Siciliã reuerſus, dũ claſsem cogit, & arma ſecuturos ſocios, Meſsanę in febrem ardentem, ex veneni potu incidit, quod propter adulteria, coniugem propinaſse ferunt: ea extinctus, & Panormi, ſepulchro porphiretico, in templo maximo conditus eſt, cùm imperaſset annos ſeptem.

Anno Chriſti, milleſimo, cẽteſimo, nonageſimo octauo.
Anno mundi, quinquies milleſimo, centeſimo, ſexageſimo.

Reliquit filium Fridericũ impuberẽ quinquennẽ, cuius curam Philippo fratri commẽdauit, cũ à principibus Germaniæ ante mortem, obtinuiſset, vt filio Imperiũ promitterent, & literis confirmarent. Peperit ei Conſtantia & filiam Mariam, quæ Conrado Boëmiæ duci, & marchioni Morauiæ nupſit. Multum diſſimilis fuit patri, ingenio, & moribus, magis ſuis addictus voluptatibus, quam reipublicæ, priuatim in libidinem procliuior, & publicè in vindicandiis iniuriis aſperior.

Hiſce annis Liuonia cœpit cognoſcere, & amplecti fidem Chriſtianã, ex doctrina, & prędicatione Menardi Monachi Segebergij. Condidit is primùm Eccleſiam, extructa munitione contra barbaros, in ripa Rubonis, quam Dunam hodie vocant, permiſſu Woldemari regis Poloſcouienſis, cui tunc Liuonienſes tributarij erant. Deinde, quòd gentem feram, ac barbaram cerneret citius, promptiúſq; acceſſuram ad religionem, ſi armis domita, & legibus, ac diſciplina manſuefacta doceri, exercerique poſſet, author fuit in Germania, & hortator nouo ordini ſacrorũ militum, qui recens ad Ptolemaidẽ cœperat, vt ſe ducem ſequerẽtur in Liuoniã, aſcito in ſocietatem laborũ, ac periculorum alio quodã Theodoro: hi duo, partem Liuoniæ quam Eſthoniam vocant, ſubegerunt. Succeſſores, exemplum imitati, eõparata maiore manu, ſacrorũ militum, totam perdomuerũt. Tertius à Menardo, Albertus, è collegio Bremẽſi ſacerdos, vrbis Rigenſis fundamẽta iecit, & colonias ex vicinia Bremæ, eò deduxit; cumque Eccleſias conſtitutas, in certos Epiſcopatus eſſet partitus, ſibi Archiepiſcopi poteſtatem retinuit, & Equitibus ſacris, tertiam terræ partem conceſſit, in pręmium militię, qua illi non contenti paulatim ita acciderunt potentiam Archiepiſcopi, vt ad extremum longè illo ſuperiores euaſerint.

Porrò Liuonia terra eſt ampla, ad ſinum Venedicum ſita. Longitudo eius, à finibus Boruſſiæ, verſus ortum ſolſtitialem, Rigam vſque, & inde ad Borealem terminum, eſt milliarium ferme centum; latitudo, vbi maxima, circiter quadraginta, exceptis inſulis ad eam pertinẽtibus. Siluoſa eſt, & paſcuis, frumento, melle, feris, pecudibus, piſcibus, & aliis rebus ad victum neceſſariis, abundat. Incolarum plura eſſe, & diuerſa genera, diſſimilitudo linguarũ indicat: quorum aliquos, de veteribus colonis, reliquos eſſe, cõſentaneum eſt: aliquos recens, ex vicina Germania & Sarmatia immigraſſe, certum eſt. Præter Germanicam enim, & Henetam linguam, tres aliæ obſeruãtur, & ab his diuerſę, & inter ſe diſcrepantes, quarum ea, quam Eſthonicã vocant, vocabulis quibuſdam, ſed valde deprauatis, Latinum idioma refert, vt vero non ſit abſimile, quod aliqui annotarunt, à Walachis, qui Latinorum coloni ſunt, argumento nominis, & linguæ Lituanos, ab his Liuonios, ad Reualiam ortos eſſe; ſicut & nomen Reualienſium, ad Wallios, ſeu Wallachos alludit. Sed recentes Reualiæ incolæ à Danis, eò ſunt trãſlati, quos contra Sarmatas Henetóſque perpe-

perpe-

perpetua,in illo littore maris Venedici,bella geſſiſſe,hiſtoriæ teſtantur,& monumenta quæ ſuperſunt. Reualiam enim incolæ,adhuc hodie,Danopil,ſua lingua,vocant. Et Gedanum,cui eruditorum coniectura, Codani appellatio vicina eſt,arcem Danis oppoſitam,Henetorum lingua,ſignificat. Primum ordinis magiſtrum Vinnonem nominant,qui multas,contra barbaros, arces conſtruxit, circa annum Chriſti,milleſimum, ducenteſimum, triceſimum quintum.De his plura ſuo loco.

PHILIPPVS IMPERATOR.

REſpirarat aliquantulum Germania, moderatione, & ſapientia Friderici domeſticis malis explicata, & in tranquillum locata.Reſederat & Pontificum rabies, non tam cruore ſaturata interemtorum,quàm effuſa, atque exhauſta in Imperatorem,gentibus Pontificis aduolutum,& ab eodem proculcatum,cùm ſubiectionem iniuriis extorſiſſet. Sed mox,ab Henrici morte,pari ſeſe vehemẽtia, rurſus incitauit in ſucceſsores,& Germaniã nouis motibus implicauit.Quàm primùm enim,de morte Henrici,fama percrebuiſset,Philippus,vt exequeretur fratris teſtamentum, celerrimè ex Hetruria ſeſe in Germaniam proripuit, Imperiíque Proceres promiſſi, quod filio Henrici fecerant, admonuit.Poſtulauit autem,vt cùm ætas pueri procul abeſſet,ab ea maturitate,quæ in gubernatore requiritur, vel relinqueretur ipſi adminiſtratio tutorio nomine, ſicut inſtituiſſet pater,teſtamento,exemplo Henrici III. vel,ſi id videretur incommodum,aut periculoſum, traderetur ipſi interea Imperium,eo ſe ceſſurum Friderico, vbi adoleuiſſet,ſpondebat,vt ſatisfieret voluntati parentis & promiſſo Principum,Europa verò,certo rectore ne careret.Deliberata hæc,& tractata ſunt Haganoæ,cõſilia gubernante Epiſcopo Argentinenſe.

Multos Philippus,in ſuam pellexit,& traduxit ſẽtẽtiam, Germaniæ principes:& ſuffragia,aut omniũ,aut plurimorum,citra vllos motus,collecturus fuiſſet,niſi deliberationes turbaſſet,& interrupiſſet Innocentius Pontifex:qui,re cognita,mox,per Legatos,reſcidit promiſſa Henrico facta, & vetuit Principibus,ne Philippo Imperium traderent.

Oderat Põtifex totam Friderici poſteritatem:&,quibus poterat,artibus,premebat,ſcilicet, vt certaret ſæuitia cum anteceſſoribus, & nihilo illis fuiſſe mitior videretur erga Friderici poſteros.Sed oderat præ cęteris Philippũ, quòd velut metis ipſi circundatis,in Italia, reſtrinxerat immo-

deratam eius potentiam, & vſurpata gubernatoris authoritate, molitiones iniuſtas, ac tyrannicas repreſſerat. Ideò cùm repetiuiſſet obſides Apulos, Henrico deditos, & Philippus reddere initio recuſaſſet, protinus in eum fulmen anathematis emiſerat: à quo, cùm, poſt dimiſſos obſides, abſolutus eſſet, per Epiſcopum Sutrienſem, Pontifex hunc Eccleſiaſticæ cenſuræ ignominiâ notatum, albo Epiſcoporum expunxit.

Prægrauarat autem Philippum, apud Imperij ordines, falſis criminationibus, iniquè, & calumnioſè, ſéque Põtificiam potius dignitatem, vel cum clade, & ruina Italiæ, in diſcrimen poſiturum, quàm huic Imperium conceſſurum, ſuperbè fuerat interminatus.

Moti tyrannica Pontificis voce, Principes aliqui, quòd proſpicerent, quo euaſura res eſſet, ſi tyrannico illius poſtulato aduerſarentur, ſententias à Philippo inflexerunt ad Bertholdum Zaringiæ ducem, principem prædiuitem, ſed ſordidè auarum, & flagitioſum. Contra hunc, adhærebant Philippo, Saxoniæ dux Bernhardus, Albertus marchio Miſniæ, Boëmiæ rex, & Ludouicus Bauarus, qui ad eum, communi cõſenſu, comitiis Mulhuſij celebratis, Imperium detulerant. Quod ergo Bertholdus ſe imparem fore Philippo, ſi ad arma deuentum eſſet, intelligeret, repudiato imperio, Philippo, data fide, ſeſe ſubiecit.

Pontifex, cùm ſe deluſum eſſe, percepiſſet, impulit Colonienſem, & Palatinũ, vt transferrent Imperium in Ottonem Henrici Leonis filium: atque, vt hoc facilius perficerent, Ottoni coronam promiſit, & Philippum anathemate percuſſit, vt ab eo abſtraheret cæteros. Moti anathemate Boëmus, Turingus, & Argentinenſis, qui primò Philippi partes fouerant, diſceſſerunt ab eo, ad Ottonem. Inde noua bella exarſerunt, quæ in eũ finem exierunt, vt Imperium Philippus obtinuerit, alter ſit à ſuis etiam deſertus. Adeò nullius vnquam vel Imperatoris, vel regis, in orbe Chriſtiano, fuit diuturna felicitas: qui vel impulſu, aut fiducia, aut ope, atque auxilio Pontificum mouerunt aliquid, vel cum his ſeſe confœderarunt, quòd in alieni muneris officia irruerunt Pontifices, & legitimos Imperatores ſceleratè oppugnarunt, intruſis alienis, & nothis, vi & fraude, obliti ſuæ vocationis, & abuſi prætextu nominis, atque authoritatis diuinæ. Teſtantur id, lõgo ordine repetita, ex hiſtoriis, exẽpla, & ante oculos ſunt recentia exempla, confœderationum pontificiarũ, cum Hiſpaniis, Galliis, Mediolanẽſibus.

Quòd

Quòd ergo Pontifex Ottonem , principem audacem,& temerarium depoſceret, contra Philippum , & eidem ſuffragaretur coniunctio regis Anglici Richardi, à Colonienſe Aquiſgranum deductus,& coronatus eſt. Philippus nihil territus aduerſatione Pontificis, & defectione ſociorum, conuertit arma in Argentinenſem: qui proximus erat, eóque duriter caſtigato,& Argētina capta, mox obuiam proceſſit Ottoni,qui, cum exercitu, ad Spiram vſq; acceſſerat. Hunc,conſerto ad Moſellam prælio,repulit. Fugientē conſectatus, Hermannum Landgrauium Turingiæ, Odoacri Boëmi auxiliis ferocientem,magna terræ parte vaſtata,ita contudit,vt ſupplex veniam peteret.

Inde mouit in Colonienſem, occupatíſque partim ſpontanea deditione,partim perſuaſione, Rheni oppidis,Coloniam tandem fame ad deditionem compulit.

Rebus deſperatis Epiſcopus Adolphus , cùm gratiam Philippi emeruiſſet, viciſſim ei Imperij inſignia Aquiſgrani communicauit. Quare incenſus Pontifex,& Colonienſi ordine moto, ſucceſſorem decreuit Brunnonem,& Ottonem impulit,vt Adolpho eiecto, alterum Epiſcopatui imponeret.Id conante Ottone, Philippo prohibente,denuo ad Coloniam dimicatum eſt : ſed caſtris exutus, & profligatus Otto,confugit in Angliam.

Redierat ex Palæſtina recens Conradus Moguntinus: huic,quod Philippo ſtuderet, ademit Epiſcopatum Pontifex , itémque ſucceſsori Ludolpho: tertio demum Sigefrido , quod hoſtiliter ſe gereret erga Philippum, admiſſo,ac recepto. Reſcripti formula extat lib.1.Decret.C.Bonę memoriæ. Moguntinenſi Archiepiſcopo,de elect.& electi poteſtate.

Ad hunc nimirum finem,tot ſeditionibus quæſita, & tā multo ſanguine , parta fuit poteſtas creandorum Epiſcoporum. Hi fuerunt fructus hypocriticæ ſanctimoniæ Pontificum,ſcilicet ſeditiones, periuria, parricidia,iniuſtæ cædes, & graſſationes , euerſiones legum, atque conſtitutionum, humani , diuiníque iuris perturbationes , ordinis omnis confuſiones,& ſimilia.

Quòd ergò, ſeditionibus feſsi, Principes, qui Ottonem defenderant, deſierant Philippum exagitare, iniit ipſe tale conſilium ad Pontificem placandum. Promiſit nuptias filiæ nepoti Pontificis,ex fratre Richardo Tuſciæ, & Marchiæ Anconitanæ comiti, quibus nuptiis cùm ſperaret Pōtifex Tuſciam,Spoletum, & Marchiam Anconitanam vē-

cturas in poteſtatem nepotis, cupidiſſimè oblatas conditiones amplexus, miſſis duobus Cardinalibus, Philippum ſolenniter expiatum, diris exemit, & Ottoni placauit, cōciliata inter eos, per alterius filiæ nuptias amicitia. Hoc dolo cùm Pontificis ambitio eſſet exſatiata, ceſſauit & rabies eius, qua ſedata, Germania à ſeditionum fluctibus rurſus conquieuit.

Rebus ita compoſitis, Imperator Bambergam, curandi corporis cauſſa, ſeceſſit. Ibi, quum, die quodam, phlebotomia, medicationis cauſſa, vſus, ſemotis cæteris, cum vno Henrico Drucheſio Walpurgenſi, hilarioribus colloquiis ſe inuitaret, Otto Witelbachius, cognomēto minor, frater illius, qui à Friderico Bauariam conſequutus erat, in conclaue, dolo diſſimulato, ingreſſus, occaſione captata, ex improuiſo pugionem, quem ſub veſte occuluerat, in iugulum Imperatoris adegit, ex quo vulnere mortuus eſt. Parricida, auxilio Ecberti Epiſcopi Bambergēſis, & fratris eius Henrici Andechſiani, Hiſtriæ marchionis, filiorum Bertholdi ducis Meraniæ, elapſus, tandem ab Henrico Calatino Mareſcallo trucidatus eſt.

Cauſſa cædis hæc fuit. Imperaror Ottoni ſpem fecerat de nuptiis filiæ Cunegūdæ, hanc poſtea, mutata volūtate, dedit in vxorem Wenceſlao, Ottocari Boëmici regis filio, quod Otto, propter iniuſtam cædem, in magnam incurriſſet infamiam, & Imperator duceret indignum, filiæ nuptiis, eum, qui iniuſta cæde pollutus, & humano ſanguine conſperſus eſſet. Diſſimulauit dolorē Otto, donec vlciſcendæ contumeliæ occaſiones opportunas, conſilio, & ope Epiſcopi Bambergenſis, arripuit. Ita Philippus inſidioſè obtruncatus, interiit, decimo Calend. Julij.

Anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo octauo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, cēteſimo, ſeptuageſimo. cùm imperaſſet annos decē, & iam, pacata Germania, Imperium domi exornaturus legibus, ac iuſtitia, foris amplificaturus bellis externis fuiſſet, ſi vita ſuppeditaſſet. Fuit enim natura bonus, ſapiens, moderatus, acer, & magnanimus princeps, non indignus tanto patre, quod oſtendit in Italiæ gubernatione, quam in metu, & officio continuit, & in ciuilibus bellis, quorum aſperitatem bonitate, & lenitate ſua moderatus eſt, ac mitigauit, & acceſſit ad naturæ dotes, rerū multiplex vſus, atque exercitatio lōga, in militaribus negotiis, & politicis. Sed quid foris conarentur optimi principes, quos domi tot inuoluit ſeditio-

ditionibus furor Pontificum, vt in eas cogerentur vitam, fortunaſque ſuas, & Imperij neruos vireſque impendere, niſi vnà cum Imperio euerti vellent? Nec quod de occultis cauſſis Pontificiæ tyrannidis pronunciem, habeo aliud, niſi permiſſu diuino, in pœnam Europæ, perniciémque publicam, hanc in Eccleſiam, & imperium peſtem peruaſiſſe.

Vxorem habuit, vt dixi, Irenem, Alexij Conſtantinopolitani ſororem, ex qua natæ ſunt ei filiæ quatuor. Harum Cunegundē Wenceſlao Boëmo, Ottocari filio, alterā Etiſſam duci Brabantiæ, & deinceps regi Hiſpaniarum, tertiam filio Richardi comitis Thuſciæ, quartam Beatricem Ottoni Saxonum principi, qui poſt Philippum imperauit, elocauit. Coniunx Irene dolore contabuit. Cadauer Philippi, quod Bambergæ ſepultum erat, iuxta Henricum Sanctum, Fridericus ſecundus inde Spiram tranſtulit, ſepulcro notato hac inſcriptione: Philippus Bambergenſis.

OTTO QVARTVS IMPERATOR, HENRICI LEONIS filius.

POst cædem Philippi, rediit Imperium ad Ottonem, qui tamen non diu id poſſedit, deiectus ſcilicet Pontificis ſententia, per quem fuerat euectus. Italiam magno cum exercitu ingreſſus, munerum magnificentia magis, quàm armorū terrore, aditum ſibi ad vrbem Romā patefecit, auro Italorū voluntatibus expugnatis. Morſus tamen, & machinationes perfidiæ, & tyrannidis Pontificum euitare is, atque effugere nequiuit. Romæ enim cùm initiò Innocentium tertium, & facilem expertus eſſet, in impetranda coronatione, & officiorum, mox eundē, poſt coronationē, habuit infeſtiſſimum, quod odium eò vſque proceſſit, vt Pōtifex tandem, perculſum anathemate, priuari Imperio præceperit. Is mox à coronatione, tumultu ſubito in vrbe excitato, Imperatorem in præſens vitæ periculum coniecit, quo multa ciuium cæde, depulſo, Imperator diffiſus Pontificum molitionibus, ſe ex vrbe in Longobardiam recepit, ibique contractis copiis vniuerſis, protinus Romandiolam, Thuſciam, ac marchiam Anconitanam occupauit. Deinceps promouit caſtra in Apuliā, vt, quę Fridericus, Henrici ſexti filius, tenebat, alienata ab Imperio, artibus Pontificum, repeteret, & redderet Imperio.

Id agentem, Pontifex, anathematis ictu, profligauit. Nā, vt Romandiola Romanę ſedi eriperetur, ferre non poterat. Et metuebat Apuliæ, quam poſt Conſtantiæ interitū,

repetebat, ex veteribus pactis. Anathematis formulam Sigfridus Moguntinus in Germania publicauit, & principes, vt Imperium excommunicato abrogarent, impulit; cui, cùm aduerſarentur Henricus Palatinus ad Rhenum, & dux Brabantinus, cum aliis quibuſdam, nouum bellum conflatum eſt, in quo pulſus Moguntinus, confugit ad Hermannum Turingiæ Landgrauium.

His motibus Otto ex Italia retractus, conuentum egit principũ Noribergæ: vbi cùm multa queſtus, de infinita, & ſcelerata tyrannide Pontificum, & de Principũ vecordia, qui iniuſtis illorum cupiditatibus, cedendo atq; obſequẽdo, labefactarent authoritatem Imperatorum, quoſdã in ſuas partes pertraxiſset, bellum renouauit. Etſi autem, ſociorum auxiliis perſequutus illos, qui ad mandata Pontificis, ab ipſius fide diſceſserant, Turingiam euaſtauit, tamen conſeruare Imperium non potuit. Præcipu i enim, & potentiſſimi germaniæ principes, rex Boëmiæ, Bauarus, Saxoniæ dux, & alij, ex Sicilia Fridericum ſecundum euocarunt, non tam ſtudio peculiari erga Pontificem, quàm odio Ottonis, quòd inſolentis ac prętumidi ingenij, inepto faſtu, ex alto deſpiceret cæteros principes, & recordatione promiſſi veteris, amoréque, & recordatione maiorum Friderici. Hic iam ad Briſacum Alſatiæ acceſserat, & Haganoën, hoſti addictam, oppugnabat. Otto illi occurſurus, cùm à ſociis deſereretur, & hoſti ſe animaduerteret imparem fore, Saxoniam repetiit. Fridericus progreſsus, totam ad Rhenum Germaniã occupauit: ſuſceptáque Aquiſgrani corona, & inito, cum Philippo Francię rege, fœdere, inde in Sueuiam ſe contulit.

Confœderationem Imperatoris, & Franci: cùm Anglię rex ſuſpectam haberet, & odiſset Francum, promiſſione auxiliorum, Ottonem attraxit in Belgicum. Ita ibi bellum recruduit, quod tamen diuturnum non fuit. Otto enim à Francis profligatus, à ſuis derelictus, & belli ſumtib. exhauſtus, deſtitit ab Imperio ſponte, quarto, poſtquam id ſuſcepiſset, anno. Inde quinque, poſtquam Imperiũ depoſuiſset, annis exactis, rebus humanis exemtus eſt, fluxu alui dyſſenterico, ſepultus Brunſuigæ.

Anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, decimo octauo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, centeſimo, octogeſimo.

Hoc exitu, pœnas perſoluit, de affectato per ambitionem, & iniuſtis armis, quęſito Imperio extra vocationẽ,

& or-

& ordinem, Pontificum impulſu. Fuit enim non diſſimilis aui, patríſque, ingenio, & fortuna, illo elatus, & inſolens, hoc infelix.

Vxores habuit duas. Primam Mariam, filiam ducis Brabantiæ, quam repudiauit ob conſanguinitatem. Alteram Beatricem, filiam Philippi Imperatoris. Ex neutra ſobolem ſuſtulit. Deceſſit & ſine ſobole maſcula, frater Ottonis, Hẽricus Palatinus ad Rhenum, cuius filiam Agnetem Ludouicus Bauatus, cùm deſpondiſſet Ottoni filio, circiter annum Chriſti, milleſimum, ducenteſimum, decimum quintum, perfecit apud Fridericum Imperatorẽ, vt Palatinatus ad Rhenum, ipſius beneficio, Bauariæ coniungeretur.

Natæ ſunt hoc ſeculo, in Eccleſia plures, ac diuerſæ Monachorum familiæ, veræ pietatis, doctrinæ Chriſtianæ, & diſciplinarum, ac liberalium artium peſtes publicæ. Fuêre duæ, quæ vnum authorem Bernhardum profeſſæ, legibus, moribus, cultúque inter ſe plurimùm díſcreparunt. Vnius ſe familię ſocij, pauperes Lugdunenſes: alterius, Humiles Italos nominarunt. Hi in oculis hominum viuebant, concionabantur, interpretabantur ſcripturas: Illi contemnebant opes, emendicato oſtiatim cibo victitabant, exempla Apoſtolorum iactitabant. His repudiatis à Pontificibus, ſucceſſerunt aliæ, quæ, vt ſuperſtitio fœcunda eſt, & errorem ex errore parit: vana hypocriſeos ſpecie, in admirationem adductæ, partu fœcundiſſimo, ita ſeſe effuderunt, vt non multorum annorum ſpatio, prouentu penè incredibili, ſed varietate monſtroſa, in omnes Occidentis angulos ſeſe diſſeminarint, & in aulis, gynæceis atque vrbibus, penè ſoli dominati ſint, intérque ſeſe crudelibus odiis, & machinationibus de principatu ſint digladiati linguis, non armis. Conditores celebrant Franciſcum, & Dominicum, quorum hunc Hiſpania, illum Aſſiſium, Vmbrorum oppidum, in Italia, produxit.

Carmelitas, in Europã, ex Aſia, euomuit Carmelus mõs, colonias ducente Alberto quodam Patriarcha Hieroſolymitano. Eremitas genuit Gallia, familiam condente Wilhelmo Aquitaniæ duce, & Pictauienſium comite: vt ſectarentur Auguſtini dogmata, & veſtigia, quem profiterentur nomine, ſicut Græci monachi, quos Calogeros vocant, deprauata dictione, quaſi καλὸς ϗ ἱερεὺς Baſilium iactitant.

Conſilium primorum authorum fortaſſe malum non fuit. Quòd enim, in collegiis opulẽtioribus ſacerdotum, & monachorum, iam regnarent luxus, & helluationes: ſtudia

verò doctrinæ, & pietatis (xoleuiſſent, ſacerdotibus occupatis ambitioſo regum, & principum ſplendore, & politica gubernatione, labantem Eccleſiæ diſciplinam fulcire, atque ad ſeueriorem viuendi rationem reuocare, hos voluiſſe, coniicio: quæ res, cùm ſapientibus viris probaretur, citò creuerunt familiæ, concurſu magnæ multitudinis hypocriſi admirationem augente.

Sed cùm animos iam teneret profunda ſuperſtitio, & Pontificum tyrannis inualuiſſet, mox hæ familiæ conuerſę ad ſtudium defendendi, ac ſtabiliendi præſentem ſtatum, adeò cumulauerũt priora, nouis errorum, ac ſuperſtitionum commentis, vt quod adhuc reliquum fuit lucis, in dogmatibus, prorſus obruerint atq; extinxerint. Aliud enim prorſus, & nouum fabricarunt doctrinę genus. Aliud inſtituerũt operũ genus, vtrumque philoſophiæ potius, quàm fidei analogon, & præſenti Monarchiæ Pontificum, quàm regno Chriſti accommodatius. Sed hypocriſi fucatum vtrumque. Corruperunt doctrinam de peccato, de caligine in mente, & de vitiis in voluntate nihil dixerunt: & morbum, qui & reliquus eſt in renatis, finxerunt non eſſe malum pugnãs cum lege Dei: deinde concupiſcentiam, de ſenſibus, & appetitione naturali, intellexerũt: quam debebant intelligere ἀταξίαν appetitionum, & ſimul complecti caliginem mentis, & vitia voluntatis. Legem Dei prorſus transformarunt in philoſophiam, quæ tantùm de ciuili diſciplina loquitur: & dixerunt, legi Dei ſatisfieri per hanc diſciplinam ciuilem, ſeu philoſophiam: id eſt, per externa opera, & qualemcumque conatũ voluntatis: etiãſi in mente dubitationes: in voluntate, & corde multæ prauæ inclinationes maneant. Has ipſas etiam dubitationes, & prauas inclinationes, docuerunt non eſſe peccata. Inde detexuerunt alia commenta, quibus deleuerunt Euangelij promiſſionem, & totum beneficiũ Filij Dei, quod finxerunt homines iuſtos eſſe coram Deo, id eſt, Deo acceptos, propter opera, non fide gratis, propter mediatorem Chriſtum, quæ eſt perpetua doctrina Prophetarum, & Apoſtolorum.

Diſcrimen legis, & Euangelij prorſus ſuſtulerunt. Tradiderunt enim legem eſſe triplicem: Naturæ, Moſaicam, & Euangelicam: & quod ſtatuerunt hominem lege Dei ſatisfacere, excogitarunt, priuata audacia, alia opera, & alios cultus, quos & prætulerunt longè operibus præceptis in lege, & mercede, ac precio applicarunt aliis. Quam abſur-

da

da commenti ſunt de perfectione? Mendicitatem ſuam, quam vocarunt, diſceſſionem ſpontaneam à facultatibus, & impurum cœlibatum, ac ſimilia monaſtica, quantis extulerunt laudibus? Denique, impudenter, vitæ monaſticæ genus inſtitutum eſſe, prædicarunt, ad promerendam remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem; & finxerũt, eſſe ſtatum perfectionis, ac longè euexerunt, ſupra alia vitæ genera, à Deo ordinata.

Introduxerunt & ſtultas imitationes politiæ Moſaicæ, voluerúntque in Chriſtianiſmo, ſimile ſacerdotium, ſimiles ceremonias, talia ſacrificia inſtitui oportere, cuiuſmodi Moſaica fuerunt; quæ omnia nata ſunt, ex inſcitia diſcriminis, inter legem, & Euangelium.

Doctrinæ de pœnitentia, quantas offuderunt tenebras, diſputationibus inextricabilibus? quæ fuerunt horribiles carnificinæ conſcientiarum? Onerarunt conſcientias mandato confeſſionis, & laqueis implicarunt numerationis peccatorum: abſolutioni detraxerunt efficaciam omnem, cùm negarunt prodeſſe, ſine meritis præcedẽtibus; & præceperunt manendum eſſe in perpetua dubitatione. Præterea impoſuerunt certorum operum neceſſitatem confeſſis: & indixerunt, humana authoritate, expiationes peccatorum, quas ſatisfactiones vocarunt pro peccatis, ad promerendam liberationem à pœnis æternis, quæ pepererunt, & auxerunt alias nouas opiniones, pleniſſimas mendaciis, impietate, & blaſphemiis in Deum; de votis Monachorũ, de applicatione Miſsæ, pro viuis, & mortuis; de peregrinationibus ad loca ſanctorum; de indulgentiis, de purgatorio, & ſimiles alias ſuperſtitioſas obſeruationes, commentitiorum, & inanium operum, diſcriminis ciborum, dierum, veſtium, imaginum, votorum, ſupplicationum, ieiuniorum, & aliarum traditionum humanarum, quæ, quanto pondere, trepidas conſcientias preſſerint, quanto pauore compleuerint, quibus conſtrinxerint laqueis, monachis & carnificum munia obeuntibus, & noua tormentorum genera ſubinde cudentibus, non eſt ignotum.

Omitto hic commemorationem idololatriæ, quæ fuit in cultu ſanctorum, adoratione conſecrati panis, Miſsarum venditione, & applicatione pro aliis, ex opere operato, in Ethnicis pompis ſupplicationum, & proceſſionum: alibi enim copioſiùs recitantur, & refutantur manifeſtis doctrinæ ſacræ teſtimoniis, in ſcriptis noſtrorum.

Hæc monere in hoc loco volui, vt conſiderentur, qualem

hi noui doctores, qui fuerunt non miniſtri Eccleſiæ Chriſti, ſed Pontificum ſatellites, conſcientiarum carnifices, ſuperſtitionis barbaricæ architecti & antiſtites, omnis doctrinæ liberalioris iurati hoſtes, qualē ergo hi pepererint doctrinam, & quando tyrannis horum, quæ intolerabilis fuit, orbi Chriſtiano, eſſe cœperit, & ſit confirmata. Etſi autem authoribus primis, nec ſincerum pietatis ſtudium, nec eruditionem derogo: & fuiſſe, in illis collegiis, plurimos omni tempore, conſentaneum eſt: qui excitati diuinitus, dogmata, quæ recenſui, & flagitia, atque improbitatem vitæ, in collegiis taxarunt, ſicut multorum exempla meminerunt maiores noſtri, ante Lutherum: tamen hac proxima ætate, monaſteria, in genere, quid fuerunt aliud, quàm officinæ ſuperſtitionis Ethnicæ, & latebræ hominum ineruditorum, refertæ mendaciis, & idololatria, in vita horum molli, atque affluente, & tacitè flagitioſa, plena hypocriſi? Horum impoſturas, & præſtigias reiectas, & inciſa eſse vincula, quibus conſcientias excruciarunt, luce veræ doctrinę, Deo gratias agamus, & precemur vero intimorum pectorum gemitu, vt in hac extrema, & delira Eccleſiæ, ceu ſenio fatiſcentis ætate, doctrinæ lucem conſeruet, & tollat diſſidia docentium in Eccleſia, ac ſanet vulnera, vt ſint, qui ipſum rectè inuocent, ac celebrent in agnitione, & fiducia Filij Mediatoris Jeſu Chriſti, vſque ad glorioſam reſuſcitationem mortuorum Amen.

Τέλος, θεῷ δόξα.

LIBER

LIBER QVINTVS CHRONICI CARIONIS,

A FRIDERICO SECVNDO, vſque ad Carolum Quintum.

EXPOSITVS, ET AVCTVS à Caſparo Peucero.

PERTINET HIC LIBER ad partem tertiam Chronici.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO AVGVſto, Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Electori, & Archimarſchallo: Lādgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggrauio Magdeburgenſi, Domino ſuo clementiſſimo, S.D.

Magna ſemper fuit diſſimilitudo illorum, qui vel hiſtorias ſcripſerunt, vel, ex diuerſis hiſtoriarum monumentis, excerpſerunt epitomas chronicorum. Sæpe enim, vt de eloquētia, & aliis naturæ ſtudiiq; adiumentis non dicam, defuit vtriſque iudicij, & rectitudo, & firmitas, quo factum, vt, vel errore iudicij in cauſſarum, & aliarum circumſtantiarum explicatione, à ſcopo diſceſſerint, cuius rei exempla, ex iis hiſtoriographis, recitat Polybius, qui ipſum anteceſſerunt, vel imbecillitate quadam ingeniorum, alienas magis, quàm ſuas ſequuti ſententias, vera falſis inuoluerint & hiſtoriæ lumen, veritatem obſcurarint.

Eſt verò magna vis, etiam in vtrãque partem, omni tempore, cum affectuum, à quibuſcunque exiſtant cauſſis, ſeu à præcōcepto aliquo iudicio, ſeu ab inſita, aut conſuetudine contracta propenſione naturæ, ſeu à corruptionibus: tum verò & peruulgatę, inueteratæq; in animis hominū, & rumoribus publicis tritę, atque confirmatæ opinionis, de quo & dicitur, ὅτι δόξα βιάζεται

τὴν ἀλήθειαν, & extant ſapientum querelæ, atque commonefactiones, quibus præcipitur, ne qui ſapientiæ laudem quærunt, veritatem, ex imperitæ, ac cęcæ multitudinis affectibus, & opinionibus æſtiment, ac iudicent, néve ſtrepitu, applauſúque vulgi capi ſe ſinant, quale eſt comicum illud, concinnum admodum, & breue.

Αἰσχρὸν κρίνειν τὰ καλὰ τῷ πολλῶν ψόφῳ.

Turpe eſt ſuſurro vulgi honeſta metiri. Et Cleanthis Philoſophi elegantes verſus, in eandem ſententiam, celebrat Clemens Alexandrinus:

Μὴ πρὸς δόξαν ὅρα ἐθέλων σοφὸς αἶψα γενέσθαι,
Μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν·
οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, οὔτε δικαίαν,
οὔτε καλήν, ὀλίγοις δὲ παρ' ἀνδράσι τοῦτο κεν εὕροις.

Si, quæ ſit vera, eſt ſtudium, ſapientia, noſſe,
Fluctuet incertis mens non erroribus intus:
Nec clamor ratione carens, experſq; pudoris,
Te moueat vulgi, quod non reſpectus honeſti,
Nec iuſti, rective regit mens conſcia. namq;
Iudicij paucis contingunt munera firma.

Nec rarum fuit omnibus ſeculis, vt ex hiſtoriographis aliquid fidei, ac veritatis hiſtoricę obliti, adularentur cupiditatibus, vel potentum, metu periculi, aut ſpe præmiorum, vel multitudinis, & ſuas commentationes inſtituerent, & contexerent. aut ad vnius nutum, aut ex iis, quæ promiſcuę plebis ſermonibus, ac cenſuris iactarentur, ac probarentur.

Ex his cauſſis natam diſſimilitudinem ſcriptorum, fateor, viciſſim afferre difficultatem non paruam lectoribus, quærentibus in hiſtoriis, veras rerum geſtarum occaſiones, cauſſas, & euentus, & remorari, atque detinere iudicia eorundem.

Verùm ex hac difficultate, facilè ſeſe explicabit is, qui gradus hominũ, in ſocietate generis humani, & ſingulorũ officia, diſtinxerit: qui ingenia, & mores principum penitius aſpexerit, & cõſiderarit, quos nullius eloquentia vnquam ita pinxit, aut occultauit, vt agniti non ſint. Qui conſilia etiam, actionéſq; eorum, tã bellicas, quàm togatas, quo ſpectarint illæ, ac tetenderint. & ex quibus natæ ſint, atque profectæ cauſſis, ac fontibus, non oſcitanter inquiſiuerit, ac penſitarit. Qui ſophiſmatum præſtigias fucóſque, à iuſtis, ac rectis conſiliis, & à veris cauſſis prudenter diſcreuerit prætextus, ac προφάσεις ſeu προσχήματα quæ, non animaduerſa, ſapientibus etiam imponunt, ſicut dicitur:

Πολλαὶ τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι: *qui quales fuerint ſcriptores, quibus fauerint, & adhęſerint: vel potius, quibus, ex obligatione aliqua, ſunt aſſentati, attenderint: deniq; qui ad iuſtarum legum,*

legum, & ad immotam, nec vnquam fallentem normam iudicij diuini, in iis expreſſam monumentis, quę, ſua voce, Eccleſię, Deus tradidit, & commendauit, cuncta retulerit, atque explorarit.

Henricum quartum, Fridericum ſecundum, Ludouicũ Bauarum, rabioſè exagitant ſcriptores Pontificij, collatis in eos, atque coaceruatis criminibus tot, & tantis, vt vendendis illis non ſufficiat nauis vna ἑκατόζυγος. Veras cauſſas, & ſceleratas molitiones Pontificũ prorſus diſſimulant. Alij, & inter hos nonnulli ex Italis ipſis, longè aliter, ac verius, eaſdem hiſtorias exponunt. In hac diſcrepantia, quid vero maximè ſit cõſentaneum, oſtendit, & declarat collatio reuocata ad fontes. Ex vna falſa hypotheſi detexuntur Pontificia omnia, ſcilicet, Pontificem iure diuino armatũ eſſe vtroq; gladio, & caput eſſe, ac Dominũ Eccleſię, & regnorum mundi. Hæc hypotheſis, vt ſunt δεινὰ τὰ τῶν τυράννων λήμματα, cauſa extitit maximorum malorum in Europa. Sed impudenter cõfictam eſſe, oſtendit vox filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Apoſtolis, quorum ſeſe ſectatores falſo Pontifices iactant, veſtigiis eorum nulla in re inſiſtentes, Apoſtolis ergo dicit: Reges gentium dominentur vobis, vos autem non ſic.

Nihil habet iuris in regna politica, nullum in Eccleſia principatũ, politico ſimilẽ, Pontifex Romanus, niſi falſa conceſſionis diuinę ſpecie, monarchus per ſeditionem & fraudes, extortum: ſed minimè tolerandũ. Expreſſè enim dicit Chriſtus: Sicut miſit me Pater, ita mitto ego vos, non ad conſtituenda, gubernanda, transferenda aut diſtribuenda regna mundi: ſed ad Miniſterium Euangelij, & ſacramentorum. Nec obſcurum eſt, quando & quibus occaſionibus, atque initiis, hic principatus primùm cœperit, creuerit deinceps paulatim, ex diſſidiis, & bellis ciuilibus, quæ inter Imperatores accenderunt Pontifices, confirmatus ſit tandẽ, deiectis, atque oppreſſis Henricis, è Francorum Orientalium, & Fridericis è Sueuorum gente, cũ Epiſcopos Germanię, auulſos ab Imperatorum fide, & obedientia, ſibi ſubiecerunt, & Rodolphum Habsburgenſem, ad Flaminię, Æmiliaq;, & eorum, quę in Hetruria, ac Piceno tenent, conceſſionem adegerunt.

Imperij ſunt, non Eccleſię Romanę, regna, quę Epiſcopi tenẽt. Et ius gladij vſurpãt hi, atq; exercent, non Pontificis Romani authoritate, multoq; minus diuina, ſed beneficio, & conceſſione Imperatorum. Principum nomen, & dignitatem cum opibus, quę ſunt Imperij conſtitutione, & cõſuetudine antiqua, accipiunt ab Imperatore tanquam iuſto, & vero domino: Epiſcoporum nomen à Pontifice Romano, non vt à iuſto domino, nec aliquo ipſius peculiari iure. Prærogatiuam enim in Eccleſia Chriſti, nullã habet præ aliis, nullo iure, ſed ſola conſuetudine introductę tyrannidis

Nam ne hunc quidem titulum Epiſcopi, ante Henricos, à Romana ſede petiuerunt. Nec propterea facultates eripio Eccleſiæ, cui debetur ſuſtentatio à Principibus, mandato diuino, iuxta dictū: Reges erunt nutritores tui: & ex iis quidem debetur, quæ ſunt Eccleſiæ, Regna eripio, quæ Chriſtus non contulit, aut cōmendauit Eccleſiæ. Eadem in cæteris ratio eſt. Neque verò hic diſputationem inſtituo: exempli cauſſa hæc commemoro, quæ intellectu, & iudicatu facilia ſunt, rectè doctis ex repurgatæ doctrinæ luce, de impoſturis, & fraudibus Pontificum.

Sed minus aliquantò obſcuritatis eſt, in ſequentibus hiſtoriis Imperij Romani: habuit enim poſterior ætas, quandoque, mediocres ſcriptores, quos excitauit, & impulit Pōtificū audacia, & impudentia, cùm ad vindicandū Imperij decus, & neruos, tum ad elidēdam clypeis chartaceis, & calamorum telis, vim fulminum Pontificiorum, quæ à ferreis, & æneis armis inuicta, violentiam belli omnem reſpuebant. Et aliquātò plus, ſcripta, ſubnixa vi, & authoritate ſcripturæ ſacræ, quàm arma, effeciſſe, res docet.

Externarum gentium hiſtoriæ obſcuriores ſunt. Commouerūt enim ſeſe, Orientem verſus, denuo duæ efferæ, & barbaricæ gētes: in Aſia Turci, Tartarorum ſoboles: in Europa Roſſi, gens Heneta: & acceſſit tertia, eouſque nomine, vtrique parti terræ, Aſiæ, Europæq́ incognita, Tartarica ſcilicet, Scytharum, veteri cognomine, recentibus Græcis nobilitata. Hæc diſperſa per vaſtas, & immenſas ſolitudines Orientis, ea parte, qua regnum Cathaynæ latè extenditur, vſque ad Sinarum regionem, & ſinum Perſicum, vagatur, & viuit ferarum ritu, ſine legibus, ſine vrbibus, magna ex parte ſine religione certa, ſupellectile vniuerſa carris cōpoſita, quos ſubinde transfert, ſedibus mutatis, vnde ἁμαξοβίους *hos veteres Græci vocarunt.*

Ante Tartarorum irruptionem, denominabātur ferè in Aſia anteriore Turci, domitis Saracenis, quorum leges, ex inſtituto Mahometis, in religione, ſectari cœperant: in Europa Roſſi, à quibus Ratiorum propago defluxit. Sed vtroſq́ Tartari, exundantis fluminis, aut tempeſtuoſæ procellæ impetu, è ſeptentrione effuſi oppreſſerunt. Hic impetus cùm remiſiſſet, vtriq́ ſeſe, repulſis Tartaris, paulatim rurſus erexerūt, eo ſucceſſu, vt ampliſſimum Imperium armis acquiſiuerint Turci, conflictati cum imbecillibus Aſiæ gentibus, & longiùs à feritate Tartarica diſſiti. Potentiam minimè contemnendam coëgerunt Roſſi, quanquam aſſiduè à tergo incumbentium Tartarorum armis ſæpe retenti, atque impeditè. Moſchos ſe Roſſi nominant: quæ vox originem gentis deſcendiſſe oſtendit, à Meſech, filio Iaphet, & ſignificat Hebræis extendentem, ſcilicet, arcum, hoc eſt ſagittarium, ſeu iaculatorem.

Moſchis

Moſchis cognatam eſſe gentem Moſſinœcorum, vicinia habitationis teſtatur, & nomen, & hiſtoria Argonautica, qua Moſſinœcos collocans ad Colchidem, vbi Moſchos Stephanus reponit, ſæuitiam, feritatem turpitudinem eorum deſcribit.

De his duabus gentibus, Turcica, & Roſſica cogitans, ſæpe recordor illius verſus Pſalmi, qui eſt graduum primus: Hei mihi quod exul ſum, in Meſech, & habito in tabernaculis Kedar. Nã pingi imaginem Eccleſiæ horum temporum, exiſtimo, quæ obiecta acerrimis, & acerbiſſimis hoſtibus Turcis, & Moſcouicis, ſummè periclitantur Kedar haud dubiè Arabes ſignificat, ortos à filio Iſmaëlis, quos in religione ſequuntur Turci. Verè nunc Eccleſia exulat inter Meſech, & Kedar. Rabiem Moſcouiticã Liuonij experiuntur, & Lituani. Turcicam Græci, & noſtri vicini Vngari. Vtinam neutra procedat longiùs: vtinam Principes orbis Chriſtiani, magnitudinem periculorum, quæ ab his gẽtibus impendẽt, conſiderantes, anteuertere, atque amoliri ea, maturè coniunctis armis, conarẽtur. Sed fit in his periculis, quod dicitur τὸ οἰκεῖον πιέζει, τὸ δ' ἀλλότριον οὐ μέλει. Vereor ergo, ne ſequantur pœnæ, quæ exprimant nobis, etiam has ipſas pſalmi querelas.

Sed ad inſtitutum reuertor. De his ergo gentibus, obſcuriores extant narrationes, ex quibus elicere ſtudui, quæ iudicaui vero maximè congrua eſſe, atque conformia. Perduxi autẽ epitomem ad Maximiliani Imperatoris exitum, ex hac vita, & initia certaminum in Eccleſia, quibus cauſſam præbuit impudentia plus quàm Terſitica ſycophantarum, qui venales circumtulerunt indulgentias, venditatas populo, tanta mendaciorum improbitate, & ſcurrilitate, vt præcones Pontificij, è ſuggeſtibus, aſſiduè vociferando, affirmare non ſint veriti, ad tinnitum proiecti in arcam æris, confeſtim damnatorum animas exolutas compedibus, rectà, è purgatorij flammis, euolare in cœlum. Talium mendaciorum impudentiam, & vanitatem cùm taxaret Lutherus, certamina exarſerunt, quæ inclinationem primò, mox ruinam regno Pontificio attulerunt.

Cætera quæ, poſt hæc initia ſequuta ſunt, in Eccleſia & reliquam omnem Imperij hiſtoriam, percurram deinceps, ea breuitate, quæ chronico conuenit, ſed hiſtorica, & religioſa fide iis cauſis commoratis, quas, & didici eſſe veriſſimas, ex viris optimis & fide digniſſimis, qui rebus ipſis interfuerunt, tanquam pars, eaq; non minima, & nonnullas ipſe cognoui coram, & prudentibus ſatisfacturas eſſe confido.

Adiecit nuper, ad Naucleri chronologiã, paralipomena, monachus quidam Coloniẽſis, qui Surrianum ſe nominat, ſcurram ſe vocauerit rectius. Nam vtrum rem ſeriã agat, an ſcurretur, non

ſatis apparet: tam impudenter res manifeſtè veras, calumniatur, ac deprauat. Sed à monacho quid expectemus aliud? Nam iſtius deplorati, profligatiq́; generis hominum plus quàm caninã impudentiam, & audaciam, plus quam diabolicam, iam multis ſeculis orbis Chriſtianus ita deteſtatur, vt & Pontifices ipſos, florente adhuc Romanæ Hierarchiæ ſtatu, de ea coërcenda conſilia quærere oportuerit: & Papa Pius, qui, ante Pontificatum fuit Æneas Syluius, rabiem diabolicam, monaſtica mitiorem eſſe, non dubitarit pronunciare, hoc diſticho:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audent,
Effrenis monachus, plenaq́; fraudis anus.

Quare lætetur, & pingueſcat ille maledicentia ſua, cuius, quẽ habuerit magiſtrum in ſuo latibulo, res ipſa indicat, & lætetur eo vſque, donec in eas redigatur anguſtias quas immutabilis iuſtitiæ diuinæ ordo, blaſphemis hoſtibus Filij Dei decernit,

Vt quę repertori, nocuit, pugnacis iambi,
Sic ſit, in exitium, lingua proterua, tuum.

Qui verſus poët veteris, Archilochum maledicũ poëtã notãt, de quo Pindarus ait: ἴδον γὰρ ἑκὰς ἐὼν τὰ πολλ' ἐν ἀμαχανίᾳ ψογερὸν Ἀρχίλοχον βαρυλόγοις ἔχθεσι πιαινόμενον *Sed in longè maiorem* ἀμηχανίας *coniicientur ij, qui blaſphema conuicia iacere in Filium Dei, non deſinunt, toties commonefacti, confutati, reuicti.*

Doctrina noſtrarum Eccleſiarum irrefragabili authoritate, perſpicuitate, quanta nullius eſt doctrinæ, certitudine immota, verbi cœleſtis: ipſa ſeſe, & inſtauratores ſuos, ac propagatores tuetur atque defendit: & viri boni reſtingunt calumnias, meritis, & innocentia ſua, vt qui aquam in ignem ſpargunt, vt apud Pindarum dicitur. Sed ſi qui ſunt, ex aduerſariis, quos ſcurrilis leuitas, & impudens vanitas, iſtius monſtri delectat, ij, ſi pertinaciter odiſſe, & hoſtiliter perſequi doctrinam noſtrarum Eccleſiarum perrexerint, quam eſſe vocem Filij Dei, in tam clara luce, declaratæ veritatis, dubitare amplius non poſſent: ij ergo intuentes in excidium gentis Iudaicæ, Deum, in hac vita etiam, gloriam filij ſui, publicis cladibus vindicaturum eſſe cogitent, & ſi pœnas diſtulerit, æterna tamen ſupplicia, pertinacibus hoſtibus Filij Dei conſtituta, ipſis atrociora fore, & grauiora ſciant.

Ad Tuam verò Celſitudinem, Illuſtriſſime Princeps, ſacri Romani Imperij Elector, & Archimarſcalle, Saxoniæ Dux, Domine clementiſſime, hanc partem chronicorum mitto, ſub Auguſto nomine tuo publicatam, vt cùm ocij aliquid contigerit à publicarum rerum cura, & adminiſtratione, quam & propter dignitatem, atque eminentiam muneris publici, in Imperio, & propter exiſtimationem, ac celebritatem nominis, virtutum fama

excitatam, & propter ſingularem erga Eccleſiam, ac rempublicam affectionem, tot monumentis illuſtrem, atque conſpicuam, Celſit. Tua experitur, & ſuſtinet difficiliorem: vt per ocium ergo, in hac epitome, velut in ſuccincta, ac breui tabella, vno quaſi intuitu, complectatur formam Imperij veteris, quæ inde vſque à Friderico ſecundo, fuit eadem. Et vt commonefacta Celſitudo tua, breuibus his indicationibus, reuocet in memoriam exempla gubernationis publicæ, conſiliorum, rerum pace belloque geſtarum, cùm ab aliis, tum verò à maioribus Celſitudinis Tuæ: qui ita cum Imperatoribus ſeſe coniunxerunt, vt onerum, & periculorũ molẽ interdum multò maximam, tranſlatam in ſeſe, penè ſoli fortiſſimè, & ſumptuoſiſſimè, pro incolumi reipublicæ ſtatu, & Imperij dignitate, ſuſtinuerint. Denique, vt occaſio ſit Celſitud. Tuæ, de cauſſis conſiliorũ, mutationũ & euẽtuum, qui acciderunt, & prolixiores hiſtorias conſulendi, & cum viris ſapientibus, in Senatu tuo, diſſerẽdi, hoc tẽpore periculoſiſſimo, quo fatalem ruinã minitari videntur paſſim regna Europæa, præſertim, cum nulla re perinde delectari, Celſitud. Tuam, intelligam, quàm repetitione veterũ hiſtoriarũ, & patriæ præſertim, qua in re ſapientiſſimè iudicat Celſit. Tua. Nã cùm homines omnia iudicent, aut regulis quas ſcholæ tradunt & doctrina philoſophorũ aut exemplis, quę ſuppeditãt hiſtoriæ, regulæ ſine exẽplis, minus ſubeunt animos hominum, minuſq; afficiunt, aut permouent, & prodeſt, quocunque tempore, exempla ſimilium caſuum, & cõſiliorum in gubernatione, conſiderando, ex aliis diſcere nobis quod ex vſu ſiet. Nã ſecundum poetam: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Vt ergo Celſit. Tua, clementiſſimo animo & hoc munus accipiat, & me complectatur ea, qua par eſt, ac decet, animi ſubiectione, rogo. Cũq; ante oculos, & in conſpectu ſit, quãtum interſit Eccleſię, apud exteras gentes, quæ fontes repurgatæ doctrinæ, in academiis Celſit. Tuæ diſcũt, indéq; latè propagant, ac diſſeminant: quantũ reip. interſit, Celſit. Tuã incolumi valetudine, & ſtatu, diutiſſimè florere: Deum æternum, Patrẽ Domini, & Saluatoris noſtri, Ieſu Chriſti, toto pectore oro, vt Celſit. Tuã protegat, ſeruet, ac tueatur, vt frui pietatis tuæ fructu, protectionis ope, beneficẽtię ſubſidio, diu feliciter poſſint hæ regiones, & Eccleſiæ exteræ, quæ vna voce nobiſcũ, & profitetur doctrinã Filij Dei, & Deum in agnitione, & fiducia huius vnici Mediatoris Ieſu Chriſti, recte agnoſcunt, & inuocant. Bene & feliciter valeat Celſit. Tua. Datæ VVitebergæ, pridie Calend. Noueb. anno, M.D.LXV. Hoc die, ante annos octo, & quadraginta Lutherus VVitebergę, propoſitis thematibus, ad valuas templi quod arci contiguum eſt, cœpit oppugnare indulgentias Pontificu Romanorum,

& reſtituere doctrinam puriorem, quam, vt conſeruet Deus, & ſemper ſibi, inter nos, colligat Eccleſiam, celebraturam ipſum, in tota æternitate, ardentibus votis precor.

Celſitudinis Tuæ
ſubiectiſſimus
CASPAR PEVCERVS D.

AD LECTOREM.

ETSI hiſtoriæ, quarum epitomem, in hac editione, complexus ſum, minus videntur eſſe intricatę. pręſertim quo propius ad tempora noſtra accedunt: idq; fit beneficio nonnullorum ſcriptorũ, quibus plurimum, ob pedem, & diligentiam, debet poſteritas: tamen hęc mihi ſcribenti, ſæpe vſu venit, vt cum gemitu & dolore, requirerem promptam expeditamq; memoriam, & exquiſitiſſimum, atque exactiſſimum iudicium ſoceri mei Philippi Melanchthonis. Sæpe colloquia deſiderarem, ac cenſuras aliorum etiam, quibus hiſtoria orbus terrarum exploratior eſt, atque perſpectior. Sunt tamen ex his aliqui, quorum quanquam abſentium, fidelis opera, & liberalis multarum rerum communicatio, plurimum me adiuuit. Inter hos à Philippo, proximè colloco Georgiũ Sigiſmundum Seldium Auguſtanum IV doctorem duorum Imperatorum Caroli V. & Ferdinandi fratrum, procancellarium, & Hubertum Languetum Burgundum. Nam Philippo Melanchthoni, cuius diuino ingenio & inſuperabili induſtria, ac dexteritate, excitatum, in his regionibus, & in amorem atque admirationem, præcipuè adductum eſt hiſtoriarum ſtudium, qui vſum lectionis hiſtoricæ in communi vita, in Eccleſia, & republica, in maximarum controuerſiarum diiudicatione, vnus ante alios, & monſtrauit, & illuſtrauit, ſi primas tribuam nemo me reprehenderit.

Georgio Sigiſmundo Seldio, meo præconio opus non eſt. Eum iuuenem adhuc excellentia ingenij, prudentia pro ætate maior, doctrina varia, & ſolida, admirabilis copia, ornamento virtutum, eloquentię eximia facultas, peritia linguarum plurimarũ, & omnis antiquitatis, & hiſtoriarum, primùm commendarunt Carolo quinto Imperatori, vt in honore apud eum, ac precio eſſet, & ad gubernationis ampliſſima, atque occupatiſſima, ſumma, ac difficillima negotia adhiberetur. Ad hęc, cùm acceſſiſſent ętas

gran-

grandior, vſus rerum, atque exercitatio, maturitas exculti perpolitiq; iudicij, documenta induſtriæ, ſolertiæ, ſapientiæ, iuſtitiæ, moderationis, integritatis, conſtantiæ fidei, candoris, humanitatis, in eam venit, apud Imperatorem, Ferdinandum, opinionem, & admirationem, vt de Seldij conſilio, atque ſententia, ille in Imperio ſuſceperit, atque adminiſtrarit pleraque ex iis, quibus Germania, poſt difficillima, & longa bella, ex perturbatiſſimo rerum ſtatu, reddita eſt, atque reſtituta ſalutaris tranquillitas.

Hęc me reticere aut diſſimulanter præterire, non ſinit memoria virtutum illius viri, cui quantum debeo, tantum perſoluere nullis gratitudinis officiis poſſum. Sed tamen qualicunque teſtificatione affectionis erga illum meæ, parentare virtuti, fidei, & meritis erga remp. mortui, gratitudo me coegit. Plura conantem addere prohibet acerbitas doloris renouati, recordatione triſtiſſimi caſus, quo nuper ille miſerrimè periit. Reip ſi quid mea vota valent opto, precórque, ita vt floreat, huius viri ne operam, & conſilia dēſideret

A Philippo itaque & Seldio & Langueto me pręcipuè, ac plurimum adiutum eſſe, in hac parte chronici, profiteor, & glorior. Veſtigia mei magiſtri, & ſoceri Philippi ita, vbi licuit, conſectari ſtudui, vt non ſententias tantùm ſed & verba eius retinuerim. Nam, ſi idem coner aliter exponere, quàm ab ipſo recitatum reperiam, nimis arroganter fecero. A Seldio accepi diligentiſſime conquiſitas, & concinnè admodum deſcriptas, ac liberaliſſimè mecũ communicatas plurimarũ familiarũ origines, ſeriem, mutationes, adiunctáque iudicia de ſingularum mutationum cauſſis, & occaſionibus, grauiſſima, quib. tranſlationes prouinciarũ, & dignitatũ factæ ſunt. Has, cùm vnà mecũ amici intuentur, admirantur, & diligentiam penè ſuperſtitioſam, hominis occupatiſſimi. & impenſam inſuper curam, atque operam, in deſcriptionem, ac diſtributionem, tanto ſtudio elaboratam, ab ipſo authore, vt ad elegantiam, etiam nihil addi poſſe videatur.

De rebus externis, me prolixè docuit Languetus, & quantum recentioribus ſcriptoribus ſingulis tribuendum ſit, accuratè monuit. Iudicium huius viri maximi facio, propter dexteritatem, rectitudinem, & plurimum rerum vſum. Non enim cognoui hactenus quemquam, cui cum hiſtoriis veteribus omnibus, ac recentibus, ipſa regna Europæ ſeculo noſtro notiora ſint. Horum iudicia & ſententias cum iis authoribus coniunxi, quos habere potui. Candidum lectorem confido, has meas operas, in partem optimam accepturum eſſe, idque vt faciat, reuerenter oro. Bene, ac feliciter vale, lector candide.

VLTIMA PARS, CHRONICI CARIONIS.

IMPERIVM OCCIDENTIS.

IMPERIVM Occidentis, Pontificum Romanorum artibus, & ambitione, potiſſimùm cõuulſum eſſe, atque dilaceratum, nemini dubium eſſe poteſt: niſi aut hiſtorias ignoranti, aut affectioni, quam iudicio, plus tribuenti. His bella ciuilia accenſa ſunt, quibus fracta maieſtas, & potentia Imperij, eò redacta eſt, vt & regibus exteris cœperit deſpectui eſſe, & contra contumaces, domi fuerit inualida. Regibus gratum fuit eripi alieno Imperio, atque in libertatem collocari. Idcirco libẽter aſſenſerunt edictis Pontificum, falſa authoritatis diuinæ, & religionis ſpecie, exaſperatis. Sed accidit eis quod ait Plato, vt fumum ſeruitutis fugiẽtes, in ignem ſeruum inciderint. Duriorem enim multò, ſub iugo Põtificio, ſeruitutem perpeſſi ſunt, quàm pertulerant antea, cum Imperatoribus amicitia potiùs, atque fœderibus deuincti eſſent, quàm obligati, ad aliquas ſeruilis obedientiæ leges, ac cõditiones. Nam poſtquam, Imperatoribus euerſis, ſeſe Pontifices conſtituiſſent iudices ἀνυπευθύνους, omnium orbis Chriſtiani controuerſiarum, & poteſtatem ſibi arrogaſſent de Monarchis quiduis ſtatuendi pronuntiandíque, ſuo arbitrio & libitu: factum eſt, vt nulli regum, authoritatem Pontificiam detrectare, vlla in parte, licuerit, niſi anathematis Põtificij fulminibus ſeſe obiicere vellet. Neque eſt vllum inter orbis Chriſtiani regna, quod tyrannidem hanc non ſit expertũ. Imò, non ſatis fuit Pontificibus, vt imperarent Monarchis, ſed regna fecerunt Eccleſiæ feuda: quæ, quibus vellent, authoritate Apoſtolica, diſtribuerent, atque conferrent, ſicut de Imperio Romano, de regnis, Siculo, & Anglico, notum eſt. Gallicum enim acriùs paulò dignitatem ſuam, atque libertatem tutatum eſt.

Domi quid effectum ſit, oſtendunt ἐρείπια & rudera Imperij

perij in Germania,& Italia,defectionibus,ac direptionibus mutilati,de quibus tantum adhuc relictum eſſe,mirum videri poterat,ſi cogitetur, quibus artibus , atque inſidiis, Pontifices,& Epiſcopi,quæ fuerunt publici iuris,atque Imperij,quæ ſingulorum attentarint, & occuparint : quibus occaſionibus & modis,ex ruinis Imperij,& familiarum veterum,creuerint recentes aliquæ : denique quanto ſtudio, nonnulli ex Imperatoribus , poſt Fridericum ſecundum, poſthabitis rebus publicis,extulerint , atque amplificarint ſuos,opibus,dignitatibus,immunitatibus.

Sed hæc ipſa rudera,diuina bonitate,conſeruata ſunt,atque defenſa mirabiliter,ſapientia,virtute, & induſtria grauiſſimi Senatus Septemvirum in Imperio:qui quibus vel initiis vel authoribus,& quando cœperit,etſi certò non conſtat,nomen tamen inclaruiſſe , & inualuiſſe authoritatem, atque potentiam,à Friderico ſecundo, ex hiſtoriarum annotatis,non eſt obſcurum,vt videatur hic Senatus , poſt longos inteſtinorum bellorum conflictus, conſtitutus , & hac poteſtate armatus eſſe,ac circumſeptus , ſingulari Dei impulſu,ad nutantes tunc,& prope collapſas reliquias Occidentis inſtaurandas,ac fulciendas,cùm quidem,profligata,ac proiecta Imperatorum authoritate, & Germania tota in infinitum diſtracta, furioſis Pontificum molitionibus nunquam videretur,firma aliqua concordia,coalitura eſſe.

Non exiſtimemus temerè , aut caſu,extitiſſe hunc tam concinnè,geometrica proportione,diſtributum, & ad Imperij ſtabilitatem,accommodatum, ſummi Senatus in orbe Chriſtiano,& totius Imperij ordinem : cuius nixu hucuſque Romana potentia conſtitit , ſed authorem Deum, grati agnoſcamus,ac celebremus,ordinem ipſum,tanquam Dei opus,veneremur,ac tueamur. Eſt enim veriſſimè,ordo in Imperiis,opus Dei,& à Deo ſuſtentatur inter colliſiones,& confuſiones varias,quæ incidunt, & non oriuntur à Deo,ſed à furoribus Diabolorum & hominum. Et adeſt Deus generi humano,ordinem tuenti,ceu beneficus,ac vigilans Paſtor,nec ſinit deleri totum genus humanum,ſed reprimit graſſantes Diabolos,& turbulentos homines, vt ſi videres paſtorem,in florido prato,gregem ouium cuſtodire,ne dilabatur,aut euagetur temerè,& canibus incitatis arcere,atque abigere lupos,ne,irrumpentes,rapiant, ac dilanient oues aliquas,vt maior pars gregis maneat incolumis,& tuto paſtu pingueſcat.

Cum autem in picturis,apud Daniele͂, quæ diſtinguunt

etiam virtutem, & fortunam ſingulorum Imperiorum, ſignificatum ſit vtrumque, & in hac ſenecta mundi, plus fore confuſionum, quàm fuit antea: & tamen, donec genus humanum eſt, regna aliqua Deum ſeruaturum eſſe, quæ, quo propior erit finis mundi, eo languidiora erunt: interea verò, maximam fore potentiam, barbaricæ cuiuſdam gentis, quæ nominatur, in vaticiniis cœleſtibus Gog, & Magog: non moueamur, aut potentia gentis Turcicæ, quæ, manifeſtis teſtimoniis, ante multa ſecula, à Deo reiecta, & damnata eſt, aut ſucceſſibus Scythicarum gentium, quæ & olim, & nunc recens ſe commouerunt, ac Germaniæ minitantur, vt dubitemus de promiſſionibus, ac prædictionibus traditis, voce Filij Dei, ſed certò ſtatuamus, dignitatem Imperij non eſſe, in illa Barbarica tyrannide, quæ blaſphemias euomit in Filium Dei, ac honeſtas politias delet, ſed ibi eſſe, vbi veræ religionis doctrina ſonat, & colitur, vbi leges diuinæ, & ex his extructæ aliæ leges honeſtæ, regnant, vbi exercentur, & vigent legitima iudicia, & rectè facientibus præmia, ſceleratis pœnæ ſunt propoſitæ: denique vbi honeſti cœtus hominum, iuſtis armis proteguntur: etſi potentia minor eſſe videtur, quam Turcica eſt, ſi modò potentia cenſenda eſt, barbarica vaſtitas, ac ſolitudo ſine luce doctrinæ, ſine legibus, ſine iudiciis, ſine ordine vitæ, in iis orbis terræ partibus, in quibus floruerunt artes, Eccleſiæ, & alia ornamenta, qualem, in Aſia, cernimus effectam eſſe armis Turcicis.

Etſi igitur, poſt Sueuos, Monarchia in Occidente, minus virium habuit, & roboris: tamen dignitatem Imperij retinuit, cum laude virtutis, ac ſapientiæ, quarum rerum memoria, ac celebritate, non vicinos tantùm, ſed potentiores etiam Chriſtiani nominis hoſtes, procul terruit, ac repreſſit, & quidem hoc poſteriore ſeculo; & decus, atque ornamentum & præſidium, vinculum, ac neruus eius, fuit præcipuus, Senatus ſeptem Electorum, cuius ea eſt poteſtas, & authoritas, vt eligat, ac creet Romanum Imperatorem; &, ſi is, fiat Tyrannus, aut hoſtis Eccleſiæ, vel legum, & libertatis in republica; eripiat ei Imperium. Res verò ad Imperij maieſtatem, & incolumitatem pertinentes, ita cum Imperatore adminiſtrat, ac moderatur, vt non fiant decreta à ſolo Imperatore, ſine approbatione plurium ex hoc Senatu; qui & προβουλεύματα condit, de quibus deinde cæteri principes deliberant, cum quibus, re ab vtriſque penſitata, ſit communis ſuffragatio: ſicut Athenis, Senatus faciebat προβούλευμα.

βούλευμα, de quo poſtea in concione, deliberabatur. Ita Monarchia Occidentis, temperata eſt, & fuit honeſtiſſima ariſtocratia, in qua vnus rerum potitur, qui ſtatuit, & ſancit pleraque, de conſilio, & ſententia Septemuirûm, quorum inter ſe eſt æqualitas arithmetica. Tantùm hoc munus habet proprium Moguntinus, vt cæteros conuocet, & ſententias roget. Ipſe vero interrogatur à Saxone. Huic Senatui, ſi, vel abſit, vel periclitetur, vel interierit Imperator, ſumma rerum, & vniuerſi conſilij publici cura incumbit, cuius vigilantia, ſagacitate, & induſtria, quoties à Germania pericula maxima ſint depulſa, domi foríſque, repetitæ docent hiſtoriæ, vt quando, ad vrbem Vratiſlauiam, tres reges, Vngaricus, Boëmicus, & Polonicus, cum validis exercitibus conſederant, dimicaturi inter ſeſe, de Sileſiæ principatu, cum periculo vicinorum.

Eorundem, cum Imperatore electo, arctiſſima coniunctio, & conſenſus, inter ſemetipſos, ænei muri inſtar, muniuit pacem publicam. Tantum enim profuit Imperio, vt inde vſque à confirmata eorum poteſtate, & authoritate, tranquillior fuerit Germania, & minus habuerit bellorum externorum, & ciuilium. Etenim gentis potentiſſimæ, & bellicoſiſſimæ robur, ſi coniuncta eſſet, & concors, quantum poſſet, meminerant exteri. Domeſticos in officio continuit, metus coniunctionis ſupremi ordinis, & partis potioris, ac melioris cum Imperatore, quæ tantum valuit, vt, ſi qui, etiam ex hoc ſupremo Senatu, temerè, vel Imperatori, vel collegis aduerſati, arma ceperunt, citò à cęteris oppreſſi ſint. Nec Pontificibus ea fuit relicta occaſio, ad turbandam, diſtractione principum, Germaniam, qua ſola didicerant, gentē alioquin bello inuictā, frangi poſſe, ſicut apes, fumo facto, diſſipātur: quæ alioquin exturbari alueolis nequeunt.

Ita Septem Electorum Senatus, non tantùm Germaniam, aſſiduis ciuilibus bellis, grauiter quaſſatam, ac fluctuantem, reſtituit in tranquillum: ſed, quòd, vnà cum Imperatore, eſt, & fuit, religionis Chriſtianæ, legum, iudiciorum, diſciplinæ, cuſtos vigilantiſſimus, & defenſor acerrimus: inter ſeſe ordines omnes, ſic copulauit, atque coagmētauit, vt interrumpi, aut diſſolui, hęc tam concinna Imperij harmonia, hactenus, nullis domi ſeditioſis motibus, nullo foris violentiæ impetu, potuerit. Nam & Imperatores, intra metas, legibus circumdatas, coërcuit, & cęteros Principes copulatos inter ſe, redegit in ordinem talem, vt legibus, & authoritati Imperatoris, ac ſuperiorū, parere ſingulos opor-

tuerit, niſi armis compeſci, & ad officium cogi, aut vnà cum dignitate, poſſeſſionibus vniuerſis exui, vellent. Propterea floruit viguítque Germania, per annos penè quadringentos, opibus, viribus, admiratione ſapientiæ, & virtutis, iudiciis, legibus, & aliis veris, ac ſolidis ornamentis, & florebit his porrò, Deo adiuuante, quandiu valuerit authoritas Septemuirum, quorum quidem conſilia, & voluptates ita rexit, & flexit Deus, vt multos orbi Chriſtiano, ſalutares principes dederint, inter quos ſunt, Rodolphus Habſpurgenſis, poſt interregni turbas, Henricus ſeptimus, Ludouicus Bauarus, Sigiſmundus, Maximilianus, Carolus V. etiamſi viribus, & potentia fuerint diſſimiles.

Etſi autem fatendum eſt, non ſemper ſimilem fuiſſe felicitatem, aut electionis, aut ipſorum Imperatorum; quorum aliquos ignauos, aliquos etiam pernicioſos fuiſſe patriæ, & Italiæ, vtrique euentu comperimus, qua in re, deploranda eſt communis humanarum rerum infirmitas; tamen ſubinde tribuit Deus aliquos ſalutares principes, & quanquam euentus interdum, in electione, non fuit felix, conſilia tamen Electorum, ſpectarunt ſalutem publicam, de quibus non ex euentu, qui à pluribus aliis cauſſis gubernatur; ſed ex iis rationibus, quæ deliberationem anteceſſerunt, ac rexerunt, iudicandum eſt: quæ, ſi fuerunt graues, atque conſtantes, intérque ſeſe conſentientes, non labefactet honeſtatem conſiliorum, diſſimilitudo euentuum. Neque illa vetera Imperia aurea, & argentea, expertia fuerunt magnarum calamitatum. Vagantur pœnæ, per genus humanum, & oſtendit Deus exempla iudicij ſui, & iræ aduerſus peccata, in ſummis, & infimis. Sed vt peccata, ac ſcelera, ſic pœnæ regum, conſpectiores ſunt, & de vtriſque vetus eſt dictum: τὰ τῶν ἀρχόντων ἀδικήματα καὶ παθήματα ἴσασι πάντες. Interea tamen Deus, ſicut inquit: Non faciam furorem iræ meæ, non prorſus ſinit deleri mediocres politias; ſed, propter Eccleſiam, ſeruat aliquas reliquias.

Interdum & furiæ Pontificum accenderunt diſſidia, inter Septemuiros. Nec ita multi præterierunt anni, quãdo Pontifex Romanus conatus eſt hunc neruum Imperij, videlicet ius electionis, inſigni aſtutia, abolere. Nam Epiſcopum Moguntinum, comitẽ Iſebergiũ, cogere voluit Æneas Syluius, ad ſeſe iuramento obſtringendum ſedi Romanæ, & ſucceſſoribus, ne vnquam, niſi aſſentiẽte Romano Pontifice Moguntinus Electores conuocaret. Qua in re, cùm Moguntinus libertatem, & authoritatem Senatus publici Septemuirum

uirum defenderet; etſi ſenſit fulmen pontificium, tamen à Friderico Palatino, vt dicetur, defenſus eſt.

Hiſtorias ergo Occidentis, quæ ſequuntur Fridericũ ſecundum, à quo ordiemur, & interregnum, referamus ad hanc, ex Monarchia & Ariſtocratia, ſapientiſſimè temperatam politiæ formam, in qua, ſumma rerum eſt penes Imperatorem, collocatum in ſupremo ad gubernacula, & armatum authoritate ſumma diuinitùs, ſed per Electorum ſententias, ac ſuffragia, cui, ceu παραστάται, proximi adſunt Septemuiri, non vt otioſi ſpectatores eorum, quæ ab illo geruntur, & fiunt: ſed vt conſiliorum, laborum & periculorum ſocij, quibuſcum primò, de rebus Imperij conſultat. Hic proximus eſt ordo cæterorum principum, qui ſuum etiam habent Senatum, à ſupremo illo diſtinctum, in quo ſuo loco, ſinguli, atque ordine, de ante deliberatis, ſententias dicunt, & ad Imperij dignitatem, ac ſtabilitatem, atque ad Imperatoris authoritatem ita reſpiciunt, ac conſilia dirigunt, & accommodant voluntates ſuas vniuerſi, vt quæ ex dignitate, & vtilitate publica, conſtituuntur, cum Imperatore præſide, ipſi, velut πρὸς [illegible] comparati, gnauiter exequantur.

Conſtituunt autem ſupremum Senatum, delecti ex ordine ſacro tres Epiſcopi, totidémque Principes politici, ad quos acceſſit ſeptimus, Boëmiæ rex, ceu honorarius arbiter. Epiſcopi ſunt, Moguntinus, Treuirenſis, & Colonienſis. Horum ſucceſſio conſiſtit in electione, ſuccedente in locum defuncti, illo, qui collegij ſuffragiis, vel ex ipſorum numero deſignatur, vel ex aliis familiis depoſcitur. Principes ſunt, comes Palatinus ad Rhenum, dux Saxoniæ, marchio Brandeburgenſis. His familiis dignitas Septemuiralis, ea lege, eſt alligata, vt patre mortuo, aut agnato, illa, cum hęreditate, tranſeat in filium natu maximum, aut agnatum proximum, ætate cæteros antecellentem; &, ſi hæredes deſint, ſtirpe deficiente, authoritate Imperatoris, & ſummi Collegij, transferatur in aliam familiam, ſicut accidit, cùm ſublatis è viuis, ſine prole, Albero Saxonum duce, & Woldemaro marchione Brandeburgenſe, vtroque ex Alberti Vrſi poſteris, Sigiſmundus Imperator, Saxoniam Friderico Miſniæ marchioni, marchiam Friderico Burggrauio Noribergenſi, tradidit; adiuncta dignitate Septemuirali.

Eſt verò totus Principum ordo conueniente graduum; atque officiorum diſtinctione, diſtributus, ceu in claſſes duas, quarum vna Eccleſiaſticos, Politicos altera comple-

ctitur. Conſilium huius diſtinctionis fuiſſe exiſtimo, vt Eccleſiaſtici præcipuè res ſacras tractando, adminiſtrandóque, & Chriſtianæ religionis puritatem tuendo, ſimúlque conſulendo: Politici, & conſiliis, & armis rempublicam adiuuarēt, & amplificarent. Etſi autem Epiſcopi in Germania, ſeu inſtituto, ſeu conſuetudine veteri, gerunt dignitatem vtramque, imo exercent ſimul poteſtatem politicam, vſurpando ius gladij, ſecus quàm fit in Italia, aut Gallia, tamen, ſi metas ſui officij, nonnulli, ex illis, conſideraſſent: non, omiſſa, prorſus cura religionis, vnde doctrinæ ſincerioris interitus extitit totos ſeſe, Pontificum Romanorum exemplo, tum inſatiabili auaritia, ad turpem rapacitatem, luxui, & ſplendori ipſorum ſuffectura, tum inſana ambitione ad omnia imperij negotia, imo ad armorum etiam vſum, & bellandi conſuetudinem, conuertiſſent. Quare, cùm horum negligentia, doctrina Chriſti collapſa eſſet, ac penè interiiſſet, amor gloriæ Dei, & æternę ſalutis deſiderium, ad quam conditi ſumus, coëgit pios Principes, poſtquam edocti eſſent, atque conuicti, euidentibus teſtimoniis, de veritate doctrinæ cœleſtis, non refragari agnitæ veritati, ſed ſuſcipere, ex pręſcripto purioris doctrinæ, emendationem Eccleſiarum, etiam reſiſtentibus Epiſcopis, cùm iubeantur id facere authoritate diuina.

Fuerunt tamen inter Epiſcopos olim multi præſtantes viri, qui, cùm propter ſapientię opinionem, authoritatem, eloquentiam, doctrinam, & vſum rerum, duces eſſent publici conſilij, cæteris obtemperantibus, reuerentia ordinis, & donorum, quibus eminebant, Imperio ſæpè in dubiis rebus, & grauiſſimis negotiis plurimùm profuerunt.

Sed ad Imperij ordinem redeo, in qua tota Comitum, vt vocantur, claſſis, Principibus, tota Abbatum Epiſcopis, ita ſeu annexa eſt, ſeu inſerta, vt non ſingulorum ſinguli, ſed duorum ſuffragiorum Comites, vnius tantùm ſuffragij Abbates vniuerſi ius habeant, atque poteſtatem, in deliberationibus publicis.

Tertius eſt in Imperio, Senatus Ciuitatum Imperialiũ, quarum aliæ ariſtocraticæ ſunt, aliæ democraticę, nonnullæ oligarchicæ, aliquæ mixtum quiddam habent, ex ariſtocratia, & democratia, ſed αὐτονομίᾳ fruuntur omnes: quæ tamen, certis legibus circumſcripta, pendet ex authoritate Imperatoris. Etſi autem & inter ſeſe, diſſimiles ſunt immunitatibus, quòd veteri Romano more, aliæ municipiorum, aliæ ſociarum ciuitatum gaudent iure: tamen nec ſuffragia

gia ferunt,nec dicunt ſententias in comitiis, ſed ferè,vbi, quæ monenda,aut corrigenda eſse cēſent,expoſuerūt.(Nā quòd ab his viri excellentes ſapientia,& edocti rerum vſu adducūtur ad deliberationes,& in cōſilia adhibentur,magni fiunt earum ſententiæ) deinceps à decretis,communi conſenſu,ſeſe non ſeiungūt.Hunc ordinem,quo nihil poteſt cogitari concinnius,ſi quis à Deo profectum eſse neget,quouis Cyclope ferior cenſendus eſt.

Siue igitur ab Ottone III. hæc forma Imperij inſtituta eſt tunc cum αὐτοκράτωρ authoritate,ac poteſtate Imperatoria,Germanis ἀξίωμα Imperij attribuit,atque addixit:ſiue poſterius,ab aliquo ex ſucceſsoribus,vel etiam ab ipſis principibus inter ſeſe:cùm ſit,& fuerit ſalutaris orbi Chriſtiano,referatur ad regulas : Deus transfert,& ſtabilit regna.Itē:Vt oculus videat,& auris audiat,Deus facit vtrūque. Item:Qui dat ſalutem regibus. Item:Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem , fruſtra vigilant, qui cuſtodiunt eā. Non enim ſola ſapientia humana, vel conduntur, vel reguntur politiæ:ſed Dei auxilio opus eſt,qui adeſt inuocātibus, ſuggerit conſilia, flectit voluntates, vt ſalutaribus monitis cedant,& obediant, ac præſtat euentus,qui prorſus non ſunt poſiti,in ſola poteſtate noſtra.

Nec parū profuit hæc conſtitutio, ad retinendam coniunctionem Italiæ,cum Germania. Etſi enim alij Imperatores aliis potentiùs Italiam tenuerunt, vt Ludouicus Bauarus , Carolus quartus , Carolus quintus:ſemper tamen pręcipua nobilitas,in maioribus,& inſignioribus vrbibus, inteſtinorum diſſidiorum conſpectu,externæque,& nouę tyrannidis metu , & iuſti ,ac moderati Imperij memoria, atq; admiratione perantiquæ nobilitatis , ac præcellentis virtutis Principum Germaniæ, denique ſpe honorū,opū, ac præmiorum, & memoria iam perceptorum, partes, & authoritatem Imperatorum conſtanter ſectata eſt, ac tutata vel cum iactura vitæ,ac fortunarum.

Ardebat tum Italia diſsēſionibus domeſticis deteſtabili Pontificū ambitione , diſtracta in duas factiones:Guelphi ſingulari officio,ac pietate colebant Pontifices,& horum efficta iura propugnabant: quibus populares familię, & plebs adhærebāt. Et defēdebātur vtrique à Gallis quos non tam religionis, quantumuis ſpecioſo nomine, quàm Imperij ſpe,in ſuas partes, contra Imperatores,Pontifices pertraxerant, eorúmque fiducia,non ſolùm veterum diſſidiorum fouebant flammas , ſed noua ſubinde bella in-

cendebant, in quibus toties deuaſtata eſt Italia, non lõgis interuallis, vt vix vnquã verè ſeſe recollegerit: & eò maiore ſtudio, has diſsẽſiones, Põtifices domi aluerunt, vt his inuolueretur Germania, quam norant decus, & poſſeſſionem Imperij minimè eſſe neglecturam, cùm domi, nouis legibus, arctiſſimè, inter ſeſe, deuinctæ, potentiam, aliter ſe languefacere, non poſſe, cernerẽt.

Germanis contra ſtudebant, & adhærebant Gibellini in nobilioribus familiis, vel veteribus Longobardicis, vel recentibus Germanicis, pro emeritis ſtipendiis, benignitate Imperatorum, ad pręcipua dignitatum faſtigia euecti, pręfectiq; prouinciis, nõ nudis, ſpecioſiſq; dignitatum nominibus, ſed certæ poteſtatis legibus, & donati inſuper prædiis, oppidis, portoriis, aquarúmque iuribus. Inde Vicecomitum, qui Mediolanum, tyrannis expulſis: Scaligerorum, qui Veronam: Carrariorum, qui Patauium: Bentiuolorũ, qui Bononiam rexerunt, origo eſt, & plurium aliorũ, quos prætereo. Scaligeris ortũ dediſſe comites in Bauaria, nominis eiuſdem, magno conſenſu traditum eſt. Habet enim Bauaria multas, antiquiſſimæ originis familias nobiles, inter quas primas facilè obtinet, ſtemma comitum Orteburgenſium.

Ex his factionibus, feralia præcipuarũ, in florẽtiſſimis Italiæ, vrbibus, diſſidia emerſerũt, vt, odiis implacabilib. ſimultates exercerent Vrſini, & Sabellij, in vrbe Roma, cum Columnienſibus, Frangepanibus, & Cæſarinis. Florentię, Bondelmõtij, Amidei, Cerchij, Medicei, cum Vbertis, Donatis, Albiciis. Stroziis, Saluiatis, Paziis. Genuę Fliſci, Grimaldi, Fregoſij, cum Spinolis, Adurnis, Doriis. Bononiæ Caneduli, Pepuli, Mareſcotti, cum Bẽtiuolis & Maluecciis. Mediolani Vicecomites, cum Turregianis. Ferrarię Eſtẽſes, cum Saliguerris. Mantuæ Gonzagæ, cum Bonacurſiis. Lucæ Interminelli, cum Obiciis, & vniuerſim Albi, cum Nigris, qui vtroſque colores diſtinxerunt.

Gibellini itaque, Cæſari Italiam intranti, præſto erant, nouóſq; honores, & ampliores opes, perpetuis belli, togęque officiis promerebantur. Hos Pontifices, quibus poterant modis, & artibus, oppugnabant. Mox enim, poſt Fridericum ſecundũ extinctum, attraxerunt è Gallia, Carolum Andegauenſem. Quæ res, Neapolitanum regnũ, perpetuis bellis implicuit: poſt crudeliter, & malitioſè interfectos optimos principes Germanicos, Gallis, Vngaris, Hiſpanis inter ſeſe dimicantibus: donec, cæteris excluſis, re-

gnum,

gnum, vario bellorum, & fortunæ euentu, ſoli Hiſpani obtinuerunt.

Etſi igitur Italia ſæpe; externis armis, tentata eſt, præſertim Gallicis, nunquã diu tamen tulit alienos dominos: ſed, aut defenſa manſit in fide, aut ſuperata tandem, illis viciſſim excuſſis, rediit ad ordinariam poteſtatem, quæ Imperatorũ eſt, vincẽte fortuna cauſsę, & partis melioris, ſcilicet nobilitatis, contra deteriorem, quæ Pontifices ſectabatur, exceptis iis, quæ aut Venetorum, non tã armis, quàm aſtu intercepta, & alienata, aut Pontificum artibus auulſa, αὐτονομίαν amiſerunt, ac deſierunt eſse ſui, & publici iuris, ſub iugum redacta, & in ſeruitutem.

Cætera regna iam olim à ſocietate, & fœderibus Imperij diſceſserant, cui fuerant antea, certis legibus, aut ſubiecta, aut addicta. Frãcis præerat Ludouicus, cognomẽto Diuus, à religioſa pietate celebris, is, qui ſuſceptis duabus cõtra Saracenos Ægyptios & Aphricanos, expeditionib. religioſo quidem incepto ſed exitu aduerſo, in priore Damiatam vrbem, quæ eſt Peluſium, expugnauit: ſed fratres, Carolum Andegauenſem, atque Alphonſum, cũ progreſſi eſsent in Ægyptum longiùs, ab hoſtibus interceptos, reſtitutione Damiatæ vrbis redemit: in altera, Carthagine capta, Tunetum obſedit: ſed ad eam vrbem peſte graſsante, ipſe interiit circiter octauum Cal. Septemb. anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo.

In Hiſpania, cæteros Chriſtianorum regulos, claritate nominis, opum, ac potentiæ anteibat Ferdinandus, pater Alphonſi X. illius, qui, ex reſtitutis, magno ſumtu, diſciplinis mathematicis, atque arte medica, tantam eſt ſapiẽtiæ opinionem, ac laudem conſequutus, vt ad Imperium ſit expetitus.

Vngariæ regnum adminiſtrabat Andreas, Belæ filius, cuius nomen, ex ductis in Syriam, & Ægyptum exercitibus, & ex triſti coniugis interitu, poſteritati innotuit. Fuit coniunx Gertrudis nomine nata patre Bertholdo, ex veteri familia Andechſianorum comitũ in Bauaria, ſũc Dalmatiæ, Hiſtriæ, & Meraniæ duce (pro quo hiſtorici non rectè ſcripſerunt Morauiæ duce) Matre Agnete, non Auſtriaca, ſed Miſnica, nata Dedone marchione Miſniæ, comite Rochlicenſe: ſoror ſanctæ Heduuigis, coniugis Henrici Barbati, Sileſiæ ducis, & Agnetis, quæ Philippo, auo diui Ludouici, regi Franciæ nupta fuit. Huius Gertrudis viſendæ gratia, cum frater, poſt mariti diſceſsum, veniſset

in Vngariam,& ex conſuetudine familiari,adamatam cõiugem Bancbani,præcipui gubernatoris,cui regni,& coniugis,ac liberorum curam rex demandarat, vel conſenſu, vel ope reginę ſtupraſſet: Bancbanus contumelioſam iniuriam vlturus,reginam obtruncauit.Ab hac cæde,eũ rex, è Syria reuerſus,publico iudico abſoluit. Hoc exemplum memorabile eſt,congruens ad illa,in Areopago, celebratiſſima, veteribus, iudicia:quibus, propter ſimiles cædes,iuſto dolore patratas, authores,ſcilicet,Mars,propter Halyrrothoi cædem: Cephalus, propter interfectam Procrin vxorem:Dædalus,ob cædem Tantali: Oreſtes,quòd truncaſſet matrem Clytemneſtram, non quidem à culpa omni,& pœna abſoluti, ſed pulcherrimo grauitatis,ac ſapientiæ antiquæ exemplo,ſententia ſuſpenſa ad quoddam tempus,fuêre reiecti,atque excluſi,ab hominum congreſſu,& conſuetudine.

Nomen quod fuerit fratri Gertrudis, nõ reperio:ſed Ottonem fuiſſe credo cuius filio Ottoni,poſtea, propter ſtuprum,in arce Nidena trucidato,hæreditatem,quę fuit ampliſſima,diripuerunt diuerſi. Acceſſione enim Voitlandiæ, Epiſcopi noſtræ Franciæ, & Burggrauius Noribergenſis, aucti ſunt.Quę Bauariam attigerunt,huius dux ſibi vendicauit,Atheſiaum,& Tyrolenſem comitatum, Menardus Carinthiæ dux:Hiſtriam,Meraniam, & Croatiam, Veneti inuaſerunt,de quibus,bellum eis mouit Andreæ filius, Bela,rex Vngariæ.Nata eſt his parentibus Andrea,& Gertrude,diua Eliſabet,coniunx Ludouici Landgrauij Haſſiæ, à pietate celeberrima fœmina, cui, ad pietatis tam acre ſtudium:acerbum matris caſum,& matertereꝗ Heduuigis exẽplum,plurimùm profuiſſe,non dubito.

Res Polonicas moderabatur Leſcus,cognomento Albus: ſed eæ iam tum partim principum agnatorum fatalib. diſcordiis,dilaceratæ, partim vicinorum Ruſſorum aſſiduis incurſionibus,& Boruſſorum defectionibus afflictę,ita lãguebant,vt Pomerania vlterior,Suantopolco duce,hoc ipſo rege obtruncato, ſeſe in libertatem aſſeruerit, & ſui iuris eſse cœperit:nec multò poſt,Teutonici equites,à Cõrado Maſouiæ duce,ad Boruſsos ſubiugandos, conducti, Henrico,nobili a Salza,magiſtro,Boruſſiam ſuam fecerint atque Imperio coniunxerint,Friderico ſecundo aſsentiẽte, Sileſiam abripuerunt Boëmi:reliqua Polonia, cum vicina Ruſſia, & Sileſiæ parte, ſit facta præda nouæ,& feræ genti Tartaricę.Deniq.,vt nobiliſſimum, & antiquiſſimum priſcinorum

ſtinorum regum ſtemma,quod in eam gentem,& nomen regium,& Chriſtianæ religionis profeſſionem primum adduxerat, tandem & regno prorſus exciderit, & magnam reliquæ potentiæ partem amiſerit.

In Anglia,quæ dominos ſæpe ſuos,interciſa ſtemmatis linea,mutauit,rerum potiebatur Henricus tertius,ſecundi nepos. Ex huius abnepote Eduardo tertio, qui de Johanne Gallorum rege,& Caleto capto triumphauit, & ordinem equitum Garteriorum inſtituit, florentiſſimis bellica virtute,nataliúmque vetuſtate,viris,ſolenni ſacramento, ad mutuæ,perpetuæque amicitiæ fœdus,adactis, & ſymboli loco,periſcelide addita, vt ſiniſtri cruris ſuram, fibulata faſciola vinctam geſtarent: Ex hoc ergo nati filij,& nepotes, diuulſione regiæ ſtirpis,in familias Eboracēſem,& Lācaſtriam,funeſtis albæ,rubræque roſæ nominibus, & inſignibus diſtinctas, regem in contraria diſciderunt ſtudia. Nec ceſsatum eſt ab odiis mutuis,ac cædibus donec,Lancaſtria matre,Henricus ſeptimus natus ducta Eliſabetha, Eduardi quarti,Eboracenſis filia, vtramque familiā,commixtione ſanguinis,copulauit:cum originem paternā,non ad regiam ſtirpem Henrici tertij, ſed ad Collouualadrum, vltimum Britannorum regem,referret. Ne ſupereſset autem,à quo metueret,id dedit operam, vt penitus omnem regiam ſtirpem extirparet,ac poſteris ſuis regnum optima pace,nouiſque legibus,atque externorum regum amicitia, confirmatum,traderet.

Cenſentur autem,veterum Britannorum poſteri eſse,qui Walij,Germanico nomine,vocātur, & in continente Galliȩ Britonantes,quod hi ſe,inter ſeſe,intelligunt patrio ſermone loquētes,cùm neutros, vel Angli,vel Scoti,vel Galli percipiant. Neque enim dubium eſt,Anglos Saxones,ad quos inſulæ Imperium peruenit, vt ſupra diximus, linguam,habitum,moreſque Germanicos inuexiſse,& ex incolarum viciſſim ſermone,aliqua aſsumſiſse,atque ita,ex vtraque lingua corrupta,nouam, quæ etiam à veteri Saxonica diſcrepat,confeciſſe.

Scotia,crebra,ex cædibus inteſtinis, interregna habuit, donec,poſt atroces,& tragicos multorum tyrannorum interitus,regnū mutans,ad Stuardā domū, Danicȩ originis, deuenit. Cū enim,per annos mille,ſeptingētos,& amplius, reges numerent, ex veris annalibus, centum,& quinque, his quinquaginta,aut in bellis cecidiſse,aut inſidiis procerum,crudeliter interemptos eſse,reperimus.

Regna arctoa, ſuos ſingula tunc habebant reges, quę interdum vni paruerunt, ſicut nunc Danico, coniunctum eſt Noruegicum. Danicum adminiſtrabat Woldemarus ſecundus, cuius poſteritas id tenuit vſque ad Ericum Pomeraniæ ducem, & Chriſtophorum Bauarum, à quo peruenit ad duces Holſatiæ, ortos ex veteri ſtirpe comitum Oldenburgenſium.

Suetiæ regnum, Suecos comprehendit, & Gottos gentes ampliſſimas, & antiquiſſimas prætérque hos, multos alios populos, longo, latóque tractu verſus Boream, & ſolem orientem, vſque ad Ruſſorum fines, aduerſus quos, continenter bella geſſerunt.

E Noruegia prodiſſe cenſentur Normanni, qui Franciæ partem obtinuerunt, & ſæpe Britannos, hoſtilib. incurſionibus, mari, infeſtarunt.

Boëmia nuper regia dignitate amplificata, parebat Wenceſlao regi, à quo, frater Ottocarus, non multò poſt, regnū accepit. Talis fere fuit ſtatus rerum in Occidente, cùm Imperij Romani adminiſtratio tradita eſt adoleſcenti Friderico ſecundo, quem exceperunt magna certamina, ſed cōſequuta ſunt grauiora, adeò, vt ne Imperatorem quidem vllum admiſerit diſcordia Principum, quę, vnde extiterit, hiſtoriæ docent. Nunc & de Eccleſia paucula addam.

DE ECCLESIA.

Pontifices Romani, vt dictum eſt iam olim, ſua authoritate, non diuino mandato, & ſuis, non cœleſtibus legibus, condiderant, non Eccleſiam catholicam, & orthodoxam Chriſto, ſed Hierarchiam ſibimetipſis, ſimilem politiis deſcripto ex Diaconis vrbis Romæ, & vicinis Epiſcopis, collegio purpuratorum, in quod Nicolaus ſecundus, à populo Romano ius omne, atque poteſtatē eligendi Pontificem tranſtulerat, diſtributis ordine, in ſingula regna orbis Chriſtiani, Epiſcopis, ceu ducibus, in prouincias, qui authoritate ſimili armati, & potentia politicis pari, aut maiores etiam inſtructi eſſent, denique comparato ſatellitio innumerabilium Monachorum, velut exercitu. Hanc Hierarchiam finxerunt eſſe Eccleſiam, cuius authoritatem, cū falsò, & violenter huc detortis, ſacrarum literarum, & probatorum ſcriptorum teſtimoniis, quę dignitatem Eccleſię Filij Dei amplificant, exaggerarent, tantum incuſſerunt terrorem orbi Chriſtiano, vt ad mentionem nominis Eccleſiæ, velut ad caput Gorgonis, etiam ſummi Monarchę

quita-

obſtupuerint,attonitis ſimiles. Neque Eccleſiam tantum, ſed & catholicam prædicarunt, hoc nomine indicantes, non cœtum diſperſum in totum orbem terrarum, & de doctrina,atque inuocatione Dei conſentientem,qualis eſt cœtus,catholica Eccleſia Chriſti, ſed hanc, ad ſedem Romanam alligatam Hierarchiam, quæ complexa eſſet omnia regna orbis Chriſtiani.

Vna tamen appellatione, quanquam obſcurè,monuerunt,quid intereſſet inter Romanam Eccleſiam,& cœtum ſeruientem Chriſto, quod Eccleſiam Romanam,non Eccleſiam Filij Dei appellarunt, quo ſolo, attentis,ſatis demonſtrarunt, ſui regni fundamenta, à fundamentis,quæ iecit Chriſtus, quibus ipſe, Spiritu ſancto,per vocem Euangelij, & miniſterium ſacramentorum, ſuperſtruit Eccleſiam, diuerſa eſſe.

Extant fundamēta Eccleſię Chriſti,certis,explicatis,indubitatis,& immotis patefactionibus,declarata diuinitùs per ipſum Filium Dei λέγων,in ſcriptis Propheticis,& Apoſtolicis,quæ nituntur vera agnitione eſſentiæ,ac voluntatis diuinæ, vera Dei inuocatione, & vera erga Deum obedientia, in agnitione, & fiducia Mediatoris Jeſu Chriſti,qui eſt verus Deus, & verus homo. Et oſtendunt regnum Chriſti ſpirituale eſſe, atque æternum, non politicum:nec conſtitui, aut regi vi, aut ſapientia humana,ſed inchoari prædicatione Euangelij, in credentibus,& obedientibus voci doctrinæ.

Extant & Romanæ Hierarchiæ fundamēta, ſancita decretis Pontificū,& colorata intricatiſsimis,ac perplexiſsimis diſputationibus ſcholaſticorum, interque ſeſe diſsidentibus,vbique.Hæc,ſi conferantur ad fundamenta Eccleſiæ Chriſti, vel ad ipſam ſpeciem Eccleſię,quę ſępè deſcribitur,ſatis apparet,niti Romanam Eccleſiam, opinionibus nouis,& erroneis,abuſibus, idololatriis,ritibus,humana authoritate confictis,& cum opinione cultus,ac neceſsitate,receptis.

Fateri ſcholaſticos oportet, vbi multum ſeſe cruciarūt, alia eſſe analoga fidei,& ſcripturis, etiāſi metu ſuppliciorum veriùs,quàm reuerentia ſedis Romanę, probāt contraria,eáque, cùm refragari veritati diuinę nequeant,ſolo titulo Eccleſiæ excuſāt, quaſi aut poſsint eſſe Eccleſia,qui ſunt ex profeſſo hoſtes veræ doctrinæ: aut etiam veræ Eccleſiæ permiſsum ſit, vel condere articulos fidei, vel ſtatuere aliquid,pręceptis diuinis aduerſum.Expreſsè Paulus

teſtatur:Fundamentum aliud ponere neminem poſſe,niſi quod eſt poſitum.Item: Si quis aliud Euangelium prædicauerit,anathema ſit.

Sed, quæ fuit Eccleſia,ſi Romana non fuit? Cùm quærimus Eccleſiam ſequentium temporum,vbi, & qualis fuerit, non intueamur, vt ſæpe iam monui, in hunc cœtum Pōtificum,Cardinalium, Epiſcoporum, collocatum in regno ordinariæ ſucceſſionis,faſcinatū erroribus, atque idololatriis,& cōtaminatum libidinibus,ac parricidiis,quibus & defenſa ſunt,& nunc ſtabiliuntur idola, etſi, ſacroſācto Eccleſiæ nomine, turpiter hi ſunt abuſi: ſed in hoc cœtu vera,& viua membra Eccleſiæ Chriſti fuiſſe, credamus illos,qui Deum rectè agnouerunt, & inuocarunt, cumque dolore ac gemitu,ad Deum, pro maiore,ac clariore luce, ſuſpirarunt, & toto pectore deteſtati ſunt idola, quorum multos fuiſſe,non eſt dubium,etiam inter Epiſcopos ipſos, & Monachos,etſi habuerunt errores aliquos,ſicut Eccleſia aliâs plus,aliàs minus lucis habet.

Tota Germania oppoſuit ſeſe impiæ prohibitioni coniugij,quæ decreta à Gregorio VII.promulgata à Moguntino,tantas,cùm proponeretur, in conſeſſu, turbas dedit, vt penè fuerit Moguntinus,rogator pontificiæ legis,interfectus.Grauiter contradixit Epiſcoporum accuſationibus, & poſtulatis,Otto Bauariæ dux, in Synodo Milfordiana, quæ fuit congregata contra Fridericum II. & vehementiùs multò, aliquantò poſt, inuectus eſt in ſcelera Pontificum Epiſcopus Tullenſis,qui fuit præpoſitus Tubingenſis, in Synodo Wirceburgenſi,imperante Rodolpho,cùm Honorius IV. miſiſſet in Germaniam Epiſcopum Tuſculanum,ad ferendas Imperatori leges iniquiſſimas. Sed hi ad tyrannidem tantùm & ſcelera Pontificum, ac flagitia reſpexerunt.Plures, ex priuatis, refutarunt idolomanias,& errores,de quibus ſupra dixi.

Sunt in manibus ſcripta ſcholaſticorum, qui in vno Magiſtro ſententiarum, velut canone, & norma fidei,explicando occupati,ne terram amittant,cœlo bellum inferunt, præferentes,ſententiis diuinis, Romana decreta, & teſtimonia ſacra,ſicubi poſſunt,ad decreta Pontificum, non è diuerſo, hæc ad illa inflectentes. Ex vna enim hac hypotheſi,detexunt vniuerſa:Nullum dogma recipiendum eſſe, inter articulos fidei,niſi ſit, aut expreſſe fundatum in ſcriptis Propheticis,& Apoſtolicis,aut approbatum ab Eccleſia, quo nomine Romam intelligunt. Altera pars diſ-

iuncti-

iunctiuæ, manifeſtè falſa eſt, addita eo fine, vt confirmet errores, & idola Romanæ Eccleſiæ ipſorum etiam confeſſione. Etſi enim Eccleſiæ commendata ſunt iudicia de dogmatibus, & delictis externis: tamē alligata eſt, ad normam certam ſcilicet, ad Euangelium patefactum, vt hoc ſonet, & pronuntiet incidentibus controuerſiis, quod vox Euangelij proponit. Nec propterea cōceſſum eſt Eccleſiæ, aut fingere interpretationes falſas, quæ valeant, propter authoritatem ordinis, aut addere dogmata & numina, ſicut omni tempore tyranni Pontifices, κακοζηλίᾳ iudiciorum politicorum, fecerunt.

Hoc, cùm animaduertiſſent recentiores aliqui, Occam, Gerſon, & alij, offenſi Thomæ, & Scoti paradoxis, vehementer ſeſe torſerunt, vt mediam quandam viam inter veritatem cœleſtem, & Romana commenta, ingredientes, neutrobi impingerent. Sed non inſtituo hîc diſputationem: tantùm moneo, vt à conſpectu Monarchiæ Pontificiæ, & ordinariæ ſucceſſionis, oculi animique abducantur ad inquiſitionem, & conſiderationem verę Eccleſiæ, quæ non his, ſed ſuis, ac propriis notis cognoſcitur, vt profeſſione veræ doctrinæ, vero vſu ſacramentorum, & obedientia erga miniſterium, vbicunque locorum ſit. Deinde, vt conſideretur, quantam exercuerint Pontifices tyrannidem, prętextu authoritatis Eccleſiaſticę, quàm ſceleratè hac, & turpiter ſint abuſi promiſcuè, aduerſus quoſcunque, & maximè quidem aduerſus ſummos ordines.

Pontificum enim, in Eccleſia Romana, ſtudium omne occupatum fuit, hoc ſequenti ſeculo, pertexendis iis bellis, quibus de ſua tyrannide decertarunt cum Imperatoribus, inde vſque ab Imperio Henrici quarti, in annum ducenteſimum. Deinde exigendis pecuniis ad potentiam, luxum, ſplendorem aulæ Romanæ, & condendis, atque extollendis legibus, quibus hæc vniuerſa, velut vincta, fundarentur, ac ſolidarentur. Quare Gregorius nonus, quod nomen fatale orbi Chriſtiano fuit, in Romana Hierarchia, inde vſque à Gregorio Magno, ſuperſtitionum architecto: Nonus ergo, vt Fridericum ſecundum, cuius reformidabat potentiam, ac præſentiam, aſtutè ex Italia pelleret, procul extruſum in Aſiam, ad bellum difficile, ac periculoſum, renouare, & exequi decretum conſilij Lateranenſis, de bello ſacro, atque ad id gerendum, cum anathematis comminatione Imperatorem impellere cœpit, quo vix in Cyprum delato, ipſe in appeti-

tam dudum mox Apuliam,inuolauit,à qua deinceps,cùm ex Aſia reuerſum, armis non poſſet,fulmine anathematis, noua Synodi,in Laterano,ſententia,fabrefacto, atq: eliſo, arcere conatus eſt,vt dicetur. Idem decretalium cõſtitutionibus,quas, opera cuiuſdam Raimundi Barchionenſis congeſſit,Hierarchiam Romanam, ceu Adamantinis vinculis,ne,vt exiſtimabat, vnquam conuelli, aut labefactari poſſet circũdedit, atque adſtrinxit circiter annum milleſimum,ducenteſimum,triceſimum tertium.

Sequutus Innocentius quartus,contra eundem Fridericum, Lugduni Synodum coëgit , in qua reuocatum ſub incudem, anathematis fulmen , quod in Laterano rudius formatum erat,tricipite cuſpide exacuit,concitatis Hiſpanis,Gallis & Anglis. Germanos enim,multò ante,odio ſui Imperatoris compleuerat. Formula extat in ſexto decret. De ſententia,& re iudicata. Idem, vt inſignia certa,Senatum Cardinalium , à reliquo ordine Eccleſiaſtico, diſtinguerent,hos purpureis galeris ornatos, in albis equis eminere, ac conſpici , & quia Mariæ virginis cultus quæſtuoſiſſimus eſſet, natalitia quoque illius , ſolenni feſtiuitate, celebrari voluit.

Non longo interuallo poſt, Gregorius X.inſtituta ibidem Synodo, vt acceſſione Græciæ,Romanam potentiam augeret,acciuit Micaëlem Palæologum Byzantinum , qui facilè paruit,non tam adductus religione, quàm ſpe auxiliorum,quibus fore ſibi opus , ad retinendum Imperium, parricidio partum,intelligebat. In ea Synodo, vt diſſidiis, inter Latinas & Græcas Eccleſias dirẽptis, Græcæ ſubiicerentur Pontifici,de proceſſione Spiritus ſancti diſputatum eſt. Sed decretum repudiarunt Epiſcopi in Græcia cæteri, tanta vehementia,vt iis,qui cõſenſiſſet,à ſocietate Eccleſiarum ſuarum excluſis , denegarint officia , & honorem ſepulturæ. Actum verò precipuè eſt, de bello ſacro , cuius perſequendi prætextu, Pontifex, ab ordine ſacro,decimas vniuerſorũ redituum , in annos quinque,exegit: imperatori Rodolpho Exarchatũ Rauennatensẽ, qui Romãdiola eſt, & penè quicquid Imperatoribus reliquũ fuit,extorſit.

Hæc Rodolphi conceſſio, etſi tunc aliquantulum placauit Pontifices,bella tamen nondum ita ſopiuit, ne recrudeſcerent. Nam quàm primùm in Italiam ingreſſi eſſent Henricus Lucelburgenſis,&Ludouicus Bauarus,furor Põtificum in hos , nihilo mitiùs ſeſe, quàm in priores commouit,& effudit. Nec contenti fuerunt Italiæ Imperio

ſed occaſiones etiam quæſiuerunt, quibus & Francico regno compedes, ac vincula iniicerent, & ſummi Senatus ſeptemuirorum authoritatem, & poteſtatem in Germania, infringerent.

Franciæ regnum tentauit Bonifacius octauus, imperata pecunia ad bellum ſacrum: quam, cùm pendere recuſaret Philippus rex, Pontifex furore percitus, regnum illi abrogatum, ſedi Romanæ aſſerere, tonare, fulminaréque, & ſubditis, ne excommunicato parerent, præcipere, atque Albertum Auſtriæ ducem, qui recèns Imperium obtinuerat, in eundem incitare cœpit, vt cum Francis Germani, nouo bello, committerentur. Et ſperabat ſe, alienatis à Philippo ſubditorum animis, intérque ſeſe diſtractis, effecturum in Gallia, quod maiores perfecerant in Germania. Sed fraudulentas machinationes rex, præoccupatis, atque obfirmatis ſuorum animis, anteuertit, ac peſſundedit, ipſúmque authorem, opera Sarræ Columnij, exulis, & Longarecij equitis Franci, Anagniæ comprehenſum, in carcere necauit: exemplo vindictæ in Pontificem maximum, nouo, ſed iuſtiſſimo. Hoc enim cupiditas Pontificum ſic fuit reſtincta, vt Galliam appetere deſierint.

Parentatum Bonifacio ferunt hoc epitaphio: INTRAVIT, VT VVLPES: REGNAVIT, VT LVPVS: MORTVVS EST, VT CANIS. Deiecto enim per fraudem Cœleſtino quinto, irrepſit in Pontificatum in quo exercuit, quicquid cogitari poteſt, ſceleratæ crudelitatis. Idem ſextum decretalium librum corraſit, & Synodi Lugdunenſis ſententia, ratum fecit.

Qui anteceſſit eum, Honorius quartus, non contentus decimis, quas Gregorius imperarat, quartas annorum redituum flagitauit.

Sequutus eundem, Clemens quintus, ſeſe pinxit in ſuis Clementinis, etſi reuocaſſe eas, & combuſſiſſe, ſcribitur. Idem, cùm iam antea plena eſſent templa Miſſis theatricis, quæ impio, & profano ritu, contra inſtitutionē Cœnę Dominicæ, mercede celebrabantur, & applicabantur pro viuis, & mortuis, & dominaretur vbique ἀρτολατρεία, ita vt fierent concurſus, & dirigeretur adoratio ad panem, poſt conſecrationem, eleuatum, repoſitum, atque concluſum, quem, à commentitia oblatione, hoſtiam nominant, & aleretur, ad ædiculam, ignis perennis, vt olim in templo Delphico, tanquam ad peculiare numen. Ne quid ergo deeſſet ad perfecti idoli rationem, inſuper indictas, anno

milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo quarto, ab Vrbano quarto, inſtinctu Thomæ Aquinatis, πανηγύρεις, & deſtinatas feſtiuitates, pompas, circumgeſtationes, Synodi Vienneuſis authoritate, ſanciuit. De eodem enim, iampridem aliquid ſtatutum erat, ab Innocentio tertio, in Synodo Lugdunenſi, in qua & pro Magiſtro ſententiarum, contra rectiorem ſententiam abbatis Ioachimi, de eſſentia diuina generante Filium, falsò pronunciatum eſt. Decreti formula extat in principio decret. titulo, de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

Sæpe mihi cogitanti de Turcica tyrannide, déque tantis ſucceſſibus blaſphemiæ, & obſcœnæ gentis, venit in mentem horum temporum, atque huius idoli: cuius, vt totius regni Pontificij neruus eſt, commentum de pane abiiciente naturam, ad pronunciationem verborũ κατὰ μετουσίαν Sic enim nouo nomine rem nouã & veteri Eccleſiæ inauditam, architectis illis appellare libuit.

Decretum hoc factum eſt, in magna Europæ perturbatione, anno milleſimo, treceuteſimo, decimo quinto. Eo ipſo tempore, vires rurſus acquirere, & confirmari in Aſia cœpit gens Turcica, Ottomannicæ familiæ ducibus, quæ armis Tartaricis repreſſa aliquandiu, ſeſe continuerat. Ac propemodum initia monent, hanc Turcicam rabiem & crudelitatem, pœnam eſſe multiplicium delictorum, quæ decretum illud peperit, quod neruus eſt impij quæſtus, quem attulerant Miſsæ theatricæ, & opulentiæ, ac luxus ſacerdotum.

Præcedebat reges Perſicos, equus gerens paruam aram, in qua, inter modicos cineres, refulgebat flammula ſacri ignis, quem Oriſmada nominabant. Hunc ceu numen colebant, & adorabant Perſæ. Vt igitur rex videretur auguſtior, & vnà cum præſenti numine adoraretur, quod illi genti vſitatum erat, cum hac pompa prodibat in publicum. Ita nunc Pontifices Romanos antecedit equus gerens panem conſecratum. Hoc Symbolo agnoſci, conſpici, ac coli volunt, in pompis publicorum ſpectaculorum, tanquam terrena numina. Neque, exemplo regum Perſicorum, admittunt vllos: niſi qui geniculatione ſupplici, ad genua deuoluti, pedes deoſculantur. Introductam à Pontificibus idolomaniam, ſuperſtitioſa amentia, amplexæ gentes cæteræ orbis Chriſtiani, cultum conſecrati panis eò vſque adauxerunt, vt in Eccleſia penè ſolus regnarit, & in templis, ſeſe idolum hoc, operosè, ac ſumtuosè,

extructis pryramidibus, incluſum, ſupra reliqua idola, ſuperbiſſimè extulerit, atque oſtentarit.

Hic ipſe Clemens quintus, diſceſſu ſuo ex vrbe, & tranſlatione ſedis in Galliam, vbi per annos ſeptuaginta quinque hæſit, cauſſam præbuit diſſidiis de electione Pontificum; qua, cùm vno tempore, quandoque duo, interdum tres, diuerſis in locis, & diſcrepantibus ſuffragiis, electi, de Pontificatu, vi, & fraude contenderint, prorſus furiali ambitione, & pluſquam Cyclopica feritate, tantas dederunt in orbe Chriſtiano turbas, vt nõ modò Italia, his diſſidiorũ impulſibus, velut terræ motu aſſiduo agitata, intérque ſeſe colliſa, tremuerit, quaſi iamiam ruitura: ſed & Imperatoribus ac regibus cæteris, occupatis cura componendorum diſſidiorum, vires Occidentis conſumtæ ſint, Turcicæ inualuerint.

Piſana Synodus, duobus Pontificibus ſolio deiectis, deſignauit tertium Conſtantienſis, quæ Boëmos martyres exuſſit, & laicis calicis vſum in Cœna Dominica ademit tribus deturbatis, quartum dedit.

Sequuta Baſilienſis, cùm Pontificem ſententiæ Synodi ſubieciſſet, fecit inclinationem aliquam tyrannidis Pontificiæ: quo animaduerſo, Eugenius Ferrariam, inde Florentiam Synodum reuocauit, neglectis iis, qui Baſileæ conuenerant.

Florentina itaque, magna contentione id egit, vt Græcis perſuaderet, inter cætera, aniles fabellas de purgatorio, & vt Romanum Pontificem agnoſcerent eſſe *οἰκουμενικόν*. Aſſenſerunt, qui adfuerunt, Iohannes Palæologus Imperator, Conſtantinopol. Patriarcha, & aliquot Græci Epiſcopi, atque inter cæteros Beſſarion: dogma tamen de abiectione naturæ panis, cuius tunc etiam fuit flagitata approbatio, prorſus repudiarunt. Ab his, domum reuerſus Marcus Epheſi Epiſcopus, cum multis aliis aduerſatus, rem deduxit eò, vt conceſſa, & approbata cogerentur retractare, & irrita declarare. Fuit enim ante hæc tempora, in Græcis Eccleſiis, plus eruditæ & ſolidæ doctrinæ quàm in Romanis. Et poſterius etiam, ipſa Græca Eccleſia, etſi ſuis, iiſque multiplicibus eſt erroribus contaminata, plus tamen puritatis retinuit, quàm Romana; quanquam in triſtem ſeruitutem, & tetram barbariem Turcicam coniecta, quod quidem factum eſt, mox poſt reditum Imperatoris, Byzantio à Mahomete expugnato. Nec paucos, ex illis ipſis erroribus, quibus obnoxia eſt, contraxit contagio

quodam vicinitatis, per Monachos à Romana.

Denique deuentum erat eò, vt Pontifex proclamaretur dominus regnorum mundi, & pronunciaretur, neceſſarium eſſe ad ſalutem, credere, quòd oporteat omnes homines Pontifici Romano ſubiici. Si quis verò id negaret, is declararetur hæreticus; quod accidit Petro de Vineis, Friderico imperante; & propemodũ eodem modo, Marſilio Ficino, Wilhelmo Occam, & aliis, Ludouico Bauaro imperante. Deinde, vt diſputaretur etiam de authoritate Synodi, & Pontificis, vtrius maior ſit, & an Pontificis inferior eſſe debeat authoritas, quàm Synodorum, quem cõueniat eſſe ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνεξέταστον, quod propter locum, & munus, quod gereret, errare non poſſet.

Extant hæc in decretalibus, Epiſtolis Gregorij, in ſexto Bonifacij, in Clementinis, & extrauagantibus. De harum quęſtionum poſteriore, tetulit ſententiam Synodus Baſiliẽſis, & Pontificem cenſuræ Synodi ſubiecit, quod decretum cùm ratum fecerit Nicolaus quintus, ſecuti alij, rurſus id labefactarunt. De altera, miror Pontifices encomium τοῦ ἄρχοντος τοῦ κόσμου affectaſſe, quod nouerunt tribui Diabolo, hoſti filij Dei & Eccleſiæ, ab ipſo Filio Dei. Si conſultò id factum eſt, ingenuitatem laudo, quod vſurparet titulũ non erubuerint, illius, cuius geſſerunt vices. Si incogitantia, ſtoliditatem accuſo, quod cùm religioſo prætextu, & ſimulatæ humilitatis affectione, pleraque velare ſtuduerint, hac in parte, ambitionem ſuam quod non texerint, aut pinxerint callidiùs.

Eadem Baſilienſis Synodus, deſignato contra Eugenium quartum, nouo Pontifice, Fœlice quinto, ex Allobrogum ſtirpe, nouum ſchiſma commouit, quod tandem ſopiuit Fridericus tertius. Sed de his ſuo loco.

Hæc, etſi natura ab hoc genere ſcriptorum abhorreo, commemorare me tamen, ſicut geſta ſunt, fides hiſtorica cogit, quæ fierent illuſtriora, ſi ex doctrina ſacra, & pontificia adderetur integra antitheſis regni Chriſti, & Hierarchiæ Romanæ, quæ quidẽ oſtenderet, iuſtas nos habuiſſe cauſſas diſcedendi à Pontificiois. Non enim, vt nonnulli putant, tantùm corruptos mores ſacerdotum, & Pontificum flagitia reprehendimus, quorum emendationem, ſcimus, intelligentes omnes, etiam inter ipſos, ſeriò deſiderare, & flagitare: ſed titulum eis Eccleſiæ Chriſti detrahimus, eò quòd diſceſſerunt à fundamento Chriſti, & Apoſtolorum, & verè iudicamus religionem Romanam eſ-

abo-

ſe abominationem deſolationis, de qua vaticinatus eſt Filius Dei,id eſt , idolum, quod effecit vaſtationem vniuerſalem in Eccleſia.

Conſiſtit autem in quatuor maximis erroribus , quorũ primus eſt;quia debet dubitationẽ de lege,&iuſtitia fidei, & præcipit dubitationem ; de quo fonte ſcaturiit totum chaos errorum pontificiorũ,& idololatriæ. Secundus eſt, quia merita, & cultus Filij Dei proprios,transfert in adorationem,oblationem,& applicationem panis conſecrati, pro viuis,& mortuis ex opere operato,in Miſſa theatrica, & extra Miſſam,cùm beneficia Filij Dei applicet ſibi vnuſquiſque,non niſi fide propria. Tertiò,quia inuocationem ſoli Deo præſtandam, Ethnico more,dirigit ad homines mortuos. Quartò,quia ritus humana authoritate inſtitutos,vt vota monaſtica,& ſimiles innumeros,cum opinione meriti,cultus,ac neceſſitatis,anteponit pręceptis,ac requiſitis lege diuina operibus,voce diuina expreſsè docẽte:Fruſtra Deum coli mandatis hominum.

Hos errores , ne nunc quidem pingere, ac defendere,imò,& parricidiis ſtabilire deſinunt;quanquam clariſſima luce veritatis reuicti,atque cõdemnati.Nõ enim propter ordinariam ſucceſſionem , aut propter conſeruatos libros Propheticos,& Apoſtolicos, Pontifices,& Epiſcopi nunc magis ſunt Eccleſia, quàm fuerũt propter eaſdem cauſſas, ſacerdotes impij,in populo Iſraëlitico , Prophetarũ,Chriſti,& Apoſtolorum ſeculo , cùm doctrinam his comprehenſam aboleuiſſent.Non poteſt enim eſſe Eccleſia in illo cœtu , qui retinet,& pertinaciter defendit idola, & errores contrarios fundamento. Vtinam verò,ad huius partis tractationem,Deus ſeruaſſet ſanctiſſimæ memoriæ, Philippum Melãchthonem, ſocerum,& patrem meum,quem poſteritas in hac hiſtoriarum parte, ſæpè eſt deſideratura. Etſi enim eruditè de his,multa diſputauit,& ſcripſit alibi, quæ grata poſteritas celebrabit; tamen,in hoc argumento hiſtorico,temporum , & rerum occaſione,ſingula fuiſſet demonſtraturus euidentius,& illuſtraturus,quæ fortaſſis multis bonis viris,eam, quam adhuc de Romana Hierarchia,circunferunt,perſuaſionem, moti pulchritudine ordinis,ac diſciplinæ,exemiſſent.

Fatemur nihil pulchrius , nihil dulcius eſſe harmonia ordinis, & εὐταξίᾳ nihil contra deformius , ac pernicioſius confuſionibus,& ἀταξίᾳ.Et,quod Plato de œconomia ait: τάξεως καὶ κόσμου τυχοῦσα οἰκία χρήσιμη ἂν εἴη : ἀταξίας δὲ μοχθη-

eſt. Id multò magis de Eccleſia, & republica, verum eſſe agnoſcimus, & experimur. Et vt tyrannidem in Eccleſia, ſic ἀναρχίαν & diſciplinæ laxationem execramur, cùm vtraque aboleat iudicia, ne refutari errores poſſint. Sed quare cauſſa horum malorum, in doctrinam cõfertur, aut in eos, qui impias, & tyrannicas leges Põtificum excuſſerunt, cùm ab ipſis Pontificibus, & Epiſcopis extiterit, qui conſeruare, & tueri hũc ordinem potuiſſent, ſi rectè monentibus obſequuti, pro erroribus, & idolomania, puritatem doctrinæ, & cultuum reſtituiſſent. Solent mutationes omnibus rebus humanis accidere, quæ caueri, humanis conſiliis, non poſſunt. In talibus bene agi nobiſcum putemus, ſi ſapientia, & moderatione mitigari poſſunt, cúmque non contingit τὸ ἐξ οὐρίας πλεῖν, vt dicitur, decebat ſapientes, non iracundia, odiis, pertinacia, augere reipublicę difficultates: ſed tentare δεύτερον πλοῦν, & ſua æquitate, lenire incommoda, & ſanare rempubl. Vidimus quantam ruinam, etiam bonarum rerum, traxerit hæc mutatio: ſed cùm fuerit Eccleſiæ opus emendatione, cúmque aliqua ex parte mutatio incidiſſet, cur non dederunt operam, vt ſaluti omnium gentium conſuleretur, cùm id fuerit officij ipſorum. Hærent igitur hæc mala, quæ ex mutatione natę ſunt, non noſtra culpa, ſed ſcelere illorum, qui lucem veritatis ferre nequeunt. In his prolixior eſſe, hoc in loco, deſino, & accedo ad Friderici ſecundi hiſtoriam.

FRIDERICVS SECVNDVS.

POntificibus ad eam tyrannidem, quam multiplicibus ſceleribus, multo ſanguine, & quod tetrius eſt, horribili, & nullis vnquam cruciatibus expiando abuſu, nominis diuini, prætextúque, in orbem Chriſtianum obtinuerant, nihil deerat, præter integrum, & confirmatum Imperium Italiæ, de quo, cum Imperatoribus, fraude ſimul & armis, non ſuis, ſed alienis contendebant, iam longo tempore. In hanc vnam itaque curam, totis viribus, incumbebant, vt omnem Italiam veterem, quam ad Calabros, Apulos, & Brutios, mari circumfuſam, ad Picenum vbi Romandiola eſt, amnis Rubico claudebat, ac diſterminabat à Gallia Ciſalpina, verſus Alpes, quo iure, quáve iniuria, adiicerent Imperio vrbis Romæ, de quo iam Imperatores excluſerant, atque ita, veterum Romanorum exemplo, Italiam omnem complexi cæteris gentibus iam ante, præceptis, obſeruatiſque, commentitię religionis, redactis ſub iugum, atque obſtrictis: deinceps, quas vellent

leges,

leges, ferrent, & has, qui vel recuſarent, vel violarent, iis infligerent pœnas. De Gallia Ciſalpina verò, id eſt, de Lõgobardia, committerent inter ſe Germanos, Gallos, & Venetos, donec continuitate bellorum fatigatis, & fractis vniuerſis, hac quoque, ſine armis, potirentur.

Hæc pontificum cupiditas vna fuit, & veriſſima, ac proxima cauſſa eorum omniũ malorum, quibus cum Italia, huc vſq; conflictata dedit pœnas, partim idololatriæ, partim Epicureæ ſecuritatis, καὶ ἀθεότητος: ac libidinũ: etſi alij alias προφάσεις καὶ σχήματα, ad grauandos Imperatores, & decipiendos imperitos, quorum animos Eccleſiæ nomen tenuit faſcinatos, prętenderunt. Hęc enim, & feralibus compleuit diſcordiis Italiam, diuulſam in exitiales factiones, & bella accendit funeſtiſſima, impulſis ad defectiones vrbibus Italiæ, & armatis, attractis, atque exaſperatis gentibus externis. Nam, quod moliebantur, nunquam ſeſe perfecturos, nec diu, quam adepti erant authoritatem, ſe cõſeruaturos eſſe, norant, niſi prohiberent, quantis poſſent conatibus, ne Imperatores in Italia creſcerent, ac confirmarentur. Porro, conceptam ex inani cupiditate, aduerſus hos, rabiem, nullus vnquam calamitatum, quæ bella adferunt, ſenſus, conſpectúſque, nulla effuſi ſanguinis copia, reſtinguere potuit, ac lenire. Non enim deduci res ad pacificationes, & componi bella permiſerunt prius, quam concupita, vel omnia, vel aliqua extorſiſſent. Neque vt nunc faciunt Pontifices, id operam dederunt, vt proferrent, & efferrent ſuos ditatos opibus publicis, ſed vt hoc regnum ſtabilirent, & amplificarent.

Horũ cõſiliorum, & conatuum teſtes ſunt hiſtorię hactenus recitatæ, & quæ ſequentur. Otto Brunſuicenſis ingreſſus in Italiam cum exercitu, hanc aſſerebat Imperio, occupato, ex vna parte, agro Piceno, Vmbris, & Samnitibus, vbi Exarchat⁹, ſeu Romãdiola, marchia Anconitana, & aliquot aliæ ditiones ſunt, ad Apenninũ, ex altera parte Hetruria: quæ iam olim appetiuerant, atque inuaſerant Pontifices. Hinc progreſſus, Apuliam etiam & Calabriã, Imperij prouincias, quas ſæpè auellere ab Imperio, & Eccleſiæ, vt vocant, ſubiicere tentarant, repetebat, vt iura Imperij defenderet, non vt Fridericum excuteret, quem prætextum callidè Pontifices, ſed falsò, ad ſuas molitiones pingendas, excogitarunt. Cùm ergo penè tota Italia, deditione ſpontanea, in fidem accepta, videretur Pontificum potentiam in anguſtum eſſe coacturus:

Innocentius tertius id metuens, quod repellere victorem, tam ſubitò, armis non poſſet, telum anathematis, in quo vno, dũ tenuit animos ſuperſtitio, ſalus ipſis omnis repoſita fuit, more maiorũ, arripuit. Huius impetu, cùm eſſet, ob inſitam animis ſuperſtitionem, formidabile, citò eum, non tantùm tota profligauit Italia, ſed proſſus euertit, ac proſtrauit. Principibus Germanicis incitatis per Moguntinum, qui præcipuus in Germania adminiſter tyrannidis pontificiæ, & decretorum iniuſtorum exequutor fuit, vt reiecto Ottone, accerſerent ad Imperium Fridericum Barbaroſſam, ex Henrico filio nepotem, cui puero, ante Philippum, & Ottonem, Imperium deſponderant, & confirmarant.

Fridericus ergo euocatus ad Imperium ex Sicilia, quanquã repugnantib. vxore, & Siculi regni proceribus, aſsenſit tamẽ, & legatos, qui miſsi erant, vt adducerẽt ipſum, ſecutus, per Tridentinã vallem, & Rheticas alpes, peruenit in Germaniã, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, decimotertio. Ibi à ſuis exceptꝰ, & iuſtis copiis inſtructꝰ, mox recepto Briſaco, Haganoa expugnata, & Ottone procul in Saxoniam pulſo, omnem ad Rhenum Germaniam, magna celeritate occupauit, cúmque ad Aquiſgranum coronatus eſset, quo minus metueret, muniuit ſeſe fœdere, & ſocietate vicini regis Franciæ, Philippi.

Etſi autẽ Otto, paulò poſt, reparatis viribus, Belgicum aggreſsus eſt, & Aquiſgranũ obſidione cinxit, tamẽ Francicis armis depulſus, & ad extremas redactꝰ anguſtias, abiecta ſpe Imperij, reliquum vitæ tranſegit priuatus. Fridericus reliquias belli, non magno negocio confecit, & extinxit. Henrico Brabantiæ duce ad faciendam deditionem, adacto, quibus poſtularet victor conditionibus, Belgicóque, & Lotharingia ad Imperium reductis, & receptis Colonia, & Aquiſgrano, vbi denuò eum coronari Pontifex voluit, & obligari iuramento, vt quàm primùm pacaſset Germaniam, viribus, quãtas comparare poſset, traiiceret in Aſiam, ad recuperandam terram ſanctam: in quibus omnibus, aliud nihil ſpectatum fuiſse, cõſilia docent, & exitus: niſi vt Imperatori, procul extra Italiam relegato, & ex vno bello, ac diſcrimine in aliud coniecto, diſtrictóque, ac detento externis armis, Pontifex domi, hæreditatẽ protinus eriperet, & facultatem adimeret, quandocunque rediret, in ſolo Italico conſiſtendi. Quam ob cauſsam, mox initio, ad capeſsendum Imperium in Germaniam

maniam profecturo, denegarat renunciationem, iam ante factæ electionis, atque approbatæ, blanda, atque inſidioſa eluſione, ne, ad confirmatas in Italia vires, accederet publicæ, & ordinariæ authoritatis ſuffragium. Sed tamen, vt videretur bellum ſacrum ſeriò expetere, & vrgere, congregata Synodo Laterana, de hoc bello præcipuè, & tractauit, & decretum fecit: quod cùm promulgatum eſſet, concitata, & coacta eſt magna, ſed imbellis multitudo, quæ ſymbolo crucis, religioſam militiam profeſſa, ad iter in Aſiam ſeſe accinxit.

Interea Innocentius Pōtifex, etſi donatione comitatus Fūdani, in regno Neapolitano, delinitus, ſe declaraturum Fridericum Imperatorem, annuerat: tamen poteſtatem Imperatoris omnem, paulatim in ſe transferre, & exercere cœperat per omnem Italiam, vt non obſcurè præ ſe ferret, quid haberet in animo: ſed, dum proficiſcitur, ad componenda bella, inter Piſanos, & Genuenſes, quibus inuoluta erat tota Longobardia, Peruſij, morbo victus expirauit. Promiſſum Innocentij, tandem ſucceſsor Honorius, anno milleſimo, duceteſimo, viceſimo, die viceſima ſecunda Nouembris, exequutus eſt. Ad hāc declarationem, rediit Fridericus in Italiam, rebus patriæ pacatis. Ibi, cum incitatione, & perſuaſu Pontificis, proceres aliquot Thuſci, & Apuli, ſociis Epiſcopis, deſerta, ac prodita fide erga Imperatorem, inuaderent, quæ & imperij erant, & hæreditaria Friderici, atque ex his quædam occuparent, alia deprædarentur, & exurerent, irritatus perfidioſa iniuria ſuorū, ad arma venit, proſperéque debellatis hoſtibus Epiſcopos ſacro ordine motos, deiecit Epiſcopatibus, aliis in locum ſurrogatis, ſuo conſilio. Repetebant enim Imperatores antiqua iura, de quibus certauerat Hēricus quartus. Cæteros, qui elapſi, confugerant ad Pōtificem, ſeditionis authorē, exutos dignitate, & bonis, cōdēnauit ad perpetua exilia. Hos, cū reſtitui in integrū Pōtifex poſtulaſset, Imperator verò generoſa, & graui oratione, recuſaſset, magno, & irato animo inuectus in ambitionē, ſuperbiā, furta, rapinas, fraudes, & machinationes Pōtificū, cuius orationis capita extant, exarſit contentio in horribilia odia mutua, quæ tandem in exitialia ſeſe bella effuderunt.

Ab his motibus extitit ἀφορμὴ, καὶ πρόφασις prima, earum molitionum, quibus Fridericum, & poſteritatem eius, vt auum, & Henricum quartum, Pontifices oppugnarunt, & exagitarunt immanem in modum, initiò concitata, ad ſe-

ditioſas defectiones, & commota tota Italia , deinde cùm vinceret fortuna Imperatoris , allectis, ſpe regni Neapolitani, Gallis Andegauenſibus, à quibus poſteritas Friderici deleta eſt. Sed verum αἴτιον, vt dixi, fuit, inſana cupiditas Imperij, & odium, ac metus potentis vicini.

Quod ergo Imperator iuſtè puniuiſſet ſeditioſos, quos ad eas res mouendas incitarat Honorius, aſtutè imitatus eos, qui anguillas piſcaturi, aquas cœno turbant, id ergo meruit Imperator, vt hoſtis Eccleſiæ declararetur, & anathemate feriretur, quo exciti in Sicilia Saraceni, concurrerunt ad arma, Imperium regis excommunicati abiecturi. Relicta ergo Italia , traiecit in Siciliam , ac ſeditione repreſſa, cùm coniugi Conſtantiæ, ex Arragonia ſtirpe, quæ tertio Calend. Junij, anno milleſimo, ducenteſimo, viceſimo ſecundo, in viuis eſſe deſierat, iuſta perſoluiſſet, inde mox in Germaniam ſeſe recepit, vbi conuocatis Wurceburgum Principibus, molitionum pontificiarum metu, de horum conſenſu, Henricum filium, natu maximum, conſortem Imperij fecit: ſed hunc poſtea, ob affectatum, ſe abſente, Imperium, Pontificum impulſu, & ſolicitatas vrbes Lõgobardicas ad defectionem, de ſententia procerũ Germanicorum, perpetuis carceribus addixit, cùm liberis geminis, apud Marturanum Calabriæ oppidum.

Diſſidia hęc inter Imperatorem, & Põtificem, Johannes de Bregna, rex Hieroſolymitanus , leniuit aliquantulum, non ſuſtulit , exaggerata Pontifici periculorũ in Aſia magnitudine, poſt expugnatã , magna difficultate, Damiatã, & res, ambitione legati Pontificij , adductas in ſummum diſcrimen , in quo, niſi Suldano reſtituta Damiata fuiſſet, periiſſet exercitus, obrutus aquis Nili, arte tumefactis. His periculis emolliuit , ac flexit nonnihil Pontificem, vt, de ambitioſa pertinacia , cederet aliquid , reipublicæ cauſsa. Deſpondit verò & Friderico Iolem filiam , addito dotis loco, regno Hieroſolymitano, obligatóque hac ſponſione genero, vt mox à nuptiis, dux belli ſacri proficiſceretur ad vrbem recuperandam, ac vindicandum, contra Saracenos, regnum. Quod ſe facturum Imperator cùm recepiſſet, filium Henricum in Germaniam ablegauit, vt indicto conuentu, de conſilio patris, ad Principes, frequenti Senatu, referret , & horum opera , atque auxilio, neceſſaria ad expeditionem compararet, conſcriptis, atque armatis copiis, ducibúſque delectis, quorum præcipuus fuit Ludouicus Turingiæ Landgrauius, maritus S. Eliſabethæ. Id fa-

ctum

ctùm eſt, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, viceſimo quinto.

Ipſe etiam, ne quid negligeret eorum, quæ ad publici ſtatus firmitatem, & incolumitatem facerent, ſe abſente, principes Germaniæ Cremonam euocauit, ad deliberationem de Imperio, cùm relinquere tutò Italiam non poſſet. Quod, cùm ſuſpectum haberet Pontifex, cõmota Longobardia, congreſſum impediuit. Ea res inſtitutę expeditioni moram: Pontifici nouam, ſed hoc cõſilio quæſitam πρόφασιν attulit, ad Imperatorem exagitandũ, quam, Honorio extincto, non neglexit ſucceſſor Gregorius IX. Hic nullo odij erga Imperatorem, nullo machinationis genere inferior maioribus, præter adiumenta veſanæ ambitionis, & nefandæ malitiæ, nomen etiam ad Pontificatũ attulit fatale Eccleſiæ, & Imperio Romano: à Gregoriis enim, quinto excepto, illata ſunt præcipua & Eccleſiæ Chriſti, & Imperio detrimenta, inde vſque à Gregorio Magno. Grauiter ferebat Gregorius, Imperatorem perpetuò hærere in Italia, intentum in omnes ipſius technas, & artificia, cúmque ſciret eum, per Henricum filium, magna cura promouere, in Germania, apparatus bellicos, tamen de induſtria moras nectere, quærereq́ue dilationes, & effugia criminabatur.

Poſtquam autem conueniſſet, Brunduſij, magna multitudo ſacrorum militum, ex diuerſis gentibus, ſed ex Germania maxima, duce Ludouico Landgrauio Turingiæ, & Imperator primò detentus inualetudine affecti corporis, ex aeris inclementia, quæ & Landgrauium, cum multis aliis, abſumpſit: deinde inter Peloponneſi, & Cretæ anguſtias, contraria vi ventorum, repulſus, aliquandiu Brũduſij ſubſtitiſſet, ibi demum in Imperatorem detonare minis diriſque Pontifex, & crimina periurij, adulterij, ſęuitię in vxorem confingere, proditæque, ac perditæ Damiatæ culpam conferre, próque his anathema denunciare, pœnas exigere, ad arma conclamare cœpit, accito in Romandiolam, Exarchi titulo, ſocero Imperatoris, Johanne Bregna, & comitibus Thuſciæ, ac Longobardiæ vrbibus iuſsis arma expedire.

Imperator, crimina obiecta coram diluturus, Principes Rauennam euocauit, ſed conuentu impedito tumultibus Longobardicis, cùm ſcripto mendacia refutaſſet, & claſſem refeciſſet, ſatisfacturus promiſſo, ſoluit Brunduſio tertio Idus Auguſti, anno milleſimo, ducenteſimo, viceſimo

octauo, præmiſſo cum maxima copiarũ parte, Reinoldo Bauaro equitum magiſtro, & Italiæ gubernatione commiſſa Reinoldo duci Spoletano. Quòd verò nec ſalutato Pontifice, nec expiata offenſa, abiiſſet, demum Pontifex, dolore contemti anathematis, in eum exarſit furorem, vt in Syria exercitibus Chriſtianis præceperit, ne Imperatorem ſequerentur, & protinus, illo vix digreſſo, fœdarum harpyarum more, in appetitas dudum regni Neapolitani terras, inuolarit, & reliquam Italiam tumultibus compleuerit.

Imperator, ſecunda nauigatione, per inſidias templariorum, delatus Ptolemaidem, & ab exercitu, nihil immutato, Pontificis calumniis, exceptus cupidiſſimè, inducias pepigit, cum Suldano, in annos decem, optimis, & honeſtiſſimis conditionibus, recepta, ex tranſactione, ſine cæde, Hieroſolyma captiuis omnibus, ſine precio impetratis, & regni poſſeſſione occupata. Cúmque refectis oppidis Nazareth, & Joppe, militéque, & commeatu inſtructis, cætera regni conſtituiſſet, & probè contra hoſtes obfirmaſſet, rediit in Italiam, diſsimulatis iniuriis, quas pertuliſſet abſens. Ab hoc tempore, qui Siciliæ regnum poſſederunt, Hieroſolymitani regni nomen, & inſignia ſimul vſurparunt.

Sed ne ſic quidẽ placato vti Põtifice potuit, nec qui ſeſe interpoſuerũt, Germaniæ Epiſcopi, & Principes, Leopoldus Auſtriæ, Otto Meraniæ, Bernhardus Carinthię duces, integri anni ſollicita tractatione, ac penè ſupplici deprecatione, in iuſtiſsima cauſsa, vincere pertinacem ſuperbiã potuerunt. Ceſsit tamen ille tandem, centum viginti millibus vnciarum auri, quibus diras Imperator redemit, ſéque anathemate exoluit, rem conficientibus Hermanno ordinis Teutonici magiſtro, & Archiepiſcopo Meſſanenſi, anno milleſimo, ducenteſimo, triceſimo.

Hæc cum recitent ſcriptores Italici, non verentur tamen, tantis ſceleribus, impudenter patrocinari. Sed in fatis fuit, vt qui, ceu ἀλάστορες, regnum Filij Dei, commẽtitia, & impia religione perturbarant, in genere humano, cultúſque, ac honores illi debitos protriuerant, atque conſpurcarant, blaſphema mendacia parricidiis cumularent, & domeſticis cœdibus, deuaſtarent orbem Chriſtianum, atq; immanibus ſeditionibus, domi implicitos principes optimos, ac feliciſsimos, nec vlla re veteribus heroibus inferiores, auerterent à bellis neceſſariis. Denique, vt in

cala-

calamitatibus publicis, & triſtiſsima ruina regnorum, acerba, & diabolica ἐπιχαιρεκακίᾳ inſultarent iacentibus, vt ad has occaſiones, augeretur potentia hoſtium Filij Dei, Diabolorum, & blaſphemarum gentium, in perniciem orbis Chriſtiani, quem oportuit luere pœnas tam inueteratæ idololatriæ.

Sed non fuit diuturna hæc Imperatoris cum Pontifice reconciliatio, quæ vix annum octauū attigit, quando Imperatore, poſt repreſsas, in Sicilia, ſeditiones, profecto in Germaniā, ad vindicandam contumaciam Friderici Auſtriaci, Leopoldi filij, qui, propter ſtupra, & alia flagitia, accitus ad cauſſam dicendam, authoritatem Imperatoris petulanter aliquoties detrectarat, Pontifex rediit ad ſuas artes, & odia. Petiuerat Imperator, per Manfredum, ex concubina natum, à principibus, vt poſt Henrici filij mortem, qui in carcere obierat, relictis, ex Margareta Auſtriaca, filiis Friderico, & Henrico, regem Romanum crearent alterum filium Conradum. Id, cùm à principibus promiſſum, animaduertiſſet duci, & conuelli, fraude Pontificum, coràm idem, poſt res Auſtriacas confectas, efflagitauit, & obtinuit, rarioribus Principum ſuffragiis Ratisbonæ, frequentioribus Spiræ. Circiter annum Chriſti, milleſimum, duceteſimum, triceſimum ſextum.

Pontifex ſe deluſum intelligens, ad alia decurrit conſilia. Repetebãt Fridericus, & Cõradus à Põtifice, quæ in vtroque regno Siculo, & Neapolitano, per vim iniuſtè rapta, eò vſque cõtra pacta & cõuẽta, poſsederat: Põtifex, vt ſeſe muniret factionib. contrariis, rurſus edicebat Imperatori, vt à cõfœderatis ciuitatib. Lõgobardiæ, quæ inter ſe, & cũ Pontifice, defectionis authore, improbo pernicioſæ libertatis ſtudio, in Imperatorem cõſpirarant, abſtineret. Id cùm Imperator, ſe non poſse facere, oſtenderet, niſi à conſpiratione facta, in ſuam, & Imperij perniciem, deſiſterent, ac redirent ad fidem, Põtifex quid euenturum eſset, proſpiciẽs, tertiò, totis viribus, in cõmune bellũ incubuit.

Cœpit id anno Chriſti, milleſimo, duceteſimo, triceſimo octauo, & in eum deiiit finem, vt præcipuis, ac plurimis vrbibus Italiæ horribiliter afflictis, deuaſtatis, & eneruatis, penè πανωλεθρίαν attulerit. Diuiſæ ſunt vrbes ſtudiis, vt dixi, aliis Gibellinorum nomine, à ſtirpis Sueuicæ origine, Imperatorem dominum iactantibus, aliis contrariam Põtificum factionem, Guelphorum titulo, profitentibus, & vtriſque inter ſe armis, odiiſque, tanto feruore, decer-

tantibus, vt virtutis, gloriæque loco ducerent, ſi ad oſtendendum inſigne factionis ſtudium, maximè ſæuirent in alteros. Hæc funeſtarum factionum noua nomina, in hoc bello primùm audiit Italia, incendio ex Hetruria, in reliquam Italiam omnem celeriter diſperſo, ſtudióque acerrimo partium aucto, atque confirmato, in tantùm, vt non prius deflagrarit, quàm Lutheri ſcriptis, Pontificia maieſtas labefactata ſit, & inclinata.

Tot atrocibus ergo iniuriis, laceſſitus Imperator, cùm aut pereundum ſibi, aut ſeditioſam conſpirationem Italiæ, cuius erat caput Pontifex, reprimendam eſſe videret, ex dolore iuſto, diúque diſsimulato, ac preſſo, in iram ingentem tandem excanduit, vt ſunt in heroicis naturis iracundiæ tardæ initiò, ac lentæ, ſed acres, & vehementes, ſi nimium prouocatæ, vero ſeſe impetu commouerint. Magna autem, & inopinata celeritate, cõtractis vniuerſis copiis terreſtribus, atque Imperio maris commendato Encio filio, quem Sardiniæ regem, & nauarchum declarauerat, Italiam ingreſſus, infeſta, aduerſáque omnia oppreſſit, euertit, diſiecit, obtriuit penè citiùs, quàm aduolare ſit animaduerſus. Vrbes Lõgobardiæ, Æmiliæ, Hetruriȩ, Vmbriæ pleraſque partim deditione ſpontanea cepit, enixè rem adiuuantibus proceribus nobilitatis Italicæ, peculiari erga imperatorem affectione, & ſtudio, odióque ſuperbæ tyrannidis Pontificum, partim vi expugnauit, ac direptionibus, & incendiis deformauit.

Hęc, tragicis inſectationibus optimi principis, impudẽter vituperant aſſentatores pontificum. At, cur iidem non ſuorum perfidioſas defectiones, ſeditioſas conſpirationes, iniuſtè rapta, & illata arma: cur non impietatis, & ſceleratorum conſiliorum architectum, diſcordiarum facem, funeſti, ac miſeri interitus florentiſſimarum rerumpub. veriſſimum authorem Pontificem accuſant? Cui volupè fuit ſpectare conflagrationes, & ruinas tot vrbium: tot hominum lanienas. Ignauia eſſet, & vecordia in principe deteſtanda, ſi ad tam atroces iniurias, & nefandas conſpirationes conniuendo, pateretur conuelli, euertíque Imperium, cùm defenſio, & conſeruatio ſit ei demandata, & impoſita diuinitùs.

Succeſſibus Imperatoris, territus Põtifex, deſperatione, ſupplicationes paſsim indixit: & exercitũ de cruce ſignatis comparauit: cúmque, ne his quidem ſe defenſoribus, tutum fore cerneret, inſtituta Synodo in Laterano, rediit

ad vſitatum ex anathemate præſidium, ídque in eum tertio excuſsit, accitis ad approbationem decreti, cardinalibus, pellectíſque in belli ſocietatē Venetis, quos memoria victoriarum de Friderico Barbaroſſa, ingentibus ſpebus incendebat. Edidit & ſcripta referta, atque coaceruata, tanta impudenter effictorum criminum congerie, vt multos ex Cardinalibus ipſis, virulentam malignitatem Pontificis oportuerit execrari, præſertim cùm Petrus de Vineis, vir doctiſſimus, & ingenioſiſſimus, grauiſſimis argumentis, vanitatē obiectorum criminum, demōſtraſset, ac redarguiſſet, & fulmen anathematis, tanquam fatuum, eliſiſſet, atque inſuper, poſt & acceptas tot iniurias, ſupplex reconciliationem petiuiſſet.

Imperator, terra maríque, interclusis itineribus, ne ex cardinalibus, qui procul aberant, accedere vllus poſſet, prohibuit, & per Encium nothum, in mari plurimos, qui ex vrbe Veneta, & Gallia aduenerant, claſſe circumuētos, intercepit, quorum aliquos, ſuo merito, ſuppliciis affecit, aliquos carceribus incluſit, pleroſque mulctauit priuatione beneficiorum. Quin & ad vrbem ipſam acceſsit, atque exercitum cruce ſignatorum, penè cōcidit, ſed vrbi tamen pepercit. Exhauſtus pecunia, militib. ſtipēdia, numiſmate coriaceo, diſſoluit, quod paulò poſt argenteo redemit.

Interea Gregorio mortuo, & ſucceſſore Cœleſtino, itidem paucis diebus, poſt electionem, extincto, decretus eſt Pontifex Innocentius quartus. Hic, ante pontificatum nō alienus à cauſſa Imperatoris, mox naturam, & ingenium, cum dignitate, mutauit.

Κίνησις γὰρ ἡ μεταβολὴ τῆς φύσεως ἡ τύχη.

Inſtitutam enim à Gregorio, aduerſus Imperatorem, telam ſeditioſarū molitionum, tā præclarè pertexuit, & abſoluit, vt quæri opus non ſit, quo illū impietatis, crudelitatis, fraudis, perfidiæ genere, ſed quo ſemetipsū ſuperarit.

Imperator recens Fauentiam, quæ Pontifici fauerat, fame expugnatam, diripuerat, & Bononia grauiter afflicta, exercitum Parmæ admouerat. Tota ergo propemodum Italia excluſus Pontifex, traiecit in Galliam, & per bella vſus *σκιαγραφία* iuſtitiæ, Lugduni, concilio coacto, diem dixit Imperatori, anno milleſimo, ducenteſimo, triceſimo quinto, vt non niſi auditus, Synodi ſententia, ſed ſe iudice tamen condemnaretur. Quòd ergo ad diem dictum, non è veſtigio comparuiſſet Imperator, ſed miſſis legatis tempus definiri commodius petiuiſſet, Pontifex iterum

falſis criminibus ſummè aggrauato , non ſolùm ſacris interdixit,ſed vt Imperium etiam abrogaretur, perfecit,fruſtra illo ſuam innocentiam , contra fraudes , & mendacia Pontificum,demonſtrante, opera Petri de Vineis,& aliorum plurium. Tradiderunt enim Principes Imperiũ Henrico Landgrauio Turingiæ, qui ad Vlmam,telo cõfoſsus, occubuit,& poſt eum, Wilhelmo Hollandiæ comiti. Inde ſecuta ſunt diſsidia Principum,tam atrocia , vt contra leges,& iura vetera , acciti ſint principes exteri, & cum hos etiam vel accipere Imperium , metus prohiberet,vel pars aduerſa non admitteret , Occidens,bellorum,ac diſsidiorum fluctibus,ſine gubernatore certo, aliquãdiu,ceu nauis procellis ventorum,ſine nauclero,ſit iactatus.

Conſtituerat Imperator venire Lugdunum , & iam ad Taurinates vſque acceſserat, ſed cùm de furioſi Innocentij,atque implacabilibus molitionibus, déque clãdeſtina, ac perfidioſa Sanſeuerinatum Principum , ac nonnullorũ aliorum,ex Pontificis inſtinctu,in necem ſuam cõſpiratione, & de crudeli cæde ab exulibus Parmẽſibus Guelphis,in Gibellinos ipſi addictos, patrata, atque vrbe recepta cognouiſset,mutato conſilio, rediit in Italiam,atque accerſitis ex Apulia,& Calabria recentib.copiis,ſexaginta millium , Parmam obſidione cinxit, noua vrbe foris circumuallatam,quam Victoriam vocauit,nouóque numiſmate celebrauit, in honorẽ Victoris martyris, cui, ſi vrbe potiretur,templum vouerat. Habuit tunc ſecum Imperator,filios tres,Henricum iuniorem,quem ad Synodum acceſsurus, proregem Italiæ crearat,Fridericum nothum filium, Antiochiæ principem,cui Thuſciam gubernãdam dederat, & Encium Sardiniæ regem , quem fecerat legatum generalem. Sed obſidio penè in alterius anni producta finem,eum habuit exitũ, vt incuria , & ſecuritate nimia obſidentiũ,Victoria ciuitas,ab obſeſsis incenſa,exercitus fœdè diſsipatus,theſauri Imperatoris direpti ſint.

Hæc clades,etſi grauis fuit , tamen non ita languefecit Imperatorem , vt ſe Pontifici ſubiiceret, ſed reparatis copiis, ipſe ex vna parte, obſeſsos ad deditionem compulit, ex altera parte , duce Encio filio, oppugnauit Bononiam. Vmbria enim , & tota fere Hetruria, Imperatoris ſequebantur partes, Florentinis exceptis,apud quos tamen,tãtùm valuit authoritas Imperatoris , vt ſponte Guelphos eiecerint, ſed Imperatorem intra vrbem non admiſerunt. Encius filius à Bononienſibus prælio ſuperatus , venit

viuus

viuus in hoſtium manus, apud quos in vinculis mortuus eſt, poſt captiuitatem annorum viginti duorum, vt monumentum quod adhuc Bononiæ extat, teſtatur, poſitum anno, milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, ſecunda Iduum Martij.

Tandem, cùm ſe non ab amicis tantùm, quorum fere voluntates cum fortuna mutantur, ſed ab ipſa etiam fortuna deſtitui videret, quæ hactenus ei fauerat, & intelligeret, vitę inſidias ſtrui, per veneficia, multis modis, reuerti ſtatuit in Siciliam. In eo itinere ardẽtiſſima febre, ex ꝓpinato veneno correptus, vitam finiit in arce quadam Apuliæ Florentina. Sunt qui affirmant, Manfredum nothũ, ex Lombarda pellice filium, cùm medicorum diligentia, vis veneni retuſa aliquantulum, ac debilitata, ſpẽ de conualeſcẽtia præbuiſset, iniecto in os puluino, eũ ſuffocaſse.

Deceſſit autem die decimatertia Decembris, anno à nato Chriſto, ex Maria virgine, milleſimo, ducẽteſimo, quinquageſimo: à mundi initio, quinquies milleſimo, ducenteſimo, duodecimo: ętatis anno quinquageſimo quarto: Imperij triceſimo tertio, id eſt, poſt abrogatum ei, impulſu Innocentij Pontificis, Imperium, anno quinto. Cadauer Panormum tranſtulit Archiepiſcopus Panormitanus, & ſepulchro ibidem porphyretico condidit, etſi id aliqui Manfredum, ſuſpicionis à ſe amouendæ cauſſa, feciſſe referunt. Sepulchro verſus inſcripti ſunt hi:

Si probitas ſenſus, virtutum gratia, cenſus
Nobilitate orti, poſſent obſiſtere morti
Non foret extinctus, Fridericus, qui iacet intus.

Hic fuit exitus Friderici ſecundi, principis, ſummis illis omnium temporum heroibus annumerãdi, qui cùm virtute, & gloria bellica, excellentem, in omni doctrinarum genere, eruditionem coniunxerunt. Verè

Ἀμφότερον θεράπων ὑψ' ἐνυαλίοιο θεοῖο,
Καὶ μουσῶν ἐρατῶν δῶρον ἐπιστάμενος: Inter Germanicos verò penè poſtremi, qui, quod de Maieſtate Imperij Romani reliquũ fuit, armis, cõtra Põtifices, fortiter defẽderũt, ita vt cũ eo maieſtatis antiquę reliquias, quãtæ illæ fuerunt, etſi fuerunt exiguæ, ſimul cõcidiſſe, ac ſepultas eſſe, exiſtimẽ. Manſit enim, poſt eum, diſtracta in factiones Italia, aliis Imperatori, aliis Pontifici adhęrentibus, donec Venetorũ, & Mediolanenſium potẽtia creuit. Et attracti Hiſpani, ac Galli, oppreſſis Italis, contenderunt inter ſeſe, de regno Neapolitano, & Longobardiæ principatu.

Ingenio tanto fuit, vt præter patrias linguas, Germanicam, & Italicam, didicerit exactiſſimè plurimas alias, Latinam, Græcam, Saracenicam, Francicam, & in ſingulis philoſophiæ, partibus, non tantùm rudimenta prima deguſtauerit, ſed fontes ipſos introſpexerit, atque exhauſerit. Condidit Academiam Neapoli, & antè conſtitutas alibi, exornauit, atque amplificauit. Auxit etiam ornamenta, iura, immunitates, & dignitates ordinis ſcholaſtici, latis de his, ac ſancitis legibus publicis, quæ beneficia docti grata mente agnoſcant.

Multa verò ex Græco, & Saracenico traduci in Latinam linguam curauit, quæ reſtitutionem veræ, ac purioris philoſophiæ adiuuarent, ex Ariſtotele, Ptolemæo, Galeno, Auicenna, & aliis, ita vt, vel vnius Friderici ſecundi beneficio, phyſica, medica, & mathematica ſtudia, in Occidente, reuixerint, quæ inde vſque ab irruptionibus Gotticis, & Vandalicis, neglecta iacuerant.

Multa ſapienter in Imperio conſtituit, cùm de vſibus feudorum, tum alia, quæ vndecim capitibus diſtincta, ac codici Juſtiniani ſunt inſerta.

Viros doctos in honore, ac precio habuit, déq; eorum cõſiliis, atque ſententiis inſtituit, adminiſtrauit, & in controuerſiis pronunciauit, in tempore pacis, pleraque.

Animo fuit magno, atque excelſo, ínque periculis intrepido, in vtraque fortuna conſtans, & moderatus, acer in præliis, ac prouidus; manu pariter, & cõſilio promptus, munificus, à crudelitate alieniſſimus. Cum enim non deſinerent pontificij, & vi manifeſta, & fraude, atq; inſidiis, vitam eius, ac iugulum petere, repreſſit tamen indignationem, & vindictæ cupiditatem, quantum potuit victor, & pœnas deuictis mitigauit.

Pertinacia tamen aduerſationum, atque inſidiarũ plena interioris, ac domeſticæ vitæ conſuetudo, tandẽ fractum eum vehementer exacerbauit, cùm Imperio exutus, ne inter ſuos quidem reperiret, quibus fideret, & in animo ſæpè irritato, grauitérque ſauciato, metus defectionis ſuorum, ac nouarũ cõſpirationum, redderet ſuſpecta omnia, ætate etiam propenſionem ad ſuſpiciones augeret, quæ quidem, vt eſt ὑπόνοια δεινὸν κακὸν, eò vſque inualuerunt, vt ne quidem coniunctiſſimis, atque fidiſsimis pepercerit. Nam Petrum de Vineis, patria Capuanum, iuris peritiſsimum, qui Imperatoris cauſſam vnus omnium fideliſsimè, ac diligẽtiſsimè, ſummo ſuo cum diſcrimine, egerat, quod

Epiſtolæ

epiſtolæ oſtendunt, quæ extant, huncergo calumnioſè adductum in ſuſpicionem, de ſtructis ipſi inſidiis, coniecit in carcerem, oculis captum: in quo ille tandem, ſeu deſperatione, ſeu impatientia iniuriæ, ſeu ſupplicij atrocioris metu, capite parieti illiſo, ſibimetipſi mortem conſciuit: Adeò ſtabile nihil eſt, & firmum in rebus humanis, in quibus verè παιγνιὰ δ' οὐδὲ χάρεις, ἐμνάμονες ἢ βροτοί.

Etſi autẽ, vt nulla virtus humana, quantumuis ſit magna, & heroica, perpetua eſt, nec labe caret, quæ & conſpectior, & reipſa ſæpè maior eſt, in illuſtribus viris, quàm in priuatis: ſic, non inficior, ſuis Fridericũ fuiſſe obnoxium vitiis, à quibus non remoueo cauſſam aliquam calamitatum, in quas incidit: tamen, qui morienti adfuerunt, talibus eum veræ, ſeriæque pœnitentiæ, & inuocationis argumẽtis, vitam finiiſſe tradiderunt, vt non dubitent affirmare, quod ſit electum vas miſericordiæ: his enim vtuntur verbis.

Vxores habuit plures, etſi de numero inter ſe ſcriptores diſſentiunt. Alij enim tres ei vxores: ſex alij tribuunt. Prima fuit Conſtantia Arragoniæ regina, ex qua natus eſt Henricus ſenior, dux Sueuię, rex Romanorum. Altera fuit Iole filia regis Hieroſolymitani, Iohannis de Bregna, quæ dotis loco titulũ regis Hieroſolymitani, Siculis, & Neapolitanis regibus attulit. Ex hac natus eſt Conradus Sueuiæ dux, rex Romanorum, poſt Henricũ, cui pater, teſtamento deſtinauit regna, Siculum, & Neapolitanum. Tertia ſecũdum aliquos fuit Agnes, filia Ottonis, ducis Meraniæ, & Iſtriæ marchionis, quam repudiatam ab Imperatore duxit Vlricus Carinthiæ dux. Quarta, Rutina, filia Ottonis, comitis Bauarici, in Wolffershauſen. Quinta, Iſabella filia Ludouici Bauarici, cęſi in Kelheim. Harum trium multi non meminerunt. Sed prioribus duabus, addunt vltimam, Mechtilden: quam nonnulli Iſabellam nominant, filiam Iohannis, Angliæ regis. Ex hac natũ ferunt Henricum Iuniorem, cui pater teſtamento Siciliam decreuerat, ſi perueniſſet ad iuſtam ætatem. Genuit & filias complures, & inter has, Margaretam, quæ Alberto Lãdgrauio Turingię peperit filios duos, Fridericum auo ὁμώνυμον; cuius fuit à matre admorſa gena, & Ticemannum Lipſiæ ſepultum: Item Conſtantiam coniugem Ludouici, Lãdgrauij Haſſię. Habuit præter legitimos liberos, & alios nothos filios. Ex Blãca marchioniſſa Montisferrati, Manfredũ Tarenti principem, qui patrẽ puluino ſtrangulaſſe traditur, quod teſtamento eũ à regno Neapolitato excluſerat, Enciũ Sardiniæ

regem, quem Bononienſes ferreæ, & cancellatæ caueæ incluſum, necarunt, & Fridericum Antiochiæ principem.

Tāta autē fuit odij, in Pōtificibus, erga Friderici poſteritatem rabies, vt non priùs placari potuerint, quàm vniuerſam, radicitus, immani crudelitate excidiſſent: quod, cùm per ſe, ſuóſque nequirēt efficere, attraxerūt Hiſpanos, & Gallos, quorum opera, cùm Sueuos extirpaſſent, odia mox conuerterunt, & effuderunt rurſus in hos ſuæ ſæuitię miniſtros, adeò, vt permiſſu diuino, potentiam hanc nacti videātur, qua vterentur, ad perturbandas res Imperij, domi foriſque; & gentes Europæas latrociniis, ac bellis aſſiduis affligendas. Nam, vt præcedens, ita tota ſequens hiſtoria, euidēter teſtatur, verè fuiſſe Pōtifices ἀλάστορας Eccleſiæ, & Imperij, & flagellū Dei, vt de Attila vetuſtas prodidit. Nunc ad rerum omnium perturbationes, quæ, poſt abrogatum Friderico Imperium, euenerunt, quęque mortem eius conſequuta ſunt, & ad interregnum venio.

DE STATV IMPERII, POST FRIDERICUM ſecundum, de interregno, & de Friderici poſteritate.

OBtinuerat Fridericus à Senatu Imperij, in Germania, vt primogenitus filius Hēricus, cunctis ſuffragiis, decerneretur rex Romanorum: quanquam per ætatem, nondum eſſet idoneus ad Imperium, quod vix annum exceſſerat decimum. Judicabat enim ex re fore, & dignitate Imperij, ſi ſucceſſorem haberet certum, ſe externis, procul à patria, bellis implicito, ac diſtento. Huic Hērico deſpōdit Auſtriæ ducis, Leopoldi Glorioſi, filiam Margaretam, qui ei poſt nuptias, quas adoleſcens admodum, Noribergæ celebrauit, peperit gemellos Fridericum, & Henricum. Sed cùm, incitatione Pontificum, & promiſſis Longobardorum, in ſpem Imperij pellectos, paternos amicos, & ſocios hoſtiliter oppugnare cœpiſſet: pater eum ad ſe, in Apuliam, inuitatum comprehendit, atque in carcerem condidit. In eo miſerabiliter, octauo ab electione anno, mortuus eſt, ſuperſtitibus gemellis, quorum alterum Conradus, alterum Manfredus nothus, veneno ſuſtulit, tanquam æmulos regnorum, Siculi, & Neapolitani. Pater, hunc Hēricum poſtea, ſępè, cum multis lachrymis, requiſiuiſſe dicitur. Vidua eius, nupſit Ottocaro, regis Boēmiæ filio, propter eas nuptias, cùm paulò poſt eſſet extincta ſtirps antiqua ducum Auſtriæ, Ottocarus coniugis hæreditarem iuris quodam titulo, ſibi vindicans, armata manu, Auſtriam

inuaſit,

euaſit, vt ſuo loco dicetur.

Poſt Henrici mortem, Fridericus Principum animos cõciliauit filio Conrado, & vt in fratris locum ſufficeretur, perfecit, quod niſi, ſe, in Italia, bello pontificio occupato, domi haberet ceu cuſtodem fidum, & attentum publicæ tranquillitatis, & fidei, atque officij Principum erga Imperatorem; euenturum videbat, vt artibus pontificum ſcinderentur in diuerſum animi Germanorum, & auerterentur à ſtudio, & obedientia erga ipſum. Etſi autem ſapienter cogitatum hoc erat, & inſtitutum prouidè, vicit tamen aſtutia Pontificum, religionis authoritate fulta, atque armata, quæ rem Innocentio actore, deduxit eò, vt patri, & filio pariter de Imperio deiectis, oppoſitus ſit Henricus, Turingiæ Landgrauius, Ludouici frater, cui S. Eliſabetha nupta fuit. Id factum eſt, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo quinto.

Cõradus, electionem vt impediret, cum exercitu acceſſit ad vrbem Francofurtum, Bauaricis auxiliis adiutus. Nam vt ſe muniret affinitate potentis Principis, Bauari filiam in vxorem duxerat, ſed repulſus, ac profligatus ab Henrico, quem maxima pars Principum ſequebatur, fugit Ratisbonam, vbi aliquantò poſt, noctu à coniuratis quibuſdam, quos Epiſcopus Ratisbonenſis ſubornarat, oppreſſus: cùm cæteri comprehenſi, & trucidati eſſent, ipſe ſub ſcamno deliteſcens, diuina protectione, hoſtes fefellit, & euaſit. Sed quod Sueuos offendiſſet, collata in eos culpa, infelicis ad Francofortum prælij, nec reuerti domum fuit auſus, nec in Germania tentare quidquam potuit, nullis niſi Bauaricis auxiliis ſubnixus. Quod ergo patrem deceſſiſſe, cõperiſſet, in Italiam protinus abiit, occupaturus regna Siculum, & Neapolitanum. Interea Henricus, æmulo pulſo, progreſſus, dum Vlmam, Conrado adhuc adhærẽtem, obſidione cingit, ſagitta lethaliter ictus, occubuit eodem anno, quo Imperium accepit.

Conradus reuerſus in Italiam, anno milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo primo: vrbes, quæ, à morte patris, ad Pontificem Innocentium deſciuerant, recepit, auxilio Tancredi, à quo perſuaſus, Imperium vi quod fit, ſtabilius eſſe eo, quod beneuolentia adiungitur, Neapolin, octauo menſe, vi expugnatam, ſolo æquauit: pulſa inde tota nobilitate: Capuam direptã nudauit muris, & propugnaculis, Aquinum incendiis deuaſtauit. His ſæuitię exemplis, ſe Imperium confirmaſſe ratus, quod nomen Auguſti cupe-

ret in familia retinere,rediit in Germaniam. Ibi,cùm aduerſa ſibi, atque infeſta oſtendiſſet omnia, commendato Bauariæ principi, ſpe ſucceſsionis, Cunradino filio,repetiit Italiam;vt regna iſtinc recuperata, hęredi cõſeruaret. Id agentem,Manfredus veneno peremit,qui cum iiſdem regnis multò antè inhiaſſet, patre ſublato, abſentem impuberem Cũradinum,facilè à ſucceſsione excludi ac prohiberi poſſe,confidebat.

Deceſsit Cõradus cõſumtus vi veneni, & fluxione dyſſenterica,quã, eroſis inteſtinis,pharmacum irritarat,anno milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo tertio,decimo ſexto ab electione; anno quarto,à patris morte;cùm ipſe menſe quinto ante,adductus Siculi regni cupiditate,opera cuiuſdam transfugæ Saraceni, clam iugulaſſet Henricũ iuniorem, ſeu fratrem, ſeu ex Henrico fratre, nepotem, generoſi, & excelſi animi, atque ad omnia ſumma natum iuuenem;& paulò poſt, quidam Bertholdus marchio,alterum etiam Henrici filium, Fridericum,conuiuio exceptũ, infecto piſce amouiſſet, in Manfredi gratiam,ne cogeretur ſoluere pecuniam, quam auus illi teſtamento,ad occupandam Auſtriam,legarat.

Reliqui erant de poſteris Friderici, Cunradinus hæres legitimus,natus patre Conrado, ex Elizabetha Bauarica, quæ marito mortuo, Menhardo comiti Goriciæ nupſit: Conradus cognomento Caputus,princeps Antiochię,nepos Friderici,ex notho filio Friderico; & Manfredus nothus.Cunradinus aberat in Germania,huic ſeſe Mãfredus hęreditatem paternam, tutorio nomine,adminiſtraturum ſimulans,donec adoleuiſſet, Neapolin occupat, & Innocentio quarto eadem regna armis, ac bello pontificatui aſſerturo,ſubiectionis promiſſo, perſuadet, vt poſitis armis,aſſentiatur;ſed non diu latuit dolus. Subornatis enim, qui Cunradinũ, in Germania, veneno tollerent,cùm,cęde nõdum patrata,mortem illius diuulgaſſet, & literis commentitiis demonſtraſſet, regna,iure ſucceſſionis,ſibi vendicans,coactis ingentibus copiis,ſuis,& Saracenicis,pręſidia pontificia,ad Foggiã Apuliæ vrbem,ex improuiſo opprimit, quæque in Italia, regno Neapolitano coniuncta, Pontifices auulſerant, recipit, regio nomine,ex acclamationibus populi, vſurpato,circiter annum milleſimũ, ducenteſimum, quinquageſimum quintum. Mox etiam Siciliam adiungit,rebus, quæ ad defectionem ſpectabant, cõpoſitis,& vt ſe,contra Pontificum potentiã, muniret a-

micorum præſidio, affinitatem iunxit cum Jacobo Arragonũ rege, filia Conſtantia deſponſa filio eius Petro, maximo natu. Inde bellum exarſit funeſtum, & exitiale ſtirpi Sueuicæ. Nam Vrbanus IV. qui Alexandro ſucceſſerat, edito in Manfredum anathemate, attraxit Carolum Andegauenſem, Ludouici Galliarum regis fratrẽ, qui cũ Mãfredo acie congreſſus, victoriã, illo cæſo, cum regno vtroque obtinuit. Profuit Carolo, ad victoriam, plurimùm, cõſiliũ, & opera Johãnis Ratæ, comitis Caſertæ, qui oblatũ coniugi, à Manfredo, adulterium, vlturus, ex caſtris Neapolitanis ad Gallos transfugerat. Ita ſcelerate, ſed aſtutè acquiſita parricidiis regna, Manfredus, cum vita, amiſit.

Dimicatum eſt ſexta die Februarij, anno milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimoq; quinto, in agro Beneuentano.

Interea adoleuerat Cũradinus. Huic adducenti exercitum inſignem ex Germanis, ad repetenda à Carolo, auita regna, ſocio expeditionis Friderico, Auſtriæ duce, coniũgunt ſeſe, in itinere, Piſani, Senenſes, & Genuenſes. Accedentem ad vrbem honorificentiſſimè, cum Romana nobilitate, excepit Henricus Caſtellę regis filius, Senator vrbis Romę. Accedũt ad eum & Conradus, Antiochiæ princeps, frater, & Alphonſi Arragonum regis fratres. Cõradus communicato conſilio cum Cunradino, Siciliam adiit, & Saracenicis auxiliis, recepit vniuerſa, Panormo, Meſſana, & Syracuſis exceptis. Cunradinus, Nuceria deditione potitur, mouet in Carolum, cui occurrens in Marſis, & cõfligens acie, die viceſima ſecunda Auguſti anno milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo octauo, vincitur, & capitur, cum Friderico Auſtriaco.

His ad ſe adductis, Carolus victor, nõ contentus gloria victoriæ (quod magni, & generoſi fuiſſet animi) ſuperbè inſuper, atq; cõtumelioſè illudit. Mox etiã immani, & flagitioſæ ſæuitiæ Pontificis Clemẽtis quarti, qui, de captiuis interrogatus, reſpondit: Vita Cunradini, mors Caroli: Mors Cunradini, vita Caroli. Huic ergo morem gerẽs, & miniſtrum ſe prębens, vtrique, nouo, ac regio nomine indigno, crudelitatis, in orbe Chriſtiano exẽplo, ſecuri vitam eripit: fruſtra Flandriæ comite monente, generoſum victorem, decere moderationem, & clementiam. Sed vicit vox cruenta Põtificis, nec animus incenſus, & ardens regnandi libidine poſt deguſtatas ſemel, proſpero ſucceſſu, humanas carnes, rabie lupina efferatus, continere ſeſe, & ferre æmulũ poſſeat, οὕτως ἄμικτος ἐστὶ καὶ θηριώδης, ἡ τῆς πλεονε-

ξίας ὑπόθεσις. Imo,ne vitam,infami ſupplicio,eripuiſſe ſat eſſet,mortuo etiā inſultatum eſt,epitaphio acerbo , quod tumulo inſcriptum legitur:

Aſturis vngue Leopullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumauit,acephalúmque dedit.

Sic tandem,ſupplicio Cunradini, generoſiſſimi adoleſcentis,& innocētis,vetuſtiſſima,& nobiliſſima ſtirps ducum Sueuiæ,Imperióque, & rebus domi,foríſque,pace,& bello ſapienter, & fortiter geſtis, clariſsima, artibus Pontificum deleta eſt,cùm imperaſſet annos centum,quindecim,regna Siculum, & Neapolitanum,tenuiſſet annos,ſeptuaginta ſex.

Defecerat paulò antè,familia veterum Auſtriæ ducum, quorum,à comitibus Bambergenſibus, originem deduximus,in Friderico Bellicoſo,fratre Margarethæ,quę Henrico, filio Friderici Imperatoris, gemellos ediderat. Nam qui,cum Cūradino,capite trūcatus eſt, Auſtriæ ducis nomine, matre quidem Gertrude Auſtriaca, propter quam, ſi vixiſſet, adiiſſet hæreditatem illarum terrarum, ſed patre Hermanno,marchione Badenſi,natus fuit. Supererat, ex ſanguine Sueuico,ſolus Conradus Antiochenus: ſed& hunc,Carolus,claſſe perſequutus, in Siciliam,per Guidonem comitem Montisfortis, cùm viuum cepiſſet , defectione Siculorum proditum , atque deſertum,ſuſpendio, oculis tamen prius erutis,affecit.

Vicerūt fata Italiæ,quam, cùm bellis lacerari,ac vaſtari aſſiduis , oporteret,vt dixi, vnà perire etiam neceſſe erat eos,qui inuoluebantur,quibuſcunque amplificarētur artibus,vel occaſionibus,vt,cùm in magno incēdio,aut naufragio , multi vnà pereunt innocentes. Ideò nec Caroli diuturna fuit felicitas. Nā,quod Siculis naturâ inquietis, & ſeditioſis , Gallorum ſuperbia, crudelitas,libido grauis eſset,proceres regni, duce Johanne Prochyta,inſulæ Prochytæ domino,viro callidiſſimo , quē cura contaminatæ, à Gallis pudicitiæ vxoris , & ereptarū facultatum,exercebat,conſiliis communicatis cum Nicolao quarto, Pōtifice,qui Carolo infenſus erat, Johanne Palæologo Byzantino imperatore, qui Francos nuper rurſus Byzantio eiecerat,& Petro Arragonenſium rege,Manfredi genero. Cum his ergo re communicata,conueniunt inter ſe,de excutiēdo Imperio Gallorum , cædéque delendis præſidiis,& regno in Arragonios transferendo.Claſſem rex vterque,pecuniam etiam Byzantinus ſuppeditat. Res agitata totum bien-

biennium,ſed inſtructa callidiſsimè, atque occultata fuit mirificè,vſque ad eũ diem,quo Galli vniuerſi, per totam Siciliam,paſſim,vno quaſi momento, oppreſſi,& obtruncati,ſæuitię iniuſtæ,& procacis libidinis pœnas dederunt, paucis exceptis, quos Spirlinga arx munitiſſima protexit, ac ſeruauit.

Fuit is dies tertius Calend.Aprilis, anno milleſimo,ducenteſimo,octogeſimo ſecũdo,Gallis ater,& funeſtus admodum, quorũ,intra duarum horarum ſpacium,ſupra octo millia ceciderunt, ſæuitia gentis Siculæ,nec grauidis ſui generis,ac ſanguinis,neque exectis,ex vtero materno, infantib.parcente, quos extractos,ſaxis allidere,voluptas fuit,ne quid Gallici ſanguinis ſupereſſet. Cæde confecta, Petrus Arragonius, qui ad Hipponem Aphricæ , armata claſſe , euentum Siculæ conſpirationis præſtolabatur, acceſſitus,inſulam deditione procerum,occupat.

Ad hunc modum excidit Sicilia Carolus, de qua, etſi deinceps , & litem nouo Regi, Pontifice diſceptatore, & bellum mouit,& quarto anno,ab occupatione Petrus deceſſit:defenſam tamen,Arragonij retinuerunt,donec infelici,& calamitoſa Caroli poſteritate extincta,iidem inuitati,à Johanna vidua , poſt longa bella,regnum Neapolitanum etiam obtinuerunt , Gallis à ſucceſſione excluſis. Poſſeſſionem illorum regnorum, Ferdinãdus Arragonius, decedens ſine hęrede maſculo,reliquit Carolo quinto Imperatori,nepoti ex filia.

Sed ad Germaniam reuertor, in qua, cùm ad Vlmam occubuiſſet Henricus , Turingiæ Landgrauius,Principes Electores,nihil remittentibus Pontificum odiis, erga Fridericum , detulerunt ſummam rerum ad Wilhelmũ Hollandiæ comitem, anno Chriſti, milleſimo , ducenteſimo, quadrageſimo ſeptimo. Traditum huic eſt Imperium ſolenni ritu, & inauguratione , anno ſequente,Aquiſgrani, Cal Nouembris,poſtquam eam vrbem adegiſſet,ad deditionem, quæ huc vſque in fide,& obedientia,erga Fridericum , perſtiterat, adiutus ab Ottone Brunſuicenſe,præpotente , illo tempore, principe, & opulento , quem ſibi, ducta illius filia,adiunxerat.

Eundem, quarto ab electione anno , non prius tamen, quàm de morte Friderici fama percrebuiſſet, tradunt, ab Innocentio Pontifice,renunciatum eſſe Imperatorẽ Lugduni:ſed vix , vſque ad annum quinquageſimum quintũ, rerum potitus , dum in Friſios, res nouas molientes , cum

exercitu proficiſcitur,à diſpoſitis inſidiis circumuentus,& haſtis confoſsus eſt,circiter Calēdas Februarias,nullis inſignibus rebus publicè geſtis. Nam cùm,de finibus,bello contendit cum vicinis Flandris, & Friſios petiit,rem egit priuatam.Patrem Florentem quartum habuit,è ſtirpe comitum Hollandiæ,quibus ex Aquitania productis Carolus Caluus etiam Belgici partem attribuerat. Ex coniuge Eliſabetha, Florentem filium reliquit, in cuius filiis ſtirps antiqua defecit, ſuccedentibus Hannoniæ comitibus, vſque ad Ludouicum Bauarum.

Nulla admodum fuit eius authoritas, vt dubitē, an ſit Imperatoribus annumerandus, neque eam ſuſcepit Imperij curam,quam debuit.Ideò,cùm aucta,diſſidiis domeſticis,ordinū inter ſe,& bellis inteſtinis,licentia ſcelerum omniū,ac flagitiorum,videretur allatura eſſe exitiū patriæ, niſi compeſceretur, Principes ad Rhenum,coacti quęrere remedia his malis, priuatis odiis poſitis,initóque fœdere inter ſeſe,& cum potentioribus vrbibus, atque comparato præſidio, publicæ paci pluribus in locis accuratè cauerunt:quæ principum prouidentia,& vigilantia,cōcuſſam, ac languefactam,aſſiduitate bellorum,Germaniā,& moribus nouis obiectam ex nōnullarum familiarum interitu, quarum regiones, poſſeſſore carebant, ac rectore, vtcunque tunc erexit,ac fulciuit,ne penitus euerteretur,etſi hæc coniunctio non fuit diuturna.

Profuit verò exemplū poſteritati. Similibus enim cōſiliis, deinceps etiam ſæpè, malis publicis,obuiam itum, & multorum audaciam,ac molitiones repreſſas eſse,conſtat. Neque aliter ſeruari res communes poſsunt, publicis periculis augeſcētibus. Nec magno principe dignius eſt quicquam,quàm priuatarum iniuriarum obliuiſci, vt publicæ propulſentur,quibus dignitas,& authoritas Imperij & ordinum,à domeſticis,vel externis conuellitur. Audacia enim,impunitate cōfirmata,velut contagio,ſerpit,& quouis veneno citius prehēdit,& occupat hominum animos, vbi,ſi radices egerit,excindi,niſi ferro, non poteſt:id verò perfici, niſi cum periculo,& difficultate magna,nequit.

Wilhelmo cæſo, rurſus in partes diſceſſit Germania, principib.diſſidentib. de ſucceſsore,& aliis alios depoſcētib.aut recuſantibus,odio,vel fauore,Nonnulli enim,veteribus innixi legibus, alicui ex Germanis Imperium cōmendandū,alij exteros cenſuerunt accerſendos eſse,cōtra leges, nouo quidem exemplo, ſed argumento neceſsariæ

potentiæ

potentiæ,ad turbatas,orbe Chriſtiano, res ſedãdas,& fluctuantem odiis,ac bellis,Italiam pacandam.

Lõgi fuerunt hi deliberationum conflictus,ſed vicit sẽtentia illorum , qui peregrinos expetebant, cúmque & de his diſcordarent ſuffragia , alij enim ad Richardum Cornubiæ comitem , Johannis Anglorum regis filium, alij ad Alphonſum Caſtellę regem,Hiſpanum,ſuffragia inflectebant:& viſus eſt vterque, non tantùm magna cõtentione, ambire Imperium, ſed multo id auro, velut licitare, tanquam empturus:propterea diuerſis ſententiis,adeptus eſt nomen Auguſti vterque,eodẽ anno,qui fuit annus Chriſti,milleſimus, ducẽteſimus,quinquageſim⁹,ſeptimus,ſed conditione diſpari. Richardus enim præſens,mox Imperium à Moguntino,Colonienſe,& Palatino,quorum ſuffragia emerat,accepit.In eo ſeſe confirmaturus,vi potius, quàm beneuolentia, diſſoluto fœdere principum, ac perturbata pace publica,hoſtiliter, atq; crudeliter perſequutus eos,qui à cæteris,in electione diſſenſerant,direptionibus atq; incendiis,magna damna dedit. Sed vt violentum nullũ eſt diuturnum,ita citò exhauſtus pecunia,quam largionibus immoderatis, in emptionem ſuffragiorum profuderat, ac tandem à ſuis etiam ſpretus, ac derelictus,deſperatione,rediit in Angliam,ad Henricum fratrem,bella cum ſubditis gerẽtem,vbi in obſidione oppidi cuiuſdam, telo traiectus,oppetiit.

Alphõſus aberat.Ad hunc,Galliæ regis conſenſu,Biturigibus , euentum conſultationum Germanicarum expectantem,legatos miſit factio aduerſa, qui in Germaniam illum adducerent : ſed dum cunctatur,philoſophica quadam,ſeu moderatione,ſeu potius timiditate, reformidans diſcordias quibus flagrabant Germania, & Italia,Imperiũ foris , regnum domi amittit, deiectus de ſpe conſequendi Imperium,nouis Principum conſiliis,paterno regno domi exutus à filio Sanctio.

Hæc illuſtria exempla,vt multa alia,euentu oſtendunt, nec felicia eſſe Imperia, quę appetuntur, aut rapiuntur ſine mandato Dei,& ſine vocatione legitima , nec vllas ad Imperia vocationes,ortas ab odiis,& ambitione Pontificum,legitimas eſſe. Non fuit enim,aut gubernatio illorũ ſalutaris , aut ſtabile Imperium , aut florens, & diuturna poſteritas , quos artes Pontificum euexerunt,ſiue corruptis,aut impeditis deliberationibus legitimis, ſiue depulſis veris hæredibus.

Reuerſus Hiſpalim Alphonſus, mœrore contabuit, beatus, ſi & regno ſplendido, & ampliſſima laude illuſtratatum diſciplinarum mathematicarum, ac doctrinæ medicę, de qua cum Friderico Imperatore certauit, magna pecuniæ vi, in inſtaurationẽ earum artium, inſumpta: ſi ergo illa laude contentus, non affectaſſet Imperium alienum, irrita, & pernicioſa ſibi cupiditate. Debet huic tamen grata poſteritas, quãtum, ante reſtitutos Gręcos codices, in hac poſtrema mundi ſenecta, habuit Occidens, de matheſi: ac præcipuè de anni ratione, & ſyderum motibus. Has artes enim ferè extinctas, reuocauit in lucem, conductis, & inſtructis, magno ſumtu, artificibus, cùm videret rem tantã perfici non poſſe, niſi & multi coniungerent operas, & à Republica ſumptibus iuuarẽtur. Scribunt eum, in barbaricas interpretationes, quæ tũc editæ ſunt, & in cõſtructionem canonum, qui Alphonſi nomine celebrantur, & vſurpantur, quadraginta millia aureorum contuliſſe.

Etſi itaque neuter externorum principum, pręter inane nomen Imperij, obtinuit quicquam: tamen, quòd odia, ex recenti diſſenſione, recruduiſſent, alter illorum etiã, violento conatu, vix reſtitutę aliquantulum paci publicę graue vulnus infixiſſet, multum vbique turbarum extitit, & confuſionum, quas, ex familiarum quarundã interitu, nata inter principes certamina, de iure ſucceſſionis, in deſertas regiones, vehementer auxerunt. Conſuetudine antiqua, feuda maſculina, hæredibus maſculis deficientibus, redibant ad Imperatorem, qui, re deliberata, tribuerat ea quibus videbatur, ſed ferè, aut præclarè meritis, aut iis qui neceſſitudine aliqua, defunctos attingerent. Interdũ his ſuos pręferebant, vt oſtendunt exẽpla ducatuum Sueuię, Bauariæ, Saxoniæ. Interdum à ſubditis defunctorum generi accerſebantur, vel affines, ſi tamen conſenſus acceſſiſſet, & approbatio authoritatis publicę. Hæc res cùm ſępè certamina peperiſſet periculoſa, vt præciderentur, Fridericus Imperator, paulò ante, iura feudorum deſcribi legibus, & referri inter decreta Imperatorum, codici inſerta, curauit. Interciderant autem, hoc ipſo tempore, tres potentiſsimę, ac peruetuſtæ familiæ ducum Sueuiæ, & Auſtriæ, & Landgrauiorum Turingię Has terras, & hæc inter ordines Imperij loca, atque axiomata, appetebant multi, & alij alio iuris prætextu aſſerebant, & occupare tentabant vi & armis, ſed authoritate priuata, cùm Imperatorem nullum Germania agnoſceret.

Auſtriæ hæreditatem, mortuo Friderico bellicoſo, qui decima quinta die Junij, anno milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo ſexto deceſſit, aditurus fuiſſet Fridericorũ alter, vel Friderici Imperatoris nepos, vel Hermanni Badenſis filius, Cunradini ſocius, ſi vixiſſent. Præmatura his morte ſublatis, inferiorem Auſtriam Vngari, ſuperiorem Bauari inuaſerunt. Subditi cædium, & rapinarum tædio capti, decreuerunt accerſere ad ducatum Auſtriæ, vel Henricum marchionem Miſniæ, maritum Cõſtantiæ, quę ſoror erat vltimi Friderici, vel, ſi principatum recuſaret ille, alterutrum ex filiis duobus, Theodoricum, vel Albertum. Miſſi ſunt legati adductum nouum principem. Id, quum animaduertiſſet Wenceſlaus, Boëmiæ rex, Ottocari filio deſpondit Margaretam viduam, quæ Henrico Imperatoris Friderici filio gemellos pepererat. Ex hoc coniugio Ottocarus nactus iuris prætextum, mox tertius in Auſtriam irrupit, contra Vngaros, & Bauaros, intercluſo Miſnenſibus omni ad eam acceſſu.

Etſi autem Ottocarus poſt longa bella vix tandem Vngaris, magno prælio deuictis, quæ illi occuparant, eripuit, non retinuit tamen acquiſita, paulò poſt à Rodolpho Imperatore inde rurſus eiectus, decreto Senatus Imperij, ꝓpter inſolentem contumaciam, & inita contra Imperium fœdera cum Vngaris. In quo bello, cùm ille tandem occubuiſſet, Rodolphus Auſtriam bello captam, tradidit filio Alberto, anno Chriſti milleſimo, ducenteſimo, octogeſimo ſecundo. Hanc poſteritas eius poſſedit huc vſque, euecta ad ſumma maximarum opum, ac dignitatum faſtigia, excellentia ſapientiæ, fortitudine, & ſplendore rerum geſtarũ, auctáque acceſſionibus regnorum, & ditionibus ampliſſimarum gentium, ac perenni cumulata gloria.

Comitatus ꝓuincialis Turingiæ, quãdo, & quibus cœperit occaſionibus, & à quo ſit conſtitutus, quive ſtirpi originem dederit, quæ in viuis eſſe deſiit, cum Henrico Landgrauio, qui ad Vlmam, ex ictu teli concidit, & cum Cõrado fratre illius, atque horum ex Ludouico Sãcto, & matre Eliſabetha, nepote Hermãno, quem, annum ingreſſum decimum octauum, magno cum plãctu ſubditorum, improba anus veneno ſuſtulit. Vnde cauſſa funeſtorum bellorum extitit, vt de hac etiam anu verus ſit verſus:

Γραῦς κἀκκινήσασα πολλὸν κονίορτον ἐγείρει.

De his ergo ſupra dictum eſt.

Turingos, non dubito, eandẽ eſſe cum Thyrigetis gẽ-

tem,qui,Romanis tẽporibus,ad Iſtrũ,& Tyram fluuiũ ſederunt,vnde nomen eſt.Partẽ illorum, ſociis Herulis,qui Rugiani ſunt,Odoacro duce,in Italiam deſcendiſſe,ac ſedes ibì fixiſſe,poſt Attilam : partem verò in occidentem,& ſeptentrionem profectos eſſe, conſtat, iiſdem Herulis ſociis,vt de Gottis accepimus,regnóque excitato,in his,ad Salã fluuium,vallibus Hercyniç,cum Francis bella geſſiſſe, donec Ermẽfrido rege illorum deuicto,à Theodorico Franco,circiter annum quingẽteſimum,viceſimum quartum,venerunt in poteſtatem Francorum.

Sed cùm Franci, ab his, bellũ in Saxones tranſtuliſſent, qui proximi erant, ſçpè deinceps,cum fortuna,mutarunt animos, in bellis nunc hos,nunc illos ſequuti,donec conſtituto Imperio occidentis, Imperatores,prouincias inter principes diuiſerũt,initio vt præfecturas, deinde attributa etiam proprietate, ſub conditione, & iure feudorum, in præmia,& cõpenſationem laborum, quos, pro ſalute publica,ſubiiſſent. Tunc ergo partẽ Turingiæ cõſecutus eſt à Conrado primo,agnatus illius Ludouicus. Nepotẽ eius Lotharius Saxo, dignitate, & opibus amplificatum,creauit comitem prouincialem.Huius poſteritas deſiit in his, quos dixi, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, quadrageſimum ſeptimum.

Ab horum morte, de iure ſucceſſionis, contendebant Henricus marchio Miſniæ,& Henricus Johannis,Brabãtiæ ducis filius.Vterque matrem allegabat,ille Juttam,ſororem trium Principum, quos recenſui: hic Sophiam filiam tertij fratris Ludouici ſancti, & Eliſabethæ.Vterque nitebatur ſtudiis,fauore,& auxiliis ſubditorum,ſed diuerſorum. Coniunctæ tunc adhuc erant Turingia,& Haſſia. Henrico marchioni ergo adhçrebant vicini Turingi,Iſenacum vſque, Brabantinum fouebant Heſſi. A diſceptatione,ad arma deuẽtum,& varia fortuna dimicatũ eſt aliquoties,Alberto Brunſuicenſium duce, Brabantinum adiuuante. Hunc cum,anno belli nono,Rodolphus Varila, Turingiæ Pincerna,vir acer, & ſtrenuus,cuius,in eo bello,fides,& virtus fuit præcipua, ſubitò oppreſsũ,cepiſſet, bellum ſolutum eſt, Alberto ſeſe, ceſſione octo arcium,ad Werram redimente, quæ Brabantino adiectæ fuerunt, vt contentus Haſſia, vſque ad definitos limites,abſtineret ad Iſennacò,& Turingia vniuerſa.

Tranſactionem hãc, cùm ratam haberet deinceps Imperator Rodolphus,Principes,amicitia inita à fœderibus,

viciniæ

viciniæ iura, arctioribus etiã, maioris neceſſitudinis, vinculis ſanxerunt, vt qui priores deceſſiſſent, alteros hæredes ſuarum ditionum relinquerent. De nobilitate antiqui ſtemmatis marchionum Miſniæ, è quibus Henricus prodiit, ſupra monui. In Henrico ipſo, tanta fuit excellentia virtutis, ac ſapientiæ, tanta animi magnitudo, vt cognomentum Illuſtris, ob res geſtas, κατ' ἐξοχὴν, & Munifici, ob liberalitatem meruerit, & apud Fridericum Imperatorem plurimùm valuerit gratia, & authoritate.

Brabantiæ ducum origo eſt à comitibus Louaniæ, qui antiquitùs ſimul Lotharingiam tenuerunt. Sed ab his, deuoluta eſt Lotharingia, in comites Bilioneos, inter quos claruit Godefridus Hieroſolymitanus. Ex his, orta eſt ſtirps ducum Lotharingiæ, & regum Portugalliæ. Landgrauios Haſſiæ, propagarunt duces Brabantiæ, ex Louanienſi origine. Auus Henrici, primus ducis nomen vſurpauit. Ab hoc Henrico, Sophiæ filio, tanquam ſtemmatis authore, recenſetur aliqua ſeries.

Juliaci principibus, noſtro tempore, quorum potentia ducatus tres inſignes complexa eſt, originem dedit antiquum ſtemma comitum de Altena, ſeu Marca, conditore Adolpho, temporibus Henrici Aucupis. Hi deinceps potiti comitatu Cliuẽſi, proſapia veterũ comitum extincta, promotíque in ducum ordinem, coniugiis reliqua acquiſiuerunt, Juliaci ducibus morte abſumptis.

Ampli, & opulẽti ducatus Sueuiæ partem magnã, cum dignitatis, ac tituli iure, poſt miſerabile Cunradini ſupplicium, Rudolphus vendicauit ſuis, vſitata potentum cupiditate: ἡ πλεονεξία γὰρ σύμφυτόν ἐστι νόσημα πάσαις ταῖς δυναστείαις, ſecundum Plutarchum. Reliqua ceſſerũt vicinis, conſenſu Imperatoris, vt ducibus Decenſibus; ex ſtemmate ducum Zaringiæ, comitibus Wirtebergenſibus, ac nonnullis aliis, quorũ aliqui iura ſanguinis, aliqui alias cauſſas prętexuerunt. Inſignia tamen, cum parte non contemnenda, obtigerunt Henrico Dapifero Walpurgenſi, cuius fidei, Cunradinus, iam ſecuri feriendus, annulum commiſerat. Facilior in his concedendis, & benignior eò fuit Rodolphus, vt offẽſuram multorũ animos, immodicę cupiditatis ſuſpicionẽ, ſpecie aliqua munificentię dilueret, quæ, ſi traxiſſet ad ſe, ſuóſque, vniuerſa, vehementer grauatura illũ, ab humili ſorte, ad ſumma celeriter ſublatum, proſperrimo afflatu blandè, prouidentia diuina arridentis, atque indulgentis fortunæ, vel oppreſſura etiam fuiſſet.

Quòd ergo beneuolentia principũ, ſibi præcipuè opus fore, intelligeret, cùm viribus deſtitueretur, multos beneficiis, beneficentia vſus non inopportuna, ex alieno, nonnullos affinitatibus ſibi adiunxit.

Finem, circiter hæc tempora, ſuũ habuit, gens Andechſia, deriuata à Ratholdo, Arnolphi Imperatoris filio. Hæc tenuit, in Germania, planiciem in Vindelicis, ſubditam Alpibus, & agri Norici magnam partem, porrectã in Nariſcos veteres, per montes Sudetes, qua hi Boëmiam à Turingia diſterminant, Voitlandia ea nomen habet, quod à præfectis Imperatorum, vt opinor, quemadmodum olim Romanorũ præfecturæ, ſit adminiſtrata, non ex propriis, αὐτονομίαν enim præfecturæ non habuerũt, ſed communibus legibus. Præter hæc, & Bauariæ eã oram poſſedit, quæ Noricos limites attingit: intra Alpes verò, vallem Oeni ſuperiorem, & huic finitimos Atheſinos, & Tyrolenſes. Et ad Dalmatiam, atque Croatiam, ducatum Meranię, cũ vicina Iſtria. Vnde dignitatẽ & ducum Meranię, & marchionum Iſtriæ, quæ limes fuit Imperij vtriuſque, Orientalis, & Occidentalis, poſtremis ſeculis, acquiſiuit.

Antiqua, & præpotens gens, ſanguine quidem, Frãcica, patriâ verò Bauarica, vt quę, à morte Arnolphi, primas in Bauaria ſedes habuit. Vltimum ex ea gente, Ottonem nomine, tradunt interfectum eſſe, in arce Plaſſenburgenſi, propter violatam pudicitiam coniugis cuiuſdam viri nobilis, cuius nomen fuit Hagerus, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, duodequinquageſimo. Eo ſublato, opes vniuerſas diripuerunt vicini, Iſtriam inuaſerunt Veneti. De ducatu Meraniæ, bello decertarunt iidem, cum Bela Pannoniæ rege. Bauari ſubdita Alpibus, & Bauariæ limitibus incluſa. Menardus Goriciæ comes, quæ ad Atheſin, & Oenum adiacent, occuparunt.

Quæ in agro Norico, ad Nariſcos veteres pertinuerũt, ea inter ſe ſunt partiti, Epiſcopi Bambergenſis, & Wirceburgenſis, comes Turingiæ, ad oſtium Orilæ, cui filia Ottonis nupta fuit, & Fridericus comes in Zollern, cuius filius Albertus, deinceps ea etiam, quę comiti ad oſtium Orilæ obuenerant, ex diuiſione, ducta eius vidua in vxorem, prioribus adiecit.

Fridericus comes in Zollern, obtinuit à Rodolpho, munus, & dignitatem Burggrauiorum Noribergenſiũ, &, vt hæc deinceps, iure hæreditario, transiret in poſteros, impetrauit. Ante Fridericum enim, deſignabantur Burggrauij,

uij,

uij, iudicio, & arbitrio Imperatorum.

Munus eorũ erat, vt eſſent ceu cuſtodes pacis publicę, conſtituerent, & gubernarent iudicia publica, & omnem vniuerſam exercerent poteſtatem politicam, loco Imperatorum, & eorundem authoritate, in certis, ac deſtinatis terris, & regionibus, quæ attributa erant Eccleſiæ, & Epiſcopis, conceſſione, & beneficio Imperatorum, Epiſcopis enim, quibus ſola rerum ſacrarum adminiſtratio, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ procuratio incumbebat, quæ verbo peragitur, & his cõmẽdata eſt diuinitùs, aut occupari ſollicitudine curandarũ, & conficiendarum opũ, aut verſari, & conſpici in foro aut ius gladij vſurpare, nefas erat.

Hinc diuerſorũ, & plurium Burggrauiorum extitit origo, quibus hoc nomen inditum eſt, quod, ceu ex ordinaria ſede, quæ Imperatoris arx erat ius dicerent. Miſnẽſem huic oræ Germaniæ, ſeu Henricus Auceps, ſeu Otto primus, impoſuit, cùm conditus eſt Epiſcopatus, & à Sorabis hæ terræ receptæ, paruerunt Imperio.

Magdeburgenſem conſtituit Otto primus, vt præeſſet iudiciis publicis, & gubernationi publicæ, loco Imperatoris in his terris, & in hoc Epiſcopatu, ac cæteris huic coniunctis. Primus hoc munus geſsiſſe traditur, ordinatione Ottonis, Gero marchio Luſaciæ, cuius memoriam cõſeruat monumentũ Cœnobij Gerenrodenſis. Hunc ſequuti, memorantur hoc ordine aliqui, Hermannus, dux Saxoniæ, Lotharius comes de Waldek, Fridericus Lotharij filius, Conradus eiuſdem nepos, Manfredus Conradi vterinus frater. Hoc, in prælio Henrici quinti, ad Welphonis ſiluulam cæſo, dignitatem conſecutus eſt Dittericus comes Phocenſis, cuius filiam cùm duxiſſet Vdo, marchio Brãdeburgẽſis, occupato Burggrauiatu, ſucceſſorẽ reliquit Hẽricum filium. Eo fato functo, Lotharius Saxo, idẽ munus commendauit Burchardo, è familia dominorum de Querfort, à quibus eſt origo comitum Mansfeldenſium. Poſt hũc, reperiuntur, in ea dignitate fuiſſe conſtituti, domini de Schrapela, a quibus authoritate Rodolphi Imperatoris, tranſlata eſt in duces Saxoniæ Electores.

Vetera Burggrauiorum iura, multis in locis, paulatim fregerunt Epiſcopi, cùm impatientia alieni Imperij, poteſtatem politicæ gubernationis rapuerunt, vſi occaſionibus ſuperſtitionis, qua faſcinatæ tenebantur mentes omnium ordinum.

Poſtea Epiſcoporum exemplo, idem fecerũt alij, donec

attenuatis publicis Imperij viribus, opibus & poſſeſſionibus, parem comitibus Palatinis, & Burggrauiis, in ſuis ditionibus, ſinguli principes, & Epiſcopi, conſenſu Imperatorum, poteſtatem vſurpare cœperunt; quę tamen ἀνυπεύθυνος non eſt, ſed vni ſubiecta eſt iudicio publico, quòd, ſimili Amphictyonũ conſeſſui, in Græcia, nũc celebratur, & exercetur deſtinato in loco, omni tempore, cùm ante annos non ita multos, ſequeretur curiam Imperatorum, & certis tantùm pateret anni temporibus.

Etſi enim conſtitutione Caroli quarti, Principum Electorum iudicia ſunt ἀνυπεύθυνα, à quibus prouocatio non conceditur, eò quòd æquales cenſentur, authoritate, & poteſtate, præfectis prætorij, cæteris tamen hanc eripuit, cõſuetudine longi temporis, introductus contrarius vſus, vno excepto Electore Saxoniæ, qui, quod in veſtigia ſucceſſit præfecti prætorij, antiquum muneris huius ius, & lege Carolina renouatum, conſeruauit, & præſcriptione cõfirmauit, ne ſcilicet liceret à iudicio, & ſententia ipſius, ſubditis diſcedere.

Ne verò cuiquam deeſſet copia iuris, data opera eſt ab Electoribus Saxonię, vt forma iudiciorum publicorum, in his terris, congrueret cum veteribus legibus, & à ſententia horum, concederetur prouocatio, cùm ad neceſſarias, atque iteratas etiam, ſi ſit opus, recognitiones, declarationéſque negotiorum, tum ad principis ipſius iudicium, ac definitionem, quæ tertia, & vltima eſt, vltra quam, ne leges Imperatorum quidem, aliam permittunt. Quod ergo iuſtiſſima eſſet, & legibus maximè conſentanea hæc iudiciorum forma, non approbata tantùm ab Imperatore Ferdinando nuper, ſed & ſtabilita fuit, atque munita authoritate publica, ne tentare ſubditis prouocationem ad aliena iudicia liceat, Burggrauiis antiquiores ſunt Pfaltzgrauij, quos Latinè Palatij, ſeu Palatinos comites, & Marggrauij, quos limitũ præſides, & marchiones nominamus. Hos officia ita diſtinxiſſe ratiocinor.

Marchiones, ceu pręſides limitanei, aſſiduè ad Imperij limites excubabant in armis, cúmque finium curam agerent, quos & munire præſidio perpetuo, & proferre, non cõtrahere, maioribus curę erat, ſimul populis, quos armis defendebant aduerſus hoſtes, iura dabant.

Comites Palatini, ius dicebant bello partis, pacatíſque prouinciis, vel Romano veteri more, vel Francorum conſtitutione: Burggrauij, iis terris ferè, quę donatione Impe-

ratorum

ſtatorum, acceſſerant Eccleſiæ. Quos enim Grauios, veteri Germanico nomine, vocamus, olim iudices fuiſſe, armatos publica authoritate, & poteſtate ab Imperatoribus, nō eſt dubium. Nec, vt coniicio, fuerant Burggrauij, ante Saxonū Imperium. Antiquata ſunt autem hæc iudicia, cùm Epiſcoporum, & Principum potentia creuit, Imperatorum decreuit, labefactata ſcilicet Pontificum, & Epiſcoporum conſpiratione, & Imperij direptione, ac redacta ſunt ad vnum ſummum iudicium, de quo dixi.

Nunc ad Burggrauios Noribergenſes reuertor. Legebantur hi, ex iis ſeu comitibus, ſeu nobilibus, qui in agro Norico circum vrbem, vel in ipſa habitabant vrbe, quæ poſt deuaſtationem, in bello Henricorum factam, vtcumque ſeſe recollegerat. Multæ enim illuſtres, & nobiles familiæ, poſt inſtaurationem in ea vrbe, perpeſſarum cladiū memoria, & impendentium metu, cùm perpetuis bellis ciuilibus arderet Germania, conſederant. Multæ, cum Imperatoribus immigrarant, qui crebrò ibi, & multum eſſe conſueuerant.

Sed Burggrauiorum non ita frequenter meminerunt hiſtoriæ, ante Fridericum Barbaroſſam. Sub Rodolpho celebratur Henricus Burggrauius, ſine mētione tamen ſtemmatis. Huius filia, nupta fuit Adolpho, comiti Naſſaēnſi, cuius maiores ſua, in vrbe Norica, domicilia habuerunt, & extra vrbem tenuerūt Suabachium, Cadelsburgum, & nōnulla alia oppida. Huic ergo nupta, peperit Adolphum Naſſaēnſem Imperatorem.

Poſt Henricum; Rodolphus munus Burggrauij cōmēdauit Friderico comiti in Zollern, qui Henrico in præfectura, & poſſeſſione ditionis, ſucceſſit, auctus recēti hæreditate, ex ducum Meraniæ facultatibus, ac ditionibus. Antiquiſſimis hic, & clariſſimis in Sueuia maioribus ortus, Guelphis ſcilicet, poſteritatem condidit, quę familiam ditionibus ampliſſimis locupletatam, claritate nominis etiā, & virtutis, ac rerum geſtarum magnitudine, extulit ad faſtigium ſeptemuiratus, Sigiſmundo imperante.

Originem familiæ alij aliam faciunt. Aliqui Romanam eſſe ſtatuunt, & authorem celebrant Petrum Columnam, præpotentem, ſed incertæ originis, in vrbe Roma ciuem; qui, imperante Henrico quinto, impulſu Richardi comitis Campani aduerſatus electioni Paſcalis ſecundi, occupauit Cauas, agri Præneſtini oppidū, quod pontificiæ ditionis erat, cùm belli ſocij, Ptolemæus Sublaquenſis, Albam,

Stephanus Corſus, Baſilicā Sanct. Pauli inuaſiſſet. Huic vt referunt, cùm Paſcalis receptis Cauis, viciſsim Colūnam, & Zagarollam, paternę hæreditatis caſtella, abſtuliſſet, etſi deprecanti culpam ignouit, erepta tamen, non reſtituit: quorum recuperandorum gratia, quod noua ſubinde bella moliretur, Pontifex tota illum Italia expulit, vnà cum aliis familiis. Ex ea fuga, Petrum perhibent ad Henricum quintum, in Germaniam, ſeſe recepiſſe, atque impetratis oppidis aliquot, & portoriis in Sueuia, arcem extruxiſſe, quam à caſtello patrio, nominauit Zagarollam, quæ ſit deinceps, exigua deprauatione vocata Zollern. Columnios verò, qui nunc, inter Romanos, clari habētur, nomen quidem à Columna, caſtello, quod obtinuerūt, ſimiliter adeptos, ſed ex alia recētiore, non hac vetere familia, proueniſſe: qui, ſi authorem generis iactitant, Ottonem quendā magnum militē, ante annos quingentos, vt Volaterranus annotauit, anteceſsit hæc poſterior ſtirps, priorem, annis centum. Hæc inter ſe non congruunt.

Etſi autem coniectura de Zagarolla caſtello, concinna eſt, tamen cùm nullis nitatur aliis certioribus hiſtoriarum argumentis, minimè illam amplector.

Me gentis inſignia, & aliæ veritati hiſtoricæ propiores coniecturæ, mouent, vt penè indubitatò credam, deſcendere familiam, vera propagatione, ex antiquiſsimorum Guelphorum ſtirpe, quos origine quidem Bauaros, Ludouico tamen Lotharij filio, imperante, obtinuiſſe primas in Sueuia ſedes, diximus, propterea quòd is Ethiconis Guelphi filiam vxorē habuit. Et ſolos hos, ex vetuſtiſsima, ac nobiliſsima Guelphorū maſcula ſtirpe, reliquos eſſe, ſentio. Facilè autem aſſentior illis, qui e conuerſo, ex his Columnios Romanos deducunt, cùm certiſsimum ſit, plurimas nobiles familias in Italiam, bellorū occaſione, & gubernationis cauſsa, ab Imperatoribus traductas, atq; collocatas eſſe. Et fortaſse, ex hac ipſa veteri ſtirpe Guelphorum, fuit Petrus Columna, & ſimili occaſione donatus poſseſsionibus in Italia, & iure ciuitatis ab Imperatore nomen, cùm fortuna, & euentu, mutauit; ac, quod adhæreret Henrico, contra Pontificem, pulſus, rediit ad auitas ſedes, condita arce, illi, quam in Italia tenuerat, ἐμῶν ὕπα.

Deſierat tūc etiam in viuis eſſe ſtemma ducum Zaringię, Bertholdo vltimo vita functo, qui exemptus eſt rebus humanis eo anno, quo Rodolphum Imperatorem in lucem editum eſſe memorauit; ſcilicet anno milleſimo, du-

centeſimo,

cẽteſimo, decimo octauo. Huius in Briſgoia poſſeſsiones, Friburgi, & Neuburgi comites, ceu hæreditatẽ matrimonij iure debitam ipſis, inter ſe diuiſerunt, cum patre Bertholdo apud Burgundos exulante, eò enim pulſus à Friderico profugerat, hi filios eius Burchardum, & Adrianum veneno ſuſtuliſſent. Vetuſtatis familiæ ſupra meminimus.

Origo fuit à comitib. Briſgoiæ, inter quos Bertholdus, quem tertium numerant, obtinuit ab Henrico tertio, & nuptias filiæ, & dotis loco, ducatum Sueuiæ, poſt obitum Ottonis, cognominati de Schvveinfurt. Sed patre mortuo, filius Hẽricus quartus, ſororẽ Rodolpho comiti Reinfeldenſi tradidit, cum ducatu, facta Bertholdo ſpe, de Carenthanorum, ſeu Carinthiæ ducatu; de quo, cùm etiam excidiſſet penè toto, quòd eum Imperator cuidam ſuo agnato attribuit, dignitatem tamen, & nomen ducis retinuit, atque vſurpauit, atque ab arce Zaringẽ, quam in Briſgoia exædificauit, dux Zaringiæ vocatus eſt, quod nomen à Charitinis veteribus, factum dicerem, niſi veriorem originem propinqua vallis Zeringen, oſtenderet.

Tot confuſiones, & mutationes tam inſignes, ac multę, vt prætercam obſcuriores, inciderunt ſimul in interregni tempus, cùm alioquin, ob funeſtas diſsidiorum furias penè nullus eſſet vſpiam angulus tranquillus. Cauſſæ in cõſpectu ſunt, conſideranti hiſtorias, quas, vt nihil dicam de fatalibus cauſſis, & de peccatis ſingulorum, refero in contemtum neceſſariæ authoritatis Imperatorum, à Principibus, in gratiam Pontificum, petulanter proiectæ, atque conculcatæ. Hinc licentia creuit, quæ grata eſt impatientibus legum, ac diſciplinæ. Certum eſt autem, Deũ adeſſe iuſtis Imperiis, & legitimo Magiſtratui, & ſeditioſos tandem deleri, iuſto Dei iudicio, vel laniena mutua, vel bellis legitimis, ſicut accidit hoſtibus Henrici quarti.

Interregni tempus, qui Guilielmmum Hollandum excludunt Imperatorum numero, nouendecim: qui admittunt, ſeptendecim annis deſiniunt.

DE REGIBVS HISPANICIS.

DE Arragonia, ſeu Tarraconẽſe ſtirpe, cuius ſupra memini in hiſtoria Sicula, quam Origine Gotticã eſſe, tradunt, res ſic ſe habet. Mauri attracti à Iuliano Cantabriæ comite, cuius filiæ Rodericus, Gottorum rex ſtuprũ obtulerat, Muza, Miramolini regis duce, omnẽ Hiſpaniã, Cantabris, & Aſturibus exceptis, ſubegerunt: anno Chriſti ſeptingenteſimo, ſeptimo decimo. Duces Maurorum re-

gionem inter ſe partiti,plurimos procrearunt regulos. Sed Gottorum reliquiæ (Nam circiter ſeptingenta millia hominum,in eo bello,cæſa ſcribuntur) reliquiæ ergo horum intra Aſturum,Cantabriæ,& Galliciæ ſcopulos compulſi, ægrè ſeſe conſeruarunt: donec Alphonſus, Petri Catabrici ducis filius,quem primum nominant, è gente Gottica, nonnullas regni Nauarræ,& Luſitaniæ vrbes,eiecto Maurorum præſidio,recepit, ſeq; paulatim confirmauit. Quod Arriana,& Saracenica deliria extirpauit,cognomentũ meruit Catholici. Cõdidit hic primùm à receptis aliquot terris,ſtirpem regum Cantabrię,Caſtellæ,& Legionis,quibus ad recuperandas Hiſpanias,aditum deinceps patefecerunt, arma Francica, quæ, continentibus aliquot annorũ bellis, magnos exercitus Maurorum deleuerunt. Hac ſtirpe,cum Varamundo tertio,extincta, circiter annum milleſimum, viceſimum quintum,regna occuparunt Arragonij.

Arragonij ſuæ ſtirpis conditorem iactitant Ennicũ Gottum;qui,circiter annum Chriſti,noningenteſimũ,duodecimum,ex Pyrenæis montibus,Mauros in Tarraconenſem Hiſpaniam,& Celtiberiam reuerſos,multis præliis profligauit,ac depulit. At nepos Ennici,Sancius maior,cum filio Ferdinando,potitus regno Legionis,& Caſtellæ, Mauros inde vniuerſos expulit, ac regna filiis,& nepotibus partitus,Ferdinando Legionis,& Caſtellæ regna, quæ propter coniugem ei debebantur, Garciæ Nauarræ,Sancio nepoti, Arragoniæ regnum attribuit.

Ab his,tres diſtinctę prodierunt familiæ,regnum Caſtellæ,Arragoniæ,& Nauarræ, quarum illum, nulla maſcula ſobole relicta,clauſit Alphonſus ſextus, qui Vrracã filiam deſpondit Reimundo Berengario,Toloſæ comiti: Tyreſiam alteram,Henrico Lotharingiæ comiti, addita, dotis loco,Galliciæ parte,quæ hodie Portugallia eſt. A Raimundo Toloſano poſtremam ſtirpem regum Caſtellæ,per Alphonſum filium,ab Henrico, regum Luſitaniæ propagatã eſſe accepimus. Henricus is nepos fuit, ex Guilhelmo fratre Godefridi Bilionei,regis Hieroſolymitani.

Arragoniam ſtirpem finiit Reimiris frater Alphonſi ſeptimi,è monaſterio ad regnum euocatus. Filiæ Petronellæ nuptiis potitus Reimundus Berengarius, Barchinonæ comes,filium Alphonſum ex ea ſuſtulit, qui regnum Arragoniæ adeptus, in ea quoque nouam regum ſtirpem condidit. At nepos Alphonſi,Petrus, Siciliæ regnum Arragonico coniunxit,illo armis,propter Conſtantiã coniugem,

Manfredi

Manfredi filiam, vendicato. Garciæ non longa fuit poſteritas in Regno Nauarræ: quare illud crebrò mutatis fortunæ vicibus, nunc Hiſpanos, nũc Gallos dominos accepit.

Barchionẽſium poſteritas, Arragonias opes poſſedit, & rexit, ad Martinũ vltimum vſque, quo è viuis ſublato, anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo nono, ius regni vendicauit Ferdinandus, Johãnis primi, Caſtellæ regis filius, propter matrem Leonoram, Petri Arragonij filiã. Ita regno vtroque, ſub Caſtellæ reges redacto, hæc rurſus familia ſciſsa eſt in Arragonios, & Caſtellanos, Ferdinandi poſteritate Arragonij: Henrici fratris ſobole, alterius Caſtellæ regni ius, titulúmque vſurpante.

Ex Arragoniis tandẽ, Ferdinandus quintus potitus nuptiis Eliſabethæ, filiæ Johannis ſecundi, quę, poſt mortem Hẽrici fratris, hęres erat regni Caſtellani, rurſus opes Caſtellanas, cũ Arragoniis coniunxit. Idẽ, patre adhuc viuo, è ſolo Arragonio in vxoris ſuæ dotale regnũ tranſgreſsus, & Luſitanos, regnum inuadentes, aliquot præliis ſuperatos, expulit, & tandem Maurorum, in Bethica, Imperium opulentũ, ac florens, quod Granatenſe vocãt, cõtinuis decem annis oppugnatũ, euertit, pulſis Saracenis, qui id annos ſeptingentos, octoginta tenuerunt. Ita vniuerſæ Hiſpaniarum vires, Luſitanicis exceptis, ſub Ferdinandũ Arragonium, ſed è ſtirpe Caſtellana, redactæ, cũ filię Johannæ nuptiis, tandem tranſierunt ad Philippum Auſtriacum
Maximiliani filium, Caroli quinti, & Ferdinandi Impú;
torũ, patrẽ, à quo, cùm regnum Carolus excepiſſet, ſ Hi-
& Neapolitanum regna, quę maiores è ſtirpe vtꝫ, aduer-
ſpaniæ, ſæpe coniugiis copulata, etiam vi, & a cõtra Gal-
ſus Andegauenſes, defenderant, nobili vi
los conſeruauit, vt ſuo loco indicabitur. in adhuc tenet.

Stirps Lotharingica Luſitaniæ regn a, & Arragonia, ali-
Fuerunt in vtraq; familia Caſtell ictoriarum gloria, &
quot reges, diſciplinæ militaris, ac de celebres. Sed cæteris
ſapientiæ, iuſtitiæ, ac doctrinæ la & Legionis rex, & Fer-
notiores ſunt Alphonſus, Caſtelæ, atque ornatæ diſcipli-
dinandus quintus: illum reſtitutæ, Imperium: hunc exciſa
næ mathematicæ, atque oblatum Hiſpaniæ nobilitarunt.
Maurorum regna, & recuperatæ

DE IMPERIO ORIENTIS.

CAptam à Francis vrbem Conſtantinopolin, ſequuta reliquiarum, in Imperio Orientali, triſtis dilaceratio, hæc diſsidia accendit, quę pepererunt poſtremam, & ſum-

mam, ad fatalem ruinam, inclinationem, patefacto multiplici aditu Turcis, ad Europam, velut per ruinas fiſſæ, diuulſǽque in partes Græciæ; & iiſdem, ſi aditus ignoraret, precio conductis, atque adductis.

Pro Imperatore ſe gerebat Balduinus Flandriæ comes, qui tenebat vrbē. Hinc promotis caſtris verſus occaſum, & Thracię vrbibus partim vi expugnatis, partim in deditionem acceptis, Adrianopolim obſidione cinxit.

Ex parte altera Bonifacius, marchio Montisferrati potitus Theſſalonica, in ſinu Thermaico, Phtiotidem, & Achaiam celeriter percurrit, atque ſubegit: tentata etiam, improuiſa irruptione, Peloponneſo: obtinuítque, vt Theſſalonicæ, & vicinarum regionum rex declararetur.

Theodorus Laſcaris, Alexij Imperatoris gener, in Aſiam euaſerat, coacta mediocri manu militum, Niceam occupauit. Vbi ſalutatus Imperator, contra Balduinum, fuiſset è veſtigio, in Europam traiecturus, aduerſus Conſtantinopolin, niſi, id conantem, remorati fuiſſent Turci, deinceps magis impulit, & confirmauit ſocer eius Alexius, genero inuidens Imperium, quod defendere ipſe nequiuerat. Hic dum ad Achaiam, & Peloponneſum oberrat, temerè, bis à Bonifacio marchione captus, ac ſpoliatus, vbi generum ſalutatum eſſe Imperatorem cognouiſſet, ſe contulit ad Turcos, ſed ſcelerata conſilia euentū gita ſunt infelicem. Turcis enim à Laſcare ſuperatis, A captum eum, vita donauit.

ctáque ius Cōnenus contractis opibus, quātas potuit, relicōplexus ppa, nouum Imperium Trapezunti condidit, Imperatorum padociam, & Colchidem. Ab hoc origo eſt mit regnum, M Trapezuntinorum, quibus, vt dicetur, ade- ometes ſecundus, ſtirpe exciſa.

Theſſaliā inuaſ Michael Angelus, à quo, cū principatū accepiſſet frater The dorus, vir acer, & ad res nouas moliēdas exercitatus, atqu inſtructus, ac magni Imperij percupidus, Macedoniā etiā ū Metropoli ipſa Theſſalonica, & quęcūq; regio nomine, marchio Mōtisferrari tenuerat, qui tunc aberat, ſubegit. Succedens marchioni, in nomen regium, petiuit inaugurationem à Bulgarorum Epiſcopo. Nec contentus Macedonia, in Thraciam etiā, & Bulgariā populabundus erupit, vbi, vt ferè omnis nimia cupiditas, nō niſi, vel inſigni aliqua clade, vel tragico exitu, abrumpitur: ita Bulgarorū princeps, Scythicis auxiliis, Theodoro debellato, captóq; & ludibriis affecto, immoderatam

cupi-

cupiditatẽ definiuit, & coercuit cæcitate. Reliquit Theodotus ſucceſſorem, Michaelem Angelum, nothum, fratris filium, qui Theſſaliam, & Ætoliam retinuit, Imperatoris beneficio, Deſpotæ, non regis nomine.

Sed aliquantò poſt, dilacerationes ſecutę ſunt maiores. Nam & Theſsalia, abiecto Imperio Angelorum, Palęologis ceſsit, Micaele Palæologo dominatum occupãte, & Achaia, Attica, Peloponneſus, Ætolia, Acarnania, atque Epirus peculiares acquiſiuerunt deſpotas, quos, vario bellorum, & ſeditionum euentu, ſæpè mutarunt, præſertim in Attica, Achaia, Peloponneſo, quibus regionibus nunc Græci, mox Siculi, aut Itali, & ex Italis, aliâs Neapolitani, aliâs Veneti, aliâs Genuenſes, aut Piſani, aut Florentini imperarunt, prout cuique belli fortuna fauit. Sed nullorum diuturnum fuit Imperium.

Suis verò paruerunt deſpotis, vel regibus Bulgari, Raſcij, & Seruij, qui nunc amici, aut cõfœderati, mox hoſtes Imperatoribus Conſtantinopolitanis, aſſiduis incurſionibus, Thraciam, & Macedoniam deuaſtarunt. Nec ſcio an Imperij nomen confuſiones hæ mereantur, vel an digladiationes ipſas inter ſe, diuerſarum gentium, latrocinia potius vocem, quàm bella. Certè belli nec cauſsa iuſta fuit, nec ſcelere caruerunt artes fraudulentæ, quibus certatum eſt. Non enim reſtitutio Imperij, & defenſio, ſed dilaceratio quæſita eſt: ſpecies verò latrociniis, & ſeditionibus ſimilior quàm bello.

Pinxi vtcunq; lacerã Byzantinæ Monarchię formã, quę his initiis à Francorum dominatu, ex diſtractionibus penè infinitis, nata paulatim magis, magíſque degenerauit, donec, ſub armis Turcicis, prorſus concidit.

IMPERATORES CONSTANTINOPOLITANI, EX FRANCIS.

NVnc ad Francos reuertor, à quibus Cõſtantinopolis capta eſt, anno milleſimo, ducenteſimo, primo. Eodem anno, hærenti ad Hadrianopolin Bãlduino Flãdriæ comiti, bellum intulerunt Bulgari, comparato ingenti exercitu, ex ſuis hominibus, & vicinis Scythis, quos nunc Tartaros vocamus. Cùm his, nouus Imperator, ad planiciem Oreſtiadis, infeliciter congreſsus, cæſúſque vitam, & victoriam amiſit. Imperium ſuſcepit Henricus frater, quem Bulgari, reuerſi à direptione Macedoniæ, & à Græcis obſeſsis, in auxilium acciti, adegerant ad obſidionem, pace facta, ſoluendam. Imperator itaque, ducta Bulgari

principis filia, reduxit exercitum Conſtantinopolin, & vrbem muniuit, relictóque ibi præſidio, Theſſaliam, quam Bonifacius marchio tenebat, adiit. Inde, cùm illum regem creaſſet, reuerſus Conſtantinopolin, deceſsit anno Imperij vndecimo, deſponſata Jolanta filia Petro Antiſidorenſi, propter quam ille Imperium, quaſi iure hæreditario, adiit. Coronari à Pontifice Romano cùm vellet, Romam profectus eſt.

Interea Theodorus Laſcares, qui Niceæ ſe Imperatorē fecerat, Epirum occuparat, & Dyrrachium, inde reditū ad vrbem Imperatori intercluſurus. Imperator, tentata fruſtra vrbis oppugnatone, cùm ſe obſidionem ſoluturū promiſiſſet, ſi, ſub fide publica, diſceſſum impetraſſet tutum, Theodoro annuēte, in numeroſa Theſſaliæ loca delatus, incidit in inſidias, & interceptus eſt. Theodorus, ad ſe adductum, per calumniam condemnauit, & toto biennio in tetro, ſqualidóq; carcere fatigatum, ac penè enectum, tandem obtruncauit.

Pro eo, vidua Imperium adminiſtrauit, vſque ad reditū ex Gallia filij Roberti, ſeu, vt alij putant, nepotis ex fratre. Hic, cùm mari acceſſus non pateret ad vrbem, iter per Pānoniam, & Myſiam intendit, longo circuitu. Imperium adeptus, Venetorum amicitiam tam impensè coluit, vt Prætorem eorum, Martinum Michaëlem in partem adminiſtrationis, & Imperij ſocietatem admiſerit.

Sed non diu ſuperſtes, morbo extinctus in Achaia, cum Roma, quò inaugurationis cauſſa profectus erat, domum reuerteretur.

Filio Balduino, per ætatē, minimè idoneo ad Imperiū, & Laſcarinis, ac Comnenis, ex vtroque Imperio Byzantino, ac Trapezuntino, inſtructis, intentíſque ad omnes occaſiones vrbis recuperandæ, Veneti intelligentes periculum, vt alteros opprimerent, cum alteris ſocietatem, & amicitiam iungendam eſſe, cenſuerunt. Suaſerunt ergo, vt impuberi Imperatori daretur vxor Alexi Comneni filia, & has ſeſe nuptias confecturos, receperunt. Sed proceres Francici metuētes mutationem gubernationis, ab affinitate Græca, repudiato hoc conſilio, ſuggeſtu Pontificis Gregorij, adiunxerunt ei Johannem Brennium, regē Hieroſolymitanum, conciliatis inter Imperatorem, & Marthā eius filiam, nuptis, cuius ſororem Jolen, idē rex, Imperatori Occidentis, Friderico ſecundo deſponderat. Etſi itaq; Brēnio viuo, Balduinus ſuſtinuit hoſtes, tamen mox, illo ſublato,

ſublato, tanti, ex omni parte, hoſtium exercitus ingruerũt, vt cùm exhauſtis theſauris omnibus, nulla amplius ſuppeteret, alendæ claſſi Venetę pecunia, coactus ſit in Italiam traiicere, auxilia quæſitum. Vbi primum omnium Fridericum, Parmam obſidione vrgentem, deinde Pontificem cõuenit. Quanquam autem nihil impetrauit ſubſidij, tamen comperta morte Theodori Laſcaris, recepit animum, ac Conſtantinopolin rediit, ſperans ſe hoſtes Ponto, ex Colchide aduectos, quibus ad Helleſpontum anguſtias obſtruxerat, repreſſurum, vel eo vſque deterẽturum, donec defatigatis, pacẽ extorqueret. Sed a Micaële Palæologo, vehementis animi viro, reiectus, atque intra vrbem concluſus eſt, vbi, capta proditione vrbe, periiſſet, niſi ſeſe inde noctu, rara cum ſupellectile, clam proripuiſſet ad Eurypũ: inde in Eubœam delatus, quam Veneti tenebant, profugit in Italiam.

Ad hunc modum, Conſtantinopolis amiſſa à Balduino ſecundo, ſexageſimo, ex quo à primo Balduino fuit occupata, anno, rediit ad Græcos, Imperium capeſſente Micaële Palæologo, hac occaſione.

IMPERATORES CONSTANTInopolitani, ex Laſcarinis.

Theodorus Laſcares, quem Niceæ diximus eſſe renunciatum Imperatorẽ contra Frãcos ex Irene, filia Alexij Comneni, procrearat filiam Irenen quam nuptã dedit Iohanni Ducæ. Hic, ſocero poſt decimum octauum annũ mortuo, pro illo Imperium gerens filiam ſuſcepit cognomento Theodoram Laſcarem iuniorem. Defuncta vero Irene appetens nouarum affinitatum, ſpe auxiliorum, ambiuit nuptias Annę, ſororis Manfredi, regis Sicilię, quibus etiam potitus eſt. Pacauit Theſſaliam, pace facta, cum Micaële Angelo notho, & nepte Maria, Theodori iunioris filia data in vxorem Nicephoro, Micaëli filio.

Defuncto ei, anno ætatis ſexageſimo, Imperij triceſimo tertio, ſucceſſit Theodorus Laſcares iunior, cui Helena Aſanis Bulgari filia, peperit Ioannem filiũ, & quatuor filias. Harum duæ, patre viuo, elocatæ ſunt: vna Maria Nicephoro Theſsalo: altera Theodora, Conſtantino tertio Bulgaro. Cura filij Iohannis, & Imperij adminiſtratio, patris voluntate, & conſenſu procerum, cõmedata eſt Micaëli Palæologo, nato ex Andronico Palæologo patre, & Irene Alexij Angeli filia, viro vehementi, ac pugnaci, ſed fidei incertæ, ac dubiæ, vt qui ad Turcos antea trãſierat, cum in

ſuſpicionem affectati Imperij veniſſet, nec deinceps etiam cùm receptus eſſet in gratiam, diſſimularat, quod aliquid moliretur. Ideò, vt placato eo, Theodorus vteretur, dignitate deſpotæ eum ornauit, & tutelæ filij præfecit.

Hic Michaël aditum ad Imperiũ ſibi patefecit, victoria deſpotæ Ætoliæ, & Epiri, cui ſuppetias ferebãt generi duo, rex Siciliæ, Manfredus, & Wilhelmus Achaiæ, ac Pelopõneſi princeps. Poſt hanc victoriam, Imperator appellatus eſt, prodere perfidiam, & æmulos Imperij tollere, cœpit. Johanni legitimo ſucceſſori, annum egreſſo decimũ, oculos eruit. De duabus reliquis Theodori filiabus, Theodoram Belicurto, Irenem Vigintimilio Genuenſi, mercatori vtrique, nubere coëgit. Achaiæ, & Pelopõneſi principem, bello captum, in vinculis annum integrum habuit, donec ſe redemit tribus Peloponneſi vrbibus Monembaſia, quæ Epidaurus eſt veterum, Maine, ſita ad Leuctra, quæ fuit olim Tenarium Promontorium, & Sparta. His vrbibus Cõſtantium, vterinum fratrem, præfecit, quem, è Cæſare, Sebaſtocratorem crearat.

Vrbem cepit, illo abſente, Alexius Cæſar Strategoplutus, qui noctu per cuniculos antiquos, cum quinquaginta ſtipatoribus, in vrbem ab incolis intromiſſus, & clamore horribili edito, & iniecto multis in locis igne, terrorem ſubitò excitauit tantum, vt vrbs hoſtibus plena putaretur. Ciuibus metu ſe intra domos continentibus, mox, portis effractis, aditum aperuit reliquis, qui ad vrbem excubabant. Abſuit tunc maxima pars copiarum Balduini, ad Daphniſium Ponti Euxini oppidum, quæ vbi comperiſſent ſui Imperatoris fugam, nauibus conſcenſis, illum ſequutæ, obſidionem reliquerunt.

Hic Imperij Frãcorum in Oriente finis fuit, quod, cùm eſſet tot modis laceratum, & tot obiectum, ex omni parte, hoſtib. externis, Turcis in Aſia, Bulgaris, Seruiis, & Raſciis in Europa, retinere eis in tam imbecilli potentia, difficile fuit. Nam in ſolo peregrino, vt aduenæ, Græcis inuiſi erant, & à ſuis non ſubleuabantur neceſſariis, vel pecuniæ, vel copiarum ſubſidiis, quod fieri, in tanta perturbatione Græciæ, non potuit, etiamſi locorum diſiunctio non obſtitiſſet. Etſi autem, de conſilio occupati Imperij nõ diſputo, tamen ex perturbatione, quæ inde extitit, viribus Turcicis, plurimum acceſſiſſe, & nouam quaſi formam Imperij emerſiſſe, quæ genti exitialis fuit, certum eſt.

Amiſſum eſt Imperiũ Oriẽtis, circiter annum Chriſti, mille-

milleſimum, ducenteſimum, quinquageſimum nonum, ſexageſimo propemodum, ex quo occupatum fuit, anno.

Priuſquam autem his reliquam, vtrorumque Imperatorum, ſeriem attexam, de Tartaris pauca inſeram, qui Turcos, vt ſupra dixi, in Aſia oppreſſerunt, & circa hæc tempora, in Europa etiam, agminibus penè innumeris, Lituaniam, Poloniam, Sileſiam citeriorem, & Vngariam horribiliter peruaſtarunt.

DE SCYTHIS, TARTARIS.

INnotuit, his annis, Aſiæ anteriori atque Europæ, feritas, & potentia Tartarorum, quos ex Oriente, & Septẽtrione, agminibus denſiſsimis, locuſtarum inſtar, effuſos eſſe, cõſtat. Fuit, ante hæc tempora, nomen ignotum. Antiquitus Moglas vocatos fuiſſe, tradunt, cui affine eſt nomen Mogolenorum, apud Ptolemæum ad Tapuros montes, quibus affine eſt Tartarorum nomen. Sic enim à vicinis potius, qua Tartari nominantur, etſi alij à flumine, alij à multitudine vocem profectam eſſe autumant. Sunt apud Plinium & Tochari, Bactrianis vicini, a quibus etiã non ita alienum eſt nomen Tartarorum. Græci, gẽtes illas vniuerſas, quæ ſupra Caucaſum, intra & extra Imaum montem, habitant, vſque ad oceanum Indicum, Scythas promiſcuè vocarunt, & ἁμαξοβίους inde, quòd pro domibus eis ſunt carri, centonibus, coriiſque contecti: pro vrbibus verò, & oppidis, immenſa caſtra, non foſsis, aut aggerib. ſed infinita ſagittariorum equitum multitudine, vallata.

De his proditum legimus, quod Indorum dominatu excuſſo, ac gentibus vicinis omnibus edomitis, & ſubiugatis, Cathaynæ ampliſsimum regnum, magnæ Tartariæ nomine, celebre condiderint. Hoc regnum per vaſtiſsimas, & latiſsimas Orientis ſolitudines, ad oceanum vtrũque, Orientalem & meridionalem ex parte vna, ex altera ad Tanaim, & Perſidis, ad Turcorum regnum extenſum, vtramque Scythiam, & multas alias terras, vt Sericam, Ariam, Sinarum regionem, ad quam Luſitani accedunt, complectitur. Ad Boream enim, qua aſſurgit, nullis circumſcriptum eſt limitibus.

Principem totius gentis Magnum Canem nominant, quæ vox illis, patria lingua, Imperatorem ſignificat. Regia ſedes, Gambaleſchia ciuitas eſt, cuius ambitus, duodetriginta millia paſſuum habere perhibetur.

Primum ex ea gente Imperatorem, qui regnum acquiſiuit, & legibus conſtituit, atque iudiciis, nominant Chã-

gium Canem. Eius ætas incidit in annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum ſecundum. Ferus, ante hunc genti cultus, ſine moribus, ſine lege, ſine ciuili cõſuetudine, obſcuri inter Scythas nominis, finitimis vectigalis, de re pecuaria, quam exercebat. Ab hoc Changio cæterorũ principum origo eſt. Propagauit enim Imperium incredibili celeritate, à Synarum regione, & Oceano, vſque ad Caſpium mare.

Succeſsit Chãgio, Hocotius Can, inter duodecim filios natu maximus. Hic aſpernatus ſolitudines Orientis, concepit ingẽti animo Imperiũ Aſiæ, & Europæ. Aggreſsurus igitur Aſiam, cuius ſuperiores regiones, intra Taurũ montem, tenebant Turci, iis exceptis, quæ ad Taurum Armeniis ſuberant: ad Colchidem verò & Caucaſum Iberis Albaníſque veteribus, id eſt, Gregorianis & Mengrelliis liberis populis comprehendebantur. Aſiam ergo aggreſsurus mille lectos equites præmiſit ad explorandos gentium ritus moréſque, & aditus pertentandos, qui vbi per Albanorum Iberorúmque numeroſas conualles ad Derbenti oppidi anguſtias veniſsent, quæ ferreis portis & lapideis antiqui operis propugnaculis præcluduntur, Dyriodoro amne ſubterfluẽte, mox propugnacula mõtibus impoſita ad arcendas tranſitu feras gentes ſeptentrionis, primo impetu capiunt, pérque effractas portas egreſsi velut in alterum orbem, primo ad Arſengam in Cappadocia Turcorũ oppidum delati ſunt, vbi cum inſtrui magnam vim hominum ad bellum cognouiſsent, reuerſi ſuo imperatori, quæ exploraſsent, renunciant.

Hocotius in ſpes elatus ingẽtes, prouincias tribus filiis animo deſtinatas armis etiã ſubigendas diſtribuit. Jachinum recta ad occidentẽ, Battum ad ſeptentrionem, Cadaganum ad meridiem, cum exercitibus dimittit, ipſe quæ ad orientem ſupererant, adoritur. Cadaganus in deſertas Æthiopũ terras delatus amiſſo exercitu rediit ad Jachinum fratrem re infecta. Nam Hocotius interea deceſſerat. Jachinus Aſiæ Drangianæque & Arachoſiæ terras ad regnum Turqueſtan, ac Perſidis oram occupauit. Ex iis locis velut arce belli continentibus præliis Turcos laceſsiuit, donec tandem Batto duce Gouiatæ Turcorũ regi regnum ademit, illo ingenti prælio prorſus conciſo, anno milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo quarto, totáque ad Pontum gente redacta ſub iugum.

Battus frater Jachini ſe in Comaniam conuertit, quæ

gentes

gentes ſupra Cappadoces ad Pontum & Mæotidem paludem, vltra citraque Rha ſeu Bulgam curſus rapiditate & multitudine aquarum poſt Nilum & Iſtrum fluuiorum ampliſſimum, & ad Tanain vſque comprehendebat. Ibi incolis Hunnis, Circaſſis, Poluciis ſeu Gottis: Hos enim Polucios Sarmatæ nominant: qui à veteribus Gottis reliqui, totam illam planitiem ſupra Mæotidem vſq; ad Tauricam Cherſoneſum, & Dromon Achillis tenuerunt ſub peculiaribus regibus, quos in Taurica tandem oppreſſit Mahometes: His ergo domitis, citra annum milleſimum, ducenteſimum, viceſimum octauum, bipartito agmine progreſſus vicinos Roſſos & Jazygas, atque iiſdem aſſiduis maximéque infeſtis irruptionibus contuſis & attritis, partem vnam copiarum ipſe duxit ad Iſtrum, alteram miſit in Poloniam ardentem tunc bellis inteſtinis, ex contentionibus de regno, poſt Leſci Albi mortem, duce Peta, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, quadrageſimum primum.

Battus vltra Iſtrum ex parte vna Cadano duce, Bulgariam, Raſciam, Seruiam, ex altera propriis auſpiciis Vngariam toto triennio depopulatus cæſis aliquot Vngarorum exercitibus, vſque ad Auſtriæ limites penetrauit. Sed magnitudine & robore obiecti ab Auſtriacis exercitus detentus, dum per interpoſitum flumen perrumpere ad hoſtes annititur, vorticoſi gurgitis rapiditate abſorptus, interiiſse traditur à nonnullis, negant id alij.

Peta poſt repulſos ac diſſipatos aliquot ſecundis præliis Polonorum exercitus, liberè regnum illud cędibus atque incendiis peruagatus, Cracouia flammis deleta, ad limites Sileſię excurrit, ac ſuperato ratibus ad Ratiboriam Viadro, quanta potuit celeritate contendit ad gentis metropolin Vratiſlauiam, quam cùm incolæ, Tartarorũ aduentu animaduerſo & defenſione deſperata, rebúſque omnibus in arcem comparatis, exuſsiſsent, hoſtis arcem obſidione cinxit, ſed fruſtra.

Quod ergo interea duces Sileſiæ agnati, ſanguinis & originis Polonicæ, quorum caput erat Henricus pius, Barbati & S. Heduigis filius, iuſtas armare copias ad Ligneſium vrbem intellexiſset, deductis eo præpopere copiis prælium commiſit, in quo quanquam diu ancipiti Marte depugnatum eſset, tandem tamen Sileſij multitudine hoſtium ſuperati ac fatiſcentes continuitate ac pertinacia prælij, ceſserunt. Cecidit in eo prælio Henricus dux,

cuius deinde cadauer inter cæſorum corpora repertum, ex ſexto pedis digito agnitum eſt, cum caput à Tartaris eſſet abſciſſum.

Dimicatũ eſt quinto Idus Aprilis, anno milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo ſecundo, ad locum vno miliari diſſitum à Legneſio, qui prælij memoriam nomine huc vſque conſeruauit Walſtat. Tartari vt de numero cæſorum gloriari poſſent, cadaueribus auriculas abſciderunt, traduntque nouem modios his impletos fuiſſe. Fracti tamen atque attenuati cruenta victoria, quod viribus diffiderent, non procedere fuerunt auſi, ſed reditu Moraniam verſus inſtituto, cùm ſeſe Wenceſlaus Bœmorum rex metu in caſtris contineret, hanc quoque paulo amplius quam menſtruo ſpatio totam deprædati, ſeptimis ab Olmunto caſtris ad Batti exercitum, commorantem adhuc in Vngaria ſeſe receperunt. Inde onuſti ampliſſimis ſpoliis regiones ad Tanaim & paludes Mæotidis patriæ primæ propiores repetiuerunt.

Ita & fortitudine & clade Sileſiorum reliqua Germania defenſa, vt olim Græcia à trecentis Lacedæmoniis in bello Xerxis, immanitatem gentis Tartaricæ non eſt experta.

Fuit omnino hæc Tartarorum in Europam irruptio tempeſtati ſimilis, quæ vi procellarũ obuia quæque perrupit ac proſtrauit. Anteceſſit anno milleſimo, ducenteſimo, vndecimo, cometes, qui Maio menſe totos dies octodecim arſit, & flammam terribilem ſparſit. Ideo prorſus fatalem fuiſſe iudico. Puniri enim Deus ab externa gente ὕβριν & inſolẽtiam earum gentium voluit, quas domi nec legum authoritas, nec pietas erga patriam, nec cognati ſanguinis vinculum coërcere poterat aut continere, vt ſibiipſis & patriæ parcerent.

Tertium Tartarorum imperatorem in regno Cathaynæ nominant Magium Canem, hic perſuaſu regis Armeniorum, ab idolis patriis ad fidem ſe contulit Chriſtianam, coniunctum ſe fore illi cœtui, qui vocatur eccleſia Chriſti, profeſſus ac teſtatus baptiſmo, circiter annum, vt refert Hatto Armenius, milleſimum, ducenteſimum, quinquageſimum tertium. Addixiſſe ſe illum religioni Chriſtianæ tradunt his legibus atque conditionibus, quod repudiatis omnibus religionibus aliis, huic vni adhœrere, nec tolerare alias ſuo ſub imperio: quod pacẽ & amicitiã inter vtramque gentem firmam ac perpetuam: quod bello ſub-

lo ſubactos à Tartaris Chriſtianos retinere αὐτονομίαν & immunitatem ab oneribus exactionem, quod deſtruere Saracenorum potentiam & Hieroſolymam vindicare in libertatem: quod quæ erepta ſint Armeniis priore bello, reſtituere velit.

Idē & recepit & præſtitit defenſionem Chriſtianis in Aſia aduerſus Saracenos, miſſo in Aſiā cum ingenti exercitu fratre Hyelone, qui coniugē adeptus Chriſtianam, huius impulſu, cùm in Perſia Saracenos oppreſſiſſet Babylone, quæ nunc Baldacum eſt, capta templa Saracenorum deſtruxit. Chriſtianorum contra diruta ante inſtaurauit vel polluta repurgauit. Ex Perſia bellum in Meſopotamiā transtulit, vbi capta vrbe Edeſſa, quæ Rhages olim vocata, nunc Orpha dicitur, mox tranſiit in Syriam, expugnatóque Alepo, ſultano illius loci Melechmaſer regnū ademit. Mox eidem circiter annum Chriſti millesimum, ducenteſimum, ſexageſimum, Antiochiam eripuit. Inter hunc Alepi ſultanum & Ægyptium aſſidua de imperio Syriæ contentio fuit, & flammis odiorum ceu pabulum ſubdiderunt diſſidia diſcrepantis ſectæ. Jam tum verò ſultanus vterque Hieroſolymitano regno euērſo, & reliquiis noſtrorum Argonautarū deletis, vniuerſa propemodum, quæ illi poſſederant, recuperarat.

Hyelonem ad vrbem Hieroſolymam viribus omnibus contendentem ex medio victoriarum curſu retraxit fama de Magij fratris interitu. Ad ſummum enim inter Tartaros imperium aſpirabat. Sed Cobelus frater abſentem anteuerterat, ſtudio atque fauore ſubditorum euectus, ſéque iam in ſolio regio confirmarat. Acceſſit & aliud impedimentum, quod Batti filius Barchinus à tergo vrgebat nouo bello partas ab Hyelone prouincias, cui niſi maturè occurriſſet, ea parte regni excidiſſet.

Ad hunc modum diſtractus bellis diuerſis Syriacarum rerum curam & adminiſtrationem commendauit vni ex præfectis Virboco, homini crudeli & à Chriſtiana fide alieno: qui cum Sydone vi capta hoſtiliter in Chriſtianos ſtatuiſſet, nactus occaſionem Ægypti ſultanus Melechmaes, qui Turquemenio ſucceſſerat, primo ex ſeruili conditione ad regnum euecto, illi celeriter occurrit iam molienti obſidionem Hieroſolymæ, trucidatóque duce & reliquis fœda fuga diſiectis, Tartaros tota Syria expulit.

Cœptum his initiis bellum ſucceſsor Bendocader per-

teruit, Antiochia recepta, tentatíſque ſubita impreſsione Armeniis & Turcis, qui Tartaris ſeruiebant. Sed Abſaga dux feliciter arma Ægyptiaca ab vtriſque depulit, oppidis Turcicis, quæ ad Saracenos defecerant, exciſis. Idem reuerſus ad bellum Syriacum præmiſit in Syriam Mandogamorem fratrem Armeniacis ſubſidiis auctum, qui cõgreſſum ſecũ Melechſaitem Sultanum difficili prælio repreſſit Sed nondum cõfecto bello, cùm animo eſset imbecilliore, imperfecta contentus victoria reduxit exercitum. Inſtitit cedenti Sultanus, quanquam victus, redintegratis viribus. In hunc moturus Abſaga, Sultani conſilio veneno tollitur, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, octogeſimum ſecundum.

Principatũ illo ſublato obtinuit Tanogadorus, infenſus & inuiſus Chriſtianis. Eo ob impietatem iugulato, Argonus ſumma rerum potitus annos quatuor, in fratrem Regatum regnum tranſtulit, cui ſubditi cùm ob ignauiam chorda arcus guttur eliſiſſent, accerſiuerũt Battum Chriſtianis charum ob curam & amorẽ religionis, exoſum Saracenis, qui numero & potentia, propter duorum ſuperiorum regum ſtudia plurimum creuerant, circiter milleſimum, ducenteſimum, nonageſimum annum.

Cõtra Battum ergo accitus à Saracenis Caſanus Argoni filius, quod adhęrere putaretur Mahometico dogmati, illo vel deſerto, vel interempto à Saracenis, regnum obtinuit. Hic mox abiecta quam ſimularat Mahometis lege, Chriſti nomen & doctrinam amplexus & profeſſus bellum Syriacum inſtaurauit, deuictóque pugna memorabili ſultano Melechnaſer, anno milleſimo trecenteſimo, decimo, & Damaſcum, initio deditione adeptus, mox Syriam recepit vniuerſam. Fugientem inde ſultanũ Molaines dux cum Armenio rege perſequutus eſt, vſque ad deſerta Ægypti: hinc reuertentem ad obſidionem Hieroſolymæ reuocauit in Syriam defectio Capeci, cui Caſanus in Perſiam regreſsus gubernationem Syriæ commendarat. Etſi autem Caſanus non multò poſt bis redintegrauit bellum totis viribus, ſemel duce Cotaluſsa, iterum ſe duce: tamen vtraque expeditio ceſsit infeliciter: priorem enim ſubita de ipſius morbo fama irritam reddidit: poſteriore exercitum inopia aquarum grauiter afflixit.

Nec ita multo poſt deceſsit, deſignato ſucceſsore Carbagado filio, qui cum inſtinctu Mahometanorum, repudiata

diata

diata Chriſtianorum religione totum ſe ad Mahometiſmum conuertiſſet, pertraxit ſuo exemplo ad defectionem complures. Cæteros ita preſſit & fregit, vt non multò poſt Chriſtiani nominis profeſſio apud Tartaros prorſus conciderit & exoluerit. Cùm ea ſimul concidit regnum Tartarorum in Aſia. Syriam enim Ægyptij retinuerunt. In reliqua Aſia ad Pontum vſque Turcorum potentia paulatim in veterem fortunam reſtitui cœpta, Ottomannorum auſpiciis ac virtute, Tartaricam eliſit. At tergo in Perſiam inuolarunt Parthi, qui aliquanto ante, authore Gempſa, magno Parthorum ſultano iugum Saracenorum à ceruicibus ſuis depulerat, nouo & libero regno inchoato. In Europa verò, qui ſuas receperant vires Roſſi, reiectis Tartaris vltra Boryſthenem à parte vna, ex altera vltra Tanaim etiam & Rha fluuium, hæc flumina limites inter vtramque gentem conſtituerunt, de quibus cum iiſdem, continentibus præliis, huc vſque decertant.

Ex horum Tartarorum reliquiis diuerſæ, ſed amplæ ac præpotentes prodierunt Tartarorum gentes, quæ ſedibus vagæ, ſed bello illuſtres, Aſiæ, Europæque non raro inde vſque à prima irruptione terrorem intulerunt.

Diuidũtur in Hordas, quæ vox ipſorum lingua ſignificat conſentientis in vnum populi multitudinem, ſeu cõgregationem ad effigiem ciuitatis. Hę à Jaxarte amne ad Belgam, vtraque id flumen ad Tanaim & Mæotidem hinc inde diſperſæ, ſedibus incertis per immenſas ſolitudines vſque ad Imaum montem euagantur.

Hordis ſingulis ſui præſunt principes, quibus aut conſenſus populi, aut genus, aut fortuna belli imperium tradit. Harum conſtat numerum eſſe infinitum. Omnem enim ab his limitibus regionem cõplent vſque ad Cathaynam celeberrimam in extremo ad Orientem Oceano ciuitatem, quæ regno Cathayno nomen dedit, cui præeſt Magnus Can, quem ſupremum regem cæteri agnoſcunt ac venerantur. In eo regno ſucceſsit Gobilla Can, quem quinto loco ſupra recenſuimus. Circa hæc tempora imperauit Sextus Tangorius Can: hunc ſequuti ſunt longo ordine alij, de quibus, cùm abſint longius, minus explorata ſciuntur.

Qui Roſsis proximi sũt ad Europæ limites, Perſis verò & Turcis in Aſia mercaturæ commercio, & frequenti-

bus irruptionibus magis nobis innotuerunt. In Europa enim Tauricam Cherſoneſum quæ Barbaris Cazaria dicitur, tenent Præcopitæ, quorum Principis filiam Selimus Turca duxit in vxorem, qua natus eſt Solimannus. Occupauit hanc duce Mingareſio, qui octoginta millibus equitum victor oram Mæotidis vſque ad Boryſthenem depopulatus, ibi tãdem conſedit, & quo tutius in Europa conſiſteret, aduerſus Sarmatarum Roxolanorúmque impetum in Iſthmo à Mæotide in Pontum foſſam perduxit, atque perpetuo aggere communiuit. Id anguſtum terræ ſpacium antiqui Dromon Achillis vocarunt.

Poloni his infenſi maximè. Vicinam Roſſiam enim illis ſubiectam, ac cognomento ruſſæ diſtinctam à Moſcis cuius caput eſt Ciouia ſupra Boryſthenem, finitimámque Podoliam, depopulationibus crebris infeſtant.

¶ Cum Turcis vt religione, ita cæteris rebus mirificè conſentiunt, qui in eadem Taurica Capham Ligurum coloniam, quæ Theodoſia antiquitus appellata eſt, & plura alia in vicino Mæotidis paludis & Ponti littore, Gottis adempta tenent.

Qui verò intra Tanaim & Bolgam latos poſſident in Aſia campos, qua ſeſe radices Iberorum & Albanorum montium in vaſtam planitiem verſus Boream exporrigunt, hi Baſilio Moſcorum regi, vel certis legibus ſubiecti, vel deuincti fœderibus, nonnunquam de illius iudicio principem ſibi perficiunt. Inter hos Cremij inteſtinis ſeditionibus fracti amiſerunt opes cum belli gloria, qua antecelluerunt.

Trans Bolgam Moſcis proximi ſunt Caſanij, Caſani principis ſui nomine ſuperbientes, qui apud Tartaros talem de ſe opinionem reliquit, vt memoria ipſius hoc nomen multi deinceps etiam inter Perſas ambitiosè vſurparint. Hi Moſcis familiares commerciis, amicitiam eorum religiosè colunt.

Vltra Caſanos ad Boream ſunt Sciabani, armentorum pariter & hominum multitudine potentes.

Poſt hos ſunt Nogai celebriores reliquis opum & bellicæ laudis gloria. Regũtur non vnius imperio, ſed reipub. more à ſenatu delecto ex ſenioribus, qui prudentia & virtute eminent.

Ab his ad meridiem verſus Hyrcanum mare deflectit Horda Zagataiorum ſeu Zauolhienſium, quæ nobiliſſima eſt ac potentiſſima: cæteris enim originem dedit, ſéque in Sog-

in Sogdianos, Aracoſios, Bactrianos, & Hyrcanos extēdit. Metropolin horum Samarcandam vrbem amplam & populoſam, interlabitur mediam Jaxartes maximus Sogdianæ amnis, qui ad centum milliaria inde in mare Caſpium deuoluitur. Edidit hæc vrbs Tamberlanem Scytham, qui Baiazeten Turcum ad Stellam montem, memorabili Pōpeij Magni victoria & Mithridatis calamitate celebrem, ingenti prælio ſuperatum cepit, & per omnem Aſiam à ſe deuictam, terribili maximi exercitus impetu ferrea incluſum cauea in triumphi pompa circumduxit.

Reliquæ remotiores Tartarorum Hordæ à Magno Cano imperia accipiunt.

Hæc de Scythis Tartaris hoc in loco vt commemorarem, ſeries reum & occaſio mutationum, quæ in Aſia Turcis imperium reddiderūt, exegit. Etſi autem dubitari ſcio, ſocij ne an hoſtes fuerint, qui Chriſtianis decertantibus cum Ægyptiis de regno Hieroſolymitano, in Syriam penetrarunt, Armeniorum perſuaſu & ductu, Hyelone & Abſaga præcipuis ducibus: aſſentior tamen Hattoni Armenio, affirmanti, explorata ſeſe compertáque & viſa etiam ſcribere. Is primos Tartarorum ab idololatris ad Chriſtianiſmum tranſiiſſe, poſteriores religionē cum fortuna mutaſſe, ſacríſque Chriſtianis reiectis ad Mahometis furores deſciuiſſe tradit.

Sunt autem ab anno milleſimo, ducenteſimo, viceſimo ſecundo, quo Aſiam anteriorem & Europam primùm Tartaricæ gentis nomē audiiſse & immanitatem ſenſiſse perhibent, vſque ad annum milleſimum, trecenteſimum, quinquageſimum; quo à Turcis & Parthis eadem excluſa, Aſiæ imperare deſiit annis centum viginti octo.

Fato euenire mutationes, quæ efficiunt vaſtationes in imperiis, ſeditionibus aut bellis, ciuilibus vel externis, præſertim ſi plures ſimul in eundem quaſi articulum temporis locis diuerſis incidant, non eſt dubium. Antecedunt has mutatiores ferè in animis principum amentiæ & cupiditatum immodicarum implacabiles furię, quibus impelluntur authores, vt moueant vel irritent non neceſsária bella. Súntque errores conſiliorum, & furores ſtolidarum cupiditatum ſimul primæ & proximæ peccatorum in magnis principibus pœnæ, & cauſsæ ruinæ atque interitus:

Iratus enim ad pœnam Deus ſi quos trahit,
Auferre mentem talibus primum ſolet.

Caliginemq́ offundit: vt ruant ſuas
Furenter in clades, ſibi quas noxiis
Accerſierunt vltro conſiliis malis. Et in Lucani verſibus dicitur:

Hoc placet, ô ſuperi, cum vobis vertere cuncta
Propoſitum, noſtris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus: nocituraq́ poſcimus arma.

Cæcitas enim aberrantia parit conſilia turbata ratiocinatione. Cupiditates feruntur extra metas, nec parcunt coniunctiſſimis etiam. Hinc odia & diſtractiones: ex his bella, vel domeſtica, vel poſt præconſumptas domi vires externa, quibus implicitos opprimunt, aut clades inſignes, aut ruinæ perpetuæ. Tales cùm viderẽt mutationes pars maxima orbis terrarum diuerſiſſimis in locis hoc ipſo tempore, quo interregni fluctibus quaſſata eſt Germania, fatales omnino & occultas præceſſiſſe cauſſas neceſſe eſt. Sed tamen penè vbique initia extiterunt à diſſidiis domeſticis, quorum occaſiones cum in Germanicis, Italicis, & Aſiaticis mutationibus præcipuè oſtenderim, pauca interſeram etiam de Polonicis.

Polonia, vt ſupra dictum eſt, regnum eſſe cœpit, imperante Ottone tertio, qui primus circiter annum milleſimum, axioma regium tribuit Boleſlao duci, quẽ à Piaſto ſtirpis conditore ſextum, & hoc nomine primum numerant. Huius abnepos Boleſlaus cognomento Criuouſtus, cum ſoboli numeroſæ regnum in plures diſcerptum partes diuiſiſſet, cauſſam præbuit feralibus diſſidiis, quæ in bella inteſtina eruperunt, quibus inter ſeſe poſteritas conflictata ſupra ducentos annos, non tantùm ad exhauſtam atque attritam cædibus aſsiduis ac direptionibus patriam, aditum patefecit externis hoſtibus, vt Tartaris & Lituanis, ſed & ſemetipſum tandem è regni faſtigio deiectum euertit, & auulſione Sileſiæ ac Pomeraniæ vlterioris, quæ Poloniæ cohærebat mutilatas regni vires plurimum, accidit. Natu maximus filiorum Ladiſlaus non conceſſurus fratribus, quæ pater ſingulis teſtamento deſtinarat, bellum conflauit, in quo victus ipſe & pulſus regnum amiſit. Huic reducto, Fridericus Barbaroſſa Sileſiam impetrauit, cùm regnum obtinere non poſſet, in quo cæteri iam ita conſederant, vt excuti facilè nequirent Regnarunt autem illi ordine omnes Caſimirum natu minimum vſque, cuius liberis mox ab obitu patris, cæterorum fratrum poſteritas bellum de regno mouit: ideo euenta geſtum

geſtum eſt, vt crebertimè regnum reges: prouinciæ regni dominos ſummo ſuo cum diſpendio mutarint. Caſimiro vltimo ex natu minimis poſteritate ſine maſcula ſobole extincto, proceres regni aduocarunt peregrinum regem Ladiſlaum ex Pannonia, agnatis excluſis.

Hæc res cauſsã dedit, vt principes Sileſiæ orti à Ladiſlao, vt dixi, dolore repulſæ & contemptus ſui, à Polonis diſcederent, ſed & hi cum numero plures, opibus verò diſpares, nec libertatem ferre, nec iura neceſſitudinis colere ſcirẽt, & inuidentia eo vſque proueherentur, vt ne ab inſidiis quidem mutuis ac cædibus abſtinerent, vt fit, vbi multi dominantur, mox ſeſe ex certa & tuta libertate in ſeruitutem coniecerunt priore duriorem, conditione infeliciter mutata. Inuitati enim & conuerſi his diſſidiorum domeſticorum occaſionibus ad concupitam iam dudum & tẽtatam ſæpè Sileſiam, Boëmici reges, Johãnes patre Henrico ſeptimo imperatore natus, vir aſtutus, & Carolus filius, auctis inter diſſidentes principes, odiis, non magno negocio perfecerunt, vt aliqui ſponte, aliqui expugnati minis vel precio, plurimi blandis capti pollicitationibus, libera colla obuio iugo ſubdiderint.

Hoc inteſtinarum diſcordiarum fructu redacta ſub iugũ Sileſia, paruit deinceps regib. Boëmiæ. Ex ruina principum creuit authoritate, opibus & potentia, metropolis gentis Vratiſlauia, conſenſu Caroli quarti & auxilio, qui rectè iudicabat exemplo regni Gallici, gubernationis neruos belli & pacis tempore apud ciuitates eſſe, ſi floreant legibus, iudiciis, libertate, authoritate & opibus. Quare augendas eas, non opprimendas cenſebat.

Nomen gentis vel veterem appellationem Quadorum interpretatur, vel collectitiam multitudinem ſignificat, nomine à conuenis facto, quos Sbigneus nothus Caſimiri primi filius, accitus contra fratres à Polonis exulibus, adduxit in Sileſiam ex diuerſis gentibus Germaniæ contractos.

Polonia verò ceſſit externo regi Pãnoniæ, cuius filiam Heduigam, quod maſculam rex ſobolem non ſuſcepiſſet, cum Poloni hæredem regni decreuiſſent, bellis domeſticis finis eſt impoſitus; ſed noua inter æmulos proceres accenſa ſunt certamina. Nuptias enim reginæ propter regnum ambierũt magno ſtudio, Sigiſmundus Caroli quarti filius tunc marchio Brandeburgenſis, & Wilhelmus Auſtriacus, ſed Poloni neutro admiſſo, accerſiuerunt è

Lituania Jagellonem, Gedimini illius nepotem, qui nuper magnum ducatum Lituanię occuparat, atq; huic poſtquã ſacro baptiſmo ablutus idololatriæ ethnicæ renunciaſſet, die decima quarta Februarij, anno milleſimo, trecenteſimo, octogeſimo ſexto, reginam deſpõderũt. Hoc nuptiarum fœdus diuturna inter vtramque gentem Polonicam & Lituanicam bella diremit, & Poloniæ adauctæ acceſſione Lituaniæ ac finitimæ Ruſſiæ, iacturam auulſæ Sileſiæ compenſauit, denique vt introductus Chriſtianæ religionis cultus atque profeſſio, inueteratæ ſuperſtitionis deliria ex ea gente exterminaret, perfecit. Hoc Jagellone nata poſteritas regnum Poloniæ tenuit ad Sigiſmundum Auguſtum vſque.

Pomeranię nomẽ latè patet in eo tractu, qui à limitibus marchiæ Brandeburgicę ſecundùm littus maris Sueuici in ſeptentrionem ad ſinum Codanum vſque porrigitur, vbi Viſtula in mare Henetũ illabitur. Notiſſimus memoria antiquiſſimæ & ampliſſimæ gẽtis Sueuicæ, & fluminũ inſignium aliquot, quæ hoc vſque vetuſta nomina cõſeruarunt, vt Viadri, Sueui, Warræ, à quo Pharadena gens.

Eam à ſuis gubernatam fuiſſe ducibus, qui è gente Heneta prodierunt, inde vſque ab eo tempore, quo in illis terris Heneti, ſeu pulſis, ſeu ſponte progreſsis verſus occaſum, colonis veteribus conſederunt, quod circiter annum Chriſti ſexcenteſimum accidit, non dubiis hiſtoriarum teſtimoniis conſtat. Sed vetuſtiorum ducum res geſtę & nomina obſcuriora ſunt. Gryphones tamen vocitatos eſſe ab inſignibus, quæ vſurparunt, magno conſenſu traditur.

Ex hac gente Gryphonũ natus Suantiborus princeps magnitudine rerum pręclarè geſtarum aduerſus Danos & Polonos, memoriam maiorum plurimum illuſtrauit, ac poſteritatem hanc, quæ nunc rerum potitur, nuſquam intercisa ſtemmatis linea propagauit, claram bellis maximis ac difficillimis & penè continentibus, quibus illa cũ præpotẽtibus ac circumfuſis vndique vicinis Polonis, Danis, ac deinceps equitibus Marianis in Boruſſia, & marchionibus Brandeburgicis conflictata ſeſe tamen conſeruauit.

Gedanum quod & nomen oſtendit, hi principes arcem belli tec[illegible] contra Danos, opportuno & ad defenſionẽ regionis, & ad nauigationes, ſitum loco.

Suantibori liberi paternas poſſeſſiones partiti, diſtinctionem citerioris & vlterioris Pomeraniæ primi fecerũt,

&

& ſciderunt gentem in familias duas. Bertiſlaus enim & Ratiborius citeriorem ſortiti Pomeraniam Germaniæ finitimam, cui Sedinorum ditio fuit coniuncta, vbi Stetinũ eſt caput gẽtis & antiquiſſima familiæ ſedes, hi ergo procrearunt ſtirpem, quæ noſtra tempora attigit. Vlterior deuenit ad Suantopolcum & Bugiſlaum.

Bertiſlao nati ſunt Bugiſlaus & Caſimirus. Hi amplexi libertatẽ, leges, immunitates, iura, mores, ritus, & linguam vicinæ gentis Germanicæ, ſe conuerterunt à Polonis ad imperium Romanum, ab imperatore Friderico Barbaroſſa aſciti in ordinem & ſenatum principum imperij, & sũma aucta dignitate quæ ducum eſt, in caſtris ad Lubecã, ob præſtitam fidelem contra Danos operam.

Reliqui vlteriores ob viciniam, conſuetudinem, & cõmercia Polonorum, nunquam prorſus diſceſſerũt ab eorum ſocietate, etſi bella nonnunquam vtriſque interceſſerunt, orta ex contentionibus de finibus, vſque ad eas mutationes, de quibus dixi, in quibus Suantopolcus princeps acer ac præpotens auctus opibus, & aliquot de Danis victoriis elatus, cùm recuperaſſet, quæ maiores amiſerant, vniuerſa, repudiata ſocietate Polonorum ſeſe in libertatem vindicauit. Huius ſtirpe in Meſtouino filio extincta, qui Gedani deceſſit octauo Calend. Januarij, anno milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo quinto, Primiſlaus Poloniæ dux, hæres inſtitutus à Meſtouino, odio agnatorũ, inter quos cum ſeſe ad imperia diuerſa maiores contuliſsẽt, hęc deinceps diſiunctio linguæ, morum ac ſtudiorum adaucta, nũquam paſſa fuit veram beneuolentiã coaleſcere. Primiſlaus ergo prætextu iuris, agnatis excluſis ditionem occupauit. Ita auulſa à Pomerania vlterior pars, quæ Viſtulæ adiacet, Polonos dominos accepit: ſed aliquanto poſt Mariani in Boruſſia equites inde tractum, qui circa Gedanum eſt, cum vrbe ipſa decerpſerunt.

IMPERATORES OCCIDENtis, Rodolphus Habsburgenſis.

ANni ſunt ducenti à pontificatu Gregorij ſeptimi, ſcilicet, ab anno Chriſti milleſimo, ſeptuageſimo tertio, vſque ad imperium Rodolphi Habsburgenſis, quibus cum pontifices bello aſſiduo oppugnarint & exagitarint imperatores occidentis, Itala bellis ac ſeditio-

nibus ac mutua ciuium inter ſe laniena quieta nunquam fuit, Germania per interualla admodum exigua vix tantùm reſpirauit interdum, vt iacturam præcipuorum ordinum & familiarum, quæ bellis abſumptæ interierāt, vtcunque refecerit & expleuerit, delectis atque ſurrogatis ſucceſſoribus aliis, ne forma imperij tota cum interitu familiarum, penes quas potentia fuerat, & dignitas præcipua, ſimul collaberetur.

Sed difficultatem maximam habuit poſtremus huius temporis actus, propter anarchiam, in qua cùm Imperatore certo careret Germania, licentiam vſurpare omnium quæ vellent, & rapere quæ cuperent, atque in deſolatas interitu principum terras inuolare graſſarique qui vellent, iam impunè audebant. Auxit hæc res difficultatem deliberationum de idoneo imperatore, qui rebus publicis hoc lacero & perturbato ſtatu præficeretur, quem non tantùm ſapientiam, ſed vires, potentiam & authoritatem adferre ad imperium oportebat, ſi ſanare vulnera diſſidiorum atque odiorum reſtitutione firmæ ac ſtabilis pacis deberet.

In his ergo calamitatibus & mutationibus imperij occidentalis cùm de multis maximis rebus cōmonefactiones proponantur, præcipuè tamen conſiderandum hoc eſt, imperia non ſolis conſiliis aut viribus humanis firmari aut reſtitui, ſed Dei opera eſſe, & excitari diuinitùs, cùm opus eſt, ſapientes, magnanimos, concordes & fœlices principes, atque adiuuari & inſtrui, cùm per ſeſe viribus imbecilles, & mole negociorum ac periculorum iudicio humano videntur eſſe impares. Regi etiam diuinitùs conſilia publicarum deliberationum, cùm quæruntur idonei gubernatores, & flecti animos deliberantium, ad ea, quæ ſunt ſalutaria καὶ συμβιβαστικά.

Quod ergo in maxima & confuſiſſima anarchia interregni, Italia flagrante inteſtinis diſſidiis ac ſeditionibus, Germania ex veteribus odiis & motibus nouis dubio flatu fluctuante, cunctis rebus vbique ad triſtem ruinam ſpectantibus, quod tunc ergo penè cunctis cæterorum ſuffragiis gubernacula imperij commiſſa ſunt vni Rodolpho, multis aliis preteritis, id gubernatum eſſe à Deo nō dubitemus, qui & principum animos impulit, ac flexit, vt hunc præferrent, & ipſum Rodolphum, quanquam pleriſque aliis inferioren opibus, viribus, authoritate, tamen quadam animi magnitudine incitatum confirmauit ne o-

nus

nus difficillimæ & periculoſiſsimæ gubernationis recuſaret. Geſsit enim res ſalutares orbi Chriſtiano ac præcipuè patriæ, etſi, vt nulla humana ſapientia non errat aut impingit alicubi, ſua quoque habuit errata.

Affectauit tũc imperiũ ambitioſo pariter ac minaci conatu Ottocarus Boëmus, empto Ottonis Brandeburgici ſuffragio, & nonnullis inter reliquos etiam ordines pecunia expugnatis. Et diſputatum etiam fuit in ſenatu ſeptẽuirum de nonnullis aliis, quorum aliquos opũ ſplendor, aliquos fama rerum præclarè geſtarum, aliquos ſapientiæ opinio & reſpectus authoritatis commendauit.

Sed Rodolphi fatum vicit. Hunc Calendis Octobris, anno milleſimo, ducẽteſimo, ſeptuageſimo tertio, Francofordi ſolenniter electũ, euocarunt ad imperium, ex caſtris ad Baſileam, vbi aduerſus epiſcopum eius loci & Pſitacos principes factionis epiſcopo addictæ inter ciues, bellum gerebat reducturus Stelliferos, vrbe pulſos, propterea quod ipſi fauiſsent. Annum tunc egit ætatis quinquageſimum quintum. Natum enim tradunt, anno milleſimo, ducenteſimo, decimo octauo, Cal. Maij.

Credo ad imperium adipiſcendum non parum illi profuiſſe & iudicium de eo Friderici imperatoris, & ſpectatã aliquot externis Friderici & ſuis domeſticis bellis, interregni tempore, ſapientiam, magnanimitatem, fortitudinem, felicitatem ac moderationem. Nam accedenti ad Fridericum, conſeſſum omnem ordinum militarium, quãquam adoleſcenti, honoris cauſſa aſſurrexiſse prodiderunt, & vicinos comites Sueuiæ atque Alſatiæ in interregni licentia, ſpe immunitatis ferociẽtes, ac nihil non in aliena bona audentes ac molientes, cũ tumultuariis irruptionibus, tum apparatibus iuſtis feliciter repreſserat atque compeſcuerat auxiliis Tigurinorum, Baſilienſium & Argẽtinenſium, à quibus ſingulis propter opinionem excitatæ in re bellica virtutis, quam in ſacra militia & bellis Italicis Friderici de ſe concitarat, mercede ad defenſionem armis præſtandam conductus erat.

Collocatus in imperiũ inauguratione ſolenni, totus in hanc curam incubuit, vt latrociniis, ſeditionibus, tumultibus, bellis quibus ardebat Germania vbiq; locorum ſublatis, patriæ pacem redderet ac tranquillitatem. Huic conatui cùm aliæ obſtabant difficultates, tũ verò hæc in primis, quod de hæreditatibus earũ regionum, quarum domini interciderant, bello inter ſe contenderent vicini, a-

lio alias ſibi vendicãte & armis deferente arbitrio priuato, ſine authoritate & conſenſu ſenatuſconſulti publici.

Ottocarus Boëmus Auſtriam occuparat, & partem finitimam Bauariæ huius principi Henrico conceſſerat ex pacto ac fœdere.

Sueuia diſcerpebatur à diuerſis, Ducatum Zaringiæ in Briſgoia, quem imperante Henrico IV. cœpiſse diximus, inuaſerunt comites Friburgenſes in Briſgoia & Neubergenſes. A reliqua Sueuia, quæ ad Vindelicos, Alſatos & Charitinos vergit, cæteros ferè iam excluſerant marchio Badenſis ex vna, comes Wirtebergenſis tanquam potentior ex altera parte.

De Turingia & Haſsia dimicarunt Henricus marchio Miſniæ & Brabantiæ dux, vt dixi. Ille verò Turingiã, hic Haſsiã iam tenebat. Et potentiorum exempla imitabantur tenuiores, ac ſimili audacia, quæ iuris publici erant, quæque transferri in alios, niſi ſenatuſconſulti ſententia non poterant, inuadebant ac ſua faciebant.

Etſi itaque, ſi de priuatorum bonis tantum certatum fuiſset, ſopire diſsidia veterum exemplorum decretis licuiſset, vt pacem præſtarent ac colerent ἔχοντες ἃ ἔχουσι, tamen cùm ad Imperium pertinerent, cuius & poteſtatem & vires reſtitui, poſtquam eſsent labefactatæ, non attenuari magis atque diminui oportebat, ſi conſeruatum id, non prorſus eneruatum vellent, rectè cenſuit Rodolphus, oportere ante omnia poſseſsores de occupatis priuata poteſtate & cedere, & cognitionem atque ſententiam permittere imperatori ac ſenatui principum, vt quicquid hi cõſtituiſsent, id ratum haberetur: qua in re etſi ſua fortaſſe etiam ſpectauit, atque conſiderauit commoda, tamen è dignitate ac maieſtate imperij, & ad reſtitutionem concordiæ publicæ pernecesſarium id fuit.

Anno itaque ab electione proximo comitia indixit cõuocatis principibus Norimbergam. Eo cùm cæteri frequẽtes conueniſsent, non acceſserunt Boëmus & Bauarus, vterque contemptu imperatoris infirmi ac pauperis, quo Boëmus non ita multò ante magiſtro Curiæ in aula ſua mercede fuerat vſus. Detrectarunt authoritatem noui imperatoris Badenſis etiam & Wirtebergenſis, cum pluribus aliis, ſimili de cauſsa, fœdere inito, vt contra imperatorem occupata tuerentur.

Rodolphus, ne vim prius, quàm omnia moderata & tuto conſilio experiretur, quanquam contumeliis affectus,

ctus, tamen per legatos inſuper repetiuit ab Ottocaro Auſtriam, ab aliis alia. Hæc iuſta poſtulata, cùm illi ſuperbè & contumaciter recuſarent, arma arripuit. Sed quod ſuæ ſibi tenuitatis conſcius eſſet, iam ante ex amicitiis & affinitatibus tantùm præſidij ac virium comparauerat, quantum ad retinendum imperium & elidendos conatus hoſtiles reliquorum ſatis eſſe putaret. Affinitatibus enim ſibi deuinxerat tres imperij ſeptemuiros, Ludouicum Palatinum Rheni, Albertum Saxoniæ ducem, & Ottonem Brandeburgicum marchionem, elocatis filiabus, & dotis loco aliqua terrarum vicinarum parte attributa. Beneficiis verò cum alios, tum verò imprimis Henricum Miſniæ marchionem, qui opibus antecellebat ex vbertate venarum metallicarum, & Fridericum comitem à Zolleru ſorore natum, quorum illi conceſsit Turingiam, & confirmauit donationem Friderici imperatoris, qui dotis loco filiæ elocatæ Alberto Henrici filio adiecerat veterem imperij comitatum Alteburgum. Huic promiſſum Conradi de Burggrauiatu Noribergenſi nominauit, quem paulo poſt Henrico Burggrauio mortuo, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, octogeſimum nonum, poſſedit.

Horum ergo coniunctione & auxiliis fretus, quod ſe ſciret legitimè ad imperium vocatum eſſe, cum lenitate nihil proficeret, ad tertia enim comitia contumaces fruſtra citarat, arma ſumpſit, primum in marchionem Badēſem & huic confœderatos in Sueuia, Alſatia & vicinis aliquot terris. Hos non magno negotio diſsipatos & contuſos coëgit ſupplices pacem petere, relictis quæ occuparāt. Inde in Auſtriam bellum tranſtulit aduerſus Ottocarū, qui in annum iam ſecūdum & viceſimum Auſtria potiebatur, nec tantùm imperium Rodolphi detrectabat, ſed & legatos violarat, nonnullis ad portas ſuſpenſis. Hoc bellum eo exitu finitum eſt, vt cum primo anno Henrico Bauaro deuicto, Auſtriam omnem Rodolphus in deditionem accepiſſet, Viennia excepta, quam obſedit, & amicitiam cum vicino rege Vngarico iunxiſſet Ottocarus, interceſsione amicorum in gratiam repoſitus impetrarit feuda regni Boëmici & Morauiæ, ſi ab Auſtria abſtineret, & filio Wenceſlao nuptias filiæ Rodolpho.

His pactis atque conuentis cùm non ſtaret Ottocarus, ſed aliquātò poſt inſtinctu, vt fertur, coniugis, de Auſtria bellum redintegraret, Rodolphus acie victum interfe-

cit ſeptimo Calendas Septembris, anno milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo octauo, filio tamen Wenceſlao regnum Boëmiæ reliquit, dato ei in vxorem filia Iutta, quã antea ex pacto ei deſponderat. Hoc bello confecto, principib. aſſentientibus, ducatum Auſtriæ Alberto filio, Sueuiam Rodolpho tradidit, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, octogeſimum ſecundum, Auguſtæ, caſtigatis prius nonnullis comitibus Sueuiæ, inter quos fuit Wirtebergenſis, qui de ſuo iure diſceptantes armis, ciuitates nonnullas in belli ſocietatem pellexerant, vt vexarant reliquas. Burgundiam ad defectionem inclinatam ac nutantem confirmauit. Heluetios Allobrogum duci ſubditos compeſcuit, & à latrociniis paſſim Germaniam repurgauit, ſupplicio affectis ducibus latronum atque authoribus, & latebris eorum ac receptaculis exciſis, in vtraque Germania, citeriore & vlteriore.

Ad Wetzflariam in Cattis cepit & cremauit quendam, qui ſe mentitus Fridericum ducem Sueuię illũ, quem cum Cunradino capite truncatum diximus, Rhenanas aliquot vrbes concitauerat in imperatorem, ſollicitatas ad defectionem, ſéque horum auxilio ad repetendam Sueuiam accinxerat.

Hinc vltra Herciniã progreſſus, inſtituto cõuentu Erphordiæ in Turingia, ſupra ſeptuaginta munitas arces, latrociniis infames, diruit, ac deleuit, ſupplicio ſumpto de nouem, & viginti latronibus, quos in Ilmena ceperat.

Alberto Henrici filio, Langrauio Turingiæ, marchioni Miſniæ, & filiis Friderico, & Ticemãno, natis ex filia Friderici Imperatoris, pacem mandauit, inter quos offenſio extiterat, quæ in bellum exarſerat, quod pater, à filiis legitimis, alienare Turingiam conaretur, de cuius belli cauſſis, & occaſionibus plura poſt.

Italiam ingreſſus non eſt, etſi ſunt, qui affirmant, quod Loſannæ Gregorium decimum, Romam repetentem, cõuenerit, nixi teſtimonio veterum verſuum.

Bis ſexcenti, ſeptuaginta, treſq; ſtetere
Anni, Loſanna dum rex, & papa fuere.

Sed vicaria opera Legati, vtcũque in officio retinuit ciuitates, quę erant in fide Imperatoris: quarum opera, cùm eluſiſſet, & diſcuſſiſſet molitiones Nicolai Põtificis, qui à Gregorio decimo quarto, agnatos ſuos Italię reges creare conabatur, multa illis iura, quæ Imperij erant, & immunitates multas vendidit, cùm, vt pręſtitam ab illis ſidem remunera-

muneraretur, tum vt arctius eaſdem ſibi deuinciret, & ſubleuaret etiam, ea pecunia inopiam, qua laborabat. Põtifici, creſcens illius potentia, cœpit eſſe ſuſpecta, idcirco, quò maturè eam retunderet, renouauit decretum de recuperanda armis terra ſancta, quæ tunc in eo erat diſcrimine, vt triennio poſt, vniuerſa in poteſtatem Ægyptiorum venerit.

Addidit edictum, de Italiæ defenſione, quæ maritimis deſtituta præſidiis, victoribus hoſtibus pareret. Item de pellẽdis ex Sicilia, & regno Neapolitano, Gallis, & Hiſpanis, & niſi bellũ maturaret, ſe, minitatus eſt, confirmandi ſui, ac tuendæ Italiæ cauſſa, occupaturum Hetruriam, & Exarchatum ſeu Romandiolam in Piceno, Flaminia, & Æmilia. Simul etiam nouas indixit, ordini ſacro, penſiones, impetrata quarta annuorum redituum parte, de quibus, Pontificis Honorij quarti, qui Gregorio ſucceſſerat, poſtulatis, Tulenſis Epiſcopus Legato pontificio, Epiſcopo Tuſculano, præſente Imperatore, in Synodo Wurceburgenſi, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, octogeſimo ſeptimo, in eam ſententiam reſpondit: vt, cùm ſcelera, fraudes, inſidias, tyrannidem, auaritiam, ſuperbiam, & ſæuitiã aulæ Romanæ tragica, ſed veriſſima oratione exaggeraſſet, & ſimul oſtendiſſet, Germaniam deinceps, Põtifices, in ſui perniciem, nõ eſſe armaturam, Rodolphus tamen, vt ſe Italiæ committeret, perſuaderi nõ potuit. Solitum illum ferunt, ad mentionem itineris Italici, recitare illos Horatij, ex apologo Æſopico, deſumptos verſus:

---ſed me veſtigia terrent,
Omnia te vorſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Vt placaret autem Pontificem, & publicæ, priuatæque conſuleret tranquillitati, Exarchatu ceſſit, quod, in eo, iure reprehenditur, etſi interdum oportet καιρῷ δουλεύειν τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν. Nam, ex eo tempore, plus Pontifices, & potentiores vrbes, & qui tyrannidem in vrbibus liberis inuaſerunt Principes, quàm Imperatores, in Italia, potuerunt, præſertim cùm intempeſtiuæ libertatis abuſu, in liberis ciuitatibus, Gibellinæ, & Guelficæ factiones, immanibus odiis, & conatibus, ſe mutuo exagitarent, atq; cõficerent, ad eum modũ, vt ciuitates Hetruſcæ penè ad vaſtitatem, & ſolitudinem ſint redactæ, præter Florentiam, & Luccã, quarum illa, ex ruinis cæterarum, ſeſe ditauit, hęc ſe ægrè conſeruauit. Longobardicæ, tædio ſeditionum, ac cædiũ, & libidinoſę atque impotẽtis dominationis eorum, qui,

aduerſariis eiectis,principatum cõſecuti erant,quales fuerunt Scaligeri Veronæ, Malateſtæ Arimini, Garrarij Paduæ:vt ergo hę tandem Venetis ſeſe,ſpõte ſubiicerent,aut à Mediolanenſibus opprimerentur. Dimicabant enim,de principatu,eo tempore,Mediolani, Vicecomites,& Turriani,cùm eam vrbem, quàm à Friderico Barbaroſſa deletam eſſe diximus, inſtauraſſet, vt ferunt, Galuianus, Ottonis illius nepos, qui, Godefrido Bilioneo,comes expeditionis Aſiaticæ,præliis ad Niceam,& Orõtem interfuit. Vbi, cùm confoſſo hoſti detraxiſſet galeam ornatam aurita vipera,quæ ſeſe,complicatis ſpiris, minaciter,à cono caſsidis erigebat,& puerum vſque ad paſſas manus,abſorptum,deuorabat,hoc virtutis monumentum,poſteris inſigne gentilitium eſſe volut. Ab hoc authore ſeries Vicecomitum recenſetur.

Ferrariam Ateſtini,ſeu Eſtenſes tenebant,vetuſtiſsimæ ſtirpis marchiones, ſic ab Ateſte, antiquiſsimo Venetiæ oppido,nominati,qui ex Longobardorum veterum nati ſanguine,illuſtri,& numeroſa ſerie,tandem,Azone patre, ex Clementia, Welphi Bauarici filia, condiderunt duas clariſsimas,in Germania, ducum Brunſuicenſium,ac Luneburgenſium,ex Welpho, Azonis filio,qui Bauariam,vt ſupra dixi,obtinuit:in Italia, ducum Ferrariæ,ex Azone, quem Albertum etiam nominant.

Gonzagarum nomen tum nondum inclaruerat. Hi enim,ab interfecto Paſſarino Mantuano, qui in Ludouici Bauari Imperium incidit, vix ducentos annos,ſuæ gubernationis,numerant.

Alpibus Italiæ,& Galliæ interiectis,dominabãtur,verſus Italiam,marchiones Mõtisferrati, orti ab Alramo Saxone,qui Witechindi,comitis in Ringelheim,filius, Theodorici nepos, Walberti pronepos fuit. Walbertum autem nepotem fuiſſe conſtat Witechindi,quo cum bella geſsit Carolus Magnus. Verſus Galliam, in antiqua Allobrogum ſede,duces Sabaudiæ, procreati ex Bertholdo,prędicti Walberti,ex filio Amadeo,nepote. Nomen Sabaudiæ nouum eſt, tractum vel à Sauona oppido, inter Genuam, & Niceam,vel à Sabatis Alpinis populis.

Hæc,cùm de Longobardiæ, Romãdiolæ,ac Hetruriæ ſtatu,interiecerim, obiter (reliqua enim Italia tenebatur à Pontificibus,& horum beneficio, à Gallis)nunc ad Rodolphum reuertor, in quo, præter neglectionem Italiæ, culpatur etiam πλεονεξία, cùm propter vendita ciuitatibus Italicis,

Italicis, Imperij iura, tum quòd, exemplo leonis Æſopici, cùm prædam, id eſt, prouincias Germaniæ, hæredibus orbatas, partiretur, opiniones, & potiores ſibi vendicarit: ſed eſt ſecundum Plutarchum, πλεονεξία κοινὸν, ϗ σύμφυτον κακὸν, penè omnibus magnis, ac potẽtibus dominis, quam difficulter, aut vaſtum mare, aut celſa iuga montium, aut immenſæ ſolitudines, aut qui Europam, & Aſiam diſterminant, limites, coërcent, atque definiunt. Imò, ne quidẽ vlla fœderum religio, aut ſanguinis iura. Hanc, qui, in magna potentia, ita frenant, aut moderantur, vt nec pietatem erga Deum, aut patriam, nec cognati ſanguinis iura, nec iuſtitiæ leges violent, ij, ſi ſua comparent commoda, ex commodis reipublicæ, & aliorum, non incommodis, ac detrimentis, venia dari poteſt, præſertim ſi ita de patria mereantur, vt magnitudo beneficiorum, nullis compenſari humanis officiis poſsit. Qualia fuerunt Rodolphi merita, cuius ſapientia, virtus, & felicitas, prope reſtinctis bellis ciuilibus, ac ſublatis odiis, effecit, vt rediret Germania ad ſeſe, in ſtatum, ex longa perturbatione, tranquilliorem, ac firmiorem repoſita, in quo huc vſque conſtitit, ac floruit, paucis admodum ſui partibus immutata. Nam ea Imperij forma, quam deinceps, Carolus quartus comprehendit ac muniuit legibus publicis, in bulla aurea, vt vocatur, nõ à Carolo, ſed magna ex parte à Friderico ſecundo, & ab hoc Rodolpho, prius fuit introducta.

Exitus eius talis fuit: Cùm ætas ingraueſceret, peractis Erphordiæ comitiis, cœpit agere cum principibus, vt filium Albertum crearent ſucceſſorem. Ea de cauſſa Francofortum productus, cùm ſe fruſtra anniti animaduerteret, ægritudine correptus, Spiram deferri voluit: ſed priuſquam vrbem attigiſſet, ſuperatus magnitudine morbi, deceſſit, in oppido Germersheim, ſito ad ripam Rheni, decimo octauo Cal. Auguſti.

Anno Chriſti, milleſimo, ducẽteſimo, nonageſimo primo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, ducenteſimo, quinquageſimo tertio.

Anno Imperij, decimo nono, ſepultus Spiræ, prope Philippum Sueuum.

Vetuſtatẽ ſtirpis Habsburgicæ, qui ambitioſè à Romanis Perleonibus repetere contẽdunt, originem protſus fabulis inuoluunt. Relinquo ſuas etiam coniecturas excuſandas iis, qui ſtemma altius ordiuntur, à veterum Auſtriæ regum ſanguine, nuſquam interrupta ſobolis ſerie,

etſi hæ verò magis videntur conſentaneæ , eò quòd certum ſit,ea loca, è quibus comites Habsburgenſes prodierunt,Francici ſanguinis principes poſſediſſe,proſapia Burgundiæ regum extincta.

Ego recentioribus, & illuſtrioribus,vti,quæ ab omnibus recepta ſunt , atque probata , contentus,à Guntrano ordior Adelburgenſi comite , circiter annum noningenteſimum, quinquageſimum , cuius nepos, Rapoto,arcem Habsburgenſem, in agro Tigurino, primus extruxit,vnde nomine mutato,pro Aldenburgenſibus, Habsburgenſes dici poſteriùs cœperunt.

Sextus ab hoc Rapotone, Albertus pater Rodolphi Imperatoris,comitatui Habsburgenſi , comitatũ prouincialem Alſatiæ coniunxit , vel potius Rodolphus ipſe , ante Imperium. Cùm autem, Henrico comite prouinciali vltimo,anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo,triceſimo ſecundo,vita functo,abſque hærede,exorta eſset contentio de ſucceſsione,inter Albertum comitem Hohebergenſem ad Nicrum , Ludouicũ comitem Ottingenſem,in Rhetia Sueuorum, & Albertum Habsburgẽſem: Hohebergenſis, de ſuo iure cedens, filiam Rodolpho, Alberti filio, addita dotis loco,ſua parte,deſpondit. Ottingenſis ſuam vendidit Epiſcopo Argẽtinenſi. Ita ſuperiore Alſatia,Habsburgenſes;inferiore, Epiſcopi Argentinenſes potiti,nomẽ comitum prouincialium Alſatiæ vſurparunt vtrique. Sed Rodolphus deinceps, longè maioribus acceſsionibus, & ornamentis,familiæ decus extulit, in quam primus ſummum orbis Chriſtiani axioma adduxit,ampliſsimo Imperio ducatuum Auſtriæ , Sueuiæ,& Stiriæ, locupletatã,vt ſuſtinere onus,ac molem tantæ dignitatis poſset.

Coniugem habuit Annam,comitem,vt dixi,Hohebergenſem,ex qua nati filij, Albertus Auſtrię dux,Rodolphus Sueuię dux,cui, ex filia Ottocari Boëmi, natus Johannes Sueuiæ dux parricida Alberti patrui. Hermannus comes prouincialis Alſatiæ, qui ante confectas , cum filia regis Angliæ , nuptias , fracta glacie, in Rheno periit , prope Schaffhuſium,anno ætatis decimo octauo,XIII.Cal.Januarij,anno milleſimo,ducenteſimo, octogeſimo octauo, Fridericus,Hartmannus,vel vt alij, Rodolphus,Carolus, deceſserunt impuberes.

Filiæ Rodolpho natæ ſunt ſeptem : harum Jutta, Wenceſlao Boëmo,Ottocari filio;Clemẽtia, Carolo Neapolitano,& Pannoniæ regi : Mechtildis, Ludouico Palatino Rheni:

Rheni;Agnes, Alberto Saxoniæ duci, quæ Witebergæ ſepulta eſt in cœnobio Franciſcanorum;Heduuigis, Ottoni Brandeburgico marchioni:Catharina,Ottoni Bauariæ duci,qui aliquandiu regnum Vngariæ tenuit, collocatæ fuerunt. Septima Euphemia vitam cœlibem egit in monaſterio. Duxit Rodolphus ſenex,vxorem alteram,Agnetem Burgundiacam,ſed ſobolem ex ea nullam ſuſtulit.

Hoc Imperatore, Chriſtiani amiſerunt reliquias regni Hieroſolymitani,in Palęſtina,Phœnicia,& Syria. Suldanus enim Ægypti,paulo ante expugnarat Tripolin,Sidonem,Berythum,Tyrum,& aliquot alia oppida. Reſtabat Chriſtianis,ſola arx belli,Ptolemais. De huius Imperio, dum inter ſe intempeſtiuè,Patriarcha Hieroſolymitanus, reges Cyprius,& Siculus,milites familiæ templi, hoſpitales,Teutonici certant,opprimuntur obſidione in ipſa vrbe,quam,cùm duos menſes ſuſtinuiſſent , quod defendi vrbem vix poſſe,cenſerent,ad Dromonem portum, clàm nauibus conſcenſis,aufugerunt.Deſertam vrbem,Suldanus Melech Sapherates,quæ vox, regem illuſtrem ſignificat,funditùs deleuit, anno à victoria Godefridi Bilionei, centeſimo,nonageſimo ſexto.Ita ignauia,perfidia, & diſſidiis poſterorum,perditum eſt,quod virtute , concordia, fide,ac difficillimis laboribus maiorum acquiſitum fuit, ac conſtitutum.Sola autem in Aſia,Armenia minor, quæ olim Cilicia dicta fuit,retinuit profeſſionem Chriſtianæ religionis. Reliqua ad Mahometicas blaſphemias rediit, ceu canis ad vomitum.

Videtur omnino,in hoc ſeculum incidiſſe,articulus fatalium mutationum. Nulla enim fere regna orbis terrarum fuerunt,ſine ingentibus motibus; etſi in euentus hi alibi mitiores ac placidiores , alibi triſtiores deſierunt. Sunt mutationes inſignes perpeſſa & hæc duo regna, Vngaricum,& Bohemicum: Vngaria vix ab exagitationibus Tartarorum reſpirarat,cum agnata poſteritate beati Stephani,quæ regno præfuerat , continuos annos trecentos, triginta duos:Cùm ergo hac extincta , in Andrea tertio, qui nepos fuit Andreæ,patris S.Eliſabetis;Vngari diuiſi in factiones,exteros reges,& plures ſimul,accerſiuerunt.Alij ad Carolum Neapolitanum regē,qui, ſanguine materno, veteres reges attingebat : alij ad Wenceſlaum Boëmum: alij ad Ottonē Bauariæ ducē ſe contulerunt. Inter hos, vario euentu certatum eſt,admiſcentib. etiā ſeſe Auſtriacis. Sed Neapolitanus regnum poſſedit,quod,poſt filium,de-

uenit ad alienos. Nec deinceps,è gente Vngarica,quiſquã ad regnum peruenit,præter Matthiam Hunniadem.

Boëmis vltimus,ex ea gẽte, Wenceſlaus ſeptimus,Ottocari nepos,imperabat:quo obtruncato,Auſtriaci,& Carinthij,de regni poſſeſsione,contendebant. Sed excluſis vtriſque,regnum Henricus Lucelburgẽſis,filio Johãni acquiſiuit,cuius poſteritate,cum Sigiſmũdo Imperatore cõſumta;Boëmia,ex diuerſis gentibus,reges accepit,crebris mutationibus, nullo ex ſuis ad faſtigium admiſso, præter Georgium Boiebracium, donec rediit ad Auſtriacos.

Nec ita multò poſt,circiter annum,milleſimum,trecẽteſimum,octogeſimum ſeptimum , ſimilem mutationem ſubiit Dania,cum Margareta Woldemari regis vidua,orbata Olao filio , ducatum Schleſuicenſem , in Cimbrica Cherſoneſo,attribuit Gerhardo Holſatiæ principi , cuius maiores,ex nobili ſtirpe, ad dignitatem comitũ,Lotharij Imperatoris beneficio,aſcẽderant. Colonias verò Danorum in Liuonia,quarum metropolis eſt Reualia,cõceſsit militibus ſacris familiæ Teutonicæ,ea tamen cõditione, vt his beneficiis, obligati eſsent regno Danico. Denique in filij locum adoptauit Ericum Pomeraniæ ducem. Sed ducatum Schleſuicenſem , cum Holſatia, attulit filia Gerhardi prædicti, paulò poſt ad Theodoricum comitẽ Oldeburgenſem,cuius filius Chriſtianus, ducta vidua Chriſtophori regis Daniæ,orti è ducibus Bauariæ,& comitibꝰ Palatinis ad Rhenum,qui Erico ſucceſsit, regnum conſequutus eſt.Ita deuolutum eſt regnum Daniæ,ad comites Oldeburgenſes,circiter annum Chriſti, milleſimum,quadringenteſimum,octauũ, Chriſtiano,cum Dania,reliqua duo regna ſeptentrionis,coniungente. Ex huius poſteritate natus eſt Chriſtianus ſecundus,in quo dubito

Iuſtitiane prius mirer,belline laborem.

Reddidit enim pacem Daniæ , ſopitis , atque ſepultis bellis, reddidit lucem veræ doctrinæ,reſtituit Eccleſias,& iuſtiſsimè,in ſumma tranquillitate, regnum adminiſtrauit. Hæc de mutationibus horum regnorum,obiter,vt in hoc loco insererem, mutationum exempla,& periodi me mouerunt.

ADOLPHVS NASSAVIENSIS.

POſt mortẽ Rodolphi , deliberatio de ſucceſſore, inſtituta fuit Francofurti,Cal.Maij,anno milleſimo,ducẽteſimo , nonageſimo ſecundo. In ea Moguntinus , Gerhardus ab Eppenſtem , vir, vt de Tyribazo,& Sphodria,

Piu-

Plutarchus ſcribit, οὐδ' ἄλλως στάσιμος ὢν τὸ ἦθος, ἀλλ' αἱμύλος, καὶ περίφορος, κοῦφος δὲ τὴν γνώμην, καὶ κενῶν ἐλπίδων, καὶ φιλοτιμίας ἀνοήτου, καὶ πλεονεξίας μεστός. Hic ergo, cum Collegis, fraude, ademptum ius ſuffragandi, in ſeſe omne tranſtuliſſet, vno Ludouico Palatino aduerſante, qui inclinabat ad Albertum Auſtriacum, præter omnium ſpem, & opinionem, Imperatorem renunciauit cognatum ſuum, Adolphum, genere comitem Naſſauienſem, ob nobilitatem quidem generis, & editum bellicæ virtutis, ſub Rodolpho, ſpecimen non indignũ Imperio; ſed ad cætera imparem prorſus, quod, alio nullo conſilio, factum eſſe, docuit euentus; niſi, vt Moguntini, & cæterorum è ſacro ordine Collegarum, conſiliis, res Imperij adminiſtrarentur. Totus enim ex Epiſcopis Adolphus pependit, ita vt ne hiſceret quidẽ, niſi ad illorum oſcitationes. Odium, ex incitatione horũ, in Palatinum, tam hoſtile concepit, vt hic, dum in viuis eſſet, vti placato illo nunquam potuerit. Mortuo patre, liberos in gratiam recepit, & vni ex illis Rodolpho, filiam in vxorem, firmandæ amicitiæ cauſſa, dedit, cúmque Auſtriacum propter potẽtiam, metueret, vt affinitatis neceſſitudine, ſe hoc liberaret metu, filiam illius, filio in vxorem petiuit: ſed excidit vxore filius, paſſus repulſam. Hac aucta odia, quæ prius æmulatio regni accenderat, & contrariis ſtudiis, atque conatibus, deinceps magis, magíſque exaſperata, tandem in apertum ſeſe bellum effuderunt, in quo Adolphus, vt dicitur, concidit.

Præter hoc bellum, etſi Eduardo Anglico regi, locauit operã mercenariam, contra Franciæ regem, ſtipendio cẽtum aureorum milliũ, quæ, ex egeſtate profecta, abiectio, de exiſtimatione illius detraxit plurimũ; ſecuta eſt enim manifeſta ab eo Principum alienatio: promiſſa tamẽ præſtare non potuit, aduerſationibus impeditus multiplicibus. Quare pecunia illa vſus, ad emptionẽ Turingiæ, bellũ, quod in Francia gerendum erat, cõuertit in Turingiã, vt ſpoliaret legitima hæreditate, filios aſtorgi patris, fraude iniuſtè excuſſos, cùm nihil reſtaret alibi, quo fortunas ſuas per ſe tenues, augeret. Cauſſas, & illi⁹ belli, & occaſiones, cùm à pleriſque non rectè referantur, paucis repetam.

Albertus comes prouincialis Turingiæ, Hẽrici optimi patris degener filius; cum ex Margareta Friderici ſecundi filia ſuſcepiſſet filios duos, Fridericum, ac Ticemannum, generoſiſſimæ indolis adoleſcentes, ſpreta coniuge nobiliſſima, exarſit amore pellicis, tanto, vt etiam vitæ coniu-

gis inſidias ſtruxerit, de quibus illa certiſſimis indicibus edocta, vt cederet furoribus, & ſceleri mariti, & vitæ conſuleret, hortantibus amicis prudentibus, ac fidelibus, conſilium cepit de fuga. Oſtenditur adhuc locus, in arce Iſenaci, vbi non eſt magna altitudo, à ſcopulo extra arcem, ad feneſtram, ex qua domina, cum quinque comitibus, demiſſa fuit.

Nocte cùm migratura eſſet, priuſquã à filiis diſcederet, aſſidens ad lectulos, & calamitatem ſuam deplorans, cùm conſiliarius ſenex, & matronæ eam comitaturæ, hortarentur, vt properaret, tandem valedictura filiis, à quibus auellebatur inuita; quod eorũ pericula ſciret non fore leuiora ſuis, Fridericum natu maiorem, lachrymis, & eiulatu materni doloris magnitudinem oſtẽdens, oſculis crebris cõplexa, poſtremò, mirabili animi motu, genam eius mordicus prehendit, ac læſit. Vulneris cicatricem Princeps, quoad vixit, retinuit, & cognomentum inde admorſi conſecutus eſt. Mater Frãcofortum euaſit, vbi commorata in monaſterio virginum, ne procul à filiis abeſſet, cùm vitam egiſſet in luctu, & precatione, poſt paucos annos mortua eſt. Mariti licentiam, fuga coniugis, auxit.

Sed exaudiuit Deus preces afflictiſſimę matris, & filios verè orphanos protexit, quos, aliquantò poſt matris fugam, Alberti frater, Ditericus, marchio Myſorũ, iuſtus, & ſapiens princeps, ad aulam ſuam vocauit, cùm ne ſpectatores eſsẽt flagitiorum patris, tum vt periculo, in quo verſabantur, eximerentur. Cúmque eos paterno animo, ad agnitionem, & inuocationem Dei, & ad virtutem inſtitueret, Fridericum etiam, Tyronem, ſecum in caſtra, & in aciem eduxit, vbi præclara, in re bellica, fecit tyrocinia, commiſſis præliis cum Anhaltino.

Filium autẽ hic marchio habebat vnicum, quem adoleſcentem amiſit. Eo mortuo, quia nolebat fratrem ſuccedere, metuens, ne pelleret filios; cùm iam videret eum his anteferre nothum, ex pellice natum: & quia mores eius oderat, teſtamentum condidit, in quo fratris filios adoptauit, & hęredes regionis Myſorũ inſtituit, cúmque delectis præcipuis viris, ex tota regione, teſtamentum, & honeſtas conſilij ſui cauſſas, expoſuiſſet; ac petiuiſſet horum hæredum defenſionem; hi laudata principis pietate, promittunt, ſe non alium dominum recepturos eſſe.

Mortuo Diterico, cúm in poſſeſſionem Myſiæ, hæredes ſucceſſiſſent ac iuſtitia, moderatione, grauitate, beneuo-

lentiam

lentiam erga ſe ſubditorum augerent,pater,ſe præteritũ, grauiter ferens,poſtulat tradi ſibi regionem,& iuris prętextu pugnat,quia ipſe ſit fratri proximus hæres,nec cauſſam eſſe iuſtam,cur hæreditas ſibi ſit erepta. Reſpondent ordines omnes regionis,communi conſenſu , ſe probaſſe antea pietatem Diterici,ac teſtamenti cauſſas , nec recepturos eſſe alium dominum, his deſertis,quos,ſuæ fidei commendatos ſuſceperint defendendos.

Albertum fata trahebant ad pœnam.Ideò iratus,mouet bellum,anno à natali Chriſti, milleſimo,ducenteſimo,octogeſimo primo.Gẽs Myſorum petit ab Imperatore Rodolpho,ne ſinat opprimi adoleſcentes principes,& ſimul armis reprimit Albertum. Sed initia non fuerunt læta adoleſcenti Friderico, quanquam iuſtam cauſſam tuenti. Et docere eum,in hoc tyrocinio, Deus voluit, ne humanis viribus confideret, ſed diſceret victorias Dei beneficia eſſe,& ab eo petendas eſſe. Captum pater carceri incluſit, & vinctum retinuit toto anno, vnde poſteà diuinitùs liberatus eſt,cùm,odio tyranni,cuſtodes aliqui,affecti miſericordia adoleſcentis,conſilia fugæ adiuuiſſent.

Etſi autem Rodolphus Erphordiæ,pacem impetrauit vtriſque:tamen hoc mortuo , pater ad arma rediit , quem conſentaneum eſt , cupiditate vberrimæ regionis Myſorum,& venarum metallicarum , hanc occaſionem occupandæ regionis,non voluiſſe negligere. Adolphum itaque,Rodolphi ſucceſſorem,cùm aliis artibus pertraxit in belli ſocietatem,tum ditionis , Turingiæ venditione, ne vnquam recipere eam filij poſſent.

Attracto itaq; in Turingiam,& Myſorum regionem,Adolpho,bellum atrocius motum eſt. Coniunxit ſe enim cũ Adolpho Imperatore,& Albertus marchio Brandeburgenſis,ſpe obtinendę Luſatię inferioris. Belli huius moles quanta fuerit,inde æſtimari poteſt,quod eodẽ tempore, cum diuerſis exercitibus, præliari fratres oportuit, quod iis in locis,vbi ſumma eſt vbertas,vaſtationes magnæ factę ſunt,cùm hoſtiles exercitus,amplius annis duodecim, in Myſia ſint vagati,fuerintque variæ vices victoriæ. Adolphus enim ſexennio , deinde Albertus Auſtriacus etiã ſexennio Imperio præfuit. Nec multò ante Alberti Auſtriaci mortem,exercitus Imperatoris prorſus ex Myſia,& Turingia pulſi ſunt,cùm Deus tandem reſtituit his terris tranquillitatem,& oſtendit ſe defenſorẽ eſſe iuſtę cauſſæ.

Marchio Brãdeburgenſis obſidione cinxit vrbem Luc-

ſatiæ inferioris Luccam. Inde depulit eum Ticemannus, cæſis hoſtium tribus millibus. Interea alibi Fridericus nouas copias collegit, aduerſus Imperatorem Adolphũ. Sed marchio Brandeburgẽſis, accepta clade, acciuit in auxiliũ Eberhardum Anhaldinum, qui arcem Iuliam obſedit, vnde reiecit eum Fridericus, tempeſtiuè monitus à vicino Electore Saxoniæ, Alberto, qui, etſi abſtinebat à bello, tamen cauſſæ Friderici erat æquior.

Poſteà ſæpe dimicatum eſt, varia fortuna, cum Adolphi exercitu, qui Bornam occuparat, & tenebat oppida Aldeburgum, Cygneam, & Chemnicium, quæ tunc erãt Imperij. Reliquerat enim Adolphus in Myſia exercitum Sueuicum, cui fratris filium, Philippum Naſſaënſem pręfecerat, huic inchoatam Fribergæ obſidionem commendauit, ad quam rediit ipſe, continuatam integro anno, & menſibus quatuor. Etſi autem vrbs nec vi expugnari, nec fame cogi potuit ad deditionem faciendam, tamen proditione tandem capta eſt. Comprehenſos in arce, quadraginta præcipuę nobilitatis viros, ſecuri percuſſit, ſperans cæteros, ſupplicij atrocitate territos, ſponte deditionem facturos eſſe, præſertim cùm teneret vrbem, quę, velut arx regionis, opibus affluebat ex vbertate venarum metallicarum.

Sed ſæuitiam in cauſa iniuſta, & fiducia ſucceſsuũ, ſtolidè ferocientem inſolentiam, prope comitatur Adraſtia. Quod enim odio eſſet Adolphus, & contemneretur ab omnibus, Moguntinus, impulſo ad capeſſendum Imperium Alberto Auſtriaco, eadem illum leuitate oppreſſit, exutum Imperio, qua antea euexerat: πρόφασις erat proxima, quòd moto domi iniuſto bello, ſui emolumenti cauſſa, negligeret laborantes ab externo hoſte Flandros, quos incitatos in vicinos Francos, ad repetendum armis regnum Arelatenſe, & nonnulla alia, iniuſto, & neceſſario bello deſtitueret.

Alberto igitur vt occurrat, redit ad Rhenum, atque ex Alſatia deſcendenti, inſtructus Rodolphi Palatini generi, & Ottonis Bauarię ducis auxiliis, fit obuius ad Spiram; vbi ad ſextum Nonas Iulij, anno milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo octauo, in acie dimicans, interficitur. Manu Alberti confoſſum eſſe aiunt, cùm deiectus equo, à terra ſeſe erexiſſet. Sepulchrum eius Spirę cernitur, prope Alberti monumentum.

Interea, in Myſorũ regione, dux belli relictus Philippus Naſſaënſis, capitur Bornę, ac demiſſus ea cõditione, vt cedat

dat

dat oppidis, quę occupauerat: nō facit promiſſa, ſed cùm audiuiſſet Imperio potitum eſſe Albertum Auſtriacum, bello, & principum ſuffragiis, huic promittit ſe oppida omnia traditurum eſſe, quæ tenebat.

Auſtriacus, etſi Friderico ſpem fecerat pacis, tamē quia videbat Myſorum regionem, opportunam eſſe, gerenti bellum cum Boëmis, fefellit Fridericum, & venit in has regiones cum exercitu, collecto ex Sueuis, Bauaris, & Boëmis, vt ſatis appareret, afferre eum cupiditatem, & ſpem occupandæ Myſiæ, & Turingiæ. Narrant etiam Fridericum Aldeburgum vocatum eſſe, ſimulatione colloquij: vbi, cùm in conuiuium ab Imperatore accerſitus eſſet, irrupit miles, qui ſtricto gladio petebat Fridericum. Sed inter ſatellites, ciuis Fribergenſis, obiectu ſui corporis, ictum excepit, vt Fridericus ſubducere ſeſe, & fugere poſſet. Quanquam autem Auſtriacus ſeſe purgabat, tamen ſuſpicio erat, ſicarium ab eo ſubornatum eſſe.

Quòd ergo ſpes nulla pacis eſſet, & ingēs exercitus Imperatoris Auſtriaci, oppidum Luccam, ſitum non procul ab vrbe Citta, oppugnaret, fratres, cōiunctis copiis, accedunt ad eādem vrbem, & trucidata magna hoſtium multitudine, victores oppidum ingrediuntur. Inde hodie in Myſorum regione, prouerbium fertur, de clade alicuius ſuperbi; Accidit eis, quod Sueuis ad Luccam.

Poſt eā victoriā, magna inclinatio facta eſt. Oppida Myſiæ, pulſis inde pręſidiis, recepta ſunt Sed mox alia ſecuta eſt calamitas. Ticemānus etiā, fraude vulneratus, Lipſię, in tēplo, cū nocturnis ſacris feriarū Natalitiarū intereſſet, biduo poſt expirauit. Ac fuit opinio, ſicariū ſūmiſsū eſſe à Philippo Naſſaënſi. Ita exiſtimaſſe Fridericum, nō multò poſt intellectum eſt, qui, cùm in acie conſpexiſſet Philippū, ingenti percitus ira, milites incitauit, ac dixit, ſe Deo iuuante, pœnas ſumturū de perfido ductore Naſſaënſi, à quo frater ipſius interfectus eſſet. Et audiuit Deus iuſtos conatus. Nam in eo pręlio, manu Friderici, Naſſaënſis trucidatus eſt, ſúntque deletæ hoſtium reliquiæ.

Nō ita multo poſt, Albertus Auſtriacus Imperator, nō procul à Rheno, in vicinia oppidi Reinfeld, à fratris filio Iohanne, occiſus eſt, vt poſtea dicetur.

Extinctis itaq; duobus Imperatoribus, & deletis exercitibus, atque eorum ducibus, liberata iam Myſorum regione, Fridericus exercitum ducit in Turingiam, vbi multorum animis, belli diuturnitate, & fortunę aduerſitate, fra-

ctis, cùm manifeſtè viderent diuinitùs protectum, adiutum, & ſeruatum eſſe Fridericum, Albertus pater, qui ſe cauſſam, facémque tam funeſti, & exitialis belli, eſſe cognoſcebat, & perficere, quæ in filios, veſano impetu, conceperat, non poſſe cernebat, intra vrbem Erphordiam ſeſe abſcondidit, reliquum vitæ ibi tranſacturus.

Sed ne nunc quidẽ furiæ quieſcere eum ſinebant. Quãquam enim pleræque vrbes, & familiæ nobiles, libenter iuſti, ac fœlicis principis imperium, acciperent: Erphordienſibus tamen, quibus, coactus egeſtate, multas poſſeſſiones partim vendidit, partim oppignorauit, atq; comiti Vinarienſi, atque aliis quibuſdam factioſis hominib. incitator fuit, vt Friderico aduerſarentur. Sed & hos, breui tẽpore, compeſcuit, patre intra Erphordiam concluſo, & recuperata Turingia vniuerſa, ita, vt toto illo bello, nihil amiſerit, præter Luſatiam inferiorem, quã Boëmi, exciti ab Alberto Auſtriaco occuparũt. De hac Boëmos, in tam dubio, & perturbato rerum ſuarum ſtatu, non irritandos eſſe cenſuit, cùm Cygneã, Chemnicium, & Iſennacum, Imperij oppida, in compenſationem belli ſumtuum, retineret.

Extant adhuc, in Luſatia inferiore, monumenta marchionum Myſię, cœnobia duo, quorum alterum Dobrilucha, ad Eliſtrum nigrum, conditum eſt, à Diterico marchione, illo qui, vt ſupra commemorauimus, militauit Friderico Barbaroſſę, circiter annum Chriſti, milleſimum, centeſimum, nonageſimum. Alterum Cella noua, non procul à ripa Viadri, ab Henrico, Friderici huius auo.

Vix debellatum erat, cum exercitibus Imperatorũ, quãdo in nouas, Fridericus, calamitates incidit. Iam florentem enim, & nihil hoſtile metuentem, cepit marchio Woldemarus. Nec ſatis cõſtat, qua de cauſſa quibúſve factum id ſit occaſionibus. Sed λύτρα popoſcit marchio, oppida aliquot de quibus cùm litteras adferret ad nobilitatem Miſnicam, negant nobiles, ſe literis credituros eſſe, ac iubent, certo die, ipſum principem adduci, in locum certum, vbi coràm eius voluntatem cognoſcant. Interea ita ſe parant, vt cùm adduceretur dominus, eum hoſtibus eriperent. Hoc conſilio Miſnica nobilitas, & principem feliciter liberauit, & viciſſim Woldemarum comprehenſum abduxit in arcem Aldenburgenſem, cui accidit, quod dicitur: ταῖς αὐταῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, ᾗπερ ὑπῆρξεν. Acciderunt hæc, anno milleſimo, trecenteſimo, tertio decimo.

Vixit autem ad annum milleſimum, trecenteſimum, viceſimum

ceſimum ſextum vſque, poſt mortem, ſepultus Iſennaci, princeps iuſtus, verax, beneficus, caſtus, fortis, felix, cuius monumento, quod ex loco ſepulturæ, in arcem Gottanam tranſlatum eſt, verſus hi inſcripti ſunt:

Ecce Fridericus cultor virtutis, amicus
Pacis, conditur hic, ſtirps imperialis, & illic
Fulgeat iſte pius marchio Landgrauius.

Ticemanno verſus Epitaphios ſcripſit Dantes Florentinus, illius ſeculi non infelix poeta, qui in Academię Lipſicæ templo, parieti affixi leguntur.

De Friderico, adoleſcente adhuc quæ fuerit ſpes, & opinio, etiam exterarum gentium, propter memoriam aui Friderici Imperatoris, oſtendit hoc, quod Hetruſcæ, & Longobardicæ ciuitates, Sueuica ſtirpe deleta, hunc expetiuerunt gubernatorem, ac dominum, turbatiſſimo Italiæ ſtatu, miſſa ad Imperatorem Rodolphum, & patrem Friderici Albertum, legatione ſolenni, anno milleſimo, ducenteſimo, octogeſimo primo.

Albertus pater violator coniugij, crudelis in vxorem, & filios, qui ſibi, & patriæ exitium furenter attraxit, iudicij diuini pœnas ſuſtinuit acerbas, in egeſtate extrema, & contemtu ſummo tandem mortuus Erphordiæ, anno milleſimo, trecenteſimo, decimo quinto, ibidémque ſepultus in æde beatæ virginis.

Habuerunt exitus tragicos & duo Imperatores, quos auaritia impulit, vt iniuſta arma adiuuârent, & induerent. Non enim, vt initio Rodolphus, conſultum voluerunt hæredibus, & publicæ paci, ſed, vt occaſione auxiliorum, ſublatis è medio hæredibus veris, ipſi regionibus his potirentur. Ita iuris vmbram, & vt Plato nominat, σκιογραφίαν iuſtitiæ prætendentes, Archilochi tamen vulpeculam, ſecum traxerunt. Contrà, Friderici defenſio, & conſeruatio, in cauſſa iuſta, aduerſus tantam potentiam, & tam multiplices inſidias, tam longo tempore, argumento eſt eum Deo curæ fuiſſe.

De Adolpho hoc adiiciunt, quod ſimiliter pœnas, exitu tragico, dederint belli in Imperatorem legitimè electum, moti, quotquot vel ſocij fuerunt fœderis, vel confœderatis auxilia tulerunt, memorabili exemplo vindictæ diuinæ, expetentis pœnas pro magiſtratu ab iis, qui magiſtratum violant.

Gentem Naſſaënſem, in bellis Italicis, Henricorũ ſeculo, rebus pro Imperio fortiter geſtis, inclaruiſſe; & vt ca

donaretur ditione, in qua nunc late imperitat, in plures diſſeminata familias, vt pleræque ad Rhenum familię comitum, certum eſt, ſed ab exiguis initiis, eò potentiæ progreſſa eſt, vt non tantùm inter vicinos comites, vltra, citráque Abnobios montes, qui Cattos, ab Angriuariis, & Weſtualis diuidunt, principem ſit conſecuta locum, ſed etiam ad faſtigium ducum conſcenderit, & ditioni auguſtę, multas alias ampliores adiecerit.

Ex hac gente natus eſt Otto comes, qui, ducta in vxorem Adelheide, filia vltimi comitis Geldrię ex ſtirpe comitum de Pōte, quibus præfecturam Geldrię conceſſerat Carolus Caluus, conſenſu Henrici quarti, comitatum Geldrię obtinuit, circiter annum Chriſti, milleſimum, ſeptuageſimum nonum. Ottonis poſteritas Geldriā poſſedit, annos ducentos, quadraginta duos, finita Eduardi vltimi morte, cuius patrem Reinaldum, Ludouicus Bauarus, amplificatū dignitate, ducē Geldrię fecit: hoc enim extincto, ſine ſobole maſcula, anno milleſimo, trecenteſimo, viceſimo primo, de Geldria cōtenderunt Wilhelmus Iuliacenſis, & Iohānes Cliuenſis, ſed vicit Iuliacenſis, quā cùm neuter fratrum, duo enim erāt, hæredem reliquiſſet, inuaſit, & obtinuit Arnoldus comes Egmondanus, natus ex filia ſororis, allegato iure ſucceſſionis, propter auiam Iohannam. Huius poſteritas Geldriam tenuit, vſque ad Carolum Geldrenſem. Auxerunt opes familię, acceſſionibus nouis, Henricus Viennę comes, atque huius filius Renatus, Aurengiorum princeps, Philiberto Chalonio, Aurengię principe, è viuis, abſque prole, ſublato.

Adolphi maiores, in agro Norico, poſſeſſiones, in vrbe ipſa ſedes habuiſſe ſuas, monumenta familiæ, quæ ſuperſunt, & annotata hiſtoriarum, teſtantur. Ipſe ſub Rodolpho, vt dixi, ordines duxit. Pater Adolphus, apud eundē, egit prękectum prætorij, qui nunc eſt iudex cameræ. Et quanquam, cùm eſſet Imperator, Noricis quaſdā ad Rhenum, adiecit, vbi eum cōſētaneum eſt, aliquas ante etiam retinuiſſe, ex iis, quæ genti communes erant: Noricas tamen poſteritas retinuit, eò vſque, donec Burggrauij vniuerſas partim emtionibus, partim dotalitiis pactis traduxerunt ad ſe. Extat in cœnobio S. Catharinæ Noribergæ tumulus Emiconis comitis Naſſaënſis, qui deceſſit anno, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſecundo. Annum cędis Adolphi oſtendit hoc rude diſtichon:

Anno milleno trecentis bis minus annis,

In

In Iulio menſe, rex Adolphus cadit enſe.

Fuit autem annus à condito mundo, quinquies milleſimus, ducenteſimus, ſexageſimus.

ALBERTVS AVSTRIACVS.

ALbertum nimia regni opúmque alienarum cupiditas, quam à natura incitatam acuebat memoria ſucceſſuum patris, in cauſſis tamen, & occaſionibus diſſimilibus, & præter hanc, potētiæ fiducia, contemtiq; Adolphi enerue, atq; imbecillū Imperium: hæc ergo, ad iniuſta eū arma impulerunt, quam mox, à victoria, ſecuta eſt mutatio fortunę, vt quanquā nec prudentiæ, neq; excelſi animi, neq; induſtriæ careret præſidio, & eſſet alioquin etiā princeps iuſtus, alienus à ſæuitia, non tenax offenſionum, nec in vindictam præceps, caſtus, verax, oſor ſimulationum: tamen infelix eſſet in gubernatione, nec adipiſceretur iniuſtè concupita, nec diu lætaretur rapto principatu.

Imperium, quod, ſolenni feſtiuitate, tradi ſibi à Septemuiris vniuerſis, vno conſenſu, voluit, adiit, eodem, quo Adolphus cecidit, menſe, ſcilicet octauo Cal. Auguſti, in tanto hominum concurſu, vt ab infuſa multitudine, Saxoniæ dux ſit oppreſſus.

Prima comitia, antiquo more, celebrauit Noribergę, vbi cōiugis interceſſione, rediit in gratiam cum Ottone, Bauarorum duce, qui auunculum illius, comitem de Hairla interfecerat: ſed nec ſtabilis, nec diuturna fuit hęc reconciliatio. Nam Otto non ita multò poſt, euocatus ad regnum Vngariæ, impetum fecit in Styriam, armata manu in Vngariam deſcenſurus. Id prohibere Albertus conabatur, ſed Otto, præter regium nomen, conſequutus eſt nihil. Captus enim ab Vngaris, & relegatus eſt ad Roſſos, vbi à vicinis Boruſſis Germanis agnitus, ſeruatúſq; admirabili prouidentię, ac protectionis diuinę exemplo, ope horū, tandem rediit ad ſuos. Ac ne ſic caſtigatū quidem calamitatibus, quieſcere ſciuit turbulentę φιλαρχίας veſanus impetus: ἄμικτον γὰρ τι, καὶ θηριῶδες ἡ τῆς πλεονεξίας ὑπόθεσις. Recruduerunt itaque inter Auſtriacos, & Bauaros bella.

Albertus, etſi Italiam ingreſſus non eſt, gubernandam tamen patris, & Adolphi exemplo, vicariis ducibus commendauit. Sed à Bonifacio octauo ſolennem renunciationem petiuit, quā ille, furēs ambitione, inſano, ſtolidóque faſtu, gladio femur accinctus, & corona redimitus caput, ac ſe Imperatorem ſimul, ac Pontificem, barbarica iactantia profeſſus, initio denegauit, mox conuerſa volun-

tate,ſponte obtulit,odio Philippi Pulchri,regis Franciæ.

Cauſſa odij fuit,quòd cùm Bonifacius iugum tyrãnidis Pontificiæ,regno Francico imponere conaretur,vt ſeruitutem ſeruiret luxui,ambitioni, cupiditatibus,tyrannidi aulæ Romanæ obſequuturam,vt ad imperata reges,quoties liberet, pontificibus præſto eſſent armis, & pecuniis, vt res regni moderarẽtur, & cõſtituerent, de Pontificum ſententia,vt reges Franci acciperent, quos illi darent,aut deſignarent,repellerent contrà, quos illi reiicerent,ac repudiarent. Rex,ne id poſſet perficere,maturo cõſilio prohibuit.Propterea regem execratus,Imperatorẽ Albertum contrà,quẽ antea diris deuouerat,amplexus,hunc,ea poteſtate,quam illi Apoſtolicam falsò iactitant,donatũ inſignibus , & titulo regum Franciæ,ad regnum bello adſerendum incitauit,confidens fore,vt inter ſe,hac occaſione,Franci,& Germani colliderentur,& vires Franciæ,iam antea lõgo bello Anglico,& Flandrico,cuius in Adolpho etiam mentio facta eſt,præconſumptæ,prorſus euerterẽtur,præſertim cùm recèns Frãci,ad Tornacũ,magna ſtrage victi,florẽ militiæ ſuæ amiſiſſent. Interiiſſe enim ſcribuntur,in eo bello,vt hoc obiter moneam,ſupra trecenta millia lectiſſimorum in Gallia virorum:durauit,vt annotatum reperio,annos vndecim:finitum eſt,clade Flandrorum,quorum ad fanum Odomari, quindecim millia, ad Ariam octingenti,ad Tornacum , quingenti cæſi fuerunt,anno milleſimo,trecenteſimo,quarto.

Sed rex Philippus, contemſit irritos, ſtolidæ,& ambitioſæ leuitatis conatus, iunctáque cum Alberto affinitate,cuius filio Rodolpho,Blancam filiam collocauit, non tantum eliſit molitiones Bonifacij, ſed & ipſum mox, vt ſupra dixi,præclarè eſt vltus,per Longaretium,& Sarram Columnium,

Bella Albertus foris nulla, domi plura geſſit,ac duodecies acie conflixiſſe traditur,non pari tamen fortuna,nec cauſſas bellorum ſemper iuſtas habuit. Quandoq; enim non tam pacem publicam,quàm alienas opes, ad ditandos ſuos quæſiuit. Theobaldum Phyretarum comitem,inter initia, & Moguntinum inſidiosè res nouas molientẽ, compeſcuit Tentauit Vngariæ,& Boëmiæ regna. Illo excidit , hoc filio Rodolpho obtinuit, cùm Wenceſlaus ſeptimus,per ſeditionem,in Morauia eſſet trucidatus. Rodolpho mox rurſus,in primo quaſi limine regni, fraude, in cubili obtruncato,cùm regnũ arripuiſſet Henricus Ca-

rinthiæ

rinthiæ dux, gener Wenceſlai ſexti, excluſo Friderico Alberti filio, cui pater corrogatis procerum ſuffragiis, regnū deſtinarat, nouum bellum extitit, quod cœptum tamen, non confectum eſt.

Quæ verò illi fuerunt bella cum Ottone Bauaro, quem Conradus Salisburgēſis Epiſcopus adiuuit, de acceſſu ad regnum Vngariæ, ea interrupta quandoque induciis, ſed ſopita nunquam, vtrique magna damna dederūt. Pugnatum tradunt inter hos, non armis tantùm, ſed & venenis, nouo & inaudito, ac Germanico nomine indigno auſu, & exemplo. Alberto enim venenum propinatum eſſe conſtat, artibus, vt ferunt, Epiſcopi Salisburgenſis, cuius etſi partem aliquam, medicorum induſtria, expulit vomitu, quanquam difficili conatu, reliquiæ tamen ita eum afflixerunt, vt & vires languefecerint, & alterum oculum corruperint, & fœda macie, palloréque, corpus deformarint.

In Turingia amiſit exercitus cæſos ad Luccā oppidum, prope Pegas, vincente iuſta cauſſa marchionum Miſniæ, quibus Albertus factus ex amico, ac defenſore, hoſtis, cōtra ius, & fidem datam, bellum fecerat, victus cupiditate opulentæ, ac cultę regionis Myſorū, & ad Boëmiæ regnū cùm acquirendum, tùm retinendum, opportunæ. Ad hāc cladem vindicandam, & repetendam à Carinthio Boëmiam, dum bellum vtroque in loco reparat, interficitur non procul à Rheno, inter Riſum, Arulámq; amnes, conſilio, & opera Baronum quorundam, à fratris filio Iohanne, cui tanquam prodigo, adminiſtrationem Sueuiæ ademerat. Initium cædis fecit Iohannes dux, ſica in iugulum Imperatoris adacta, ſequuti cæteri, caput diſſecuerunt medium, & confoderunt pectus. Hunc exitum habuit Albertus, Calendis Maij,

Anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, octauo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, duceteſimo, ſeptuageſimo, Imperij decimo.

Referatur exemplum, ad regulā iuſtitiæ diuinæ, de pœna talionis: εἴκε πάθοι τὰ ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, non eſſe mouenda ciuilia bella rapiendæ dominationis cauſſa, ſine ordine legum: & Deum velle, vt legitimos magiſtratus veneremur, ſimus cuſtodes pacis, non inflati appetamus gradus ſublimiores, ſine vocatione, ſed amemus humilia. Nec impellamur ad iniuſtos conatus, cupiditate dominationis, aut rei alienæ: μέγα γὰρ ἐφόδιον εἰς πολιτείαν ἡ αὐταρκεία.

Sed & parricidę profugi, ſua tulerunt præmia, diuinitùs retracti, ad pœnas. Iohannem ducem, poſt exilium difficile, atque ærumnoſum, parricidij culpam, vſitato illius ſeculi errore, vita monaſtica expiaturum, Henricus Imperator, habitu heremitarum, ceu quodam reatus ſigno, quod geſtaret circundatum, ad perpetuos carceres, in Piſano heremitarum cœnobio, condemnauit. Reliquos patratæ cædis conſcientia, aut in ſolitudines extruſit, in quibus vitam exegerunt penè ferarum ritu, inter magnas calamitates, aut ad ſupplicia exquiſita adegit.

Sobolem Albertus reliquit numeroſam, ex coniuge vnica Eliſabetha, filia Menhardi comitis Tyrolenſis & Goriciæ, ac ducis Carinthiæ, ſorore vterina Cunradini, quæ patrem eum fecit liberorum viginti, & vnius, quorum vndecim ad ætatem iuſtam peruenerunt.

Rodolphus πρωτογενὴς, cognomento Mitis, ex neutra coniuge, nec Gallica Blanca, nec Boëmica Calliſia, liberos ſuſtulit, interfectus, vt dixi, in cubili, cùm in regnum Boëmiæ vix eſſet ingreſſus.

Fridericus cognomento Pulcher, qui cum Ludouico Bauaro, de Imperio certauit.

Leopoldus, cognomento gloria militum, cui natę ſunt filiæ duæ, ex coniuge Sabauda.

Henricus cognomento Placidus.

Albertus cognomento Sapiens, qui diu, poſt patris obitum, præfuit gubernationi, & ducta in vxorem filia Vdalrici vltimi comitis Phyretarum, comitatum Auſtrię coniunxit. Reliquit hic filios tres, quartus enim ante patrem deceſſit. Horũ natu maximus Rodolphus, primus omniũ Exarchum Auſtriæ ſe nominauit, & condidit gymnaſium Viennenſe. Ad hunc coniunx, dotis loco, attulit comitatum Tyrolenſem. Albertus tertius, amans & cupidus doctrinæ Aſtronomicæ, auxit ſtudia, & reditus Academiæ. Quartus Leopoldus, cognomẽto Militię decus, occubuit in prælio, trucidatus ab Heluetiis, ad oppidum Sempach, relictis ex Mediolanenſi coniuge, quatuor liberis. De his, & Alberti filiabus, conſulantur hiſtoriæ, quæ extant.

Maritum cõiunx, extructo monaſterio, in loco parricidij, quod Konigsfeld, id eſt cãpus regius nominatur, ſplẽdido cohoneſtauit monumento, ſed inde, anno ſequente, exuuiæ Spiram traductæ, & prope patrem conditæ ſunt, iv. Cal. Septemb. vt oſtendit inſcriptio tumuli. Eadẽ, fontes ſalis, prope Gmundum, reperiſſe, & coquendi rationẽ

oſten-

oſtendiſſe, ſcribitur, mulier magni, & perſpicacis ingenij.

Imperante Alberto, familia ſacrorum militum templi Hieroſolymitani, quos Tēplarios nominant, callidiſſimè ſtructa, & mirifico aſtu occultata cōſpiratione, Clementis quinti Pōtificis, & Philippi Pulchri Franciæ regis, tota paſſim Gallia, vno quaſi momēto, deleta eſt, cuius ſimile Pythagoreis, in magna Græcia, accidiſſe legimus. Cauſſas ex ſuis cōiecturis, alij alias referunt: prophanitatem religionis aliqui, Ethnicæ æmulā: ſimulachra humana pelle induta, & victimis humanis culta: alij libidines, alij proditiones, & fœdera cum hoſtibus Chriſtiani nominis inita. De his, ſuum cuique iudicium permitto.

Sed de religionibus, quę eis tribuūtur, conficta eſſe puto, vt ſæuitiæ exemplum, ſpecie honeſtiore, ad vulgus excuſaretur: cōiecturis de libidinibus, & proditionibus, facilè aſſentior. Præcipuam tamen ratiocinor fuiſſe cauſsā deletionis, magnitudinem potentiæ, & opum, quæ monarchis orbis Chriſtiani, & formidabilis, & intolerabilis erat. Germania in ſuos mitior fuit. Nō enim illos ſtatim, ad Pōtificum iuſſa, trucidauit, ſed, cùm cæde Gallicorum comperta, prouocarent ad demonſtrationem ſuæ innocentię, quod factum ſcribitur Moguntiæ, Cal. Iulij, anno milleſimo, trecenteſimo, vndecimo, auditis illis, nomen tantùm, & leges familię mutauit, perſonis, & reditibus diſtributis in alias ſacrorum ordinum familias.

De Templariorum memoria extirpanda in perpetuum, ſimúlque de recuperatione terræ ſanctæ, actum eſt in cōcilio Viennenſi, quod indixit Clemens quintus, ante Pōtificatum, Epiſcopus Burdegalenſis, is, qui poſt longam contentionem Cardinalium, intercedēte rege Francorū, electus in Pontificem, tranſtulit ſedem Pontificiam, in Galliam relicta Italia, & vrbe Roma, quæ priorum Pontificum ſcelerata fraude, in factiones, & contraria ſtudia, hoſtilibus animis diſtracta, iis concutiebatur ſeditionibus, contra quas ne quidem ipſos Pontifices amplius, multis antea formidabile telum anathematis, tueri poterat, exitu pernicioſorum conſiliorum iuſtiſſimè redundante in authores: ſicut dicitur veteri verſu:

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τὶς ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει. Item:
Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Quare cùm mederi excitatis à ſeſe malis, & quos extinctos cupiebant, opprimere nō poſſent, periculis ſeſe aſtu-

tè ſubtraxerunt.Nec dubito,migrationis in Galliam fuiſſe pręcipuam cauſſam,quod huic tempeſtati ſeditionum, penè immedicabili , cedendum eſſe viderent,niſi vellent impetu fluctuum, cum rebus ſuis vniuerſis, obrui, atque demergi.

Clemens ergo,excitis ad ſeſe purpuratis,Pontificatum Lugduni iniit,feſtiuitatem publicam eo honeſtãtibus tribus regibus,Franco,Anglo,& Tarraconenſi,in tãta celebritate & frequentia nobilitatis,ac promiſcuæ plebis,rei nouitate allectæ,vt dum ſe Pontifex ſublimem in equo, ambitioſo purpuratorum comitatu , tota vrbe,inter tres reges conſpiciendum,circũfert,ipſe interfuſæ multitudinis impetu, equo deturbatus , excuſſa capite tyara,gemmam maximi pretij amiſerit , ſimúlque cum regibus ad ruinam muri, vetuſtate , & pondere ſuperſtantium,procumbentis, de vita ſit periclitatus : Iohannes Britanniæ dux,oppreſſus interierit:proceres nonnulli ſpectantis,vrgentíſque turbæ trepidatione,euerſi ſint,atque obtriti.

Præbuit hoſpitium Gallia,curię Romanę,annos circiter ſeptuaginta,Auenioni, quam Pontificibus ſedẽ mercatus eſt Clemens Sextus.Põtifices abſentes procul vrbe, extra periculi ſortem,per cardinales tres legatos,res Italicas ita procurarunt,& adminiſtrarũt,vt non modò non ſtuduerint efficere & firmare,inter factioſos ordines,concordiã, quam ſe tamen maximoperè expetere , & cuius ſe gratia accire Imperatores,inſidioſè præ ſe ferebant, ſed exacerbatis odiis mutuis,inter Gibellinos,& Guelphos, intẽtatum reliquerunt nihil , quod vel grauaret, ac deprimeret Imperatores,híſq; addictos Gibellinos; qui,cùm aberant Imperatores,ſpoliati honoribus,dignitatibus,fortunis,& telis ſacris profligati,extorres agebantur; vel quod impediret,ne conciliaretur,& ſolidaretur concordia aliqua,de ſententia,& voluntate Imperatorum, ſalua eorum,& integra maieſtate, quam, quod officeret ambitioni, & obſtaret cupiditati ipſorum,ferre non poterant.

Sed vicit tãdem cauſſa & fortuna,iuſti,ac legitimi magiſtratus.Inſani conatus adulterinæ, & per ambitionem, ſcelera, ac fraudes raptę potentiæ Pontificis eruperunt in neruum. Itali enim pertæſi cædium,pertæſi molitionum pontificiarum , vt reduceretur curia Pontificia ad ſedem priſtinam,Italum Pontificem crearunt.Galli cõtra hunc, alium , è ſua gente. Hinc diſſidia nata,ac deinceps aliis cauſſis,& occaſionibus adaucta,orbem Chriſtianum,inuolu-

uolu-

uolatum pernicioſiſſimis motibus, auerterunt à neceſſariis bellis contra Turcos. Hi enim interea Imperium propagarunt, & confirmarunt. Sed & ipſorum Pontificum authoritas, atque potentia, his paulatim languefacta, ac fracta, ſicut omnis magna potentia, ſeſe ſuis conatibus, & viribus eò redegit, vt tandem penè conciderit. qua de re infra dicam.

HENRICVS SEPTIMVS.

GAllos ex tranſlatione ſedis, non exiguam ſpem, de Imperio concepiſſe, Philippi Pulchri, & fratris Caroli Valeſij conſilia oſtendunt. Quòd enim in ſua poteſtate haberent eum, qui ius ſibi arrogaret, tradēdi Imperium cui vellet, quin per eundē id recuperarent, nihil impediturum, ſibi perſuadebāt. Quare, cùm à cæde Alberti, eſſet dilata electio ſucceſſionib. Carolus Valeſius, de ſententia fratris, exercitum cōparat, vt vel inuito Pontifice, Imperium extorqueret. Pontifex, etſi à ſuo rege non eſſet alienus, tamen quia mutationem hanc proſpiciebat fore exitioſam Italiæ, & Hierarchiæ Romanæ, fieri eam nolebat. Et vt Gallorum conatus anteuerteret, clam de his monuit principes Germaniȩ, cohortatus eoſdem, ad electione . ſolennem maturandam.

Ita, cùm Septemuiri cōueniſſent Francofurti, cōiunctis ſuffragiis, elegerunt Henricum comitē Lucelburgenſem, Calend. Nouembris, ſeptimo, ab interitu Alberti, menſe, de commendatione Balduini, Archiepiſcopi Treuirorum, qui in fratre Henrico, non opes, quæ exiguæ erant, ſed alia ad iuſtam, & ſalutarem gubernationē, magis neceſſaria præſidia, atque ornamenta veriora prædicabat, generoſitatem naturȩ, ingenij præſtantiam, excelſi animi magnitudinem, moderationem in omni vita, iuſtitiam, peritiam rei bellicæ, vigorem ætatis, & corporis robur, ac firmitatem ad tolerandos militiæ dolores.

Tali verò gubernatore opus erat, non tam Germaniæ, quanquam recentibus bellis ciuilibus miſerè laceratæ, quàm Italiæ, quȩ, penè totos annos ſexaginta, Imperatorē nullum viderat, ſuóq; aſſiduè reſpergebatur ſanguine, & cædibus, ac direptionibus exhauſta, redactáq; ſub tyrannos, iam ſeruitutem, pro libertate, quam intempeſtiuè affectarat, ſeruiebat duram, ac triſtem. Pleræq; enim Hetruſcȩ, & Longobardicȩ vrbes, quæ pertæſæ moderati, ac iuſti Imperij Germanorum, vt ranȩ Æſopicæ, redemerant iura Imperij à Rodolpho, multa pecunia, vt prorſus liberȩ

eſſent;aut laborabant ſeditionibus immaniſſimis, ac crebro mutatis dominis,nũc hos, nunc illos ſequebãtur victores,aut iam oppreſſæ,parebant certis tyrannis,Mediolani,Haſtæ,Vercellis, Nouariæ, Ticini,Laudi Pompeiæ, Cremonæ,Placentię,tyrannidem exercebát Guelphi,Gibellini nominis hoſtes.Veronã,Paduã,Mantuã,tenebant Gibellini.Guelphis coniũctus erat Robertus Apuliæ rex, qui,pro Pontifice,turbabat ciuitates Hetruſcas.

Quòd ergo fidem, & auxilium Imperatoris Italia ſupplex imploraret, Pontifex Henrico renunciationem ſolennem requirenti, per legatos, eatenus eam conduxit, quatenus ſe promitteret intra biennium Italiam pacaturum,quæ deſideraret pręſentiam ipſius. Aſſenſit Imperator, & ne qua ſemina bellorum, aut diſſidiorum domi relinqueret,in Italiam diſcedens,totum ſe ad res Germanicas componendas conuertit.

Comitem Wirtebergenſem, opum fiducia, inſolentiùs noua bella conflantem,armis proſequutus, ita attriuit,vt pereundũ illi fuerit,niſi clemẽtia victoris fuiſſet ſeruatus.

Friderico Auſtriaco,Alberti filio,pro quo ſubditi expetebant dominũ ipſum Imperatorem, huic ergo non ademit,ſed reliquit, & confirmauit poſſeſſionem A·ſtriæ,ea tamen conditione,vt cederet iure regni Boëmici.

Quod ille cùm annuiſſet,Imperator,conſenſu procerũ, eiecto Henrico Carinthio, regnum cum Eliſabetha,filia Wenceſlai ſenioris,nepte Rodolphi Imperatoris,deſpondit Iohanni filio. Hoc modo Boëmia ſub Lucelburgenſes redacta eſt.

Fridericus in Auſtriam reuerſus,de ſeditioſis ſupplicium ſumſit,& Imperatori profecturo in Italiam,fratrem Leopoldũ adiunxit. Suſtulit Imperator & Miſnica bella,his legibus,vt Fridericus Turingię,& Miſniæ poſſeſſione integra contentus, relinqueret Luſatiam inferiorem Boëmis,qui in belli ſocietatem acciti,iam ante eam abripuerant. Ita vtriuſque Luſatię acceſſione,eodem tempore, creuit regnum Boëmię, & Miſnia difficili, ac diuturno bello liberata,ſeſe ad quietem,& pacis opera recepit.

Pacata Germania, Imperator,ad Italicas ſeditiones ſedandas,ſeſe cõuertit,ad quam rem,cùm exercitu inſtructo ſibi fore opus, intelligeret, dũ cogit copias,iuſta perſoluit Imperatoribus Alberto, & Adólpho, cadauere vtriuſque Spiram tranſlato, & honorificè condito, propè Rodolphum; Alberto quidem,in monumento coniugis

Fride-

Friderici Imperatoris, Adolpho in vicino filiæ eiuſdem. Dehinc per Allobroges, exercitum duxit in Italiam. In eo itinere primùm delatus ad Taurinates, & Aſtenſes, vtriſque in deditionem acceptis, veteri more, præſides vicarios impoſuit. Exemplum imitatæ vrbes Longobardicæ cæteræ, quarum aliæ à Guelphis, à Gibellinis aliæ tenebantur, ſimiliter miſſis oratoribus, ſe in fidem, & clientelam Imperatoris contulerunt.

Mediolani dominabantur Turriani principes Guelphorum, ſummotis Vicecomitibus, qui factionis cõtrariæ caput erant. Tunc verò principatum tenebat Guido Turrianus, gentis Princeps, ſed ciuibus, propter ſuperbiam, exoſus. Ad Imperatorem ſupplex confugerat Matthæus Vicecomes, exul. Inter vtroſque, Imperator, priuſquam ad Mediolanũ accederet, tranſegit, his legibus, vt vtrique, & reducti, ſuo beneficio, Vicecomites, & Turriani deinceps in patria, antiquæ libertati reſtituta, æquo iure viuerent, paternis bonis contenti. Sed cùm ingredienti Mediolanum Imperatori, Matthęus dextrũ latus cingeret, Guido, quod ad ſiniſtrum hærere iuberetur, offenſus, ne deſperans de principatu, metuénſque deiectiones ſuorum, ad turbulẽta ſe conſilia conuertit, concitatóque, poſtquã Henricus coronatus eſſet, acri tumultu, in diſcrimen nõ mediocre, Imperatorem adduxit, ſed recidit periculum in authorẽ. Cùm enim Germani, duce Leopoldo Auſtriaco, fora, & compita, cohortibus, & turmis impleuiſſent, & Matthęus Vicecomes, cum equitum globo, diſcurrẽs, veteres clientes ad arma vocaſſet, plebs arma in Turrianos, nihil tale timentes, verſa, momento temporis, eorum domos expugnatas diripuit. Ita tumultu populi, Turrianis vrbe pulſis, Imperator ſummæ rerum præfecit Matthæum Vicecomitem, & ex his inſidiis, Guelphos ſuſpectos habere, ac Gibellinos apertè complecti, & fouere cœpit.

Adhæſerunt Turrianis Cremonẽſes, Placẽtini, Parmenſes, Papienſes, & Brixienſes: hi, re cognita, protinus cùm ipſos vicarios præſides, quos paulò ante receperant, tum Gibellini nominis ſtudioſos, multa cæde, expulerunt. Sed Imperator obſidionibus fatigatos, ac fractos, coëgit deditione facta, pœnas luere, quas ille ſtatuiſſet. Cremonenſes ergo, alligatis collo laqueis, ſupplices facti, culpam & pœnam, grandi mulcta, redemerunt. Brixianos ad defectionem impulerat Theobaldus Bruſſatus, quẽ Cęſar magnis beneficiis affecerat; hunc inter cadauera, pro ſemimor-

tuo,repertum,equis diſcerpſit: & quanquam cæde fratris grauiter irritatus eſſet, tamen victus interceſſione legatorum Pontificis,Brixianos, cùm veniam ſuppliciter rogarent,recepit in gratiam,ſed mulctatos magna pecunia, & demolitione murorum,ac portarum vrbis.

Cùm autem frequentibus literis eorum, qui Cæſariani nominis ſtudioſi erant, in Hetruriam euocaretur, vt,hac occaſione,faciliùs Romã perueniret, Genuam profectus, claſſe Genuenſium deduci Piſas voluit. Exercitum terra præmiſit.Longobardię curam & adminiſtrationem commiſit Werno, comiti de Hohenberg, qui reuerſos ad arma Guelphos,multis victoriis contudit.

Creſcebant in Hetruria,vires Florentinorũ,quibus cum conſpirarat Robertus Apuliæ dux,Gibellino nomini infenſiſſimus. Idem Romæ Vrſinos inſtruebat, & adiuuabat,contra Columnios,qui pro Cæſare ſtabant.

Quòd ergo,quantum Guelphis fidendum foret,noſſet, Ludouicum Allobrogum ducem præmiſit, qui tumultus ſedaret. Totos enim menſes tres, quotidianis præliis,in vrbe,inter has familias decertatum erat, vt ſanguine cæſorum plateæ fluxerint,tunc etiam,cùm Cæſar inueheretur. Vrſinis arcere aditu Imperatorem : Columniis eundem in vrbem introducere curæ erat. Columniis Sabelli: Vrſinis Grappelli adhærebant. Sed ſuccubuerunt Vrſini: cúmque Cæſare introducto, protraheretur ſolennis renunciatio, Cardinalium aſtutia, Stephanus Columnius, ne differretur amplius,terrore iniecto,perfecit.

Ita Henricus,Calend.Auguſti declaratus eſt Imperator, anno milleſimo,trecenteſimo,duodecimo. Vrbem tunc gubernabant,vicario Imperatoris nomine,duo præſides, velut olim conſules,qui à Romano Senatu creabantur,& annuum magiſtratum gerebant.Sed non multùm poterat hic magiſtratus,in ſeditioſa vrbe,quę,prępotentũ ciuium factionibus,diuiſa erat in partes.Quare non diu ibi commoratus Imperator, cùm Tyburi cum Friderico Siculo fœdus feciſſet,per Sabinorum, Vmbrorum,& Peruſinorũ fines,Aretium ſe contulit. Inde occupatis Arni caſtellis, Florentinos obſidere cœpit,quos Lucenſes,Senenſes,Bononienſes,& Ferrarienſes, & Robertus rex inſtruxerant. Oppugnationem vrbis nõ tentauit.Nam deuaſtatis ipſorum,& ſociorum agris,penuria commeatuum,ad ſpontaneam deditionem venturos,ſperabat. Nec fefelliſſet eum opinio,ſi vixiſſet.Nullam enim Florentini,niſi in Roberto

Apulo,

Apulo, ſpem defenſionis habebant, qui tamen detentus bello Siculo, nec ſubſidio venire obſeſſis, nec auxiliares copias mittere poterat.

Hac tamen de cauſſa, Robertum etiam citauit, ad dicēdā cauſſam, cúmque comparere recuſaſſet, tanquam contumacem, per ſententiam, Apulo, & Campano regnis priuauit. Sed hanc ſententiam poſtea reſcidit Clemens V. vt habetur in Clementinis: De ſententia, & re iudicata. C. Paſtoralis. Qua verò leuitate id fecerit Pontifex, & qua impudentia, alia regna Chriſtiani orbis, ſimiliter Hierarchiæ Romanæ ſubiiciat, formula decreti oſtēdit. Henricus, etſi terrâ Florentinos, & eorum ſocios, mari claſſe Liguſtica, & Sicula Robertum grauiter afflixit, tamen morte præreptus, nec finem obſidionis Florentiæ vidit, nec exequi in Robertum, quod ſancitum erat, potuit. Interiit, dum properat aduerſus Robertum, inuitantibus eum Neapolitanis certo deditionis promiſſo, nefariè necatus veneno, per infectum panem ſacrum, Beneconuenti, à Bernhardino monacho, è familia fratrum prædicatorum, qui ad hoc à Florentinis erat conductus.

Anno, milleſimo, trecēteſimo, tertio decimo: nono Cal. Septembris, id eſt, die Bartholomæi Apoſtoli.

Anno mundi, quinquies milleſimo, ducēteſimo ſeptuageſimo quinto, Imperij ſexto.

Cadaueris inde Piſas delati, monumentū, ex hac inſcriptione agnoſcitur: Hoc in ſarcophago Hērici, olim Lucelburgēſis comitis, & poſt ſeptimi huius nominis Romanorū Imperatoris, oſſa continentur, quæ ſecundo, poſt eius fatū, anno videlicet M.CCC.XV. Die verò Calendarū Sextilis, Piſas tranſlata, ſummo cum honore, ac funere hoc in fano, ad hunc vſque diem, collocata permanſere.

Mors eius Florentinis, Guelphis, & Roberto lætitiā, Gibellinis luctū attulit: ſed hos, Deo iuſto iudice, ac vindice, fortuna ſui Imperatoris, adeò, ne quidem poſt illius fata, deſeruit, vt ſeſe vires Gibellinæ, victoriis aſſiduis, vbique plurimùm confirmarint. Tribus enim præliis Florentini à Piſanis victi ſunt, quanquam auxiliis Neapolitanis inſtructi eſſent. Ad Campum Aldinum ſemel, iterum ad Arbiam flumen, nouiſſimè ad montem Catinum, in quo prælio cecidit frater Roberti regis, Iohannes.

Hoc ſucceſſu Gibellinorum offenſi Cardinales Legati, & rex Robertus, in eam curam animos intenderunt, vt cōminuta rurſus Imperatorum authoritate, quam Henricus

reſtituerat quidem, ſed nondum confirmarat, Guelphos tot aduerſis præliis profligatos, contra Gibellinos erigerēt. Itaque in Hetruria, veteris belli reliquias, perſequi decreuerunt, & nouum mouerunt Matthæo Vice-comiti, qui Guelphos, & ipſum Robertum, multis affecerat cladibus, & recèns Piſanos, conſtanti erga Imperatores fide, atque officio iuuerat.

Matthæum Bertrandus Vaſco Cardinalis, Legatus Pontificis, cùm vim hoſtilem nil effecturam experiretur, fùlmine pontificio aggreſſus, tanquam impietatis reum, ęternis cruciatibus deuouit: quas execrationes, etſi ſequuta eſt aliqua inclinatio animorum, perrupit tamē virtus, & felicitas filiorum Matthæi, qui pleraſque Longobardiæ vrbes repurgatas à Guelphis, ſuæ ditionis fecerant, vt ad Imperium Longobardiæ viderentur aſpirare. Quare & nouas coniurationes Pontificis, Roberti Neapolitani, qui Guelphorum patrocinium ſuſceperat, & Florentinorum, facilè cōtempſit, ac ſuſtinuit, & Germanicas copias, quas illi, Hērico Auſtriaco duce, conduxerant pecunia: Gallicas, quas Philippus Valeſius attrahebat, terrore auertit: Filij etiam, patre mortuo, multis, vario euentu, præliis commiſſis, ſed ad extremum victores, egregiè ſeſe tutati ſunt.

Henrici ſeptimi ſtirpem, ab Hugone, naturali filio Lotharij, qui patre Lothario Imperatore natus eſt, multi deriuant, vt ſupra monui. Alij aliam originem faciunt. Tam cita, & tam indigna morte peremptum eſſe, tam præſtantem Imperatorem, & tanta ſucceſſuum, ac victoriarum proſperitate, ad ſumma cōtendentem, dolendum eſt. Prudentię enim, virtutis bellicæ, & felicitatis etiam tantum attulit, quantum ad rem tantam perficiendam, & ad explicandam ſeditionibus Italiam, atque in tranquillum reſtituendam ſatis fuiſſet, ſi vita ſuppeditaſſet, & ſi ambitioſè factioſæ gentis, quæ non veram libertatem, ſed licentiam barbaricam captabat, iuſta, moderata, tuta, & ſalutaria imperia non reſpuiſſet: ſed quietem Italiæ, fata inuiderunt, & Deo viſum fuit hoc modo, & his cladibus aſſiduis, punire ſcelera Pontificum, & multiplicia peccata nobilitatis, ac plebis, Epicuream prophanitatem, libidines, parricidia mutua, vt fatali quadam cæcitate cōſiliorum, & peruicaci obſtinacia odiorum, in ſuas in ſe furenter clades irruentes, nec cæde mutua ſatiarentur, nec vaſtitate mouerentur, qua efficiebatur, velut à ſtirpe exciſis præcipuæ nobilitatis familiis, vt hoc interitu poſteritatis ſuę, his imma

nium

nium cædium, & deuaſtationum ſpectaculis, non afficerentur.

Ex Margareta, Henrici ducis Brabantini filia, Iohannem Bohemiæ regem, & filias tres reliquit. Coniux maritum ſecuta Romam, cùm inde Genuam reuerſa eſſet, diem ſuũ obiit, ſepulta ibidem apud minores. Filiarum natu maximam Beatricem, Carolo Vngariæ regi: alteram Mariã, Carolo Pulchro Franciæ regi: tertiam, Rodolpho Palatino ad Rhenum collocauit.

Iohannes, à morte patris, contractis copiis nouis, quibus Italicas ſuppleret, ciuitates quæ in fide perſtiterant, in ſuã quoque fidem receptas, defendit. Bohemiæ regnum adiecta magna parte Sileſię, & Luſatia vtraque, valde dilatauit. Sileſia enim à pluribus gubernabatur principibus, originis quidem, & gentis eiuſdem, ſed inter ſe diſſidentib. qui repudiatis fœderibus, ac legibus Polonorum, in eum ſeſe ſtatum nuper collocarant, vt Boemis, & Polonis interiecti, medij, neutris eſſent addicti, & cum neutris amicitiam colerent firmam, ſed ſua gauderent libertate, qua cùm neſcirent vti, Boemi ante diſtractos, domeſticis diſſidiis, mirabili aſtutia, amplius diuulſerunt, vt ſingulos non magno negocio ſubiugarint, Carolo filio, quod reliquum fecerat pater, conficiente.

Ἀφορμὴν, καὶ πρόφασιν ad eos conatus, præbuerunt quædam pacta vetera, inter Boemicos reges, & Sileſiæ duces, & tributa, quæ veteri obligatione, à Polonis Imperio ſoluta, Fridericus Imperator nuper attribuerat Boemis.

Inferior Luſatia, bello Miſnico acceſſerat. Superior paruerat eo vſque marchionibus Brandeburgenſibus, è veteri ſtirpe Aſcania, quorum vltimus Woldemarus, in bello Danico, contra ὁμώνυμον regem, vt Saxonum annales referunt, fato functus, ſobolem maſculam nullam, ſed longi, ac difficilis belli ſemina reliquit. Cuius belli periculis implicata Luſatia etiam, quanquam remotior, quod à nemine defenderetur, & Marchia, alternante belli fortuna, nunc Bauaros, mox alios, ceu ſortiretur ex victoria præſides, repetentibus eam veteribus dominis, Boemis ſeſe tradidit: Henricus quartus enim olim marchionibus Miſniæ ademptam, quod Saxones iuuiſſent, Boemis conceſſerat. Ottocarus Boëmus confiſus, ſe opera Marchionis Brandeburgici Imperium conſequuturum, ante electionem Rodolphi, hac ſuffragium ſibi illius, velut mercede comparatat. Iohannes Lucelburgenſis, orbatam antiqui

ſtématis principibus, ceu poſtliminio, ad regnum reduxit. Occubuit autem hic rex in illo bello Francico, cæcus ad Creſſiacum, ab Eduardo Anglo, decimó Cal. eptemb. anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſexto, in quo prælio ceciderunt circiter triginta Gallorum millia, & iuxta Iohannem regem, Carolus Valeſius, Philippi frater, cum multis aliis regni proceribus.

Vrſinos, conſenſu plurimorum, è gente Aſcania, quę latè in Germania imperauit, & diſtinctas duas Septemuirorum in Saxonia, ac marchia Brandeburgenſi, familias genuit, Columnios, ex comitibus Zollerenſibus prodiiſſe, & agnatione attingere eos, qui nunc tenent marchiam Brandeburgenſem, antea annotaui. Nunc addam Imperatores Orientis.

IMPERATORES ORIENTIS.

MICHAEL PALÆOLOGVS.

RVdera Imperij Orientis percurram paucis, propter res Turcicas. Fuit hoc diuulſum, vt dixi, in duo regna, Europęum, & Aſiaticum ad Colchidem, & Pontum, inter Scythas, Tartaros, & Turcas Hoc cõdiderunt Cõneni, occupato Trapezunto, poſt captam à Francis Conſtantinopolin. Series regum hæc fuit: Alexius Comnenus, diſſipatis viribus Orientis, irruptione Francica, cùm alij alias Imperij prouincias, bello adſererent, inuaſit Colchidem, & vicinos aliquot tractus. Huius, ex filio Alexio, nepos Iohannes, cognomẽto Lazus, duxit in vxorem Eudociam filiam Michaelis Palæologi, vt Aſiaticum rurſus, Europæo affinitatibus copularetur. Ex hoc nati filij duo, quorũ natu maximus Alexius, patre ſublato, regnum obtinuit. Cũ iuniore Eudocia mater rediit Conſtantinopolin, ſpe regni Europæi. Alexio Baſilius, qui in Andronici iunioris Palæologi tempus incidit: huic rurſus Alexius ſucceſſit, cui filius, Iohanes, regni cauſſa, bellum intulit.

Hic Iohannes filiam Deſpinam, Aſſimbeio Vſumcaſſani regi Perſico, in vxorem dedit, & conſentaneum eſt has nuptias illum filiæ quæſiuiſſe, hunc expetiuiſſe, vt ex ea cognatione, mutua præſidia compararet, aduerſus impendẽtem vim Mahometis, qui, deleto Græcorum Imperio in orientem vires extenderat: ſed nihil profuit Trapezuntinis

nis

nis hæc affinitas. Cùm enim Mahometes Vſumcaſſanē ad Tabendam,quæ Toccota hodie dicitur,in Anſerinis campis profligaſſet, facilè poſtea Dauidem, qui,Iohāne extincto,regnum rapuerat,excluſo quadrimo illius filio,oppreſſit,Trapezuntíque,& totius Ponti,atque Colchidis Imperio,in prouinciam redacto,Dauídem cum filiis,inter quos natu minor erat Georgius,coniugem item,& ex fratre nepotem Alexium Comnenum , Conſtantinopolin perductos,in carcere necauit, filiam Dauidis,inter concubinas, apprimè dilexit.

Europæum regnum, in plures diſcerptum partes, tenebatur à diuerſis. Suos enim, è gente Heneta,Seruij habebant deſpotas,in veterum Triballorum ſede:ſuos Bulgari, in terra Myſorum:Theſſaliam,Epirum,& Ætoliam poſſidebant Angeli.Peloponneſum,Eubœam,Atticam,Bœotiā, Achaiam infeſtabant, incurſationibus aſſiduis Siculi, & Itali: ſumma rerum tamē erat penes Michaelem Palæologum,qui quib. artibus,Laſcarinę ſtirpi regnum ademerit, ſupra monui. Recepit is Cōſtantinopolin eiectis Francis. Bellum geſſit cum Michaelo Angelo, Epiri, & Ætoliæ deſpota,ſed infeliciter. Quare,cum in Imperio parricidiis acquiſito , nec ſatis confirmato , nemini tutò fideret,pacem cum Micaelo, quanquam ignominioſam, fecit,data conſobrina ſua,filio eius Nicephoro in vxorem.Sed non diuturna fuit hæc pax.

Genuenſibus , quorum auxilio Imperium conſequutus erat,& Venetos depulerat,tradidit Peram vrbem, vltra ſinum,è regione Byzantij,in eodem littore Europæo ſitam, quam Galatam hodie vocant.Recepit Eubœam,& aliquot Ægæi maris inſulas,Lemnum,Chium,& alias,ſed non retinuit.

Hoc tempore,tradunt,in Græcia cometem conſpectum eſſe,qui,cùm exarſiſſet circa ſolſtitium æſtiuū, ſole cancrū peragrante,fulſit ad æquinoctium autumnale vſque,& tādem,ſub tauri ſidere,euanuit. Nec multò poſt,ſol obſcuratus,tantas terris tenebras offudit,vt ſtellæ interdiu effulſerint. Hæc præuia nouarum calamitatum ſigna,cùm mox ſequutę ſint Turcicæ eruptiones,ac progreſſiones,non cōtemnamus prodigia,aut oſtenta,quę diuinitus proponuntur. Etenim hoc Imperatore, Turci in Aſia,qui à Scythis Tartaris circumuenti,ac domiti,aliquādiu quieuerant,receptis animis,ac viribus,reuerſi ad latrocinandi conſuetudinem,reliquias Imperij Græci,in Aſia, vehementer com-

minuerunt,ſed ſparſim tamen,ac particulatim, latrociniis verius,quàm iuſtis præliis, ſumentibus ſibi audaciam graſſandi etiam priuatis,donec potentiores terras ſubactas, in ſatrapias partiti,omnem Aſiam,à mari Pontico , & Galatia,vſque ad mare Lycium,& Carium ,& flumen Eurymedontem,ſuæ ditionis fecerunt.

Erat Micaeli Epirotæ potentia inſignis. Theſſaliæ.n.omni,Epiro,& Ætoliæ,cū regionibus vicinis,imperabat. Huius nothum filium Iohannē,effręni,& vafro ingenio iuuenē,cui pater moriturus,Pelaſgos,Phtiotas, Theſſalos, Ionios & Ozolas intra Olympū,& Parnaſſum montes, attribuerat(reliquā enim Epirum , inter legitimos filios diſtribuerat)hunc ergo laceſſentem Byzantios , & rapinis infeſtātē Macedoniā,ac Thraciam,bello perſecutus, tollere tamen non potuit quod Iohannes niteretur ſubſidiis Italorum,qui Eubœam,Atticam,& Bœotiam ſubegerant.

Carolum Neapolitanum,pro genero Balduino bellū totis viribus parantem,inhibuit, cōcitatis in eum Friderico Siculo rege,& Pontifice Romano,cui ſpem fecerat, de cōponendis controuerſiis , quæ Græcas Eccleſias à Romana diuulſerāt,déque illis Romanæ ſubiiciēdis. Huius rei cauſſa,vocatus à Pontifice Lugdunum, ne,ſe abſente, Græcia eſſet ſine Imperatore,filium Andronicum deſignauit ſucceſſorem,data ei in vxorem Anna Pānonia. Sed quod latas, à Pontifice Romano , leges concordiæ , in detrimentum Eccleſiarum Grecarum accepiſſet,ſine ſuorum aſſenſu,tantam & Imperio perturbationem,& ſibi conflauit inuidiā, apud ſuos, vt honor ſepulturæ mortuo ſit denegatus.

Extat,de hac re ſententia Gregorij decimi promulgata in concilio Lugdunenſi,ſexto decretalium, cap.vnico: Fideli,ac deuota profeſſione fatemur,&c.

Deceſſit annos natus quinquaginta octo,vir ambitionis inexhauſtæ & quæ ambitionis comes eſt,fidei incertæ, ſed conſilij expediti,& circunſpecti , quo ſeſe ſuóſque in turbato,& lacero Imperio,magis, quàm virtute conſeruauit. Filios reliquit Andronicum ſucceſſorem, & Conſtātinum Porphyrogenitum,quem ignauus,& ſtolidus frater,ob falſam ſuſpicionem quęſiti regni,in carcerem incluſit, bellatorem acrem,& induſtrium,vt qui,in Lydia, Turcos, aliquot ſecundis præliis,fortiter repreſſos,detinuerat,ne proferre limites Imperij poſſent.

ANDRONICVS PALÆOLOGVS.

PEriodis regnorum circumactis , cum ad finem illa tendunt,

dunt, ruinam proximè antecedunt, vt Appiani verbis vtar, ὕβρις ἀκοσμίας, ϗ νόμων, ϗ δίκης αἰσχρὰ καταφρόνησις, & diſcordiæ, quæ, ſi quid reliquum eſt, id labefactant. Nec fere, niſi fatalibus diſcordiis, magna Imperia euertuntur: cúmque momenta mutationum inſtant, inſigni petulantia accelerantur pœnæ, vt ſignificatum eſt, tribus vocibus, apud Danielem, quibus Baldaſeri regi denunciatur interitus, & regni dilaceratio.

Sic, cùm domeſticis bellis, & ſeditionibus eneruatæ atque in contemtum adductę eſſent vires Conſtantinopolitanæ, initio commoti, ſua ſponte: deinceps etiam inuitati, & acciti ex Aſia Turci, ex Europa Hiſpani, & Itali, iíque diuerſi, & inter ſe diſſidentes, Veneti, Piſani, Genuenſes, Florentini, vno quaſi impetu, in reliquias miſerè dilacerandas, incubuerunt: donec Turci, oppreſſis per partes Palæologis, Seruis, Bulgaris: Hiſpanis verò, & Italis excluſis, Græciam omnem edomuerunt.

Accelerarunt interitum Græcis, Italorum conatus, & irruptiones, qui, quod ſtulta ęmulatione veterum ciuitatum Græciæ, quæ ex deuictis, ac profligatis Perſis, acquiſita Imperia, in Aſiam vſque propagarant, quòd ergo, harum exemplo, & Imperium Græciæ, & victorias contra Turcos Perſicis ſimiles, ingentibus animis, & auſis ſomniarent, ac quęrerent, quanquam multum diſſimiles illis veteribus Gręcis, ſapientia, virtute, opibus, tandem, rebus deſperatis, fractam incurſionibus, ac direptionibus, nudatámque pręſidiis Græciam, Turcis obiecerunt.

Incidit autem huius Andronici Imperium, in ea tempora, quibus reſtituta Turcorum potentia, progreſſu continuo in omnem ſeſe Aſiam anteriorem, incredibilibus ſucceſſibus, extendit, cùm partas armis prouincias, ſeptem principes, vt dicetur, inter ſe diuiſerunt, quos vniuerſos, paulò poſt, Ottomannidæ oppreſſerunt: horum enim ſeſe potentia, ſupra reliquos, mirificis incrementis, extulit.

Andronicus aduerſus Turcos, primo conduxit Alanos, quos ſeu Maſſagetas, ſeu potius Getarũ veterum reliquias eſſe, & fuiſſe in Taurica Cherſoneſo, & toto illo littore Ponti Euxini Boreo, ad Iberos vſque, patrius ſermo, qui Gotticus eſt, oſtendit. His oppreſſis, Scythę Tartari triſtẽ ſeruitutem impoſuerant, cuius illi impatientes, magno numero ſe cõtulerunt ad Andronicum, vt permiſſu illius, obtinerent nouas ſedes. Andronicus ergo, ſumptu, armíſque inſtructos, duxit in Aſiam aduerſus Turcos: quibus

cum, in Magneſia, infeliciter acie congreſſi, ac repulſi ſunt, quotquot ex his fortuna belli ſeruauit, ij, inuito Imperatore, receperunt ſeſe in Europam, atque in oram Græciæ littoralis, è regione Lesbi, conſederunt.

Vigebat tunc etiam bellum Siculum, quod, de regno Siciliæ, geſſerunt inter ſe Tarraconenſes reges, ex Hiſpania, & Andegauenſes Franci, qui Neapolin tenebant. Durauit id bellum annos penè viginti, à milleſimo, ducenteſimo, octogeſimo ſecũdo, vſque ad milleſimum, treceteſimum, ſecundum, quo demũ pax, inter vtrumque regem, facta, ac ſancita eſt. Tarraconenſi claſſi præfuit Rogerius Lauria, fortis, & felix Imperator quem Grçcæ hiſtoriæ Rõzerium nominant, atque è Catalanis, qui è Cattorum, & Alanorũ gentibus orti, in veterum Iberorum ſede, ad fluuium Iberum, hodie pars ſunt regni Tarraconenſis, ſeu Arragonici, vt vulgò nominant: inde ergo auxilia, claſſe, Siculo regi adduxiſſe tradunt. Hunc cũ claſſe Hiſpanica, contra Turcos, attraxit Andronicus, cúmque Rogerius collegam Piringerium Tenzam ad ſocietatem belli inuitaſſet, Andronicus, vt, arctiore fide, vtrumque ſibi deuinciret, Rogerium Cæſarem, tradita ei nepte ſua, in vxorem, alterum Peringerium, Magnum ducem creauit.

Profecti hi in Aſiam, aliquot ſecundis præliis, contriuerunt Turcos, & Philadelphum obſidione liberarunt. Sed cùm ſtipendia eis non ſoluerentur, iuſto tempore, mutata fide, pro hoſtibus ſeſe gerere, ac prouincias Græcorum depopulari cœperunt. In eo tumultu, Rogerius, à Gregorio Alano, cuius filium interfecerat, per inſidias, trucidatus eſt. Paulò poſt, collega, à Genuenſibus captus, Imperium maris, cum vita, amiſit.

Reliquias Catalanorum, Andronicus, vt deleret, coacto ex Thracibus, & Macedonibus exercitu, victus eſt, fugatúſque. Catalani adiunctis ſibi fœdere, & ſocietate Turcis, cùm Macedoniam peruaſtaſſent, in aditu Theſſaliæ, Turcis rurſus dimiſſis, ſoli Theſſaliam omnem populabundi percurrerunt, & in Bœotiam, atque Atticam delati, Athenis & Thebis expugnatis, atque Athenarum principe cęſo, ibi conquieuerunt.

Theſſalorum tunc res, & opes infirmæ erant, ob immaturam principis Iohannis ætatem, & diuturno morbo penè cõfectam valetudinem. Nec diu, his motibus, ſuperſtes fuit. Hæredẽ, quòd ex Irene, notha Andronici Imperatoris filia, cum qua tres annos vixerat, nullum reliquit, princi-

patus Angelorum in Theſſalia, Epiro, & Ætolia finē ſuum habuit. Pars eius principatus rediit ad Imperatorem, partem Calatini, è Bœotia abripuerunt, partem proceres, inter quos præcipui nominis extitit, Thomas, è Ducarum familia, qui Epiri, & Ætoliæ ſe principem appellauit.

Turcorū aliqui, Melecho duce, abierunt ad Seruiæ principem, quem ſua lingua Cralem, id eſt, regem nominant, amplexi Chriſtiana ſacra. Reliqui, Halelo duce, pacē certis conditionibus adepti, ab Andronico, vt Chriſtopolitanas anguſtias traiicere tutò, atque ad Helleſpontum reuerti liceret, & vt Romana claſſe, perducerentur in Aſiam, ad ſuos, cum omnibus manubiis, iter verſus Cherſoneſum intenderunt. Sed Imperatore fidem non ſeruante, dimicare coacti, à Bulgaricis, & Genuenſibus auxiliis, in Cherſoneſo trucidati ſunt. Quæ perfidia, & ſæuitia, Turcos in Aſia vehementer irritauit.

Andronicus ad magnam ætatem peruenit. Annum enim attigit ſeptuageſimum. Extremam ſenectutem difficilem habuit, exagitatus diſſidiis filiorum, & nonnullis in ipſum conſpirationibus, ac molitionibus. Filios genuit, ex prima coniuge Pannonia, Micaëlum Imperatorem, & Conſtantinum deſpotam: ex altera Irene, filia marchionis Montisferrati, filiam Simonidem, quæ miſſa eſt nuptum Seruiæ regi.

Filos genuit Iohannem, Theodorum, & Demetrium, quos, cùm ambitioſa, & factioſa mater, Micaëlo anxiè anteferre conaretur, vt αὐτοκράτορες, καὶ αὐτονόμοι. & ſui iuris eſſent, nec agnoſcerent ſuperiorem, &, poteſtate pari, imperarēt: vel, ſi deiici Imperio Micaël primogenitus nequiret, vt ſaltem ad conſortium, & ſocietatē Imperij admitterentur: hac pertinacia aſſiduarum flagitationū, & expoſtulationū, alienauit à ſe mariti animū, à quo cùm acciperetur durius, metu ſæuitiæ, ſeceſſit Theſſalonicā: ſed, ne ibi quidē, experiri, quas potuit, vias, & rationes deſtitit, quib. filios extolleret, conatu tamē irrito. Exceſſit è viuis, marito adhuc ſuperſtite. Theodoro filio, petiuit in vxorem, filiam ducis Athenarum, qui tunc, adhuc Imperio coniunctus, gerebat munus, & dignitatem magni ducis, & hortatrix illi fuit, vt pulſo Theſſalorum principe, genero principatum illum armis adſereret: ſed repulſam tulit. Quare coniugem aliam ei delegit Genuæ, è Spinularum familia, & vt marchio Montisferrati diceretur, impetrauit. Iohanni deſpondit filiam Nicephori, præfecti Camiclij, magni no-

minis,apud Andronicum,viri. Is quarto à coniugio anno, orbus liberis,deceſſit. Primogenitus Andronici, Micaël, cõſors Imperij, cum patre, procreauit, ex Maria Armeniaca,filios duos , Andronicum iuniorem , & Manuelem deſpotam,qui Byzantij à cuſtodibus vrbis,noctu,dum fratrẽ Andronicum diſſolutiùs , & luxurioſiùs viuẽtem,inquirit, lethaliter ſauciatus,interiit,magno cum dolore aui.Filias reliquit Annam , & Theodoram , quarum illa primùm Thomę,Epiri,& Ætolię principi,pòſt,Thomę comiti Cephalenię,prioris conſobrino,& interfectori,nupſit.Theodoram duxit Suendoſlaus Bulgarorũ princeps.Conſtantinus,alter Andronici filius, libidinibus ſeſe fœdè contaminauit. Micaël,morte matrem præceſſit. In Andronicum nepotem,auus indulgentiſſimus fuit. Quapropter ille licentia efferatus, auxiliis Genuenſium, per ſeditionem Imperium inuaſit,occupata Thracia,& vrbe Conſtantinopoli.Cum Micaëlo Bulgaro , illo, qui,poſt obitum Suendoſlai,Bulgaris imperauit,cum eo ergo,contra Seruiæ regem, fœdus fecit.Eiuſdem auxiliis auum,qui in regno Conſtãtinum deſpotam anteferre,Venetorũ ope , conabatur,coëgit ab incepto deſiſtere , & repudiata Venetorum ſocietate,Ligurum amicitiam amplecti. Multos annos,bellũ varium,& anceps cum auo geſſit:ſæpe enim inter eos, reconciliata pax,interceſſione amicorũ , & diſſoluta rurſus fuit, donec iunior ſeniorẽ,ætatis vitio cæcutiẽtẽ,in monaſteriũ compulit,in quo vitã exegit,Imperator ignauus,& infelix.

Propter hæc diſſidia domeſtica , cum negligerentur res Aſiaticæ,Turci pleraſque vrbes Bithyniæ ceperunt. Pruſiam expugnatam,Ottomãnus pater,& principes familię, caput,ac metropolin ſuę gẽtis, bellíque,contra Europęos, arcem conſtituit. Frequentiſſima autem,& terribilia maximè deliquia ſolis , & lunæ, in hoc tempus incurrerunt: crebris etiam terra quaſſata eſt motibus: quæ prodigia nõ futuras,aut procul imminentes calamitates,præſagierunt, ſed iam præſentes, pręforibus,ipſis oculis demonſtrarunt.

ANDRONICVS IVNIOR.

ANdronicus iunior proditionum ope,ac patricidij ſcelere,in Imperium irrepſit, auo inſidioſè circumuẽto, & oppreſſo.Annum egit triceſimum ſextum,quando auus fato functus,ſoli gubernationem reliquit. Eo viuo,Micaëlem Bulgarorum deſpotam,ſibi, cõtra auum, adiunxerat,collocata ei , in matrimonium, ſorore:quam cùm ille,

in

in thorum adduxiſſet,priore coniuge,Seruiæ regis ſorore, adhuc ſuperſtite,rex ira percitus,bello vindicandam, polluti thori contumeliam,ratus,acie victum, & multis ſauciatum vulneribus,principatu exuit; Alexandro conſobrino,illi ſurrogato.Ita leuitas,& petulantia,ſemina diſſidiorum auxit.Sed cùm Alexander poſt victoriam,auxiliis Seruianis,longius progreſſus,limites Conſtantinopolitanos etiam peruaſtaſſet;Micaël vlturus iniurias,Bulgariam cum exercitu intrauit,vbi ab Alexandro concluſus, in eas deuenit anguſtias, vt fame illi,cum exercitu vniuerſo, pereundum fuerit,niſi Alexander,miſertus illius,rem ad pacificationes deduci fuiſſet paſſus. In hoc bello Cantacuzeni virtus enituit.

Imperator,adiunctis ſibi Turcis,Mitylenæos,& Phocenſes oppugnauit;cúmque Iohannes, comes Ætolorum, & Acarnanum,qui fratre Thoma obtruncato, principatum inuaſerat,violenta morte interiiſſet,relicta vidua, & impuberibus liberis, Imperator recuperandæ Theſſaliæ magis,quàm arcendis,aditu Europæ,Turcis,intentus,hos in derelicta Aſia confirmare ſeſe, & proferre imperium, permiſit,ad Helleſpontum vſque.Orchanes enim interea,Niceam,& Nicomediam,pertinaci obſidione,fatigatas,fame tandem domuit.

Sed & Imperator, prima expeditione, nihil profecit in Theſſalia,anteuertente eum Thoma,comitis Cephalenię filio,qui annum tum agebat quartum decimum:altera, totam ſubegit,accepto in deditionem principe. Deceſſit annos natus quadraginta quinque,imperauit viginti,relictis ex Anna coniuge Alemanna, Iohanne, & Manuele, filiis, quorum curam cùm impuberes eſſent, commendauit Iohanni Cantacuzeno.

IOHANNES PALÆOLOGVS, ET Ioannes Cantacuzenus.

ANdronicus moriens,filios,ac regnum commiſit fidei Cantacuzeni,quorum Iohannes natu maior,tunc annum egit duodecimum.Cantacuzenum Apaucus quidam, propter vafriciem,& aſtum,Imperatori charus,eiecit in exilium,obſequutus ambitioni patriarchæ:huius iniuriæ,& contumeliæ vlciſcendæ cauſſa,quinquennali bello, viduā matrem,& Iohannem filium exercuit.

Byzantio proditione potitus, crudeliter nihil in quenquā ſtatuit:ſed Imperatoriam poteſtatem, ac dignitatem vſurpauit, non excluſo tamen conſorte Iohanne; cui, vt

inter vtrumque firmior coaleſceret beneuolentia, filiam matrimonio coniunxit Sed vt regna ſocium ferre nequeunt: ita citò diſſiliit malè facta, inter vtrumque concordia. Gener exoſus potentiam ſoceri, profugit in Tenedon, adducturus noua auxilia, ad ſocerum exturbandum. Impetrauit tandem, vt à Fráciſco Cataluſio Genuenſe viro, in re nauali exercitatiſſimo, in regnum reſtitueretur, pro quo officio, Lesbum inſulam ei tradidit poſſidendam, quam poſteri, ad Mahometen ſecundum vſque, rexerunt. Socer abſente genero, cum Venetis, Catalanis, & Siculo rege, fœdus iniit, contra Genuenſes. Bellum acre motum eſt, in quo primùm nauali prælio, inter Conſtantinopolin, & Chalcedonem, quæ Scutaria hodie eſt, commiſſo: Genuenſes vicerunt, conſilio Pagani Auriæ, claſſis præfecti. Altero anno, Genuenſes, & ad Corſicam, à Nicolao Piſano Veneto, victi, vnam, & quadraginta triremes amiſerunt, quæ, cùm epibatis, ſubmerſæ perierunt.

Poſt hanc cladem, cùm Genuenſes ſe, ſuáque Archiepiſcopo Mediolanẽſi permiſiſſent, Auria, reparata claſſe, Piſanum Venetum, ad Peloponneſum ſuperatum, captúmque, cum millibus quinq; Genuam in carcerem perduxit.

Cantacuzenus Palæologo reduci ceſſit, & imperio abdicato, ſeſe in monaſterium abdidit. Andronicũ filium natu maiorem, Imperatorem creauit: Manuëlem minorem, deſpotæ inſignibus, ac dignitate ornatum, præfecit Spartæ in Laconica, quam hodie Mizothram vocant. Filiam, multò ante, tradiderat in vxorem Orchani Turco, vt amicis Turcis vteretur, cùm ſe Græcis infenſum eſſe ſciret, & quod in Imperium ſeſe ingeſſiſſet.

Andronicus à Palæologo, tanquã æmulus, regno pulſus, confugit in Rhodum; vbi cùm fruſtra imploraſſet fidem, & opem magni magiſtri Rhodiorum, reuerſus ad fratrem in Peloponneſum, cum eo, reliquum vitæ, conſumſit priuatus. Iohannes regno potitus, Italiam adiit, cõparaturus auxilia, ſed contumelioſè acceptus, ac tractatus, cum rediiſſet Byzãtium, & vrgeretur inſuper bellis Bulgaricis, & Seruianis, ita amicitiam iniit, ac fœdus cum Amurathe, vt ſe, & regnum in fidem illius traderet, promiſſo tributo, quod conſtituerat, & Theodorum natu minimum filium, obſidem dederit, qui caſtra ſequeretur.

Hæc initia fuerunt ſeruitutis triſtiſſimæ, quę Conſtantinopolitanis Imperatoribus, præter inane nomen, aliud reliquit nihil. Deinceps, ita in Turcorum fuerunt poteſtate,

vt

vt militate cogerentur per ſe, & filios, contra quos illi vellent, & ad imperata præſto eſſe; quotieſcunque vocarentur, nec capeſſere, aut vſurpare Imperium auderent, niſi poteſtatem precariò à Turcis obtinuiſſent, niſi vim hoſtilem experiri vellent.

Iohannes Imperium, dum abſuit, Andronico primogenito commendauit. Theſſalonicæ Emanuelē pręfecit. Andronico accuſato, de crimine læſæ maieſtatis, quòd, cum Amurathis filio, in cædem illius conſpiraret, viſum ademit, feruido aceto in oculos infuſo. Theodorum Baiazetes extinctis Cātacuzenis, impoſuit Peloponneſo. Sed ne quidē in hac calamitate, à factioſis, & perfidis cōſiliis, ac molitionibus abſtinuerunt. Andronicus enim, quanquam cęcutiens, ad Baiazetem profectus per hūc, patri regnum eripuit, & illum inſuper, cum Emanuele fratre, in tetrum carcerem incluſit, vnde, tertio anno, Emanuel elapſus, fratrem rurſus, Baiazetis cōſenſu, exturbauit, ac cum Iohanne filio victum in curiam miſit.

EMANVEL PALÆOLOGVS.

EManuel, fratre iiſdem artibus excuſſo, quibus patrem ille ſummouerat, regnum obtinuit à Baiazete, his conditionibus, vt tres myriades aureorum nummorum, annuatim penderet; Philadelphiam, cuius obſidio, & oppugnatio aliquoties fruſtra tentata erat, traderet: iureiurando fidem Baiazeti ſuam obſtringeret, obſides daret, & auxiliares copias Turcicis, vbicūque bellum gerēdum eſſet, adiungeret. Sed non fuit infidi tyranni diuturna, erga Emanuelem, beneuolentia; & animum, vt in tyrannis omnibus, calumniis patentem, atque ad ſuſpiciones pronum, & iam ante rumuſculis quibuſdam nonnihil alienatū, magis incendebat Iohānes, Andronici filius, odio patrui. Itaque Byzantium obſedit Baiazetes, cūmque vi capere non poſſet, fame exhaurire conſtituit, quod perfeciſſet, niſi improuiſa irruptione, Tāberlanis cythæ, fuiſſet abſtractus.

Emanuel ſuſcepturus nauigationem in Italiā ad corrogandam, in belli ſumtus, pecuniam, & impellendos reges Occidētis, vt cōiunctis viribus in Turcos mouerent, Iohānem Andronici filiū, qui Baiazetis gratia exciderat, quòd colludere cum Emanuele putaretur, recōciliatis volūtatibus, regno, ſe abſente, pręfecit. Theodorus frater, in ea trepidatione, quam obtulit Græcis Byzantina obſidio, Argos vrbem, & Nauplium Venetis: Spartam Rhodiis vendidit: ſed hæc ad Palæologos rediit: Argos deleuerunt Turci.

Filios Emanuel ex coniuge Turcica, vidua regis Trapezuntini, ſuſcepit ſeptem: Iohanni regnum deſtinauit, conciliatis ei nuptiis filiæ Marchionis Montisferrati: Andronico Theſſalonicam attribuit, quam ille, ſeu odio fratris Iohannis, ſeu ex deſperatione, vendidit Venetis, & in Peloponneſum profectus, fratrum beneficio Mantinęam poſſedit. Incidit in elephantiaſin; & Theodorum filium commendauit Theodoro Porphyrogenito fratri, ſpe ſucceſſionis in Peloponneſo, cùm liberis Theodorus careret. Tertium Emanuëlis filium, alij Emanuelem, alij Micaelum nominant, de hoc certi nihil traditur.

Quartus Theodorus Porphyrogenitus, ex principatu Peloponneſi innotuit, quo non contentus, Amurathe arbitro, fratri Iohanni, conatu plane furiali, de Imperio iam deplorato, litem intendit. Duxit in vxorem filiam Reinerij principis Corinthi, Thebarum, & Athenarum.

Hic Reinerius Florentiæ, è familia Acciaiolorum oriundus, Atticam, Bœotiam, & Corinthum Catalanis, id eſt, Hiſpanis ademit, tunc cùm Pontificis Romani impulſu, Itali ad Græciæ direptionem, ceu ad prædam egreſſi, alij alias partes adorti eſſent, ac depopulati. Genuêſes enim Achaiã, & partem maximam Elydis, Pylum item, & Meſſanam: Veneti inſulas, & reliquam littoralem Peloponneſum, abripuerunt, in qua ſunt Methone Naupliũ, Naupactus, Pylum, Corone, Cryſſeum: Genuenſibus vero Eubœam extorſerunt: Hiſpani Phocidem, & alicuius partis Atticæ, Bœotiæ, Theſſaliæ, & Peloponneſi dominium conſeruarunt. Mediterranea Peloponneſi, Palæologi retinuerunt. Neapolitani, duce Carolo, è familia Beneuẽtana, Tochiorum, Acarnaniæ, & Ætoliæ partem, & Cephaleniam, Zacinthum, atque Echinades inſulas inuaſerunt, quas poſtea interceperunt Veneti. Nec in his occaſionibus ſibi defuerunt Bulgarorum, & Seruiorum proceres, in Epiro, Macedonia, Ætolia, & Theſſalia, ne quid ad fatalem ruinam. & interitum Græciæ, vlla in parte deeſſet. Sed nulli diu his Imperiis gauiſi ſunt, vt dicetur.

Reinerius iuncta cum Liguribus affinitate, qui Eubœam tenebant, Philippi Auriæ filiam duxit in vxorem. Ex hac filias ſuſcepit, quarum vnam Theodoro Palæologo, alteram Carolo Acarnano, deſpondit. Habuit & filium nothũ, Antonium, cui Bœotiã tradidit, cum vrbe Thebana. Corinthum Theodoro genero, dotis loco conceſſit. Athenarum vrbem Venetis reliquit, quam paulo poſt, Antonius filius

lius

lius bello ab illis recepit; hic duxit in vxorem priuati ciuis Thebani viduam, & filiam adoptiuam elocauit Galeoto Malateſtæ, Ariminenſi, Æginæ domino. Antonio mortuo, vidua ab Amurathe impetrauit pecunia, vt principatum relinqueret Nerio Acciaiolo, quem ob cognationem, cum Antonio fratre, maritus euocarat, è Florentia, in ſpem ſucceſſionis.

Nerio mortuo, Mahometes rurſus viduæ, cum paruulo filio ſupplici, poſſeſſionem principatus, pecunia vendidit. Hæc poſtea exarſit amore Veneti mercatoris, qui filius erat Petri Palinerij, præſidis Nauplij, & domi vxorem habebat, cum hoc pacta eſt, ſi diuortium faciat cum vxore, ſe ipſi nupturam eſſe, & collocaturam eum in principatu: Venetus incenſus cupiditate, cōiugem domi veneno ſuſtulit, & viduam duxit. Sed cùm ſæuitiam exerceret in viros nobiles, Athenienſes pertæſi tyrannidis, accuſarunt eum apud Mahometem. Cúmque ad hunc profectus eſſet, vt pecunia, & culpam, & pœnam redimeret, Mahometes eum interfici iuſſit. Ita primum ipſe ſcelerum pœnas dedit.

Poſtea, cùm Mahometes, parui hęredis cognato Antonio principatum attribuiſſet, is mulierem, quæ propter libidinem, ſpecie coniugij, vrbem in Venetum mercatorem tranſtulerat, carceri incluſam Megaris necauit. Ita & mulier diuinitùs punita eſt. Hæres, matre orbatus, cùm ſibi quoque à cognato eripi principatum videret, accuſat eum apud Mahometem, de nece matris.

Mahometes igitur videns, non eſſe finem parricidiorũ, in ea familia, mandat præſidi Theſſaliæ, vt Athenas occupet. Ita in Mahometis poteſtatem Athenæ redactę ſunt, vbi poſtea propter ciuium ſeditiones, arcem, & magnam partem vrbis, victor deleuit. Nunc tantùm ἐρείπια reliqua ſunt, caſæ piſcatorum, & colluuies peregrinorum hominum, qui ex barbaris gentibus, caſu eò confluunt. Hic eſt vrbis finis, quę, & exempla virtutum egregia habuit, & domicilium fuit doctrinarum, & res honeſtas, ac magnas, ſapienter, & fortiter geſſit, contra Perſas, & in Imperio moderatior fuit Spartanis, ac Thebanis. Súntque duo millia annorum à Solone, vſque ad hunc Mahometum, euerſorem Athenarum.

Theodorus, inſtaurato, ex quadratis lapidibus hexamili muro, in Iſthmo, duo maria, Ionium, & Ægeum, ad ſinus duos Corinthiacum, ac Megaricum, coniunxit, atque ex ea parte, Turcis aditum, terra ad Peloponneſum, interclusit.

Demetrius, quintus Emanuelis filius, aduerſus Albanos, vindicauit Peloponneſum, auxiliis Turcicis, pro quo beneficio, quindecim millia aureorum nummorum, tributi loco, Turcis annuatim ſoluit. Tandē dedidit ſeſe, & Spartam Mahometi.

Thomas, ſextus filius Emanuelis, capta Cōſtantinopoli, & Peloponneſo amiſſa, Romā venit, adductis ſecū duobus filiis, & totidem filiabus: filiorum alter Andreas, ibi ducta vulgari meretrice, in vxorem; vitam turpem, & infamē egit, alter Emanuel, ad victorem Mahometem reuerſus, in carcere vitam finiit. Filiarum Helena, nupſit Lazaro Seruiæ regi: Zoë Iohanni Roſſorum principi, quæ peperit Helenam, coniugem Alexandri, regis Polonorum.

Cōſtantinus ſeptimus, poſt Iohannem fratrem, regnauit.

IOHANNES PALÆOLOGVS.

HVius nullæ commemorantur res geſtæ, nec conari quicquam potuit, circunſeptus vndique, atque concluſus ab hoſtibus, & omni exutus potentia. Inuitatus ab Eugenio Pontifice, venit in Italiam, cum celebraret Concilium Florentinum. Inde reuerſus domum non diu ſuperuixit.

CONSTANTINVS PALÆOlogus vltimus.

COnſtantinus ante Imperium, ſæpe fortiter, cum Turcis conflixit, in Peloponneſo, & Theſſalia. Sed cum Amurathes Heracleam expugnaſſet, animo fractus, & penè in deſperationem actus, ad conditiones pacis, quas victor tuliſſet, ſupplex ſeſe obtulit, hexameli murū, qui erat Peloponneſi propugnaculum, illius iuſſu deiecit: hunc, tumultuario opere, reſtituerunt Veneti, ſed Mahometes rurſus deſtruxit.

Hoc Imperatore expugnata, & capta eſt à Mahomete, Conſtantinopolis, poſt obſidionem dierum quatuor, & quinquaginta, quarto Cal. Iunij, id eſt, die Maij viceſimo nono, anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo tertio.

Obſidionem, tradunt, inchoatam eſſe nonis Aprilis, & intra mœnia, præter vrbanam multitudinem, tantùm fuiſſe ſex millia Græcorum militum, & auxiliariorum Venetorum, & Genuenſium tria millia. Cōtrà, Mahometes adduxerat quadringenta millia hominum, quæ multitudo maximè collecta fuit ex vicinis gentibus, quę adhuc nominabantur Chriſtianæ, ex Græcia, Illyrico, Wallachia, Dardanis,

danis,ſeu Raſcis; Triballis,ſeu Seruiis, Bulgaris,ſeu Myſis. Turci pauci fuerunt, Europæis fuere admixti Aſiatici , ex Bithynia, Galatia, Lydia, & Cilicia. Sic nobiſcum bella gerunt Turcici tyranni, vt gentes cognatas nobis, nobiſcum dimicare cogant.

Oppugnationem Mahometes,terra,maríque eſt aggreſſus. Terra copias ita diſtribuit; vt,tribus in locis , muros concuſſerit,ac diſiecerit , & per ruinas tẽtarit irruptiones. Virtus in defenſoribus egregia fuit, quorum dux, Iohannes Iuſtinianus Genuenſis,multũ vſus conſilio,& opera viri fortis,atque induſtria, qui nominatur,in hiſtoriis,Iohãnes Grandis Alemãnus fortiter impetus irrumpentiũ hoſtium ſuſtinuit,atq; eliſit. Sed,quòd copiæ exiguę eſſent, & tribus in locis,ad ruinas deiecti muri,atque inſuper,ad portum , aſſidua prę̨lia, multos milites quotidie abſumerent; diu contra tantam multitudinem , ſufficere non potuerunt, præſertim cùm vtrinque cuniculi acti eſſent, etſi in his,conatus foſſorum Turcicorum,fuerunt irriti.

Adduxerat tyrãnus Turcicus, ex diuerſis littoribus,maris Ægæi,& Euxini, ducenta, & quinquaginta nauigia,vt portum Byzantinum obſideret,& littora nauibus,tãquam ponte iungeret. His , in portu, oppoſitæ fuerunt ſeptem Genuenſium, tres Cretenſium, & aliquot ex Chio naues. Fuit & portus ipſe , catena ferrea clauſus, ne perrumpere, & penetrare in eum claſſis Turcica poſſet. Eruperunt & propugnatores per occaſionẽ, ac cum Turcis fortiter præliati,claſſem eorum, iniecto igne, ad eum modum corruperunt, vt aliquot diebus ſine vſu fuerit. Tandem tamen Turci effracto, qui obſeratus erat catenis , ceu repagulis. aditu, intra portum peruaſerunt. Ibi , cùm terra maríque quaſſatis,ac proſtratis muris,tyrannus ſpem expugnandæ vrbis concepiſſet , irruptiones ex potu , & aliis locis,totis viribus tentatæ ſunt.

Stetit ſpectator tyrãnus in vicino colle,cohortatus ſuos, vt fortiter muros conſcenderent, & vociferatus horribili vlulatu,ſicubi repelli eos,aut interfici vidit,minitatus etiã cedentibus. Nam & cohortes, quas, velut triarias,apud ſe retinuerat,ſummiſit,quæ cedentes iugularent.

In hoc prælij feruore,etſi ſpes victoriæ animũ, & robur defenſoribus addidit,præſertim, vbi cæſorum multitudine,exercitus Turcicos animaduerterent nonnihil turbari, tamen rurſus conuerſa eſt prę̨lij fortuna, Iuſtiniano Genuenſi vulnerato , qui etſi obteſtaretur eum Imperator

Palæologus ne fugeret, ex ſua turri, cùm vulnus non eſſet lethale, tamen deſeruit ſtationem, nullo alio in eam ſpeculam collocato, fractus animo potius, quàm vulnere. Fugam ducis ſequuti milites, ſpeculam nudarunt. Hoc animaduerſo, Turci, magno agmine, in ea loca infuſi, vrbem occuparunt.

Iuſtinianus in vicinam Peram euaſit, vnde poſtea, in vicinum Chium nauigans, ſeu vulnere, ſeu mœrore animi, extinctus eſt. Imperator Palęologus, cum multis aliis, quibus ſpes vitæ in fuga erat, ſi ex vrbe effugiſsēt, in ipſa porta, vel trucidatus, vel colliſione multitudinis, conculcatus eſt. Nam in porta octingenta cadauera reperta ſunt.

Victores Turci graſſati per vrbem, & obuios quoſque, & abditos in ædibus ſenes, matronas, virgines, puberes, & impuberes crudeliſſimè trucidarunt. Raptæ ſunt matronæ nobiles & virgines ad ſtupra: quæſita eſt præda in omniū ædibus, & templis, quam Mahometes, ſi vrbs caperetur, militibus tribuerat. In templis, picturę Chriſti contumeliis affectæ, & omnia in vrbe, toto triduo, ſcelera commiſſa ſunt, quę gens barbarica, impia, libidinoſa, obſcœna, auara, & crudelis, in capta vrbe regia, opulenta, & ornatiſſima, audere potuit.

Poſt triduum, Mahometes vrbē ingreſſus, tumultus ſedauit, & inquiſitos proceres aliquot, qui adhuc reliqui erant, diſſecari iuſſit. Narrant & in conuiuiis Turcicis, honeſtas matronas, & virgines, etiam ex regia familia, poſt alias contumelias, per ludum in fruſta conciſas eſſe.

Talem, cùm vrbium omnium regina, in toto genere humano, experta ſit ſæuitiam, obſcœniſſimorum, & crudeliſſimorum latronum: exemplo moueamur, vt cogitemus de pœnis, quæ aliis gentibus, & vrbibus impendent, ac metuentes iudicium Dei, exuſcitemus nos, ad veram Dei inuocationem, ac petamus aſſiduis gemitibus, vt Deus, propter Filium, & ſeruet inter nos Eccleſiam, & mitiget pœnas. Nec tātùm pœnæ exemplum intueamur: ſed & de antegreſſis principum, ac gentis Græcæ peccatis, cogitemus, & petulantiam vſurpatam in lacerando regno, diſcordiis, ac bellis ciuilibus, conſideremus: & moti exitu triſtiſſimo, viuamus modeſtiùs, foueamus, ac tueamur concordiam, nec diffidentia, ambitione, cupiditate vindictæ, aut pleonexia, turbemus tranquillitatem communem, ne diuulſis nobis, & laniena mutua, vel præconſumtis, vel attritis, accidat, quod euenit Genti Græcæ.

Sunt

Sunt autem à Xerxis fuga, vſque ad L. Septimium Seuerum, qui Byzantium triennio obſeſſum, tandem fame expugnauit, atque euertit, anni ſexcenti, ſeptuaginta quatuor, quibus annis floruit vrbs.

Conſtantinus Magnus, circiter annum, poſtquam deuaſtata fuit à Seuero, centeſimum ſextum, eam reſtituit, & ornauit: inde, vſque ad hoc excidium, ſunt anni mille, centũ viginti vnus. Interea, etſi domeſticis, & externis bellis interdum quaſſata eſt, & principes habuit diſſimiles, manſit tamen, & arx Imperij Orientis, & præcipua doctrinarum ſedes, & hoſpitium Eccleſiæ, ſed aliàs magis, aliàs minus puræ. Nunc, deletis Eccleſiis, bibliothecis, & ſtudiis doctrinarum, ſublatis ordinum gradibus, Senatu, & magiſtratibus, & extinctis, vel oppreſſis nobilibus familiis, arx eſt blaſphemiæ Mahometicæ, & ſtabulum Turcicorum latronum, qui doctrinas, honeſtam diſciplinam, leges, cõiugiorum fœdus, caſtitatis decus, furenter contemnunt, & nulla ciuilia ornamenta magnifaciunt. Tantùm ardent infinita cupiditate dominationis, quam tamen nihil aliud intelligunt, niſi facere vaſtitatem in genere humano.

Accidit vrbi idem, quod, oraculi verſu, Macedonibus ſignificatum fuit, vt Conſtantini nomen vrbi fatale, & Conſtantinus imperans *ἀγαθὸν ϗ πένια* eſſet. Ambitum vrbis eſſe tradunt centum, & vndecim ſtadiorum, id eſt, milliarium Germanicorum trium & dimidij.

DE REBVS TVRCICIS.

QVibus initiis, occaſionibus, & ſucceſſibus, & quo tempore Turci primùm, in Aſia, vires acquiſiuerint, ac regnum conſtituerint, & quomodo, cùm vni ſubiecti eſſent vniuerſi, tanquam regi, cæteri proceres tamen, huic, principatu, per cædem, abrogato, & copiis, quaſi per turmas diuiſis, ampliſſimas regiones inter ſe diuiſerint, & quod Tartari rurſus, hos oppreſſos, ínque anguſtum coactos, grauiter afflixerint: ſupra oſtendi. Quanquam autem hæc procella irruptionis Tartaricæ, remorata fuit nonnihil, ac retardauit progreſſus Turcicos, à tergo, apud eos, qui ab Europa longius ad Perſidem, & Caucaſeos montes habitarunt, anteriores tamen, & Helleſponto viciniores, nullis vnquam occaſionibus, imbelles Aſiæ populos infeſtare, & Conſtantinopolitanas vires, iam languidas antea, magis magíſque carpere, ac defatigare, deſtiterunt.

Tandem Tartarici turbinis impetu, ſponte exoluto, qui opes ſuas, illos conferre in vnum, atque conſentire coë-

gerat, cùm fuiſſent antea, ex potentiæ æmulatione, diſcordes: tunc ergo ita vires priſtinas, animóſque priſtinos receperunt, vt non tantùm prouincias priores, fœliciſſimo, ac celerrimo progreſſu, recuperarint, ſed plures Byzantinis Imperatoribus ademptas, acquiſiuerint, & vniuerſas, ceu in Tetrarchias diuiſerint, quibus ſinguli, poteſtate regia, imperarent.

Caramanno Aliſmeio obuenerunt pleraque mediterranea Phrygię, ad Philadelphiam vſque, & Antiochiam, quæ Meādro adiacet. Hinc quicquid ad Smyrnam vſque, & interiorem Ionię oram pertinet, ceſſit Sarchani: Magneſiam, Prienen, & Epheſum, Saſon occupauit. Quidquid verò à Lydia, & Ætolia ad Myſiam vſque, & Helleſpontum porrigitur, id Calames ſibi, & filio Ceraſo, vendicauit. Quæ circa Olympum ſunt, & Bithyniam omnem, Ottomannus obtinuit. Reliquam à Sangorio flumine regionem ad Paphlagoniam vſque, Amuriadę inter ſe ſunt partiti.

Hęc partitio incidit in tempus interregni, & paucis annis anteceſſit Imperium Rodolphi in Occidente, circiter annum Chriſti, milleſimum, ducēteſimùm, octogeſimum. Sed cùm inter ſeſe diſſiderent proceres, déque regnorum ac prouinciarum finibus, impunè bello contenderent. (negligebatur enim Aſia, Europa occupata bellis domeſticis: vtrobique in Italia, & Græcia) cæteris oppreſſis, extulerunt, & confirmarunt ſeſe quatuor præcipuæ familiæ, Aſſimbei, Candelori, Caramanni, Ottomanni.

Candelori Sinopem regionem, circa Pontum, Caramāni Ciliciam cùm obtinuiſſent, diu Ottomannicis armis reſtiterunt. Vtraque tamen familia, Mahometis Ottomanni, victrici dextra, regnis pulſa, confugit ad opes Aſſimbei, qui Cappadocum terras, & minorem Armeniam poſſidebat. Ex Aſſimbeis, natus eſt Vſumcaſſanes, qui interfecto Malaonchre, oriundo apud Parthos, ex ſtirpe Gempſæ magni Parthorum Sultani, cuius, in Oriente, latum Imperium ad Bactrianos, & Aracoſios vſque, ſeſe extendebat, hoc ergo interfecto, regnum Perſicum, vi, fraudéque adeptus, Ottomannis hoſtis formidabilis, & grauis extitit.

Cauſſa diſſidiorum, inter gentes cognatas, originis morum, & linguæ eiuſdem, fuit non tantùm æmulatio potentiæ, ſed etiam diuerſitas impiæ, ac blaſphemæ religionis. Etſi enim Mahometē colerent vniuerſi, opiniones tamen, acritus Ottomanni ſequebantur, quos Halis Mahometis interpres, ac ſocius, ſcribendo, docendóque, poſteris tradiderat,

diderat. Reliqui Homaris placita,atque decreta præferebant,à quibus illa,magna ex parte,diuerſa erant.

Eo vſque autem proceſſit hæc odiorum acerbitas, inter ipſos,iuſto in blaſphemos hoſtes Dei iudicio,vt bellorum, & cædium mutuarum finem,non fecerint, niſi poſtquam veterum Turcorum reliquiæ, radicitus extripatæ eſſent. Paucos enim origine,& ſanguine Turcos ſupereſſe dubiũ non eſt,nec fortuna tanti Imperij, niſi aſciti è Chriſtianis hominibus,traductíque ad Mahometiſmum,militis robore,& viribus conſtat.Quapropter etiam vſus patrij ſermonis pene exoleuit,& regnat Heneta lingua.Patrius ſermo, non niſi proceribus,qui è Turcorum familiis ſuperſunt,in vſu eſt.

Etſi autem diu,inter ſe,hæ familiæ certarint odiis,& armis, tyrannidem tamen,vna tandem Ottomannidorum familia obtinuit,cæteris vel deletis,vel oppreſſis. Hæc ab exiguis orſa initiis,incredibili ſucceſſuum celeritate, creuit in immenſum,& ſuo quodam fato,& quia Deus ad punienda omnium gentium peccata,tam late graſſari ſæuam gentem voluit,ſicut in Prophetis,multis ſeculis ante, prædictum fuit,tale futurum eſſe regnum Gog,& Magog.Sed occaſiones inuaſionum,& victoriarum tantarum cauſſæ, extiterunt à diſcordiis, ſceleribus, perfidia,ignauia,auaritia, leuitate, diffidentia omnium ordinum, orbis Chriſtiani,ſummorum,& inferiorum.Nam ex defectionibus etiam Chriſtianorum ſpontaneis,plurimum potentiæ Turcicæ acceſſit, quòd ſubinde aliqui licentiæ militaris cupidi,& moti ſucceſſibus,ab Eccleſia, ad ſectæ Mahometicæ ſocietatẽ deſciuerunt:& quia licentia, per ſeſe,hominibus grata eſt, & quia, quò ſe fortuna inclinat, eò fit & voluntatum inclinatio,& omnibus ætatibus prophani,aut ſecuri,quorum ingens eſt multitudo in Eccleſia, iudicant de religionibus,ex Imperiorum ſucceſſibus. Etenim non ſolùm propter opinionum, ſed euentuum etiam & fortunæ diſſimilitudinem, in genere humano,quæſiuerunt,& quęrunt multi, ſit ne aliqua Dei eccleſia, diſtincta à cæteris gentibus,& quæ,& vbi ſit: præſertim cùm & olim maxima pars generis humani quando floruerunt, ordine,quatuor Monarchiæ,ignara fuerit eius doctrinæ,quæ Eccleſię propria eſt,& nunc Mahometica barbaries complectatur præcipuam potentiam orbis terrarum. Quomodo autem conſentaneum eſt,pauculos,& miſeros, & crebris prœliis fractos,Deo curæ eſſe? Illos vero florentes fortuna,victo-

riis, Imperiis, à Deo abiectos eſſe, cùm quidem fateri neceſſe ſit, Imperia diuinitus conſtitui?

Quanquam igitur potentia Turcorum eſt, & fuit, annis amplius ducentis, maior, quàm vllius Monarchæ orbis terrarum, non tamen exiſtimemus, dignitatem Turcici tyrãni maiorem eſſe: quia dignitas Imperij nõ eſt in illa Barbarica tyrannide, ſed apud eas gentes, in quibus ſonat vox doctrinæ cœleſtis, & coluntur aliæ diſciplinæ, neceſſariæ Eccleſiæ, & communi vitæ: vbi leges diuinæ, & ex his extructæ aliæ honeſtæ leges, vigent, & regnant: vbi iudicia legitima exercentur, & virtuti habetur honos, ac tribuuntur præmia: ſcelera, voce diuina, prohibita, & pœnis publicis iudicij diuini vindicata, puniuntur: vbi locus eſt honeſtis congreſſibus hominum, & honeſtę familiæ conſeruantur, ac iuſtis armis proteguntur.

Hæc apud Turcos hoſtes Eccleſiæ Filij Dei, & iuſtorum Imperiorum, non fiunt, quia doctrinas, cœtus docentium, ac diſcentium, honeſtam diſciplinam, leges, ſocietatis humanæ vincula, politias ad pietatis, & humanitatis cultum accommodatas, iudicia legitima, fœdera cõiugiorum, nobiles familias diſſipãt, ac delent. Quid enim fuit aliud Turcicum Imperium hactenus, quàm aſpera, crudelis, & perpetua militia, occupata in efficienda paſſim vaſtitate, delendis legibus, vrbibus, regnis, ac politiis bene conſtitũtis, duriſſimo ſeruitutis iugo, ceruicibus captiuorũ imponendo, proferendis in infinitum limitibus dominationis, cuius adamantina vincula ſunt, & fuerunt, ἡ εὔνοια καὶ προθυμία καὶ χάρις ἐγγινομένη ὑπ' ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης, vt in iuſtis, & moderatis Imperiis. ἀλλὰ φόβῳ καὶ βίᾳ καὶ νεῶν πλήθει καὶ βαρβάρων μυριάνδρῳ φυλακῇ. Quare, etiamſi potentia eſt magna, tamen, cùm nihil habeat ſimile illis antiquis Monarchiis, quæ deletis tyrannis, leges, & iuſtitiam reſtituerunt, & iniuſta onera ſunt moderatę, vix meretur Imperij nomen, prӕſertim cùm & voce diuina, ante multa ſecula, tyrãnis illa ſit damnata, quæ teſtimonia Deus extare voluit, ne pij, moti potentia, & ſucceſſibus, deficerent a Filio Dei.

Non ergo quæramus Imperium in illa barbarie, ſed grati agnoſcamus ingens Dei beneficium, quod Imperij Romani rudera, nobis conſeruauit, & aſſiduis gemitibus, ac votis petamus, ne ſinat Deus Eccleſias deleri, & fieri talem barbariem, ac vaſtitatem, qualis eſt in magna parte generis humani, ac præſertim quam late Mahometica tyrannis dominatur.

Hæc,

Hęc, de gente Turcica, poſtquam pręfatus ſum, nunc de ſingulis tyrannis pauca adiiciam, ex prolixis & cõfuſis hiſtoriis decerpta, quæ tamen, legẽtibus hiſtorias ipſas, laborem lectionis aliquantulum leuatura eſſe, confido, certè vt multi cognoſcant, reipublicę intereſſe iudico.

Optarim & principes ipſos, cùm in inquirendis hiſtoriis Turcicis diligentiores, tum in defenſione patriæ coniunctiores, & acriores eſſe, ac, ſi magis noſſent eam gentem, & formam Imperij ipſorum, & exempla ſæuitiæ, & militiæ genus, &, pręliandi cõſuetudinem, magnitudo rerum, excitaret generoſos animos, ad maiorem curam defendendi patriam, Eccleſiam, leges, familias nobiles, honeſtas politias, diſciplinam, doctrinas. Quanquam enim, per ſe, bella etiam iuſtiſſima, ac mitiſſima, quid ſunt aliud, quàm tragicæ, & triſtes pœnæ, quæ nõ in ſingulos, ſed vniuerſos, in familias totas, magnas, & paruas, reſpublicas, leges, iudicia, horribiliter graſſantur? …ης γὰρ τύραννος, Νόμος ὁ βασιλεύς tamẽ Turcica longè ſunt triſtiora, quibus infinita, & perpetua efficitur vaſtitas in omnibus rebus. Et qualis ſit gubernatio Turcica, nomen, & euentus oſtendunt. Turca enim vaſtatorem ſignificat, & res oſtendit, partem terræ, quæ vrbes habuit plenas artium, Eccleſiarum, & aliorum ornamentorum, ita vaſtatam eſſe à Turcis, vt nunc barbarica ſolitudo ſit, ſine luce doctrinæ, ſine legibus, ſine iudiciis, ſine ordine vitæ.

OTTOMANNVS.

INter nobiliores Scythici ſanguinis familias, & vetuſtatis dignitate pares, quæ religionis ſimilitudine, & fœderibus ſeſe, aduerſus finitimos, ſuæ gentis, & alienos, cõiunxerunt, celebrantur Eureneſij ſeu Ebrenes, Thuracambi, ſeu Turacani, Michalogli, Malcocij, & Ogucij. Ex Oguciis, Orthogules pater, & Ottomannus huius filius, audacibus conatibus, & armis penè inuictis, tantùm gloriæ, authoritatis, & potentiæ, præ omnibus aliis, conſequuti ſunt, vt cæteris citra inuidiam, & contentionem, principatu cedentibus, ſoli deinceps imperarint,

Traditur adhuc, harum familiarũ poſteritas, apud Turcos reliqua eſſe, & in honore haberi: ſed non admitti neque ad purpuratórum dignitatem, neque ad poteſtatem magiſtri equitum, ne ſcilicet, immodica virium freti potentia, ad Imperium aſpirent. Opulentiores tamen eſſe exiſtimantur cæteris, & prærogatiuis peculiaribus ornantur. Reditus magnos ex re pecuaria, fundis, & perpetuis

ſtipendiis,percipiunt. Nam his agros poſſidere cōceditur, cùm reliquis,ex Chriſtiano ſanguine,oriundis,ſiue militię adſcripti, ſerui ſint,ſiue incolę, liberi, non liceat alios habere fundos, quàm quos à principe, agrorum domino,ad annuum vectigal,impetrarunt.

Peculiariter autem Michalogli,in militia,voluntariis equitibus præficiuntur,quos Acanzes ſua lingua vocant,id eſt,anteuerſores, & plerunque centum millium equitum numerum implent. Reliquis commendantur præfecturæ: cúmque ex Aſiaticis,digniores, Imperatorum filiis deſtinentur:ſicut Amaſiæ,in Cappadocia, Iconij,in Lycaonia, Magneſiæ,in Ionia:ex Europæis,Peloponneſiaca,quęMorea dicitur,Turacanis:Boſnenſis, in Illyrico,Malcociis:Ebrenibus Samandrica,in Triballis attribuitur.

Primus autem Ottomannus, & regiam dignitatem, & Ottomannorum cognomentum, in familia Oguciorum, adduxit, quod ipſe nomen ſortitus eſſe creditur, à tenui Galatię oppido,Ottomanzicum hodie vocatur, & à Pruſia Bithyniæ metropoli, verſus Trapezuntum, diſtat ſex dierum itinere.

Sedem hic habuiſſe traditur,iuxta Myſiam,in vico Iteę, diſtante octo milliaribus à Ponto, quem vicum Soguta, patrio nomine vocant.Inde profectus, cùm Imperium Aſiæ,ingenti ſpiritu, ſibi deſpondiſſet, plurima munita loca Ponti,in deditionem accepit.

Sed cæteras victorias illuſtrarunt, edomitæ clariſſimæ vrbes Aſiæ,Natolia,& Ancyra in Phrygia:Sinope in Galatia,celebris ortu,ac ſepultura Mithridatis:& Sebaſtia Cappadociæ,quæ hodie Siua eſt. His ſucceſſibus,terrorem ingentem,& cognatæ gentis principib. & Gręcis intulit:Pruſiam,ab hoc etiã Bithyniæ metropolin, & Aſiatici Imperij caput, ad Olympum montem, fame expugnatam eſſe,aliqui referunt,quòd Orchani filio,& alij tribuunt.

Græci tunc Natoliam vocabant, voce corrupta,ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, quicquid in Aſią, Græco Imperio ſubiectum vergebat in ortum:in Europa,circumiectam Conſtantinopoli Thraciam appellabant Romaniam,inde,quòd Conſtantinopolis Νέα ῥώμη,inſtituto fundatoris, ſeu potius inſtauratoris,diceretur.

Natoliam,ante Ottomannum, verſus Pontum,& Cappadociam,à prouinciis Turcicis,dirimebat Sangarius fluuius:verſus inferiorem Aſiam, Phrygia,Lycia,& Meander fluuius.Sed limites hos citò ſuperauit Ottomãnus, Nato-

liæ

liæ tamen, & Romaniæ appellationes, Turci etiam retinuerunt, debellata iam Aſia & Thracia.

Initia tyrannidis Ottomannicæ, collocantur in annum Chriſti, milleſimum, trecẽteſimum. Ottomannum ipſum, cùm bellis aſſiduis, per annos octo, & viginti, potẽtiá auxiſſet, ac ſtabiliuiſſet, anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, viceſimo ſeptimo, fato functum tradunt, cùm non ita multò ante octo millia Turcorum, in Europam, tranſmiſſo ad Cherſoneſum Helleſponto, hoſtilibus animis, irrupiſſent, ducibus Meleco, & Hali: qui, vt dixi, initio Catalanis coniuncti: deinceps, cum ſeſe præda opima ditaſſent, ab iiſdem rurſus diſceſſerunt, & diuiſi inter ſe quoque, alij ad Triballos ſeſe contulerunt, alij impetrata facultate redeundi in Aſiam, Cherſoneſum occuparunt: ſed à Græcis inde rurſus expulſi ſunt.

Filios reliquit tres, quorũ minimus natu Orchanes, occupatis militum animis, regnum obtinuit, cæſis reliquis duobus, qui inter ſe quoque diſcordes erant.

ORCHANES.

DE tyrannide impatiente conſortis, Plutarchus inquit, quod ſicut geometræ αἰτήματα poſtulant: ſic tyrannis ſit conceſſum αἴτημα, τὸ ἀναιρεῖν τοὺς ἀδελφοὺς, ὑπὲρ ἀσφαλείας. De ingeniis, & natura tyrannorum, idem inquit, quòd animam habeant conflatam ἐξ ἀσελγείας καὶ ὠμότητος. De affectione eorundem, erga reſpublicas, Demoſthenes ait: ἔστι τύραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίᾳ, καὶ νόμοις ἐναντίος. Harum regularum exẽpla, in ſequentibus hiſtoriis Turcicis, conſideremus: cúmque bonorum, & ſalutarium principum omnis vita priuata, & publica, congruere debeat ad decalogum, quia νόμος ἔμψυχος ὁ ἄρχων: in his tyrannis Turcicis, cùm non congruat, quomodo, à decalogo, in infinitum diſcrepet, expendamus.

Nec propterea boni, prudentes, iuſti, moderati, magnanimi, fortes prædicentur, ſi quid præſtiterunt, his virtutibus, aliqua ſpecie, ſimile. Bonus enim, ſapiens, & iuſtus princeps is eſt, qui ſtudium habet rectè, & iuſtè faciendi, & vt plurimùm rectè, & iuſtè facit: etiáſi quandoque labitur, & impingit, humana imbecillitate. Tales illi non fuerunt: ſed è conuerſo, aſtuti, ſubdoli, iniuſti, ad immanitatẽ vſque ſæui, audaces, [illegible] parricidæ, hoſtes legum ac diſciplinæ honeſtæ. Diſcernantur itaque hæc in tyrannis illis, hyperbolica vitia, à veris virtutibus. Nunc ad Orchanem accedo.

Filiorum Ottomanni natu minimus,tyrannidem,cæſis fratribus,adeptus eſt. Hic acumine,& ferocia expediti ingenij,elati animi faſtu,calliditate , & promptitudine conſiliorum .& victoriarum curſu, patri nulla in re inferior, liberalitate illum , & comitate ſuperauit,qua,& militum animos ſibi mirificè deuinxit , & ingentem multitudinem hominum cupidorum licētię militaris,ad ſe pellexit.Myſia enim,Lydia, Lycaonia , Phrygia,& Caria ſubactis,limites noui regni,ad Helleſpontum vſque, & Euxini littora propagauit. Pruſiam, vetuſtam ſedem regum Bithyniæ:Niceam item,& Nicomediā expugnauit: Andronicis,auo,& nepote primùm,deinde & Cantacuzeno,& Palæologo,in Europa,ciuili, inter ſe,bello implicitis : ſed Cantacuzeno plus fauit.Huius eum filiam pro vxore habuiſſe & auxilia ei contra Palęologum,& Triballos,duce Solimanno filio, miſiſſe Græcæ hiſtoriæ memorant. Alij filiam Caramanni Turci,qui Ciliciæ imperabat,nuptam illi fuiſſe tradūt,cui, ob potentię æmulationem, bellum mouenti,bonam regni partem ademit, filio inſuper in acie iugulato.

De interitu Orchanis , diſſimiles narrantur opiniones. Alij in oppugnatione Pruſię, ſagitta ictum,cùm ſpiculum humeri oſſibus infixum , ſine vitæ diſcrimine, reuelli nequiuiſſet:ex febre inde oborta, & ſanie mortifera interiiſſe, perhibent: alij conflictu , cum Tartaris, occubuiſſe,amiſſa exercitus bona parte , tradunt, cùm rebus Turcicis præfuiſſet annos duos, & viginti:anno Chriſti,milleſimo, trecenteſimo,quadrageſimo nono.

AMVRATHES PRIMVS.

GRæci ſcriptores , Orchani duos tribuunt filios , Solimannum,& Amurathen : quæque noſtri, ab Amurathe geſta , memorant, horum pleraque illi, Solimanno aſcribunt,qui Amurathen, in Imperio,anteceſſit: & cùm in Europa vitam finiiſſet , ſepeliri in Cherſoneſo Iſthmo voluit,prope filium,quem in hac expeditione amiſerat, & ibidem terrę mandauerat.

In Amurathen referunt domeſtica bella,cum ſuę gentis principibus,& præcipuè cum Caramanno Cilice,poſt oppreſſas molitiones filij Sauis , qui in patrem conſpirarat, cum Palęologi filio. Sed quomodocunque ſeſe res habeat, id,quod referam,accidiſſe , & Amurathen,in Europa bellum gerentem,obtruncatum eſſe,conſtat.

Natæ inter Imperatorē Palæologum & proceres Gręcię, diſcordię, quę in bellum ciuile exarſerunt, coëgerunt Pa-

lęologum

lęologum,cùm viribus eſſet impar iis,qui ſubnixi opibus & auxiliis Bulgaricis,rebellarant,fœdere,& amicitia iūcta cum Turcico tyranno , ſiue is Solimannus fuerit, ſiue Amurathes,auxilia,iure fœderis,poſtulare. Huius belli ſocietas,occaſionem præbuit Turcis,traiiciendi in Europā, ipſi Gręciæ,& multis vicinis terris exitialem.Inde enim initium extitit,& ruinæ Imperij Conſtantinopolitani , & noſtrorum vulnerum.

Factioſos Græciæ principes,inſtruebat Marcus Craiouicius,deſpota Myſyæ inferioris, quæ Bulgaria eſt. Amurathes duodecim millia delectorum Turcorum,in Gręciam, ſumma voluntate traiecit , vt qui iam dudum occaſiones captarat,experiundi vires Græcas,& rationem belli explorandi:his,Palæologus maturè repreſſit audaces & ſeditioſos conatus Marci,ac cæterorum.Bello confecto, remiſſis ſeptem millibus in Aſiam,facile impetrauit, vt reliquos apud ſe,præſidij cauſſa , retineret. Nec ita multo poſt,ſeu Solimannus,ſeu Amurathes,captus, ex ſuorum commendatione,vbertate,atque amœnitate ſoli,& ſummis inuitatus occaſionibus,obtinendæ regionis opulentæ,cum ſexaginta millibus Turcorum,tranſiit in Europam , tanquam ſocius vel inuiti Cæſaris , ad reliquias belli perſequendas, & pœnas expetendas ab iis,qui à Palæologo defeciſſent.Is traiiciendi prætextus fuit.

Traduxerunt copias, duæ Ligurum onerariæ naues,accepto in ſingula militum capita,aureo nummo,anno Chriſti,milleſimo,trecenteſimo,ſexageſimo tertio.

Hæ copię,mox Callipolin, in Cherſoneſo,& aliquot vicina Helleſponti oppida,vi expugnarunt,moxque, viribus confirmatis , & aditu ad Helleſpontum præmunito , naues etiam conſtruxerunt , quibus & ſupplementa exercitui,& res neceſſarias alias, ex Aſia in Græciam tranſportarent,quoties opus eſſet. Arce belli conſtituta, mox,aſſiduis excurſionibus, Thraciam peruagatæ, Philippopolin occuparunt ; & quæ ſupra Hebrum eſt,Adrianopolin , ex ruinis Oreſtiadis inſtauratam:fruſtra Palæologo , initum cum infido hoſte,fœdus,& res perditas,deplorante. Inde conuerſæ in Marcum Bulgariæ,& Lazarum Seruię,in Myſia ſuperiore,& Triballorum regione,deſpotas,& aliquot Albaniæ in Dalmatia,& Epiro proceres,qui vires coniunxerant:hos,quanquam victoris,ac ſucceſſu hoſtium, conſternatos,aperto tamen marte,congredi auſos , fuderunt, ac deleuerunt,Lazarus,eo prælio captus, vitam in carcere

ſiniit, cuius indignam necem, ſeruus, natione Triballus, eius olim cliens, vindicare ingenti animo auſus, quanquam ſe ſciret certam mortem adire, Amurathen tamen, pugione transfodit.

Præfuit Amurathes rebus Turcicis, annis viginti tribus. Periit anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo. Vir nequaquam, maiorum exemplo, vel animò ferox, vel manu promptus; ſed bello, & pace ſimulator egregius: qui, εἰς μερίδα ἀρετῆς καὶ δεινότητος τὸ ψεύσασθαι τιθέμενος, vt de Mario dicitur, religionem iuriſiurandi, & fœderum, circumſcribebat, & metiebatur ex occaſionibus proferendi Imperij; nuſquam, ſi qua ſeſe obtuliſſet augendæ potentiæ opportunitas, firma fide, aut incolumi iuramento. Filios reliquit Iaccupum, quem Solimannum noſtri nominant, & Baiazeten. Tertium Saucen, propter ſtructas, regni cauſſa, inſidias, excæcauit. Nunc ad Imperatores Occidentis redeo.

IMPERATORES OCCIDENTIS.

LVDOVICVS BAVARVS, CVI fuit oppoſitus, aliquorum ſuffragiis, Fridericus Auſtriacus, Alberti filius.

POſt Henrici ſeptimi mortem, Occidens, in menſem decimum quartum vſque, interregnum habuit. Prorogata enim fuit conſultatio, de ſucceſſore, in annum quartum decimum, ſupra milleſimum, trecenteſimū. Moræ cauſſam attulit, duorum principū, Ludouici Bauari, & Friderici Auſtriaci, æmula, de Imperio, concertatio inter ſeſe; vtroque, magno conatu, in id incumbente; vt priuſquam ad ſolennem deliberationem ventum eſſet, traduceret in ſuas partes, principes Electores; & alterum ſuffragiorū multitudine ſuperatum, repelleret. Ex hoc ambitu, cùm Electores & præoccupatos attuliſſent animos, & ſeſe diſiunxiſſent ſententiis, bellum ciuile ortum eſt.

Anno itaque milleſimo, trecenteſimo, quarto decimo, ardente cometa, & minitante venturas clades, menſe Octobri, Moguntinus, Treuir, frater Henrici ſeptimi, Iohannes Bohemiæ rex, & Woldemarus marchio Brandeburgenſis, elegerunt Ludouicum Bauariæ ducem. Cæteri, Colonienſis Henricus de Virnburg, Rodolphus Palatinus ad Rhenum, Ludouici frater, & Rodolphus dux Saxoniæ, oppoſuerunt Fridericum Auſtriacum. Viciſſe Bauarū, ſuffragio

gio Boëmici regis, qui Friderico infenſus erat, ſuſpicio eſt. Nam Rodolphus Palatinus, conſobrinum fratri prætulit. Erant .n. Ludouicus, & Rodolphus Palatinus nati ex amita Friderici Auſtriaci. Huius ſuffragationis, etſi, quas habuerit cauſſas, ignoro: tamē quàm ægrè eā tulerit Ludouicus, pœna oſtendit, quia intra biennium, poſt electionem patria eum expulit. Rodolphus pulſus, fugit in Angliam, vbi exul, poſt aliquot annos mortuus eſt. Coniunx eius Mechtilda, filia Adolphi Imperatoris cum filiis in Auſtria cōmorata eſt: vbi cùm in exilio mortua eſſet, Ludouicus, aliquanto poſt, fratris filios reuocauit ad ſe, eíſque Heidelbergam: &, in agro Norico, Ambergam, cum aliquot vicinis oppidulis, reddidit. Ita quod vſitatum eſt in ciuilibus diſcordiis initium belli fuit expulſio fratris.

Rodolphum Saxoniæ ducem, propter cognationem, & præſtātiſſimi aui Rodolphi Imperatoris memoriam, Fridericum prætuliſſe, conſentaneum eſt, cùm eſſet conſobrinus illius natus ex Hagne amita.

Woldemari marchionis ſuffragium, quod abſens ille, per literas, tribuerat Friderico, legatum Nicolaum Boonium, dolo corrupiſſe referunt.

Sed, vtut ſeſe res habeat, viciſſe ſuffragiorum numero, Ludouicum conſtat: qui, mox poſt electionem coronatus eſt vſitato in loco Aquiſgrani. Fridericus comitatu minore Bonnæ coronam accepit à Colonienſe. Neutro itaque cedente ſtatim in partes duas diſceſſit Germania. Vrbes Belgicæ & cæteræ, vſque ad Argentoratum adiunxerunt ſeſe Ludouico & vicini principes: inter quos virtute & authoritate antecelluit Fridericus, Burggrauius Noribergēſis. Helueticæ, quæ tunc Imperio patebāt, & Rheticę, diuiſæ erant. Nōnullæ Ludouico adhæſerūt odio Auſtriacorū principū: quos & vicinos & amicos expertæ erant graues nimis. Cōtra has duxit exercitū Leopoldus, frater Friderici. Cæteræ Fridericum receperunt, & inter Sueuicas, Vlma. Vterque etiam, externis auxiliis ſeſe confirmauit. Fridericus acciuit Vngaros: Ludouicus Iohannē regem Boëmorum, virum induſtrium & bellicoſum, qui hunc, odio Auſtriaci magis adiuuit quam aduerſarium Vngari.

Durauit diſcordia in annos octo, quibus variæ vices inciderunt. Dimicatum eſt quinquies, iuſtis prœliis ſed ex interuallis, & induciæ factæ, ac tētatæ ſunt pacificationes, cùm honeſti omnes dolerent, & principes cognatos ſitire ſanguinem cognatum, & cæteros pollui innumerabilibus

parricidiis. Pacificatio his conditionibus inſtituta fuit, vt, veteri more, Collegæ eſſent, pari authoritate, & vterque nomen haberet Imperatoris, & omnia edicta, omnes literæ ederentur cum approbatione, & inſcriptione vtriuſque; ſicut M. Antoninus, & L. Verus Collegæ fuerunt; & deinde Valentinianus, & Valēs; & mox Gratiamus, & Theodoſius, & multi alij. Hoc æquiſſimum conſilium, apparet à bonis, ſapientibus, & doctis viris ortum eſſe; qui auertere dilacerationes patriæ, & mutuas ciuium lanienas, ſtuduerunt.

Sed furiæ pontificiæ omnia pia conſilia impedierunt. Pontifex Iohannes viceſimus ſecundus, contendit ſe iudicem eſſe huius controuerſiæ: vt Luna à Sole lumen accipit, ita ordinatam eſſe hominum gubernationem, vt à ſummo Sacerdote Imperator authoritatem accipiat. Velle Deum caput eſſe ſummum, in terris, Petri ſucceſſorem; cui dictum eſt: Tibi dabo claues regni cælorū. Item, paſce oues meas. Hæc cùm pontificij oratores, in regū, & principum conſiliis, Periclea eloquentia, impudenter detonarent, vtrique tamen aſſentando, & honorem, atque dignitatem à Pontifice parem vtrique deferendo, alebant diſſidia, & acuebant odia.

Abiit biennium, poſt electionem, ſine dimicatione. Ceſſit enim Ludouicus Leopoldo Auſtriaco, ad Spiram occurrenti cum inſtructo exercitu, quòd ad pugnam imparatior eſſet. Cedentem verò perſequutus hoſtis, Bauariæ, incendiis, & direptionibus, magnas clades intulit.

Sed anno milleſimo, trecenteſimo, ſexto decimo, Fridericus magnum exercitum, ad oppidum Sueuiæ, Eſlingam, adducit, quæ, vt aliæ vrbes, infra Vlmam, Ludouico ſtudebat. Accedit eò & Ludouicus, inſtructus copiis vicinorum principum, & auxiliis Boëmicis. Ibi cùm vtrique ad Neccarum accedunt aquatum, prælium, ſubita occaſione, committitur; in quo, multis nobilibus viris, vtrinque partim captis, partim interfectis, æquo Marte diſceſſum eſt. Hic conflictus dolorem ſapientibus auxit, qui Cadmeam victoriam metuebant, ſi ſæpius dimicaretur; & duces conſtantiores ad prælíandum fecit. Itaq. Eſlinga obſidione liberata, nullum magnum prælium, quadriennio, factum eſt.

Sed anno, milleſimo, trecenteſimo, & viceſimo, Fridericus Auſtriacus maiorem exercitum, ad Argentorati viciniam, adducit; vbi diſſenſio erat, inter Epiſcopum, & ciues. Epiſcopus Auſtriaco ſe adiunxerat: ciues Ludouico fauebant; qui, ne ſuis deeſſet, ducit & ipſe exercitum, ad

loca

loca vicina caſtris hoſtium; vbi, quia duces vtrinque nolebant haurire cognatum ſanguinem, neutra pars ad dimicandum properabat. In his, quaſi induciis, colloquuntur, etiam multi inter ſe, ex parte vtraque, de pace, & de coniugiis deliberant. Sed Ludouicus alienus à cruenta victoria, & mutua ciuium laniena; nec tutum exiſtimans, temerè ſummam rei, vnius diei prælio committere, etſi prouocaretur, confirmatis ſuorum animis, Argentorato exercitum abducit, per ſaltum Haganoënſem, & ciuitates ad Rhenum munit præſidiis. Ita rurſus biennium abiit, ſine maiore prælio.

Tandem, anno milleſimo, treceteſimo, viceſimo tertio, Auſtriacus decem millibus Vngarorum, viginti millibus Auſtriacorum, Bauariam inuadit, vbi, cùm caſtris locatis ad oppida Muldorff, & Ottingam, peregrinæ gentes agros deuaſtarent, oppida, & pagos diriperent, & exurerent, turbam imbellem, & inermem trucidarent, honeſtas mulieres, ac virgines raperent: & bellum non iam cum ciuibus, nec procul à patria, ſed cum Vngaris eſſet, vaſtationem facientibus in media patria: Bauarus non cunctatur, vt antea, ſed quantum poteſt, properat, contrahit auxilia vicina, armat ſuos. Accedunt ad eum Iohannes rex Boëmiæ, & Fridericus Burggrauius Noribergenſis, & Henricus comes Hennebergenſis, cum magnis equitum copiis, ex vicina Francia, & ora Rhenana collectis.

Auſtriacus expectabat fratrem Leopoldum, adducentem Rhetos, & Sueuos. Qua re animaduerſa, Ludouicus magis feſtinabat, non eò tantùm, quia maius periculũ futurũ erat, ſi cũ Vngaris Rhetos, & Sueuos Leopoldus, rei militaris peritus, coniunxiſſet, ſed etiam, quia adhuc ſecuri, & populationibus, in terra vbere, occupati, ac hoſtem contemnentes, faciliùs opprimi poterant. πολλαχοῦ γὰρ τὸ τάχος μᾶλλον τῆς βίας διαπράττεται τὰ δέοντα.

Cùm ergo veniſſet in conſpectum hoſtium Ludouicus, nec cederet Auſtriacus, confiſus Vngarico robore, opponit Ludouicus Hũgaricis legionibus, Boemicas, & equitibus Vngaricis, Fridericum Burggrauium, & Hẽnebergiũ, cum Francicis, & Rhenanis equitibus. Magna cædes vtrinque facta eſt, donec Vngari pulſi, & diſſipati ſunt. Poſtea equites Auſtriaci aliquantiſper defenderunt Fridericum: ſed, eo capto, reliqua multitudo equitum, & peditum dilapſa eſt. Fratres duo principes Auſtriaci, Fridericus Imperator, & Henricus capti ſunt. Fridericus ſeſe dediiſſe di-

citur Burggrauio Noribergēſi, adductus ad eum, per virū nobilem è comitatu Burggrauij, cùm & labore prælij defatigatus, & ex equo deiectus, fuga diſperſis turmis ſuorū equitum, fruſtra prælium inſtauraret. Leopoldus, audita fama cladis, magno cū dolore, & ſuas copias, & reliquias, quæ ad eum confluxerunt, in loca tuta reduxit. Prælium factum eſt anno milleſimo, trecenteſimo, viceſimo tertio, anno octauo, poſt electionem vtriuſque, die penultima Septembris, quæ caſtis Angelis ſacra eſt. Quo die, annis quinquaginta ante, Rodolphus auus Imperium iniit. Hēricus dux Auſtriæ, Iohanni regi Boëmiæ traditur.

Fridericus triennio in cuſtodia retentus eſt, in arce vicina oppido celebri, ad Nabum fluuium, Naburg. Dimiſſum tandem ferunt, his conditionibus, vt liceret ei nomen Imperatoris, quoad viueret, ſed non ius, & poteſtatem vſurpare. Deceſſit philtro extinctus, anno milleſimo, trecenteſimo, triceſimo, decima tertia Ianuarij. Henricus frater captiuitate ſeſe exemit, reſtitutione aliquot oppidorum & arcium, in Morauia, quæ, hoc bello, Auſtriaci, Boëmis ademerant.

Leopoldus, etſi nec hoſtilem animū depoſuit, nec quieuit: compeſci tamen facilè potuit, quòd maior pars Germaniæ, poſt victoriam, ad Ludouicum ſeſe inflexit: qui, bello confecto, id egit, vt moderatè vteretur victoria, & pacata Germania, confirmaret erga ſe beneuolentiam eorum, qui eum adiuuerant: cæteros, qui aduerſati fuerant, vt venia donatos, reciperet in gratiam. Sanciuit ἀμνηστίαν omnium iniuriarum, & edicta de pace propoſuit.

Sed furiæ Pontificiæ, mox à capto Friderico, Eccleſias horribiliter diſtraxerunt. Ea calamitas maiorem dolorem & Ludouico, & omnibus viris honeſtis, attulit, quàm antea Principum bellum. Conſcientiæ enim, pontificiæ authoritatis ſpecie, in dubitationem coniiciebantur. Facit decretum Iohannes viceſimus ſecundus, qui antea vtrumque Imperatorem, ſimulato ſtudio, coluerat: in quo, Ludouico præcipit, vt deponat dignitatem. Nam victoris potentiam augeri minimè illi conducebat. Id verò niſi faceret, & ipſum, & omnes ei obtemperantes, eiicit ex Eccleſia. Incitat Fridericum Auſtriacum, vt, rupta pace, cum exercitu veniat in Italiam.

Initio obiecit Pontifex Ludouico, hęc duo crimina: Primū, quòd Galeacio Mediolanenſi opē tulerit, contra Pontificios, miſſo in ſubſidium equitatu forti, & ſplendido,

cuius

cuius virtute ille Guelphos, tota penè Lōgobardia eiecit. Secundùm, quòd nondum confirmatus à Pontifice auſus ſit facere officia Imperatoris. Reſpondit initiò moderatè Ludouicus, ſe in electione iuraſſe, defenſorem ſe fore iuſtitiæ. Ideò Galeacium, in cauſſa iuſta, à ſe defenſum eſſe. Deinde, eodem iuramento, ſe obligari, vt electus faciat officia Imperatoris. Ideò enim fieri electionem, vt certus ſit defenſor iuſtitiæ, & cuſtos pacis, in omnibus regionibus: quarum defenſio Imperatori cōmendata eſt, & cogi, mandato diuino, quamlibet poteſtatem, ſuo loco facere ea, quę ſunt ſui officij. Nec poteſtatem gerendi gladij dari à Pontifice, ſed à Deo, iuxta dictum: Reges gentiū dominentur: vos non ſic. Ideò affirmat, ſe nec poſſe, nec velle Imperium à Deo datum, deponere, donec Deus eum in hac militia ſeruire velit. Hæc reſponſio, ſi Pontifici non ſatisfaceret, prouocare ſe ad legitimam Synodum.

Hac reſpōſione edita, creuit contentio, his tantis diſputationibus motis: Vnde ſint Imperia: & quæ ſit authoritas Epiſcoporum: quæ ſit vis confirmationis Pontificiæ. Pōtifex impudenter ſcribebat, Petro datam eſſe ſummam authoritatem: non ſolùm in miniſterio Euangelij, ſed etiam in politica gubernatione. Quare nemo poſſit eſſe Imperator, niſi confirmatus à Romano Pontifice.

De hac quæſtione, multa ſcripta, vtrinque, non ſolū priuatorum hominum, qui, aut illuſtrare veritatem, bono cōſilio, ſtudebant, aut Pontifici aſſentiebantur, ſed etiam Imperatoris, & Pontificis edebantur. Pontifex Ludouicum atrociſſimè damnat, ac nominat æreticum, ſententia condemnationis publicata Auenioni, octauo Idus Octobris, anno milleſimo, trecenteſimo, viceſimo tertio.

Refutat ſententiam Pontificis, & conuellit authoritatē, Ludouicus, grauiſſimis argumentis, & rationibus.

Extant ſcripta pro Imperatore Marſilij Patauini, Dantis Alligerij, Florentini poëtæ, Wilhelmi Occam Angli, è familia Franciſcanorum, cuius fuit ea diligentia, vt quanquam Græcæ linguæ ignarus fuerit, tamen ſumſerit à doctis Græca teſtimonia. Recitat enim ad verbum ſententiam Chryſoſtomi, quæ rectè diſcernit regiam poteſtatem, & miniſterium Euangelij quod ait: Miniſterium eſſe munus docendi doctrinam à Deo traditam, ſine armis, nec eſſe poteſtatem cuiquam dandi, aut eripiendi Imperia, aut condendi leges, de politica gubernatione. Rectè dicit ad Pontificem, vt dixit è conuerſo ad Conſtantinum Im-

peratorem, in Synodo, Leontius Lydorum Epiſcopus: ἕτερα διέπειν ταχθεὶς, ἑτέροις ὑπηρετεῖς.

Hoc diſſidium durauit annos quatuor, & viginti, poſt Auſtriacum captum. Tam longo tempore, acciderunt, & crebræ voluntatum mutationes, & cùm alibi pōtificia authoritas anteferretur Imperatori, & alibi defenderetur Imperator, dubitatio moderatos homines duriter cruciauit: & accedebāt ſeditiones, & latrocinia, quæ minus compeſci poterant, cùm authoritas Imperatoris labefactata eſſet. Inter hos tumultus, tamē vtcunque, & Imperij faſtigium Ludouicus retinuit, & pacem in Germania defendit.

Leopoldus Auſtriacus, cùm paſſim excitaret tumultus, nec tamen Ludouico par eſſet, tandem mota mente, Argentorati extinctus eſt. Ita Deus acerrimos hoſtes Ludouici, ſingularibus exemplis, repreſſit.

Quarto igitur anno, poſt victoriam, Ludouicus in Italiā proficiſcitur. Creuerat in Italia, ab Henrici Imperio, potentia Gibellinæ factionis: cuius caput erant Vicecomites Mediolanēſes, fratres quinque, Galeacius, Iohannes, Marcus, Luchinus, & Stephanus, Matthęi Magni filij: è quibus, Galeacius recèns & Placentiam, Alberto Scoto, vetere patris proditore, armis eiecto, captóque, ſuæ ditionis fecerat, & Iacobo Caualcaboue, Cremonenſium tyranno, ad Bardum vicum, acie profligato, trucidatóque, Cremonam ferro, faméque ſubegerat. Marcus, aduerſus Robertum regem Neapolitanum, rem gerebat. Luchinus magiſtrum equitum Roberti regis, ad Tenari pontem, commiſſo prælio interfecerat.

His de cauſſis, Pontifex, Robertus rex, & Florentini, qui à Caſtrutio Galeaciorum amico, exagitabantur, renouatis inter ſe fœderibus, vt acciſas in Hetruria, Guelphorum vires, & nūc, in Ciſalpina Gallia, latè profligatas inſtaurarent, noua compararunt præſidia è Narbonenſi prouincia, Burgundis, Allobrogibus, atque Heluetiis. Quin & ipſum Fridericum Auſtriacum, vt dixi, permouerunt ad belli ſocietatem, à quo præmiſſus frater Henricus, iam Brixiam vſque peruenerat. Sed Fridericus, proceribus Auſtriæ monentibus, ne violaret fidem datam Ludouico, mox eum reuocauit. Ex Gallia verò Philippum Valeſium, qui poſtea rex fuit, euocarunt. Coëgerunt & ſuas, quantas potuerunt, copias. Contra tantos coniurantium hoſtium exercitus, cùm ſibi opus fore præſidio maiore, Vicecomites cernerent, Ludouico perſuaſerant, multis precibus, vt acceleraret

celeraret iter in Italiam.

Summa rerum Mediolani erat penes Galeacium, vt natu maximum. Hunc, cùm ferre dominum non poſſet frater Marcus, obuiam progreſſus Imperatori, Veronam vſque, Galeacium atrociter, apud eum calumniatur, quaſi Mediolani, ſublata libertate, & propinquis, amiciſque veteribus planè contemtis, impotenter, ac ſuperbè ſolus regnaret. Imperator, dilata cognitione cauſſæ, ac diſceptatione inter fratres, Marcum, ceu ducem, Comum ſequutus, inde, per Modoëciam, Mediolanum peruenit. Vbi Galeacij conſilio, qui ab eo Comi diſceſſerat, ſplendore regio exceptus, & Calendis demum Iuniis, in templo diui Ambroſij, ferreo diademate coronatus eſt, tradente inſignia Guidone Tarlato Aretinorum antiſtite, qui in Italia Gibellinarum partium principem agebat.

Interea & Canis Scaliger, qui mille equites Galeatos, & delectorum peditum aliquot cohortes, ad ornandum Cæſaris comitatum, adduxerat. Huius & Marci, de quo dixi fratris Galeacij, accuſationibus, & quod pollicerentur Mediolanenſes ſe, quantam oporteret pecuniam ad perſoluenda ſtipendia militibus, præbituros, ſi rempub. in libertatem reſtitueret: denique, quòd captis Galeacij tabellariis, literæ repertæ eſſent concepti cum Pontifice fœderis, indices. His cauſſis ergo Imperator incenſus, Galeacium cum Luchino Iohanéque fratribus, & Actio filio, ac Guidone Tarlato, Modoëciæ durę cuſtodię tradidit, creatíſque viris viginti quatuor è ſingulis tribubus, regendæ reipub. & Guilielmo Monfortio, cum delecta Germanorum manu rerum ſummæ, publicóque conſilio, ac tutelæ vrbis prępoſito diſceſſit in Hetruriam: vbi cùm pacem paſſim in vrbibus reſtituiſſet, & Caſtrutium, ob ſtrenuè propugnatas partes Gibellinas, Piſtorenſium, Lucenſium & Lunēſium ducem creaſſet, Romam profectus, primò Cardinalium, & Epiſcoporũ cœtui, dehinc Senatui, in quo cõſeſſus fuit virorum præſtantium, ex familiis Columnienſi, & Sabella, expoſuit iniurias, quibus affectus erãt à Iohanne viceſimo ſecundo.

Nec prius coronari voluit, quàm intellexiſſet, eos probare & cauſſam ſuam & voluntatem erga remp. ſéque oſtendebat iudicium illis permittere, quos iudicaret tanquam Synodum eſſe, quia eruditione, virtute, & ſapientia excellerent, & ipſorum ſententias ſe piè ſecuturum eſſe. Affirmabat, ſe conſtanter amplecti, doctrinam catholicæ

Eccleſiæ Dei,& ſe maximè ſemper optaſſe,& optare communem concordiam.

Ad hæc,& Eccleſiaſticum collegium , & Senatus reſponderunt,ſe quoque iudicare, Iohannem viceſimum ſecundum non rectè feciſſe,quod ſine Synodo , & ſine legitima cognitione,in re tãta,& decreta fecerit, & ea ſit exequutus fulmine anathematis, cúmque ſcirent eum alienum eſſe à falſis opinionibus,velle ſe,cum ipſo,coniunctos eſſe.

Docti etiam addiderunt,manifeſtè falſum eſſe,Petro traditam eſſe ſummam poteſtatem politicam. Nec Carolum, propter authoritatem pontificiam , dici Imperatorem voluiſſe:ſed quia iam Italiam,Germaniam , & Galliam tenebat,reipſa Occidentis Imperium eum tenuiſſe. Et titulum tamen non voluiſſe admittere,niſi tranſactione facta cum iis,qui eò vſque titulum geſſerant. Deus Imperia ſtabilit, & transfert, vt ſcriptum eſt.Nec tranſlatio illa mandata eſt Petro. Denique etiamſi pontificiam confirmationem accedere velint Pontifices,tamen debeant habere iuſtas cauſſas,ſi hanc deneget.

Hac tota cõtrouerſia ſapiẽter diſputata,fiunt Senatuſcõſulta,& ab Eccleſiaſtico collegio,& à Senatu,vt coronẽtur Ludouicus & Margareta eius coniux,quę Phryſię, & Hollãdiæ domina fuit.Ita,die ſeptimo decimo Ianuarij , anni, milleſimi,trecenteſimi ,viceſimi octaui , facta eſt coronatio,ritu ſolenni in Vaticano,tradẽte diadema Stephano Colũnio , qui & Princeps,& Cardinalis erat,excellens virtute.

Poſtea Romæ creauit Pontificem, Petrum Coruarium natum in agro Rheatino. Hunc è cœnobio Franciſcanæ familiæ eductum,pontificiáque tiara exornatum,Nicolaũ quartum appellauit,contra deſertorem ſedis Romanæ , & turpiter profugum Iohannem viceſimum ſecundum: qui conſcius ſibi,iniuſtæ,ac ſceleratæ tyrannidis, relicta vrbe, Auenionem ſeceſſerat.

Hic rurſus diſputatum eſt:An ad Imperatorem ius pertineat adimendi dignitatẽ Pontifici,& alium cõſtituendi, & quo ordine hoc fieri debeat.Sicut Otto primus, Pontifici, cognita cauſſa,in Synodo,dignitatem ademit. Nec dubiũ eſt,Eccleſiam debere adimere munus docendi,falſa defendenti,idque ordine faciendum eſt,cauſſa cognita.

Sed Ludouicum præſtiterat fuiſſe contentum,iudiciis ſapientum, de iis, quæ ante egerat, præſertim cùm nouum Pontificẽ non eſſet defenſurus.Miſer ille Nicolaus,mox à diſceſſu Ludouici,Auenionem miſſus,in carcere vitam finiit.

niit. Sed animi irritati contumeliis, difficulter frenare iram, & vindictæ cupiditatem poſſunt, præſertim donec fortuna eſt indulgentior.

Nec deinceps Ludouicus vel in Italia, vel in Germania aliquid memoria dignum geſſit, vtrobique impeditus aduerſis, & inſidioſis molitionibus Pontificum, quorum inſtinctu, plurimi ab eo deficiebant. In Italia, vt ſe muniret firmiore fide, & ſtudio Gibellinorum, quem, in carcerem detruſis Vicecomitibus, offenderat Caſtrutium, accumulatis honoribus, Senatorem vrbis, Comitem Lateranum. & Cæſareæ aquilæ vexilliferum creauit. Vicecomitibus carcere eductis, & ad ſe accerſitis Piſas, Caſtrutio intercedente, conceſſit, vt patriæ præſides vicarij eſſent, & appellarentur, pro quo beneficio, pecuniam illi promiſerunt, ad ſummam quindecim myriadum.

Sed cùm, Italorum ſtudiis mutatis, ſui exercitus viribus, Saxonum, Cattorúmque defectione, acciſis, belli ſumtibus exhauſtis, & Roma recepta à copiis Roberti Neapolitani, quem, ſi curſum indulgentis fortunæ ſecutus, proceſſiſſet, facile inter initia oppreſſiſſet: Cùm ergo fidum nihil, tutámve, vlla in parte, experiretur, magiſque inſidias fraudulentas, & venena, quàm virtutem inimicorum, aut vim manifeſtam metuere cogeretur, rediit in Germaniam, & cõuocatis Francofurtum principibus, cùm repetiuiſſet eadem, quæ apud Purpuratorum collegium, & Senatum Romanum teſtatus erat, contra Pontificum tyrannidem, de ſua in Chriſtiana religione, ſinceritate, & fide erga remp. confirmauit eos, ne propter iniuſtas calumnias Põtificum, diſcederent à fide, & obedientia.

Ibidem Reinoldum Geldriæ, Wilhelmum Iuliaci comites, illum ducem, hunc marchionem, Imperij creauit, anno milleſimo, trecenteſimo viceſimo nono.

Etſi autem ſummè conatus eſt placare rabiem Pontificum, & qui Iohanni ſucceſſit, Benedictus vndecimus, voluit videri æquior eſſe Ludouico, propter noua quędam, & tumultus atroces paritura poſtulata regis Francici, qui ſe Vicarium Italiæ volebat conſtitui, Pontificia authoritate: tamen, cur non poſſet eum eximere vinculis anathematis, prohiberi ſe, ſimulauit, regum Galliæ, & Neapolitani aduerſationibus.

Fuit itaque, poſtremis annis, infelix multis modis, & nominibus. Turbabatur enim, & diſtrahebatur animo, exagitationibus Pontificum. Animi ægritudo, ad conſilia eum

ducebat aberrantia. Errores in conſiliis, vt fit, mutabant fortunam. Infeliciter implicuit ſe diſcordiæ duorum regũ, Philippi Valeſij, & Eduardi Angli, quorum ille, tribus regibus fratribus, Ludouico, Philippo, & Carolo extinctis, ſine maſculo hærede, quorum patruelis erat, regnum Franciæ inuaſerat, lege Salica: Hic contrà, ad ſe pertinere contendebat, propter matrem Iſabellam.

Ex hac diſcordia, longum, difficile, & atrox bellum natum eſt, in quo, rex vterque, Imperatorem ſtuduit in ſuas partes pertrahere. Sed Anglus prior occuparat animum Imperatoris, & vt Imperij vicarius declararetur, iniretúrque fœdus inter vtrumque, ad bellum, communibus ſumtibus, contra Francum gerendum, confecit: qui & opera Ludouici marchionis Brandeburgici, vſus, lõgè, latéque, igne, ferróque, omnia mox, ſub initium belli, depopulatus, magnũ terrorem Franco incuſſit. Quare Francus, cùm ſe vi nihil profecturum eſſe, animaduerteret, rem dolo aggreſſus, vt erat vafro vir ingenio, & ad fallendum egregriè compoſito, nec vſquam fide certa, aut firmo iuramento, per expugnatam, ampliſſimis promiſſis, coniugem Imperatoris, immutauit eum, & ab Anglo alienatum, traduxit ad ſe, quæ mutatio, Ludouico exitioſa fuit. Deſertus enim ab Anglo, quem, nulla iuſta de cauſſa, prior ipſe deſeruerat: à Franco fraudulenter deceptus, in difficultates incidit maximas. Francus enim, etſi iureiurando confirmarat, ſe perfecturum, vt reconciliaretur Pontifici, tamen id deinceps ita egit, vt quanquam valde vrgeret, non diſſimularet tamen, ſe nihil minus velle. Accidit tamen vtrique regi, aliquantò poſt, hoc, quod dici ſolet: χρόνια ἀλώπηξ μόγις ἁλίσκεται, ἀλλ' ὅμως ἁλίσκεται. Et dedit imprimis pœnas perfidiæ Francus, qui decimo anno belli, ſeptimo Calendas Septẽbris, anni milleſimi, treceteſimi, quadrageſimi ſexti, magno prælio, ad Creſſiacum, ab Anglo victus, florem nobilitatis Gallicæ amiſit. Deſiderati perhibentur, ex omni numero, circiter triginta millia. Cecidit & Iohannes Bohemiæ rex, Franci, in hoc bello, ſocius, qui quanquam cæcutiret, pugnare tamen in hoſtem voluit, fruſtra prohibentibus cæteris.

Eduardus, ad expugnandum Caletum, cum exercitu victore, profectus vndecimo obſidionis menſe, tertio nonas Auguſti, in deditione cepit. Poſt hanc cladem, etſi Gallia, vnius anni inducias ab Anglis impetrauit, quæ Philippo Valeſio prorogatæ ſunt, tamẽ renouatum eſt bellum, paulo poſt,

lò poſt, à Iohanne illius filio. Hunc verò Eduardus Walliæ princeps, dux belli, in Aquitaniam, à patre miſſus, in Pictonibus prælio ſuperatum, cepit, cùm filio Philippo, decimo tertio Calendas Octobris, anni milleſimi, trecenteſimi, quinquageſimi ſexti, cęſis circiter ſex millibus Gallorum.

Ita Deus, illuſtribus exemplis pœnarum, non in patre ſolo, ſed & filio, & nepote, oſtendit, nũquam manere inulta periuria: Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων. Quarto demum à captiuitate anno, cùm Eduardus denuò populabundus, per Remorum fines, ad ipſam Pariſiorum vrbem vſque, peruaſiſſet, videretúrque tota Gallia potiturus eſſe, pax, inter reges, prope Carnutum oppidum, facta eſt, his cõditionibus, vt Aquitaniam Angli tenerent, & rex Iohãnes, tricies cẽtenis coronatorũ millibus redimeretur. Hâc, datis obſidibus, ſancita, rex demiſſus, rediit in Franciam.

Sed ad Ludouicum reuertor, cui Valeſius, eo etiam multum nocuit, quod ab eo, Iohannem regem Bohemiæ, abſtraxit, qui fuerat ante προστάτης ipſius, in omnibus bellis. Nam ante bellum Anglicum, ſua, & Gallica pecunia inſtructus, cum exercitu valido deſcendit in Italiam, nondum quidem Ludouico planè hoſtis, ſed non tam fidus tamen, vt antea.

Expeditionis prætextus fuit, vt compeſceret tumultus, quos, excedẽs Italia, Ludouicus reliquerat maiores, quàm inuenerat, ruentibus in ſeſe mutuò, & de principatu ſummo contendentibus Longobardiæ tyrannis, quibus in potentioribus ciuitatibus, ſuas vices Imperator demandauerat. Magna autem celeritate Brixiam, Cremonam, Papiã, Parmam, Regium, & Mutinam, ſuperatóque Apennino, Lucam occupauit, copiis Florentinis, quæ, Beltramone Baucio duce, Lucam obſidebant, longè ſummotis.

Hoc ſucceſſu Iohannis, territi Gibellini pariter, & Guelphi, cùm inſuper fama acceſſiſſet, Philippum Valeſiũ, cum Pontifice, occultè conſpiraſſe, vt, Boëmo duce, cũctas Italiæ vrbes ſubigerent, & partirentur inter ſe, quãquam inimici eſſent, tamen fœdus fecerunt, vt Actius Vicecomes, Maſtinus Scaliger, Paſſarinus Mantuanus, Obitius Ferrarienſis, cum populo Florentino, coniunctis viribus, bellum gererent. Hac conſpiratione, Boëmus cùm infeliciter, ad Ferrariam, præliatus eſſet, ex magna parte Italiæ reiectus, Parmam, Regium, & Mutinam retinuit, earúmque cuſtodiam, Carolo filio commendauit.

Reuerſus in Germaniam, pro hoſte Ludouici, ſe manifeſtè geſſit, eò quòd Ludouicus, in ducatu Carinthiæ, prætulerat Auſtriacos, filio ipſius Iohanni, cui eundem adſerebat, propter coniugem, Henrici Carinthi filiam. Hac re grauiter offenſus, quibus potuit occaſionibus, oppugnauit, & impediuit Ludouicum. Sed nec ipſe inultam hanc tulit fidei, & voluntatis mutationem. In acie enim, vt diximus, non ita multò poſt, interfectus eſt ab Anglis.

Pingit hæc hiſtoria, affectus regum, & pœnas quę ſequũtur. Ludunt hi fœderibus, vt pueri aſtragalis, & pacis, ac belli, induciarum, ac fœderum leges, & iura metiuntur ſuis commodis, hoc iuſtum, hoc ſanctum eis, quod ad augendã potentiam vtile. Sequuntur ergo pœnæ, quæ in totis gentibus vaſtitatem efficiunt.

Benedicto Pontifice mortuo, Clemens ſextus, nõ multò clementior, erga Ludouicum, Iohanne, renouauit decreta Iohannis viceſimi ſecundi; quæ Ludouicus, confiſus fœdere Francico, & in ſpem optimam erectus, grauiſſimis argumentis refutata, Francofurti, in conſeſſu Principum, declarat irrita, anno milleſimo, treceteſimo, triceſimo octauo. Orationis formula extat. Sed Clemens impellere, & vrgere non deſtitit Principes Imperij, vt de alio Imperatore deligendo, conſilium caperent, donec id perfecit. Idẽ ſacris interdixit Moguntino, Henrico de Virnbergo, quòd adhęreret Ludouico. Cúmque; nõ permiſſurus eſſe videretur, vt, eo viuo, de alio deliberationes inſtituerentur, Epiſcopatu eum deiecit, ſurrogato, in eius locum, Gerlaco comite Naſſaenſe. Sed Henricus nec fulmini Pontificio, nec deſignato ſucceſſori ceſſit. Edixit & cæteris ordinibus Põtifex, vt qui fauiſſent Ludouico, eo relicto, expiatóque delicto, ſe conferrent ad ſucceſſorem. Multa & alia paſſim in Italia, & Gallia tyrannicè imperauit, atque conſtituit Imperatoriis decretis contraria.

Diſiunxit ſe ergo, à Ludouico, & Treuirenſis Elector, qui antea, velut pectus eius, fuerat, & omnium conſiliorũ gubernator. Idẽ deinde incitator eſt, & adiutor Carolo Boëmico, in petitione Imperij. Tales amicorum inconſtãtiæ, etſi in quotidiana vita vſitatæ sũt, vt Plato inquit, ζῶον φύσει [illegible] ὁ φίλος tamen, in diſſenſionibus ciuilibus, multò crebriores, & grauiores accidunt volũtatum mutationes, & alienationes. Non tantum deſeruntur amici, ſed etiam, ex coniunctiſſimis, fiunt hoſtes crudeliſſimi, vt dicitur, τὸ μὲν φιλεῖν [illegible] μισεῖν ὕστερον γίνεται πολλάκις.

Tali-

Talibus temporibus, ſit nobis in conſpectu Epicharmi dictum:--Νᾶφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Nec fiduciâ amicorũ, aut fœderum, res non neceſſarias moueamus, nec deſerti ab amicis, frãgamur animis, in cauſſis iuſtis, & neceſſariis, ſed à Deo petamus, & expectemus auxilium ac neceſſaria, & iuſta, ordine, & legitimè faciamus, iuxta dictum: Quod iuſtum eſt, iuſtè perſequaris.

Nec Ludouico, in hac mutatione, grauius quidquam accidit, defectione à ſe Treuirenſis Epiſcopi, & Saxoniæ ducis: de quibus, vt crederet eos, hoſtili erga ſe animo eſſe, perſuaderi diu non potuit.

Etſi autem, viuo Ludouico, & elegerunt, & coronarunt, Electores quidam, Carolum, Marchionem tunc Morauiæ Iohannis Bohemici Regis filium; tamẽ authoritas eius adhuc tanta fuit, & ciuitatum beneuolentia, erga eum, tãta, vt Carolus nihil nec auderet, nec poſſet. Aquenſes, ad ſolennem inaugurationem, cum Electorum comitatu, aduenientem Carolum, in vrbem non intromiſerunt: quare Bonnæ coronatus eſt à Colonienſe, quem, multa pecunia corruptum fuiſſe, fama fuit.

Manſerunt in fide erga veterem Imperatorem & Sueuicæ, Helueticæ, ac Rhenanæ ciuitates. Cúmque ex Principibus, Spiram conuocatis, quæſiuiſſet, an probarent Caroli electionem; nemo repertus eſt, qui à Ludouico vellet ſeſe ſeiungere.

Mortuus eſt, anno proximo, poſt electionem Caroli, quinto Idus Octobris:

Anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſeptimo:

Anno mundi, quinquies milleſimo, trecenteſimo nono; equi ſaltu excuſſus in terram, inter venandum; ſeu deiectus potius, corporis conuulſione, ex propinati veneni vehementia, quod, cùm fruſtra vomitu reiicere tentaſſet, agitatione, vel expellere, vel diſcutere voluit. Propinatum id illi à vidua Alberti Auſtriaci ferunt, qua cum familiariùs conſueuerat.

Imperio annos triginta tres, inter maximas aduerſationes, & crudeliſſimas exagitationes Pontificum, ita prefuit, vt in gubernatione iuſtus, & ſuorum defenſor nequaquam lentus fuerit, &, quod mirũ eſt, in viro magnanimo, cùm tantis contumeliis irritaretur, nemini tamen vnquam bellum intulit, ſed inferentes, armis depulit.

De nobilitate, & vetuſtate, ſtirpis Bauaricę, ſupra dixi,

quæ à Saxonibus in Bauaria oppreſſa, atque in anguſtum redacta, tandem Sueuis imperantibus, vires recepit. A primo Friderico enim Bauariam, ab altero Palatinatum ad Rhenum conſecuti ſunt, cùm Otto, Ludouici Imperatoris auus, duxiſſet in vxorem, Agnetem, filiam Henrici Palatini, qui frater erat Ottonis quarti Saxonis.

Pater Ludouicus plures habuit coniuges, ſed ex tertia Mechtilde, Rodolphi Imperatoris filia, nati ſunt Rodolphus Palatinus ad Rhenum, & Ludouicus Imperator, qui fratrem ditione expulit, ob negatum in electione ſuffragium, vt dixi: ſed filios reſtituit. Rodolphus Palatinam, Ludouicus Bauaricam familiã propagauit. Nati ſunt enim Ludouico, ex Beatrice Polonica, filij, Ludouicus, Stephanus cognomento Fibulatus: ex Margareta, Wilhelmi tertij comitis Hollandiæ filia, Wilhelmus, Albertus, Ludouicus, cognomento Romanus, quòd Romæ in lucem editus eſt, matre coronata, & Otto.

Inter hos, auctam acceſſionibus nouarum ditionũm hęreditatem, ex interitu familiarum aliquot, in hunc modum diſtribuit. Ludouico natu maximo, marchiam Brandeburgenſem attribuit; cui deinceps, à cõiuge, & comitatus Tyrolenſis acceſſit: quem ille, cùm adeptus eſſet marchiam, Ludouico Romano ceſſit, à quo tandem, in Ottonem deuoluta eſt. Stephanum Bauariæ, Wilhelmum Hollandiæ, Albertum parti Bauariæ impoſuit.

De marchia Brandeburgenſi, ſic res habet: Vltimus marchionum, è ſtirpe Alberti Vrſi, fuit Woldemarus; cuius, in Adolpho, mentio facta eſt. Hic, cùm ſine ſobole eſſet, ſubditis certos dominos cõſtituit, agnatos ſuos, è veteri ſtirpe Aſcania, Principes Anhaltinos, in quorũ illi verba iurarunt, ea cõditione; vt, ſe mortuo, hos agnoſcerent, ac reciperent dominos. Redierat autem, fatali quadam lege, familia tota, ad vnum hunc Woldemarum, in qua, non multò ante, decem & nouem, eiuſdẽ nominis, & ſtirpis, marchiones ſimul vixerant. Sed, cùm approbatio, & conſenſus authoritatis publicæ, non acceſſiſſet; quàm primum fama, de Woldemari interitu, percrebuit, Ludouicus marchiam Imperio vendicauit, & in ea filium natu maximum Ludouicum collocauit.

Intercidit, eodem tempore, proſapia ducum Carinthiæ, cui fuit cõiunctus comitatus Tyrolenſis: Ludouicus ergo, Carinthiam Auſtriacis adiecit, excluſo Iohanne Henrico Morauiæ marchione, Boëmici regis filio. Hæc, vt oſtendi,

non

non minima offenſionis cauſſa extitit, quæ illis interceſſit. Etſi autem controuerſia cõpoſita fuit, nonnullorum Principum authoritate, vt Tyrolenſem comitatum retineret Bohemus dotis loco: duxerat enim Henrici Carinthij filiam Margaretam: non ita multò poſt tamen, recruduit, cùm, Margareta pertæſa mariti, eo repudiato, tãquã minimè ad coniugium idoneo, in thalamum, & comitatũ adduxit Ludouicum marchionem, Imperatoris filium. Ex hoc Ludouico, cùm genuiſſet Menhardum, vtroque præmatura morte ſublato, mulier procax, & libidinoſa, tertio nupſit, Rodolpho Auſtriaco, Alberti ſecundi filio, ſimulq́ue Bauaris ereptum comitatum, tranſtulit ad Auſtriacos.

Sed ad marchiam reuertor, in qua, Ludouico implicito bellis Pomeranicis, & Megapolenſibus, tertium ſeſe hoſtẽ intulit, quidam Woldemari defuncti nomen, perſonam, habitúmque, & mores mentitus, quem finxiſſe ferunt, minimè Woldemarum fato functum eſſe; ſed, religioſa peregrinatione confecta, rediiſſe incolumem. Hic quãquam nomine Woldemari, ſit falſo Woldemarus creditus, vt opinio habet vſitata, magno tamen populi applauſu, exceptus, adiutúſque opibus, & auxilis, vicinorum ducum Saxoniæ, & Anhaltinorum, bellis difficilibus Bauaros exercuit, totos annos nouem.

Ludouicus pertæſus bellorum, marchiam fratri Ludouico Romano reliquit, contentus agro Tyrolenſi. Romanus renouauit bella Pomeranica, de principatu Stetinẽſi, quæ, cùm prior Ludouicus aliquoties infeliciter pugnaſſet, pater diremerat, limitibus inter Pomeraniam, & marchiam conſtitutis; ea conditione, vt Pomerani veteri loco, & dignitate, inter Imperij principes, feuda ab Imperatore ſolo acciperent, & ſuis terris liberè imperarent: ſed ſi ſtirps defeciſſet, hæreditatem illarum terrarum adirent marchiones Brandeburgenſes. Citò autem deſtitit, ſuperatus acie à Pomeranis, auxilio Woldemari regis Daniæ, cuius filium, ſupra diximus, clauſiſſe vetus, & indigenum regum ſtemma. Idem, falsò creditum Woldemarum, exutum armis, & ditione vniuerſa, pepulit in exilium.

Incitabatur autem, & adiuuabatur hic Woldemarus, à Carolo quarto odio Ludouici Bauari, quod is fratri ipſius, Iohanni Henrico, coniugem, cum dote, id eſt comitatu Tyrolenſi, ademiſſet. Etſi autẽ pręſe ferebat Carolus, ſucceſſionem deberi Anhaltinæ familię, quam iniuſtè Bauari excluſiſſent: ita tamen oppugnabat Bauaros, & fouebat

Anhaltinos, vt ſi illos eiecìſſet, hos non eſſet admiſſurus. Quare, etſi publicis literis, & Woldemarum armabat, & Anhaltinis ius ſucceſſionis confirmabat, & opem contra Bauaros ferebat: id tamen agebat, vt ſummotis vtriſque Marchiam coniungeret Sileſiæ, quam, ſimilibus artibus, Boëmiæ copularat. Idque partim aſtu, partim vi perfecit paulò poſt, cùm Ottonem Bauarum generum, qui in Romani fratris Imperium, illo defuncto, ſucceſſerat, coëgit, accepta ditione exigua, in confinia Boemiæ, ac Bauariæ, & pecunia non magna, cedere Marchia, & omni iuri renunciare. Ita exciderunt Marchia Brandeburgenſi vtrique; Bauari extruſi iiſdem technis, quibus hæredes proximos Anhaltinos ipſi depulerant. Anhaltini, quorum erat imbecillis potentia, ſimulatis promiſſis decepti.

Carolus Marchiam teſtamento deſtinauit Sigiſmundo filio, qui eam oppignorauit Iodoco, & Procopio marchionibus Morauiæ patruelibus: hi viciſſim Wilhelmo Landgrauio Turingiæ, à quo iterum redemit eam Sigiſmundus. Ab hoc, quibus conditionibus, & occaſionibus peruenerit ad Burggrauios Noribergenſes, ſuo loco dicetur.

E cæteris Ludouici filiis, Wilhelmus, auo materno, & auunculis è vita ſublatis, cùm maſculus hæres nullus eſſet ſuperſtes, præter vnum Iohannem, quem pater, ſacris initiatum Epiſcopatui Leodienſi præfecit; Wilhelmus ergo Hollandiā obtinuit, patre feudum tradente, circiter annum milleſimum, trecenteſimum, quadrageſimum tertium. Sed neque, hac hæreditate, poſteritas diu gauiſa eſt. Nam & Wilhelmus, erga matrem impius, bellum ciuile accendit, ex quo, Hollandia in factiones diſtracta, longo tempore ſeditionibus eſt conflictata, & cùm ex impio filio, Deus ſobolem nullam ſuperſtitem eſſe voluiſſet, Albertus frater, ius ſucceſſionis, teſtamento patris, excepit; ſed, cùm filiis huius, poſteritate extincta, Hollandiæ, Seelandię, Hannoniæ, & Phryſiæ terras occuparunt Iohannes, ex ſtirpe Gallica, Burgundiæ, & Wenceſlaus, ex patre Iohanne rege Boëmiæ, Lucelburgi, & Brabantię duces, qui Alberti filias duxerunt in vxores. In his mutationum vicibus, conſiderentur exempla regularum: πλεονεκτὴς ἅπας ἄδικος, &, de bonis male acquiſitis, non gaudet tertius hæres.

Sextus, inter Ludouici filios, Stephanus, cęteris ſuperſtes auitas terras poſſedit, & ſtirpē propagauit. Ex hoc enim, longa poſterorum ſerie, procreati ſunt, qui nunc ſunt in viuis, Bauariæ duces. Trāſegit, à morte patris, cùm Rodol-

phi

phi Palatini patrui filiis , ſoluta certa pecunia,in compenſationem detrimentorum,quæ,bello ciuili, à fratre, pater Rodolphus acceperat; quę, cùm minimè pretium iacturæ adæquaret,deinceps etiam Palatini,à Bauaris, ſatisfactionem vberiorem exegerunt; cuius denegatio non fuit nulla cauſa belli Bauarici,quod,aliquot ſeculis poſt , inter agnatos familię vtriuſque, extitit.Ad nepotes Stephani,cũ Hẽrici,patrui ipſius,magni,ſoboles intercidiſſet, in Bauaria inferiore, tandem dominium Bauariæ vniuerſæ rediit.

Cœpit,hoc tempore , Nemeſis diuina vlciſci parricidia Cunradini Sueui,in Caroli Andegauenſis poſteritate,parricidiis mutuis,& totius ſtirpis excidio; iuxta regulam talionis:Qui gladium acceperit,gladio peribit.Carolo enim ſecundo,primi filio , qui regnum Cunradino eripuit , ex Maria Pannonia,Stephani regis filia,nati erant filij plures, & inter cæteros,Carolus cognomento Martellus; Robertus,qui,pro Pontifice , contra Imperatores Henricum ſeptimum,& Ludouicum,propugnauit; Ludouicus Dyrrachij;& Philippus Tarenti Principes. Carolum Martellum Vngarici accerſiuerũt ad regnum; veterum regum maſcula ſtirpe,morte deleta.Huic,ex Carolo Roberto , nepotes nati,Andreas,& Ludouicus Vngarorum rex:Philippo Tarentino,natus eſt Ludouicus Tarentinus:Ludouico Dyrrachiano:Carolus Dyrrachij Princeps.

Robertus rex,cùm filium Carolum,in ipſo ętatis flore,amiſiſſet;ne regnum ad externos perueniret,Iohannam neptem,ex Carolo filio,iungit Andreæ nepoti fratris,ex Vngaria euocato , atque huic ius ſucceſſionis impetrat. Hic cùm vxori procaci, & libidinoſæ parum gratus eſſet , impulſu eius,à coniuratis oppreſſus,ac ſtrangulatus eſt, anno milleſimo,trecenteſimo,quandrageſimo quarto. Iohanna parricidium inceſtis nuptiis cumulans , matrimonio ſibi copulat Ludouicum Tarentinum,Philippi filium,quocum antea conſueuerat.Andreæ frater igitur,Ludouicus Vngariæ rex , magni atque excelſi animi vir , bellicoſus ac fortunatus,quibus de cauſſis , ad regnum Polonię etiam fuit expetitus,hic ergo vlturus iniuſtam cędem fratris, & perfidiam flagitioſæ mulieris , magno cum exercitu in Apuliam ingreſſus,regno Neapolitano, non magno negocio, Ludouicum cum inceſta coniuge,& parricida expulit.Sed paulò poſt,eo domum reuerſo, Ludouicus conceſſa Pontifici Auinione , impetrat reditum in Apuliam , & auxilia, contra præſidia,quę Vngarus reliquerat, vbi, cùm recepiſ-

ſet amiſſa, moritur.

Iohanna, Ludouico mortuo, nupſerat Iacobo Arrogonio, Calabriæ duci; & mox hoc repudiato, Ottoni Brunſuicenſi. Sed cùm, ne hoc quidem defenſore, ſe tutam fore cerneret; vt expleret odium, quod in agnatos conceperat, & manibus primi mariti parentaret, multa cæde; adoptat Ludouicũ Andegauenſem fratrẽ Caroli quinti regis Franciæ, filium regis Iohannis. Inde noui belli materia extitit. Nam Vrbanus ſextus Pontifex offenſus importuna leuitate flagitioſæ mulieris, reuocat Ludouicum è Pannonia ad regnum. Hic ætatem prætexẽs armat Carolum, Ludouici Dyrachiani filium, maritum Margarethæ, ſororis Iohannæ; qui cum exercitu Italiam celeriter ingreſſus, Andegauenſem anteuertit, & Ottonẽ Brũſuicenſem acie victum, capit, atque in carcerem coniicit. Iohannam ſponte ſeſe dedentem iniecto ſuper os puluino, ſuffocat. Etſi autem triẽnio poſt, Otto è carcere elapſus, Neapolin recepit, tamen citò mortuus eſt. Ludouicus Andegauenſis minimè negligendum ratus tam opulentum regnum, incitãte Clemente ſeptimo, qui patronum quærebat contra Vrbanum ſextum, adductis triginta millibus hominum, Carolum, aſſiduo totius biennij bello, fatigat, Tarentum, & Barẽſem ciuitatem occupat, & fuiſſet regno potiturus inclinãtibus ſeſe ad ipſum ſubditorum animis, ſi vixiſſet. Sed duce, ex potu fontis medicati improuiſa morte intercepto, exercitus dilapſus, Carolo regnum conceſſit, ſine cæde.

Carolus hoc modo, Neapolitano regno potitus, nõ multò poſt, reuocatur in Vngariam, contra Sigiſmundum, vbi, dolo reginæ viduæ obtruncatur, relictis ex Margareta cõiuge, liberis Ladiſlao, & Iohãna. Ladiſlaus, Romana Eccleſia, Pontificum ſchiſmate, lacerata, vrbem Romam ſecundò, vel, vt alij referunt, tertiò capit, & populatur ditionem Eccleſiæ longè latéque. Contra hunc euocant Ludouicum Andegauenſem, prioris filium, Alexander quintus, & Florentini. Etſi autem vincitur Ladiſlaus vno prælio, ab Andegauenſi, tamen, mox reſumtis viribus, bellum redintegrat, tanto cum terrore hoſtium, vt Andegauenſis bellum deſereret: Florentini, de pace facienda, vel iniquiſſimis conditionibus deliberarent. In eo belli apparatu, Ladiſlaus cùm iterum Romam teneret, moritur, veneno necatus, anno tertio decimo, ſupra milleſimum quadringenteſimum: Iohanna ſorore, damnatæ libidinis fœmina, regni habenas excipiente. Nupſerat hæc primo, Geldriæ duci, de-

inde

inde Iacobo comiti de Marca. Ex neutro marito grauida facta, metuit, ne regno ſpolietur à Põtifice, & Andegauenſibus. Idcirco adoptat Alphonſum, Ferdinandi regis Arragoniæ filium, laudatiſſimum Principem: qui, cùm licentiùs pleraq; in regno, adminiſtraret, procax, & imperioſa mulier, pertæſa adoptionis, eo, ceu ob ingratitudinem exhæredato, regnum promittit Ludouico Andegauenſi, primi Ludouici nepoti, qui alioquin vetera iura aui, & patris repetebat, ac prętendebat. Inde bellum exortum eſt, in quo, fortuna varia, certatum eſt, inter Alphõſum, & Iohannam coniunctam cum Andegauenſi, vſque ad annum triceſimum quartum, ſupra milleſimum, quadringenteſimum. Etſi autem, penè toto Neapolitano regno, Alphõſus, inter initia, excidit, tamen ad extremũ victor poſſeſſionẽ regni tranſmiſit ad Ferdinãdum filiũ nothum. Ludouicus Andegauenſis.n. conſenſu Iohannæ, hæredem inſtituit fratrem Renatũ, Lotharingiæ ducem, qui nuper ducta in vxorẽ Iſabella, Lotharingici ducis filia, ditione ea familiã Andegauenſem locupletarat. Sed hic, mortua Iohanna, regnum retinere non potuit. Sequutus eſt Iohãnes filius, qui, patre viuo, cũ exercitu iuſto regnũ inuaſit, ſed ad Troiã, magno prælio victus, receſſit. Pater Renatus, ius ſuũ, in fratris Caroli filium tranſtulit, qui ſolus ex Andegauenſi ſtirpe reliquus cùm eſſet, id viciſſim Ludouico vndecimo, Franciæ regi, teſtamento confirmauit. Ludouici filio, Carolo octauo, hoc ius perſequente, recruduerunt bella inter Arragonios, & Gallos, vt ſuo loco dicetur.

Ad hũc modum pœnæ publicæ, iuſto Dei iudicio, graſſantur in familiis, propter ſcelera, vbi illa creuerunt, donec totas deleant, & extirpent. In has tragœdias, quæ ſunt exempla pœnarum, congruentium ad comminationes annexas Decalogo, intuentes, petamus nos regi à Filio Dei & defendi aduerſus Diabolorum furores, à quibus hæc ſcelera oriuntur.

Nec impunè tulit parricidiũ agnatæ Carolus, etſi iuſtas eius cauſſas habuit. Vix enim quadriennio poſt, euocatus ad regnum Vngariæ, dolo viduæ Ludouici patrui, interemptus eſt, relictis liberis Ladiſlao, & Iohanna, quorũ fata non multò fuerunt aut meliora, aut lætiora, quàm maiorum. Sed & fatorum illis, vt ſceleratorum conſiliorum, & perfidioſarum molitionum fabri, atque architecti fuerunt, Pontifices Romani, quorum alij hos, illos alij inflãmarunt, & fouerũt, vt conſumtis vtriſque, ius regni Nea-

politani & poſſeſſionem ipſi retinerent.

Suis verò ipſa quoque vrbs Roma concuſſa eſt motibus, aſſiduè dimicantibus inter ſeſe, Columniis, & Vrſinis. Sed & aliud quiddam accidit riſu magis, quàm admiratione dignum. Cùm enim abeſſent Pōtifices; &, horum artificio, Imperatores excluderentur, extitit quidam Nicolaus, inter ciues Romanos, publicus ſcriba Senatus, vir magnæ apud populum authoritatis; qui fauore, & applauſu ſtultæ plebis dementatus, & in ſtolidiſſimas ſpes inſtaurãdæ veteris Monarchiæ elatus, cùm ſe, commutato nomine, Auguſtum, & glorioſo titulo, Seuerum, & Clementem, libertatis, pacis, iuſtitiæque Tribunũ, ac ſacræ Romanę reipub. vindicem illuſtrem profeſſus, armis occupaſſet Capitoliũ, perfecit, vt non tantùm ciues Romani, ſed ferè præcipui tunc Italiæ principes, ſucceſſibus eius capti, cauſſas cognoſcẽtem & ius dicentem cognoſcerent, ſéque illi, vel ſubiicerent, vel adiungerent. Huius amens, & veſana audacia eò vſque proceſſit, vt & Pontificem reuocaret in vrbem, intra præfinitum tempus, intra quod, ſi non reuertiſſet, futurum, vt pontificatu priuaretur, & Ludouico, atq; Carolo, cæteríſque Germaniæ principibus, ac præcipuè Electoribus diem diceret, quo, ſi non comparerẽt, ſe aduerſus eos, tanquam contumaces, acturum eſſe. Magnas omnino turbas dedit. Sed ſtolido, veſanæ temeritatis impetu, ſuſcepta conſilia, in eum deſierunt finem, vt altero ille anno, à factione pontificia, vrbe, totáque Italia pulſus ſit, quod factum eſt anno Chriſti, milleſimo, trecẽteſimo, quadrageſimo octauo. Contulit ſe, ex fuga, ad Carolum, Ludouico iam mortuo, qui vinctum miſit ad Pontificem Auenionẽ.

Incidit in hęc etiã tempora, memorabilis illa, & multorum celebrata monumentis, peſtilentia, cuius tanta vis fuit, ac ſæuitia, vt quinquennij ſpatio, in Europa tertiã hominum partem abſumpſerit: præceſſerunt eam crebra, terráque, ac terris maximè infeſta, luminum deliquia. In ipſum peſtilentiæ tempus, incurrit congreſſus trium planetarum ſuperiorum, Saturni, Martis, & Iouis, ſub dodecatemorio Aquarij, vt conſentaneum ſit, fuiſſe, antegreſſis eclipſibus, orbem elementarem, ceu præparatum malignitati peſtilenti, quã deinceps, infauſta contrarij luminis cõmixtio effudit, atque impreſſit. Cauſſa in Iudæos collata eſt, quos, veneno fontes paſſim infeciſſe, ſuſpicio fuit.

Sed vt ſeſe res habeat, minimè aſpernor has, in natura, obuias cauſſas, quę ſunt velut indices, ac nunciæ iræ di-

uinæ

tinę, & velut miniſtræ, atque executrices iudicij, ac ſententiæ diuinæ, aduerſus peccata generis humani. Similis cœli conſtitutio, circiter annum milleſimum, centeſimũ, viceſimum, Henrico quarto imperãte, illam peperit luem, quæ tertiam hominum partem extinxiſſe perhibetur. Coierunt enim, ſub Virginis dodecatemorio iidem planetæ, cùm anteceſſiſſent defectus crebri luminum.

DE HELVETICIS MOTIBVS.

A Ciuilibus diſcordiis, quas commemorauimus, extitit ἀφορμὴ & occaſio nouorum motuum: & hos, ſequutæ mutationis apud Heluetios, quos Suitẽſes, & Suiceros, vno nomine, vocamus, ab vrbe Suitenſi, quæ primæ confœderationis caput fuit. Sed cauſſæ anteceſſerunt, & coinciderunt, aliæ, inclementiora, ſcilicet, & iniuſtiora imperia illorum, qui, pro Imperatoribus, ea loca adminiſtrarunt; & ὕβρις nobilitatis - ἥ μὲν καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε, καὶ Κολοφῶνα. Exitus verò is fuit, qui olim, in veteri Græcia, cùm ciuitates, regulis, qui ſuperbè & tyrannicè imperarent, vel eiectis, vel oppreſſis, vel in ordinem redactis, paſſim in Attica, Achaia, & Peloponneſo, ſeſe in libertatem vendicarunt. Regia enim poteſtate, vel abrogata prorſus, vt Athenis, Thebis, & alibi; vel ad eum modum, acciſa, ac circumſcripta, vt ſolo nomine agnoſceretur, vt Spartæ, ſummam poteſtatem vel in populum, vel in optimates, vel in vtroſque tranſtulerunt.

Fuit autem diſſimilis conditio ciuitatum Heluericarum, ante confœderationem. Suitenſes, Vri, reliquiæ Tauriſcorum; Syluani, ſeu Vnterualdenſes, etſi monaſticarum familiarum Abbatibus, certis pactionibus, ſubditi erant, tamen ſua quadam libertate gaudentes, præfectos accipiebant ab Imperio, quos Voitos appellamus, fortaſſe Græco nomine, quaſi βοηθὸς, prorſus vt olim præfecturæ Romanorum. Horum idem munus erat, quod in his terris Burggrauiorum. Penes illos enim ſumma iudiciorum publicorum, & vitę, necíſque poteſtas erat. Formam gubernationis reliquam manſiſſe, ex antiqua Romanorum monarchia, conicio; in qua præfecturæ ſuis non viuebant legibus, neque, ex ſuorum numero creabant magiſtratus, ſed hos à Senatu, aut Monarchis accipiebant, & annuatim mutabãt. Tigurum Solodurum, Baſilea, Schaffhuſium inter municipia Imperij, & liberas ciuitates numerabantur, etſi Schaffhuſium paulò ante ceſſerat Auſtriacis, conceſſione Ludouici, cui eam vrbem, cũ aliis tribus, Reinfeldo, Neo-

burgo, & Briſaco, bello ciuili, Leopoldus Auſtriacus extorſerat.

Berna, & Friburgum in Nuicthonibus, coloniç erant, cōditç, & deductæ à Bertholdo vltimo Zaringię duce. Sed, illo mortuo, Berna Imperatorem: Friburgum comites Kiburgios dominos ſortita erat, à quibus deinceps vendita vrbs Rodolpho Imperatori, paruit Auſtriacis. Cęteras vrbes, vel Auſtriaci iam ſuis terris adiecerant, vt Tugiū, Lucernam, Glariſſam, vbi illi, iam dudum, magnum principatum, animis conceperant, auita vt regna extollerent rurſus atque amplificarent: vel potentes familiæ monachorum, vel comites vicini tenebant.

Nobilitas vel ſui iuris erat, vel ſuberat Auſtriacis, aut comitibus, quorum non contemnendus numerus, in ea vicinia dominabatur.

Initium confœderationis fecerunt, Vri, Syluani, Suitenſes, in horum oppido, quo factum, vt conſuetudine, nómen Suitenſium, confœderatis omnibus ſit tributum. Occaſio, vt dixi, à bellis ciuilibus extitit Ludouici Bauari, & Friderici Auſtriaci. In his enim, cùm cæteræ adhærerent Auſtriaco, quem tota ſequebatur nobilitas, hę tres ſolę adfuerunt Bauaro, odio magis vicinę nobilitatis, & metu potentię Principum Auſtriæ, quæ genti, natura horridiori & ad libertatem aſpiranti, videbatur fore intolerabilis quam fide, & ſtudio erga Imperatorem.

Cùm autem tentatæ multipliciter, & exagitatæ grauiter, non vellent relinquere Bauarum, & Leopoldo Auſtriaco proſperè deuicto, Bauaricis rebus, ea in parte, plurimùm cōmodaſſent, Bauarus, remunerationis loco, αὐτονομίαν eis conceſſit, cumulatam immunitatibus plurimis, & poteſtatem fecit, ſeſe perpetuo fœdere, πρὸς συμμαχίαν, καὶ ἐπιμαχίαν defenſionis cauſa, coniungendi. Exemplo inuitatæ paulò poſt, vrbes reliquæ, cùm irritare eas, ac laceſſere potentes vicini, non deſinerēt, idē fecerunt, & inita cum prioribus, atque inter ſeſe ſocietate, eáque arctiſſimis fœderum legibus deuincta, potentiam confecerunt vicinis facilè parem, quæ victoriis, & ſociorum acceſſione, adaucta, tandem etiam formidabilis iiſdem euaſit.

Commemorantur duo inſignia exempla ὕβρεως, vnum de Præfecto Suitenſi, alterum de Vnterualdenſi. Suitēſis, collocato ad ſcopum honeſti, eo in loco, ciuis filio, & ſupra caput pueri impoſito pomo, coëgit patrem ad pomum, ceu metam iaculari, vt, ſi pomum non collimaſſet, transfigeret filium.

filium. Sed & patrem, cùm inſigni auſu, rem tãtam feliciter peregiſſet, illæſo filio, inſuper vinctũ ſecum abduxit, in quo itinere, excuſſis compedibus, tyrannum trucidauit. Vnterualdenſis, adulterio per vim, & contumeliam oblato coniugi cuiuſdam eius oppidi ciuis, cauſſam coniurationi prębuit. Ita ἀφορμὴ mutationis proxima prouenit à pœna tyrannidis, & libidinum.

Etſi autem & exceſſit medicina modum, & defenſionis metas egreſſa eſt, vt fere fit, cùm nixu, conatúque in cõtrarium ferociore, atq; inſolẽtiore, fatales pœnas acceleramus, atque exaſperamus, actius irritatis animis. Et vix vnquam victorię in bellis ciuilib. præſertim inferiorum de ſuperioribus, ſi belli cauſſa ſit ab iniuſtitia ſuperiorum, modum ſeruant: tamen & cauſſæ, & exempla mutationum conſiderẽtur, & iuſtitia, honeſtate, clementia, moderatione fulciri, ac retineri Imperia cogitetur. Odit enim Deus nimis vehementes impetus: odere ciues, gratior eſt moderatio, ſecundum Euripidem. Hæc de initiis monuiſſe ſatis ſit. Cætera ſeſe dabunt in ſingulorum Imperatorum mentione.

CAROLVS QVARTVS, CONtra quem fuerunt electi,

Eduardus rex Angliæ:
Fridericus marchio Miſniæ:
Gunterus comes Suuarceburgenſis.

CArolo quarto, Iohannis regis Boëmię filio, nepoti Hẽrici ſeptimi, ſupra diximus, traditum eſſe Imperium ſuffragiis Moguntini, Treuiri, Colonienſis, Boëmi, & Saxonis, anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſexto, cùm id ademiſſent iidem, Ludouico Bauaro, Põtificij anathematis execratione oppreſſo, incitante Clemẽte ſexto. Sed nec ceſſit Imperio Bauarus, dũ vixit, nec capeſſere id, illo viuo, Carolus fuit auſus: etſi, vt Bonnæ coronaretur, perfecit.

Ludouico mortuo, maiores ortæ ſunt diſſenſiones. Maior enim Electorum numerus, repudiato Carolo, vt qui per fraudem eſſet intruſus, iniuſto Ludouici odio, priorem electionem declãrauit irritam, in qua multa alia etiam deſiderabant. Quare vbi conueniſſent Francofurti, anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo octauo, Mogũtinus, Palatinus, Saxo, & Brandeburgenſis, qui Bauari filius erat, decretum fecerunt, de aduocando Eduardo Anglo. Hic, recens victoriarum de Francis partarum fama, orbem

terratum compleuerat, & in ſui admirationem commouerat. Sed Anglus, cùm ſapienter iudicaret, non fore conſultum rebus ſuis, ſi diſtractas regni vires, pariter in periculoſiſſimum bellum, cum Francis, & difficillimam Imperij gubernationem impenderet, quod, ea diſtractione, debilitato, euenturum proſpiciebat, vt iſtinc à Francis ſuperatus, regno, hic à principibus Germaniæ deſertus, Imperio excuteretur, contentus honorifica, de ſe Principum opinione, dignitatem non accepit.

Renouata itaque deliberatione, cõſenſerũt iidem principes in Fridericum marchionem Miſniæ, virum acrem, & bello ſtrenuum, qui vnus tunc, inter omnes, excellebat, prudentię, grauitatis, belli, & opum gloria, & videbatur allaturus eſſe ad Imperium omnia neceſſaria, belli, ac pacis tempore, præſidia à ſeſe, & à rebus, atque fortunis ſuis. Sed & hic, præter omnium ſpem, atque opinionẽ, ſpreuit Imperium, magno animo, quod priorem Caroli electionem, cum noua perturbatione Germaniæ, plus ſatis, his proximis bellis, afflictæ, non irritam faciendam, nec patriæ ſaluti, ac tranquillitati, ambitionem priuatam anteferendam eſſe, cenſeret, etſi videretur facilè, contra Carolũ ſummam rerum obtinere potuiſſe.

Carolus, qui ardens ambitione, corruptionibus, & fraudibus magis, quàm virtute pugnabat, idcirco honorario eum munere affecit, decem millium marcarum argenti.

Sed tamen, ne ita quidem admiſſus eſt. Etſi enim, cum exercitu aliquam Germaniæ partem peruagatus, paucas aliquot ad Rhenum, & Danubium, atque in Sueuia, & Heluetia ciuitates, in deditionem accepit, ſub pactionib. certis, & Bauaris Ludouici filiis, damna dedit, incendiis, ac direptionibus, receptus eſt etiam à Noribergenſibus, & Ratisbonenſibus: tamen nuſquam certò, tutóque conſiſtere, nec confirmare ſeſe potuit, prohibitus conſenſu, atque cõiunctione potiſſimæ partis Electorum, Principum, ac ciuitatum.

Interea Electores ſuſtulerunt ad Imperium Gunterum, natum è familia comitum Suuarceburgenſium, in Turingia. Factum eſt id anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo nono, ſecũda die Februarij. Suffragatas huic ferunt, ad Imperium adipiſcendum, res ſub Ludouico fortiter geſtas, & amicitiam Moguntini, etſi prius aſſentiri Electioni noluit, quam, publico decreto, teſtatum feciſſent Principes collocari ſe in ſedem Imperatore vacuam. Ac-

ceſſit

ceſſit autem ad vrbem Francofurtum , inſtructus exercitu, & caſtris ad vrbem poſitis, æmulũ præſtolatus eſt, vt litem bello decerneret. Carolus, etſi eodem ſuas copias adduxit, vim belli tamen experiri , & fortunam viri ſtrenui , ac bellicoſi, qui nitebatur ſtudiis, & auxiliis ſummorum ordinũ, irritare, denique vires vniuerſas, in vnius diei prælium impendere, non fuit auſus.

Quòd ergo vi, & armis, ſe nihil effecturum eſſe, cerneret, ad alias ſeſe conuertit artes. Tranſegit cùm Ludouici Bauari filiis, quibuſcunque conditionibus, etſi his pactis non ſtetit: ductaque in vxorem Rodolphi Palatini filia, diſiunxit Electores, & Bauaricæ domus auxilia æmulo ſubtraxit. Sed, cùm ne ſic quidem eum exarmaſſet, ſubornauit medicum pecunia corruptum, qui leuiter ægrotanti, venenum propinauit, cuius, etſi partem magnam vomitu reiecit, cùm medicũ authorem, ex prægustato pharmaco, quod eum facere coegerat, paulò poſt collabi, atque exanimari conſpexiſſet, reliquiis tamen, ita eneruatus fuit, ac debilitatus, vt ad res gerendas euaſerit prorſus inhabilis.

Deſperata itaque vita Guntheri, interpoſuerunt ſeſe Rodolphus Palatinus, & marchio Brãdeburgenſis, quos, arte, à Gunthero Carolus auulſerat, rémque eò deduxerunt, vt Carolus, pro Imperio, Guntheri hæredibus, numeraret viginti duo millia marcarum argenti, in compenſationẽ impenſarum, additis duobus in Turingia oppidis, & Francofordienſibus redderet emporij, ac publici mercatus ius, quod tranſtulerat Mogũtiam. ita ſexto, ab electione, menſe, Gunthero indignè perempto, ac regio apparatu , regióque monumẽto ſepulto Frãcoforti, in æde diui Bartholomæi, Carolus Imperio multis largitionib. & pecunia multa ſolus tandem eſt potitus, anno milleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo: hîc nonnulli , altiùs ordientes Imperium eius, à prima, contra, Bauarum deſignatione , addunt quadriennium præcedens.

Adoleſcens in Gallia educatus eſt, apud Carolum regem Francorum, vbi moribus Gallicis imbutus, deinceps multis in rebus, leges, inſtitutáq. & conſuetudines regni Gallici, præſertim in extollendis, & augendis ciuitatibus quarũ opes, & robur didicerat eſſe opes, & robur regni , inde in Germaniam tranſtulit. Et quod addictior eſſet Gallico nomini , ex prima conſuetudine deinceps regibus iura regni Arelatenſis, alienata ab Imperio, conceſſit , in maximum detrimentum Imperij. Qua de re grauiter, & iure culpa-

tur. Prima etiam militiæ tyrocinia in Gallia fecit, ſed quam primùm ætas cœpiſſet eſſe militaris, miſſus eſt, à patre Iohanne, in Italiam, ad præſidia, quæ occupatis vrbibus impoſuerat, vbi fortiter pleraſque tutatus eſt.

A morte patris, cùm eſſet πλεονεκτικώτατος, adeptus occaſiones, ex diſſidiis principum Sileſiæ, patris exemplo, totus in eam curam incubuit, vt principibus illis vel precio, vel bello, vel perſuaſu domitis, acceſſione Sileſiæ omnis, & huic cohęrētis Luſatiæ, Bohemiā amplificaret, &, vt acquiſita cōfirmaret, Ciuitates, donatas immunitatib. plurimis, armauit contra principes, ne hi vires vnquam reciperet, & moliri defectiones, mutatis voluntatibus, poſſent.

Erectus deinde in ſpem Imperij, animum etiam ad vicinas Imperij prouincias, marchiam Brandeburgenſem, Bauariam, & Voitlandiam appulit. Marchiam, vt ſupra oſtēdi, Bauaris tandem extorſit. In cæteris hoc effecit, vel emptionibus, vel pactis dotalitiis, vt quanquam nō obtinuerit totas, de ſingulis tamen decerpſerit, quæ Boëmiam attingunt, vt vel ſubdita eſſent, vel feudorum legibus, regno Boëmię obſtricta.

Multa multis, & ante confirmatū Imperium, & deinceps gratificatus eſt, vt obſequentioribus, & facilioribus vteretur in rem ſuam. Iohanni, & Alberto Henetorum principibus, ad littus Balticum, ornatis noua dignitate, tribuit locum inter Duces Imperij, anno milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo nono. In vrbe Norica, ſeditionibus exagitata, reducto Senatu, qui furoribus inſanæ plebis ceſſerat, tribuum iura ſuſtulit, & aboleuit, atquę poteſtatem omnē in Senatum tranſtulit. Auxit, & ornauit eam vrbem plurimùm, vel propter viciniam regni Boëmici, vel propter fidem ipſi præſtitam, initio gubernationis.

Italiam, inuitatus crebris multorum literis, inter quas extant Franciſci Petrarchæ, ad vindicandam vrbis Romanæ libertatem, & ſopienda bella, quibus tota paſſim flagrabat, adiit anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo quarto: vbi ſimiliter pleraque indulgendo, & largiendo principibus, multa ab Imperio, venditionibus, alienauit.

Rebus Longobardicis conſtitutis, cùm Mediolani ferrea corona inſignitus eſſet, Romam venit. Ibi, poſtquam eſſet conſequutus, vt ſolenni coronatione declararetur Imperator, hac peracta, non diu moratus in vrbe, rediit in Hetruriam. Pręproperi reditus cauſſas fuiſſe, aiunt, & pro-

miſſum

miſſum factum , ante coronationem , cardinalibus,Innocentij ſexti mandato,quo, ſe, recipit,mox vrbe ceſſurum, non turbata aut impedita poſſeſſione tyrannidis,quam illi tenebāt:& metum inquietę plebis , longis ſeditionibus efferatæ.Florentiæ exulātes Gibellinos reſtituit. Mediolani Vicecomites Galeacium,& Barnabam in Ciſalpina Gallia, & Liguria Imperij vicarios inſtituit, ſed abſque dignitate ducali. Galeacius,cū & delectaretur liberalioribus literis, & coleret, ac præmiis cumularet viros diſciplinarum omnium, & nobiliorum artiū ſtudiis inſignes,ex hiſque præcipuè Franciſcum Petrarcham , hortatu huius, bibliothecam condidit, cùm, paulò ante, munere beneficióque Caroli,Ticini celebre gymnaſium inſtituiſſet, vbi deinceps,à filio Iohanne Galeacio, conducti liberalibus ſtipēdiis,docuerunt aliquot præſtantes viri , qui monumenta ingenij poſteris reliquerunt , in iure,Baldus , & Raphaëles duo:in medicina , Marſilius à ſancta Sophia : in literis Græcis,Emanuel Chryſoloras Byzantinus.

Reuerſus in Germaniam Carolus,conuentum egit Principum celeberrimum,& frequentiſſimum,in vrbe Metenſi,in quo, re ſapienter, & multùm deliberata, ac diſputata, cum præcipuis ordinibus Imperij , de contractis in vnum, atque digeſtis in ordinem inſtitutis, ac moribus antiquis, & recentibus,ad Imperij decus, ac maieſtatem,& ſingulorum pertinentibus,cōdidit legem Carolinam, Aureæ bullæ nomine notam ac celebrem , comprehendentem leges, ritúſque ſeruandos,in electione Imperatoris,ac conſulentem atque cauentem poteſtati , authoritati , ac dignitati ordinum omnium , ſuo ſingulis loco, pro ratione circunſtantiarū. Quod operum eius præcipuum eſt,ac laudatiſſimum. Fuit enim hactenus pacis publicæ neruus firmiſſimus.Hac lege nixa, erexit ſeſe viciſſim,vtcumque,atque communiuit maieſtas Imperij:hæc amputauit contentionum , ac diſſenſionum occaſiones in electione, quarum fructum , cùm ipſe expertus eſſet , conſentaneum eſt, voluiſſe eum, hac cōſtitutione , illas amoliri,& auertere:hæc ſingulis ceu metas ſuas , circumdedit, & inter ſeſe Imperatorem & principes, ad eum modum deuinxit, vt in reipublicæ, patriæ, Imperatoris, vicinorum detrimentum , aut perniciem nemini mouere , moliríve quicquam , impunè liceret. Promulgatam hanc & ſancitam eſſe deinceps ferunt, Noribergæ. De tempore , conſentiunt omnes,qui fuit annus milleſimus , trecenteſimus , quinquageſimus

ſextus,alter à reditu ex Italia.

In eodem Principum congreſſu, Wilhelmum marchionem Iuliaci,prouexit in ordinem ducum,& Wenceſlaum fratrem, Luceſburgi comitem, pro duce ſe gerere iuſſit. Hic Wenceſlaus deinceps, cum Iohanna Alberti Bauari filia,adeptus eſt Brabãtiam. Dimiſſo conuentu,Vrbanum V.Pontificem Auinioni conuenit.

Reliquum tempus, iis rebus gerendis tribuit,quas in Sileſia,Luſatia,& Marchia cõfeciſſe eum, memorauimus,& regno Boëmico dilatando foris, domi exornando collegiis canonicorum,& monachorum,inſtitutione Academię Pragenſis,ædificationibus,munitionibus.

Ottoni Bauaro, cui filiam deſponderat,Marchiam ademit,circiter annũ Chriſti, milleſimum,trecenteſimum,ſeptuageſimum tertium,quòd ſine maſcula eſſet ſobolę. Anno ab occupatione tertio, condidit in Marchia arcem, & templum,ad oſtium Angræ,ſeu Tanagræ fluminis,qua ſcilicet in Albim effunditur. Praga,ordinatione ipſius,docere cœpit,circiter annum Chriſti, milleſimum, trecenteſimum,ſexageſimum primum.

Itali ſcriptores,ſecundò, reuerſum eſſe in Italiam, cum liberis,& coniuge,ac ſedaſſe motus Hetruſcos,perhibent, partim armis, partim iure,opera Bartoli Saxoferrati, celebris iuriſconſulti, quem in honore, & precio habuit,anno Chriſti milleſimo,trecenteſimo,ſexageſimo ſexto. Noſtri, profectionis illius,non meminerunt: ſed id egiſſe eum,poſtremis annis,omni conatu referunt, vt ad Imperium Wẽceſlaum filium extolleret:cúmq; multùm annixus eſſet,laborantibus etiam, pro eo, Põtifice Romano,& Cardinalibus: vix ægrè tamẽ tandem ſuffragia elicuiſſe, ſed non niſi Principum animis,multo expugnatis auro,quod de vectigalibus publicis diuenditis, atque ita reditibus Imperij vniuerſis exhauſtis, atque profuſis in largitiones ambitioſiſſimas,confecit. Accidit hoc,anno milleſimo,trecenteſimo,ſeptuageſimo ſexto.

Eodem anno, Wenceſlao coronato, deſponſata eſt Iohanna,filia Alberti, ducis Bauariæ,comitis Hollãdiæ,Hãnoniæ,& Scelandiæ,&c. & a nouo rege,nouam conſequutus eſt dignitatem, comes Bergenſis, dux Imperij ſalutatus,quanquam à Carolo,beneficium profectum iudico.

Carolus voti compos factus, lætus de poſteritate,quã in ampliſſimum regnum, & ſummum Chriſtiani orbis faſtigium collocarat,anno ſequente, Pragę vitam finiit,ſexto Calend.

Calend. Aprilis.

Anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo.

Imperij viceſimo octauo, numeratis annis ab obitu Guntheri.

Dignus fuerat laude, nî regnorum Boëmiæ, & Franciæ, quàm Imperij amantior: nî rei priuatæ, quam publicæ, ſuæque poſteritatis, quàm maieſtatis Imperij amplificandæ, conſeruandęq; ſtudioſior: nî pecuniæ, quàm recti, iuſtíque fuiſſet auidior: & niſi maluiſſet ex diminutis potius paſſim, in Germania, & Italia, dignitatib. & opibus Imperij, alienatione regnorum, & publicorũ vectigalium, venditione immunitatum, conceſſione libertatum: niſi ergo ex his diminutis, & labefactatis potius, quàm adauctis, ac ſtabilitis, maluiſſet pernicioſa magis reipub. quàm ſuis vtilia, & tuta comparare præſidia, ad diuturnitatem, ac firmitatem: ſi denique, florente repub. ſuis etiam bene futurum, cogitaſſet. Quare ſequutum & hoc eſt, vt non tantum in Imperio plurimis ornamentis, ac præſidiis ſpoliato, ſui non diu dominarentur, ſed poſteritas infortunata eſſet, & tandem intercideret.

Gratia tamen debetur conſtitutioni Carolinæ, cui accepta ferantur plurima emolumenta, quæ inde ad rempub. redierunt, neceſſe eſt. Excelluit ingenio, & doctrina, & multarum linguarum peritia, cõſuetudine doctorum delectatus eſt plurimùm. In ſcholam Pragenſem, quam recèns fundarat, aliquando ingreſſus, cùm doctos audiuiſſet diſputantes in horas quatuor, ídque purpurati moleſtè ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent: Mihi, inquit, tempus eſt minimè: Nam cœna hæc mea eſt.

Vxores habuit plures: Primam Blancam, Valeſiæ comitem, filiam Caroli Valeſij, ſororem Philippi Valeſij, qui poſt in Francia regnauit. Hanc Carolus rex Francorum, vix ſeptennē, ei deſpondit, verſanti in aula. ea mortua, nuptias contraxit cum filia Rodolphi iunioris, Palatini ad Rhenũ, quam Annam alij, alij Agnetem vocãt. Sed coniugium fuit infœcundum, ac ſterile. Hęc maritum ſecuta eſt Romam, & ibidem coronata. Poſt huius mortem, tranſiit ad tertias nuptias, copulata ſibi, ſpe occupandæ Sileſię, Anna filia Bulconis ducis Suidnicēſis, quę ad eum, dotis loco, Sileſiæ partem, conterminam montibus Boëmicis, attulit.

Ex hac natus eſt Wenceſlaus. Poſtremam, tertia defuncta, coniugem ſibi deſpondit Eliſabethen filiam Bugiſlai ducis Stetinenſium, conſobrinam Ludouici regis Vngariæ, neptem Caſimiri regis Poloniæ, qua cum celebrauit ſplendidiſſimas, & magnificentiſſimas nuptias Cracouiæ, cohoneſtantibus, publicos, ac ſolẽnes ritus, regibus Poloniæ Caſimiro, Vngariç Ludouico, Daniç Woldemaro, Cypri Petro. Anno milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo tertio. Hæc peperit ei Sigiſmundum.

Inter filios, hæreditatem, in hunc modum, eſt partitus, Vvenceſiao regnum Boëmiæ, Sigiſmundo quinquenni puero, marchiam Brandeburgenſem, Iohanni natu minimo, Gorlicium Luſatiæ attribuit, adiũctis aliquot vicinis oppidis. Sigiſmundo, mater confecit nuptias Eliſabethæ, filiæ Ludouici regis Vngariæ, impetrato in dotem regno, conſenſu vtriuſque regis, patris Caroli, & Ludouici, ne inferior eſſet opibus, & potentia Vvenceſlao.

Filiæ Caroli recenſentur plures, ſed ſine diſcrimine, vt non certò conſtet, quę quibus ſint natæ matribus. Catharina collocata fuit Rodolpho quarto, Auſtriaco: Eliſabeth Alberto tertio Auſtriaco, fratri Rodolphi: Margareta Ludouico Vngariæ, & Poloniæ regi: Eliſabetha altera, Iohãni Galeacio Mediolanẽſi: Margareta altera, Iohanni Burggrauio Noribergenſi: Anna Ottoni Bauaro, marchioni Brandeburgenſi: Helena, regi Angliæ.

In Geldria nominabatur, hoc ſeculo, Reinaldus comes, è proſapia Naſſaënſi, vt dixi, cui, Ludouici Bauari beneficio, contigit gradus dignitatis ſuperior, inter principes, vt pro comite, ducib. aſſideret, & æquaretur honoribus. Sed poſteritas maſcula, ex eo, nõ diu fuit ſuperſtes. Defecit enim in filio Eduardo, cuius ſororem, Reinaldi filiam, Mariam, cùm duxiſſet in vxorẽ Wilhelmus, Iuliaci comes, & dotalium nomine, traxiſſet Geldriam ad ſeſe, litem ei mouit Cliuenſis. Sed præceſſit Iuliacenſis poſſeſſione, & iure, & quia cum ipſo, & fratre Reinaldo, ſtirps interit, noua mox contentio de Geldria, & Iuliaco exorta eſt, inter Arnoldum Egmondanum, & Wilhelmum ducem Bergenſem, atque huius filium Gerardum. Bergenſis, agnationis vinculo, attingebat fratres Iuliacenſes Wilhelmúm, & Reinaldũ. Aui enim Gerardus, & Adolphus, copulatos à maioribus Iuliaci, & Montis comitatus, primi rurſus diuiſerant, vt ille Iuliaci, hic Montis comes eſſet, & diceretur. Egmõdani auia, eorundem ſoror erat. In hac contentione, vicit Wil-

Wilhelmus Montenſis, ſeu Bergenſis,potitus vtraque terra. Sed Gerardo filio, deinceps Geldriam rurſus eripuit Egmondanus,cui cùm eſſet Gerardus impar, ceſſit ius ſuũ Carolo duci Burgundiæ.Hæc conceſſio attulit Burgundo aditum ad Geldriam, cum quodam iuris prætextu, quo vſus eſt Carolus V.Imperator, Egmondana ſtirpe, in Carolo duce Geldriæ,extincta,qui fuit Arnoldi nepos.

Cliuia,paulò poſt hęc tempora, peruenit ad comites de Marca,ex perantiquo ſanguine comitum de Altena, & de Monte, quos in dignitate, & regione primus collocauit Henricus Auceps. Conditorẽ ſtirpis celebrant Adolphum, qui filios habuit Eberhardũ Montis, Adolphũ Marcæ comitem. Sed Eberhardo in monaſteriũ ingreſſo, Adolphus comitatus iterum coniunxit. Eoſdem diuulſit rurſus diuiſio nepotum, Eberhardo Marcæ, Engelberto Montis comitatum ſortito. Engelberti ſtirps, in abnepote deſiit,cuius ſoror,nupta comiti Iuliacenſi,dotis loco,in eam familiam adduxit comitatum Montis,ſeu Bergẽſem. Eberhardus alter frater,propagauit familiam,de qua,qui hodie ſuperſunt, terras Iuliacenſem, Cliuenſem, Bergenſem,ducum titulo & dignitate, coniunctim poſſident, & gubernant,quod ita accidit.

Cõiunctos Iuliaci,& Montis comitatus,diuiſerunt rurſus abnepotes illius, qui primus coniugio eos copularat, ſcilicet Gerardus, & Adolphus fratres, vt ille Iuliaci, hic Montis comes eſſet. Gerardi nepotes Wilhelmus,& Reinaldus,quos Geldria etiã potitos diximus,mutato ſtatu,in ſuperiorum traducti ordinem, Ludouici Bauari authoritate,pro comitibus marchiones, & mox deinceps, Caroli quarti ſentẽtia,pro marchionibus,duces Imperij eſſe cœperunt. Contigit idem beneficium Wilhelmo, & Adolpho, fratribus Bergenſibus, Adolphi nepotibus,à Carolo, vel, vt alij volunt à VVenceſlao, vt fierent duces Imperij. Fratre Adolpho,& patruelibus extinctis, rediit hæreditas omnis ad vnum Gerardum, de quo dixi,cui litem intendit Egmondanus. Huius Gerardi,ex filio VVilhelmo, neptis Maria, deinceps, cùm ſtirps maſculina nulla ſupereſſet, hæreditatem eandem attulit, dotis loco, ad Iohannem Cliuiæ ducem,è comitibus Marcæ,patrem VVilhelmi,qui adhuc eſt in viuis.

Nunc ad Cliuiæ ducatum reuertor. Is numerat,longa ſerie, vetuſtiſſimos eiuſdem familiæ maiores,inde vſque à Francicis temporibus.Poſtremi ex ea ſtirpe, Theodoricus,

Iohannes, & Otto, inciderunt in hæc Caroli quarti tempora. Extinctis illis, abſque hęredibus maſculis, contenderunt inter ſe de comitatu Cliuenſi, tres familiæ, propter matres, & coniuges: inter quas, fuit & familia comitum Marcæ. In ea, comitatũ ambierunt fratres duo, Adolphi filij, ex Eberhardo ſtirpis conditore, Engelbertus, & Adolphus, qui erat euocatus ad Epiſcopatum Coloniēſem: ſed prouinciales & fratri Engelberto, & cæterarum familiarum cognatis proceribus, prætulerunt Adolphũ, Imperatore conſentiente. Ita comitatus Cliuiæ, primò ſub comites de Marca redactus, mox, annitente Imperatore Sigiſmundo, conditionem etiam mutauit, comite nouo, in locum exaltato eminentiorem, inter princeps.

Burgundia, Brabantia, Lucelburgum, & Hollandia in hunc deuenerunt ſtatum.

Burgundiam tenebat Philippus audax, frater Caroli V. regis Franciæ, donatus ea a fratre, cùm antea eſſet dux Turonum, vt ea occaſione conciliaret ei nuptias Margaretæ Flandricæ: peruenerat autem ad Iohannem, Philippi patrem, morte Ottonis ducis Burgundiæ: Flandriam Ludouicus comes vltimus: Brabantiam, & Lucelburgum Wenceſlaus, Caroli quarti Imperatoris frater: Hollãdiam, ac vicina loca, Albertus, Ludouici Bauari filius.

De Brabantia contendebant Wenceſlaus Lucelburgenſis, & Ludouicus comes Flandriæ; quòd vterque eſſet gener Iohannis tertij Brabantini. Etſi autem adiuuabatur a fratre Carolo Wenceſlaus, vicit tamen Ludouicus, & retinuit Brabantiam: Wenceſlaus, cum vita, ducatum amiſit. Huius Ludouici filia Margareta, deinceps ad Philippũ audacem attulit Flandriam, Arteſiam, comitatum Burgundiæ, Niuerniam, Rethelinum, Salinas, Mechliniam.

Philippo audaci, nati filij Iohannes, Antonius, Philippus, Iohanni, ex partitione, obuenerunt Burgundia, Flandria, & Atrebates: Antonio Brabantia, & Lucelburgum: Philippo Niuernia, & Rethelinum; Antonio prima vxor erat Iohanna, filia vnica, & hæres Valeriani Lucelburgenſis. Ex hac nati ei filij duo, Iohãnes dux Brabãtiæ, & Lucelburgi fundator Academię Louaniēſis, & Philippus comes S. Pauli, & Ligniaci. Altera eidem vxor erat Eliſabeth, filia Iohannis ducis Gorlicenſis, fratris Imperatorum Wenceſlai, & Sigiſmundi, propter quam fœminam, iidem Imperatores reliquerunt, & confirmarunt ei poſſeſſionem ducatus Lucelburgenſis, ea conditione, vt Antonius, & eius liberi eum poſſi-

poſſiderent. Ita ſub Burgundos redactæ ſunt Brabantia, & Lucelburgum, vbi olim, tempore Francorum, fuit ducatus ad Moſellam.

Inter filias Philippi audacis, Margareta nupta Wilhelmo Hollandię, Hannoniæque comiti, Alberti filio, peperit ei vnicã filiam Iacobam; quæ nuptui data Iohanni Aquitaniæ principi, Caroli ſexti Franci filio, & poſt huius fata Iohanni Brabantino, Antonij filio, cùm nullo partu mater fieret, aditum patefecit propinquis ſuis Iohanni Burgundo, marito Margaretæ, filiæ Alberti Bauari, quæ VVilhelmi patris ſoror erat, atque huius filio Philippo bono, ad Hollandiam, Seelandiam, Hannoniam & Friſiam. Hæc monuiſſe hoc loco ſufficiat.

VVENCESLAVS CAROLI quarti Filius.

BOëmorum annales, VVenceſlaum natum eſſe, memorant, quarto Calend. Octobris, anno milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo primo, Noribergæ. Ea enim vrbe delectatum ferunt Carolum patrem, quod monumenta oſtendunt, inter quæ præcipuum eſt, vrbs ipſa, à Carolo reſtituta, in tranquillum, ex ſeditionibus longis, quibus penè funditùs fuit perdita. Mater doloribus partus extincta eſt. Ipſum & cùm baptizaretur, aquam baptiſmi, & cùm bimus iam cingeretur diademate regio, aram cœno ſuo conſpurcaſſe; & dum aqua adhibenda baptiſmo caleſit, Paſtoralem domum, ad D. Sebaldum, exarſiſſe, fama eſt: quod ſapientes ita ſunt interpretati, futurum eum ſtolidum, ignauum, voluptuarium, ſordidum, luxurioſum, Imperio dedecori, & exitio. Norici annales, tempus natalium, ad diem decimam ſeptimam Martij, referunt.

Anno milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſexto, biennio ſcilicet, ante obitum patris, annos natus quindecim, ſucceſſionem in Imperio obtinuit, cunctis, ſed coëmptis multò precio, imo penè extortis, non liberis ſuffragiis. Adfuerunt electioni Ludouicus præſul Moguntinus, è ſtirpe marchionum Miſniæ, Fridericus Colonienſis; Cuno Treuirenſis, Rupertus Palatinus ad Rhenum, VVenceſlaus dux Saxoniæ, & Sigiſmundi fratris, marchionis Brandeburgici, legati. Sexto ab electione die, coronato ei Aquiſgrani, deſponſata eſt Iohanna, filia Alberti ducis Bauariæ, comitis Hollandię, Hannonię, Seelandię, quæ, ſexto anno poſt nuptias, interiit, conſumta dolore, propter mariti flagitioſos, ac perditos mores.

Nihil fuit in eo hominis ſimile, præter ſpeciem, quanquam & ea fuerit diſtorta, atque deformis, Therſiti, quàm principi ſimilior. Ingenio fuit hebeti, ac ſordido, nullarum rerum, niſi voluptatum, intelligente: animo non à rep. tantùm, ſed penè ab omni honeſtate alieno, ac timido, & ad immanitatem vſque, ſæuo, ac truculento: πᾶν γὰρ δηλὸν φοινικὸν, καὶ ψοφοδεές. Corpore ignauo, neque ad vllam aliam rem, quàm ad obſcenas, ac turpes crapularum, helluationum & libidinum voluptates, ſi modò his voluptas ineſt, idoneo.

Adminiſtrationem, & curam regni paterni, & Imperij, tanquam ad ſe non pertineret, ita neglexit, vt cùm latrociniis infeſta redderentur itinera, & graſſatoribus impleretur Boëmia, paſſim verò in ciuitatibus, ſeditiones exorirentur, inſurgente aduerſus magiſtratum, inſana plebe, ipſe tamen aliud ageret nihil, niſi volutaret ſe, porcorũ ritu, in cœno vitæ flagitioſiſſimę, qua, cũ neceſſe eſſet incurrere in odia ac reprehenſionem, & afferre contemtũ, addebat turpitudini crudelitatem, vt metũ iniiceret iis, quos ipſe metuebat, & amoliretur inſidias, quas ſtrui ſibi initio ſuſpicabatur, deinde reipſa experiebatur. Nec ſatis illi erat ſupplicio affeciſſe, quos metuebat, ſed ſua manu, vel ad menſam, iugulabat multos, quaſi per ludum, & iocum, præſidium ratus principi firmius, barbarorũ ſtipatorum agmen, quàm beneuolentiam ciuium. Cúmque numeroſo ſe muniret ſatellitio, ex Germanis, Boëmiſque, hos ipſos tamen ſæpè mutabat, quod nemini ſatis fideret, inſidiarum metu, quas effugere tamen non potuit. Captus enim à ſuis, & in tetro carcere, totos mẽſes quatuor, cuſtoditus, vix multis regum ac principum interceſſionibus impetrauit, vt ſemel ei ad ſquallorem, & ſordes corporis abluendas, balneum ingredi concederetur, ex quo Ambubaiæ opera, ceu refrigerandi corporis cauſſa, ad vicinam ripam fluminis, quod Pragam interlabitur, traductus ex compoſito, conſcenſa cymba, Ambubaia remigante, euaſit.

Sed rediit ad ingenium, & memoria carceris, ac vindictæ cupiditate, magis exaſperatus, ſæuiit in ſubditos atrocius quàm antea, nactus etiam idoneos ſæuitiæ miniſtros. Hac tandem irritati ſubditi, accerſiuerunt Sigiſmundum fratrẽ, qui recèns extruſo æmulo, Carolo Neapolitano, ſeſe in regno Vngariæ, armis, & ſuppliciis aliquot infidorum procerum, confirmarat, ad quam rem cum ſumptus defuiſſent, oppignorarat marchiam Brandeburgenſem, patruelibus

busIodoco, & Procopio, Morauiæ marchionibus. Sigiſmũdus ergo præpoperè ingreſſus Boëmiam, regno occupato, fratrem abduxit, & cuſtodiendum dedit Alberto Auſtriaco: quòd cùm indignè ferrent Iohãnes frater, & Procopius patruelis, comparatis copiis, ad illum liberandum, irruperunt in Boëmiam, ſed illo fruſtra quæſito, cùm traductum eſſe Viennam, cognouiſſent, retroceſſerunt.

Euaſit tamen Wenceſlaus, adiutus opera, & conſilio piſcatoris cuiuſdam, & reuerſus Pragam, mendici habitu, arcéque recepta, mox regnum etiam recuperauit. Arcem tali ſtratagemate obtinuit. Mendici ſpecie, in arcem præſidio firmatam, irrepſit, móxque cuſtodibus conſilio patefacto, ope eorum, præfectum oppreſſit, & eundem coëgit, literis anulo ſuo obſignatis, præcipuos vrbis, ac regni proceres euocare in arcem, tanquam ad communem deliberationem, hos deprehenſos, crudelibus ſuppliciis interemit.

Recepto regno, vt dilueret conflatam inuidiam, affinitate noua, & res dubias ſtabiliret, duxit in vxorem Sophiam, filiam Iohannis ducis Bauariæ. Sed nihilo factus aut melior, aut mitior, aut excitatior, quo vſus eius in gubernatione nullus eſſet, Electores communi conſenſu, Imperium ei abrogarunt, anno viceſimo ſecundo, poſt Caroli patris obitum. Reliquum ætatis exegit in regno ſuo, iis moribus, quibus conſueuerat.

Peruenit ad annum ætatis quinquageſimum ſeptimum. Interiit correptus apoplexia, ex conſternatione, & excandeſcentia, cùm prandenti nunciatum eſſet, populum Pragenſem, obtruncato per ſeditionem, Senatu, ad arcem etiam accurrere; & præguſtator, ſe illius rei non ignarum eſſe oſtendiſſet.

Iohannem Galeacium Vicecomitem Mediolanenſem, nouo honoris titulo cohoneſtauit, & primum Mediolani ducem, ſceptro pileóque, eius dignitatis inſignibus, per legatos tranſmiſſis, appellauit; vrbe, ditionéque, grãdi pecunia vendita, in Imperij fraudem ac detrimentum, additáque poteſtate, vt in hæredes transferre poſſet; cum, ante Iohannem, vicarios præſides tantũ egiſſent, maiores eius, beneficio Imperatorum, quibus eam dignitatem, & adminiſtrationem tribuere, quibus vellent, liberum erat.

Incommoda neglecti Imperij ſenſit Germania, multis in locis turbata, & quaſſata bellis ciuilibus. Vrbes Helueticas enim duces Auſtriaci: Sueuicas Wirtebergenſes, & vicini

comites hoſtiliter exagitabant; conatus hi principum, & comitum, neceſſitatem attulerunt vrbibus, ad faciendum, defenſionis ſuæ cauſſa, inter ſeſe fœdus. Helueticæ octo: Sueuicæ plures ſeſe coniunxerunt.

Cōtra Helueticas, Leopoldo tertio Auſtriaco, opem ferebant multi comites illorum locorum, vrbibus infenſi, multi ex ordine equeſtri, quibus non expediebat ciuitates nimis eſſe potentes, aut opulentas, aut libertate nimia frui. Allegabat verò Leopoldus, quędam vetera iura domus Auſtriacæ, quæ integra, & inuiolata reſtitui, atque ſeruari ſibi in illis ciuitatibus, poſtulabat; & paulò ante, Carolus quartus, componere controuerſias tentarat, ſed laborarat fruſtra.

Proxima belli ἀρχὴ inde extitit, quod Leopoldus comitem Kiburgi armarat, & adiuuerat cōtra ciuitates. Leopoldus contemtu hoſtium, audacius, & incautius in prælium irruens, magna ſtrage victus, ad Sempachium cecidit, anno milleſimo, trecenteſimo, octogeſimo ſexto, nona die Iulij. Hæc victoria, Heluetiis & animos & opes auxit, hoſtes fregit, qui & fortunæ & ferociæ ciuitatum cedentes, paulatim demittere ſeſe, ad æqualia iura, ac coire cum eis, cœperunt.

Sueuicæ ciuitates, cum Wirtembergenſi conflixerunt, ad Reutlingam vrbem, anno milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo, proximo ſcilicet ante Caroli quarti mortem, eo euentu, vt victoria ceſſerit ciuitatibus, & ceciderint in exercitu hoſtili, comites tres: ex ordine equeſtri ſeptuaginta duo, inter quos fuerunt aliquot Barones. Etſi autem altero à conflictu anno, bellum tranſactione ſopitum fuit, tamen neque concordia eſſe diuturna potuit: οὐ γὰρ δυνατὸν λέοντα καὶ πρόβατα ὁμοῦ ποιεῖσθαι τὴν ἔπαυλιν, cùm vtriuſque vtrobique omnia, quæ fierent, & acciderent, ſuſpecta eſſent, & ex odio proficiſci, opprimendi alterius cauſſa, cenſerentur.

Recruduit itaque bellum, Wenceſlao Imperij curam negligente. Sueuicæ ciuitates, in ſocietatem belli, traduxerant Rhenanas: Wirtembergēſes, Bauaros. Multum vtrinque datum acceptúmque damni eſt, donec tandem, cōgreſſis vtriſque, ad Viliam oppidum, victoria rediit ad Wirtembergenſes, ſed cruenta admodum. Deſiderati ſunt enim in exercitu eius, quatuor comites, & ex ordine equeſtri, ſexaginta, præter gregarios milites, quorum magnus numerus interiit.

Inuentum

Inuentum,hoc ſeculo,tradunt,in generis humani perniciem , illud ferale bellicorum tormentorum genus , quod bōbardas,à ſonitu, vocamus, Monacho miniſtro,& fabro; Diabolo architecto , vt cùm labaſceret paulatim authoritas inſanæ ſuperſtitionis, quæ,his authoribus , faſcinatas hominum mentes, præcipitarat in exitium æternum, ſuccederet,iiſdem authoribus, aliud mali genus,quod in corpora ſæuiret , ſed in mutuam perniciem , horribili furore hominum inſtructum,atque depoſitum.

DE ECCLESIA.

INcidit,in Vvenceſlai Imperium,annus milleſimus,quadringenteſimus,quo,inſtituto Romanorū Pōtificum,vt quouis centeſimo, pro ludis ſecularibus Ethnicis,qui Romæ,erant monumentum annorum, ab vrbe condita,celebratus eſt annus Iubilæus,κακοζηλία Iubilæi Iudaici, cuius finis erat politicus. Non enim hoc fine inſtitutus erat,vt obſeruatio exiſtimaretur eſſe cultus Dei ; ſed proderat ad docendos homines,de mundi temporibus.Singulari enim conſilio , diſtinxit Deus tempora, ordinauit dies,menſes, annos , & multa menſium, & annorum diſcrimina ; quia vult intelligi diſcrimen inter æternitatem,& huius mundi tempora.Vult ſciri hunc mundum,liberrimo conſilio,conditum eſſe, nec ſemper fuiſſe. Vult in Eccleſia notam eſſe ſeriem annorum, vt ſciamus, quo ordine,quibus modis ſe patefecerit, & promiſſiones, ac legem ediderit, & quando venturus fuerit Meſſias, vt fieret victima,& quæ ſit vltima ætas generationis humanæ , poſtquam Filius Dei, in Eccleſia reſuſcitata,triumphabit.

At obſeruatio anni quinquageſimi,quē Iubilęū vocabāt, valdè illuſtris fuit,quia,ad colligendos annos,& centenarios, commodior numeratio eſt, per quinquageſimum,& ad memoriam firmior,quàm alię partes centenarij.

Doctrinę cauſſa itaq; inſtituta erat, & addita erant beneficia politica , vtilia ad conſeruationem illius honeſtæ politiæ,quibus cauebatur , ne, ex nidulis ſuis,prorſus eiicerentur homines honeſti, quod,in qualibet politia,ad familiarum conſeruationem,vtile eſt Nec ſolùm pauperibus conſuluit Deus , reſtitutione fundorum, ſed etiam reſtrinxit mutationes,& venditiones.Non poterant fundos prorſus transferre , homines prodigi. Erant igitur pauciores emtores. Nec multi dabant mutuò,cùm fœnus accipere à ciuibus non liceret.

Hanc Iudaici Iubilæi obſeruationem imitari Pontifices

ſimilem introduxerunt in Eccleſiam , non alicui politico vſui ſeruientem,ſed accommodatum ſuperſtitioni,& auaritiæ ſedis Romanæ. Finxerunt enim indulgentias, vt vocant,quæ ſunt relaxationes pœnarum canonicarum. Has ſe,profeſſi ſūt, vberrimas largiri,ac diſtribuere in Iubilæo. In hoc commento, cùm multa eſſent tetra mendacia , & impoſturæ manifeſtæ, præbita cauſſa eſt,vt alio tempore, aliis viris bonis, & ſinceræ pietatis amantibus:ita,ea ætate, eruditionibus in Academia Pragenſi quæ Caroli quarti conſilio,& authoritate,velut colonia,ex Pariſiēſi,deducta, florebat omni doctrinarum genere , & eruditionum frequentia : his ergo cauſſa præbita eſt , de manifeſta indulgentiarum vanitate diſputandi.

Sed anteceſſit cæteros, doctrinæ,ac pietatis fama,& nominis claritate Iohannes Hus Boëmus. Hic à doctrinę,ingenij,& eloquentiæ adiumētis, cæteris inſtructior,acerrimè oppugnare eas , atque conuellere cœpit, oſtendens,vnicam eſſe remiſſionem peccatorum , quæ accipiatur miniſterio vocis Euangelij , & fide,quocunque tempore : & aſſiduè Iubilæum eſſe , in conſcientiis piorum,luctantium cum pauoribus , qui fiducia Filij Dei , vincunt pauores,& læti inuocant Deum,ſperant , & expectant auxiliū,& integram liberationem,ac reſtitutionem naturæ humanę,in ſtatum priſtinum innocentiæ perfectæ , quæ erit in vita æterna,in illa cœleſti patria,à qua,in hac vita,exulamus:Inchoari tantum Iubilæum noſtrum in hac vita,& futurum integrum , in æterna conſuetudine , cum Filio Dei , vbi prorſus liberi erimus à peccato,à morte , & omnibus miſeriis.

Pœnas canonicas verò,nec remiſſionē culpæ mereri,nec pœnarū æternarum,nec purgatorij, nec aliarum calamitatum,quibus Deus homines,in hac vita,punit.Fuiſſe initiò, in Eccleſia,ſpectacula quædam,quibus recipiebantur polluti manifeſtis ſceleribus:ſed hæc ſpectacula nil pertinuiſſe ad remiſſionē peccatorū, coram Deo,ſed fuiſſe inſtituta exēpli cauſſa,ac deinceps,ſuperſtitione,creuiſſe ſtatim, in veteri Eccleſia,ita,vt deinceps, cùm onus fieret immodicū,oportuerit excogitari relaxationes,quas vocarunt indulgētias.At indulgentias præſentes,prorſus eſſe impoſturas,ſiquidem relaxationes ſunt rituum,alioquin extinctorum.Nam & ſatisfactiones fuiſſe ſuperſtitioſas, atque improbandas,& paulatim,per ſeſe,tempore,conſenuiſſe.

Ab his initiis,Huſſus paulatim progreſſus , in tyrannidē

pon-

pontificiam, velut caput cauſſæ, inuehi cœpit, detracto, ſedi Romanæ, titulo Eccleſiæ. Reprehendit auaritiam, luxũ, ſuperbiam ſacerdotum: reiecit vota, impurum cælibatum, ſuperſtitiones, commenta, omnémq. rationem vitę monachorum, & quicquid fuit, in ritibus eccleſiaſticis, impium, atque à norma, & analogia fidei, diſſonum, ac diſcrepans, vt mutilationem Cœnæ Dominicę, cultum, & inuocationem ſanctorum, adorationem imaginum, & ſtatuarum, conſecrationes magicas olei, ſalis, aquæ, & rerum ſimilium, enumerationem omnium delictorum, in confeſſione priuata, ſatisfactiones, extremam vnctionem, Miſſarum celebrationem, & Miſſas, ac pſalmodias, pro animabus defunctorum, &c. ac plura alia.

His concionibus Huſſi, commotus populus flagitare cœpit emendationem Eccleſiarum, quam cùm rex ignauus nec vellet, nec poſſet præſtare, ſuſcepta illa fuit, à priuatis: ſed, vt fit, non eo, quo conueniebat, modo, & ordine. Ad arma enim tandem deuentum eſt. Etſi autem euentum, Huſſus, præſtare non potuit, tamen piè, & rectè fecit, quòd demonſtrata impudentia, & vanitate impoſturarum pontificiarum, ſtuduit, populum liberatum a tyrannide ſuperſtitionum, reuocare ad fontes ſacros, & normam fidei veriorem, ac ſaniorem, traditam in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis. Nec, quòd motus maiores ſequuti ſunt, culpa Huſſi factum eſt, ſed illorum ſcelere, & malitia, qui curſum renaſcentis doctrinæ purioris, vi, & armis impedire ſunt conati.

Initium diſputationũ harũ fecerat, paulò antè, Wicleffus in Anglia, circiter annum milleſimum, treceteſimum, ſeptuageſimum ſecundũ. cuius exẽplo, Huſſus inuitatus, fontibus accuratiùs inquiſitis, & conſulta antiquitate ſinceriore, ita ſe confirmauit aduerſus tyrannidem ſuperſtitioſam põtificum, & ſuperſtitionem rabioſam monachorum, vt quidquid ab his produceretur, id omne, authoritate teſtimoniorum cœleſtium, protinus configeret.

Diſſipata eſt, his certaminibus, Academia Pragenſis, quãquã & aliæ acceſſerunt contentiones, natæ ex æmulatione, inter Germanos, & Boëmos. Carolus enim, Germanos honoribus, dignitatibus, immunitatibus, iure, & numero ſuffragiorum, prætulerat Boëmis. Ea res odia peperit, & diſſidia, vt hoſpites exagitarentur ab æmulis indigenis. Sed in certationibus, de religione, Huſſo cauſſa pariter, & patrocinio cauſſę, ſtudio itẽ, fauoréq. & applauſu populi, Ger

mani,qui pro Pontifice propugnabant, lõgè erant inferiores. Idcirco ceſſerunt,ſeque,magnis agminibus,contulerũt aliqui Erphordiam,aliqui Lipſiam. Nam hæ duæ Academiæ,ex ruina Pragenſis,prodierunt. De Huſſo infra plura.

Pontifices Romani verò, vſurpatã,multis ſeculis, in Imperatores rabiem,tandem in ſemetipſos, & viſcera ſua, cõuerterunt,cùm diſſidentes cõſiliis, & voluntatibus,purpurati plures Pontifices deſignarent,qui, quod armis nequirent , execrationum telis ſeſe,inter ſe mutuo , ſunt perſequuti,concitatis ſimul regibus orbis Chriſtiani, & mutuo odio inflammatis. Cardinales Italici,vt reductis in vrbem Pontificibus,amiſſum Imperium recuperarent, & incẽdia ſeditionum aſſiduarũ reſtinguerent , ad gubernacula collocarunt Vrbanum ſextum,ſed ea conditione,vt maneret in vrbe: Gallici,ne,de poſſeſſa annos ſeptuaginta, dignitate,penéque in poteſtatem ſuam redacta,in diſcrimen venirent,huic Clementem ſeptimum oppoſuerunt. Vrbano adhæſerunt Italia,Germania,& Pannonia: Clementi Gallia,Hiſpania,& Britannia.

Certatũ inter hos eſt variè,ſed diris præcipuè,& execrationibus,redituum interceptione,ſæuitia in eos,qui aduerſis partibus ſtuduiſſent. Clemens,eò vſque truculẽtię proceſſit,vt ne legatis quidem Imperatorum,& principum pepercerit qui miſſi erant, vt hortarentur eum ad concordiã. Quoſdam enim carceribus , quoſdam equuleo excruciatos,necauit. Non ceſſit Clementi æmulus Vrbanus,natura immitis,aſper & turbulentus : qui periculo maximo Romæ ereptus,cùm ſaluus Genuam euaſiſſet, quinque Cardinales,Nuceriæ captos,inſui in culeos, & demergi in mare,iuſſit.

Vrbano extincto, datus ſucceſſor Bonifacius nonus: Clementi,Benedictus tertius decimus Hi,& qui vtrumque ſequuti ſunt,ſuo loco,nihilo mitiores , exercuerunt,inter ſe, inimicitias,donec & cardinales,congregato concilio Piſano,duobus,Gregorio duodecimo Italo,& Benedicto Gallo,pontificatum ademerunt,creato tertio, Alexãdro quinto,cui citò mortuo,ſuffectus eſt Iohãnes viceſimus tertius, vt,pro vno,tres eſſent,& magnitudo malorum,quæ,ex his contentionibus,redundarunt in orbem Chriſtianum, cogeret Sigiſmundum Imperatorem quærere,& adhibere remedia,vt dicetur.

Hæc ſcilicet cura exercuit Pontifices,his poſtremis temporibus. Sed & Bonifacius nonus , primus onus annatarũ,

vt vocant, ordinibus eccleſiaſticis impoſuit, ſcilicet, vt qui beneficium Eccleſiaſticũ conſequeretur, dimidium annui prouentus penderet fiſco Romano. Sunt tamen, qui inſtitutum hoc, Iohanni viceſimo ſecundo tribuunt. Onus ipsũ etſi præter Anglos, recepere omnes: Germania tamen non niſi in ea beneficia admiſit, quę immediatè pendent, & conferuntur a Pontificibus.

Sed aucupium fuit aſtutè cogitatum, ad emungendas, & exugendas orbis Chriſtiani prouincias, & opes comparandas, quæ luxui, & ſplendori aulæ Romanę, quæ bellis ciuilibus accendendis, ac trahendis ſufficerent. In eã enim curã ſolam intenta fuit, ac defixa omnis Pontificũ ſolertia, atque induſtria. Etſi autem Synodi crebrę coactę ſunt, nunc Cardinalium, mox Pontificum factionibus: nullę tamen, in his, de doctrinæ repurgatione, de emendatione iniuſtarum legum, & vitioſorum morum, de inſtauratione diſciplinæ collapſæ, fuerunt inſtitutæ deliberationes, quas homines pij, vbique locorum, gemitibus, & votis aſſiduis, deſiderarunt; ſed tantùm de ambitione, opibus, & certaminibus inter ſe Pontificum.

IODOCVS BARBATVS, MARCHIO Brandeburgi, & Morauiæ.

IOdoco nulla res commendationem attulit, ad Imperiũ, quàm familia. Natus enim fuit, patre Iohanne Henrico, Caroli quarti fratre. Electum hunc ferũt fuiſſe, VVenceſlao abdicato, non cunctis ſuffragijs. Palatinus enim, & Saxo accedere recuſarunt: ſed à ſolis Epiſcopis, & Sigiſmundo patruele, qui, per legatum Burggrauium Noribergenſem, ſuffragium tulit. Coronatus non eſt, neque edidit aliquid memorabile, toto vitæ tẽpore, niſi quod Procopio, fratri minori, hæreditatem eripuit, ad quam armis repetendã, cum, auxilio Sigiſmundi, & Alberti Auſtriaci, Procopius rediiſſet, frater, illis, veneno, in diſcrimen vitę coniectis, ſeſe hoc modo, ex difficili bello, explicuit. Albertum enim, vis veneni ſuſtulit: Sigiſmundum ita afflixit, vt abſcedere, re infecta, ſit coactus.

Eundem, cùm mox ab electione, VVenceſlaum Boëmiæ regem, patruelem, viſitatum veniſſet, abduxit rex in penitiorem ædium partẽ, atq. in hunc modũ allocutus eſt: Etſi ſcio non eſſe è dignitate mea, quòd Electores Imperij, me regno abdicarunt: ſolatio tamen eſt, quòd familiâ noſtrâ hoc decus nõ excidit. Ego te libens, volénſque ſucceſſorem mihi datum, accipio. Cùmque Iodocus, his verbis

territus, ad regis genua procubuiſſet, ac ſibi nihil imputandum diceret, quod earum rerum omnium ignarus eſſet: Pone metum, inquit. Nam neque Imperium inuitus depono, neque, ſi retinere illud cupiam, iura ſanguinis violare auſim. Bono itaq. animo eſto, Imperiumque, tibi demandatũ, ſuſcipe: mihi mea ſatis eſt Bohemia. Viribus, armis, opibus regni mei, tanquam tuis, vt libet, vtere: lætúmque, & donatum nepotem a ſe dimiſit. At ille ſex tantùm menſes ſuperuixit, Brunę in Morauia, regio titulo, ſub inſignibus Imperij, conditus.

RVPERTVS BAVARIÆ DVX, comes Palatinus ad Rhenum; Imperij elector.

IGnauia Wenceſlai, cauſſa extitit, magnorum malorum, domi, foriſque: auxit.n. licentiam, in vtriſque. Germanis, & Italis. Sed motib. fuit obnoxia maioribus. & pericula pertulit grauiora Italia, iam longo tempore, diris ſeditionibus & cruentis ciuilibus bellis, exagitata.

Iohannem Galeaciũ Vicecomitem Mediolanenſem Wẽceſlaus Imperator, vt dixi, nouo honoris titulo honeſtatũ, ornatúmque ſceptro, & pileo, eius dignitatis inſignibus, appellarat ducem Mediolani. Erat is vir ambitionis inexpletæ, & ſæuus, vt qui Barnabam patruelem, cum filiis, in carcere, faſcelis veneno oblitis, necarat, & cùm opes poſſideret formidandas, ſubnixus fiducia aſpirantis fortunę, nõ obſcurè regnum totius Italiæ affectabat. Scaligeris enim Veronam atque Vincentiam ademerat. Carrarienſib. Patauium, Franciſco ſeniore, in Modoëtianum carcerem cõiecto. Preterea Taruiſium, Feltrium, Bellunum, montanáque oppida, cum Tridento, in poteſtatem redegerat. Ceteris formidinem iniecerat tantam, vt Peruſini, & Aſſiſiates ad eum à Pontifice deficerent. Senenſes, tædio incertæ libertatis, ad eius authoritatem, ſequuti finitimos Piſanos, ſe contulerant, odio tamen magis, & metu Florentinorum quàm ſtudio erga ipſum. Nec Lucenſes Imperium eius abnuerant. Quare Florentini, qui antea confiſi auxiliis Pontificum, & Iohannæ reginę Neapolitanæ, Barnabam patruum, vario belli euentu, oppugnarant: hi ergo perculſi metu, non obſcurè, contra potentem hoſtem, bellum, quacunque poterant, concitabant, Romæ & ſeditiones ingraueſcebant, & nata, inter Cardinales, ſchiſmata, ex diſſidiis, de Pontificum electione, gliſcebant.

Quod ergo Imperatorem non bello tantùm acrem, ſed

&

& conſilio promptum, & circumſpectum, ac prouidum, vtraque prouincia requireret, & de Wenceſlao, deſidia, luxu, & voluptatibus obtorpeſcente, ſpes reliqua nulla eſſet: Principes Electores, rebus laborantibus ſuccurrendum rati, quod neceſſitas id exigeret, Francoforti, mēſe Maio, anni milleſimi, quadringenteſimi, deliberato conſilio rebus communibus præfecerunt Fridericum ducem Brunſuuicēſem, natum Magno Iuniore, & Catharina, filia Woldemari marchicnis Brandeburgenſis, poſtremi ex ſtirpe Aſcania, principem bellicoſum, & prudentem. Sed Moguntinus præſul, ex concepto quodam, erga illum, odio, cæteris aduerſatus, ne arma, occupandi Imperij cauſſa, expedire poſſet, in reditu à comitiis, eum ad Friſlariam, inſidioſè, ac perfidioſè circumuentum, & oppreſſum, per comitem Waldeccenſem, interemit, die quinta Iunij.

Fuerunt, in Friderici comitatu, Rodolphus dux Saxoniæ, & Sigiſmūdus Princeps Anhaltinus, qui pro ſe ipſis, & Imperatore, acriter pugnarunt. Sed Rodolphus captus eſt. Sigiſmūdus, aliquot inuaſoribus, ſua manu, iugulatis, euaſit.

Hoc atrox, & parricidiale ſcelus Moguntini, & in præſentia magnas concitauit turbas, quæ, neceſſarios Principum Electorum congreſſus, atque conſultationes, aliquandiu remoratæ ſunt: & renouauit, in irritatis animis, memoriam veterum molitionum, quæ ex hoc loco, authoribus Epiſcopis, ſtructæ, in detrimentum, atque perniciem patriæ, ſubinde aliquid pepererunt mali, perfecitque, vt multa in præſulem Moguntinum, dira ſed iuſta iacerentur conuitia, mula inferrentur, ſubditis illius, damna, ab Henrico, Friderici fratre, & retexerentur, ſerie quadam, pene ſopita vetuſtate crimina maiorum. Natum tunc ferunt, ac diuulgatum παροιμιακὸν illud: Moguntia ab antiquo nequam, his occaſionibus. Repertum enim traduat, ad limen Baſilicę cathedralis, lapidem, cum hac inſcriptione. Verte, & inuenies. Hunc lapidem, noctu, à quibuſdam inuerſum, mane, ſpectantibus, altera parte, illud Moguntiæ encomion, exhibuiſſe. Sed antiquius multo eſſe, docent repetita monumenta hiſtoriarum.

Feruentibus his motibus, Principes Electores rurſus congreſſi Bopardiæ, ſummam rerum detulerunt ad collegam ipſorum, Rupertum, Bauariæ ducem, & Electorem palatinum ad Rhenum, virum ingenio acrem, corpore paruum, ſed ingentem animo, Maieſtatis Imperij, ac rerum publicarum perquàm amantem, ac ſtudioſum, opinione iuſti-

tiæ, & integritatis celebrem, bello exercitatum: hunc Aquiſgranum deductum, inaugurationis cauſſa, cùm Aquẽſes, prætextu iuramenti, quo adhuc VVenceſlao obſtricti videri volebant, nón intromiſiſſent in vrbem, Coloniẽſis, reductum Coloniam, ibi diademate regio cinxit. Sed, de Aquenſibus, Imperator pœnas sũpſit, & Germaniã pacauit.

Moguntini inſidias, & molitiones effugere non potuit. Cùm enim ad expeditionem Italicam, permiſſu Bonifacij noni, exigeret à ſacerdotibus decimas, Moguntinus, ne quid impetraret, effecit, & ſocios expeditionis, Leopoldum Auſtriacũ, atque Colonienſem, ab eo auulſit. Non deſtitit tamen, ab inſtituta expeditione, quòd Florentinorum, & Põtificis literis aſſiduè ſollicitaretur, & vrgeretur, quibus, augeſcentem in dies, Iohannis Galeacij Mediolanenſis potentiam, maturè retundi expediebat: ſed cum huius copiis, quibus præfuit Facinius Canis, infeliciter congreſſus, in agro Brixiano, ad lacum Benacum, clade accepta non leui, retroceſſit.

Galeacius, cuius aliæ copiæ, paulò ante excitos, à Florentinis, in auxilium, Gallos, ad Alexandriã ſuperarant, interfecto eorum duce: Is ergo, cùm, ex his victoriis, euaſiſſet formidabilis toti Italię, vehementer, ſucceſſibus tãtis, conterritæ, nemine obſiſtente, celeri progreſſu, in hoſtibus, omnes iniurias, ab illis perpeſſas, vindicauit: Franciſcũ Gõzagam Mantuæ obſeſſum, deriuatis Pado, atque Atheſi fluminibus, vrbéque penè ſummerſa, pacis conditiones accipere coëgit. Idem, decertantibus inter ſe, Antonio Scaligero, & Franciſco Carrarienſe, adiuuit Carrarienſem, & Scaligero acie ſuperato, Veronam, ac Vincentiam eripuit, paulóque poſt, & Carrarium, capto Patauio, in poteſtatem ſuam redactum, detruſit in carcerem Modoëtianum. Iuxta Bononiam, ad Caſaletium, Pontificis, Florentinorum, & Bononienſiũ magno exercitu profligato, mox ab ea victoria, Bononia, pro qua, per annos quinquaginta, ferè fuerat dimicatũ, potitus eſt, obtruncato Iohanne Bentiuolo, qui, in ea vrbe, tyrannidem exercuerat, etſi alij hunc, ab exulibus, in fruſta conciſum eſſe, perhibent. Inde, victricibus copiis, Apenninum tranſgreſſus, terrorem magnum Florentinis intulit. In eo itinere, febre correptus, interiit, tertia die Septembris, anno milleſimo, quadringenteſimo, ſecũdo, relictis filiis, Iohanne Maria, & Philippo, qui vltimi, ex ſtirpe Vicecomitum duces Mediolani fuerunt, & Valentina filia, quam nuptui dederat Ludouico, Aurelianorum

Prin-

Principi, Caroli quinti, regis Franciæ, filio: quo coniugio, Aſta colonia, dotis nomine, Valentinam ſequuta eſt: Ad liberos verò hæreditatis titulo, Mediolanenſis iura tranſierunt, quam, vbi fratres Valentinæ, ſine legitima prole, deceſſiſſent, cùm armis Franci repeterent, diuturnum, & atrox bellum exortum eſt, de quo ſuo loco dicetur.

Sed filij, & ingeniis, & fato, atque fortuna, fuerunt patri diſſimiles, & luerunt pœnas parricidiorum, quæ immitis, ſæuus, & ἄστοργος pater patrarat. Mox enim, ab obitu patris, recruduerũt, funeſtiſſimo, ac ſummè lugubri tumultu, latrocinia inter Gibellinos, & Guelphos Mediolani, vt cædibus, incendiiſque, ingens efficeretur vaſtitas, cognatis, atque affinibus, feritate beluina, vis afferretur vltima, &, pro virtute haberetur rabies, atque immanitas ſumma.

Hæc dum Mediolani fiunt, interea reliqua etiam potẽtia omnis; alibi, multipliciter dilacerata, eadem prope celeritate deſiliit, qua cõflata fuit, atque coacta. Præfecti, atque duces Galeacij, ſubnixi validis præſidiis paſſim earum vrbium dominatus arripuerunt, quibus præerant. Pandolphus Malateſta, Brixiam, & Bergomum: Gambrinius Fundulius, Cremam: Facinius Canis, Paniã, atque Alexãdriam: Iohannes Vineatus, Laudem Pompeiam: Bẽzones, Cremonam: Arcelli, Placentiam: Ottobonus tertius, Parmam: Franchinus Ruſca, Comum: Bruſatus, & Tormelli, Vercellas, & Nouariam occuparunt.

Bononiam Pontifex Romanus, ex ea direptione, obtinuit, itémque Aſſiſium, & Peruſiam, Vmbriæ vrbes. Piſas Florentini, magna pecunia emerunt, à Gabriele, notho filio Iohãnis Galeacij, ac vi domitas, in ſua poteſtate retinuerunt. Senenſes, obtrũcato Corregio præfecto, in libertatem ſeſe vendicarunt, cruentis admodum ſeditionibus obnoxium. Nec defuerunt ſuis rebus Veneti, in his occaſionibus, qui tunc Imperium ad forum Iulij, & Iſtriam vſque extenderunt.

Erat Nouellus Carrarius, Franciſci filius, qui, patre capto, effugerat in Bauariam: hic recuperato, ope Venetorum, Patauio, mox immemor accepti beneficij, horum etiam ſollicitare Imperium cœpit, & incenſus cupiditate potẽtiæ maioris, cùm VVilhelmum Scaligerum, ad repetendam Veronam, impuliſſet, ea recepta, hominem familiariſſimum, quem conſilio, & armis hactenus adiuuerat, veneno ſuſtulit, & vt, concupito Veronæ Imperio, ſecurè poti-retur, filios eius etiam, Antonium, ac Brunonem, prodi-

tione,in ſuam poteſtatem redactos,necari curauit.

Nec Verona contentus,Vincentiam etiam appetiuit, ac tentauit. Hæc exoſa Carrariorum tyrannidem,in fidem ſe,ac patrocinium Venetorum contulit. Ita Veneti adepti quæſitam diu occaſionem, aduerſus Carrarium, ſuſcepta Vincentinorum defenſione,hoſtem, aperto bello , fatigatum,tandémque,intra mœnia Patauij concluſum,obſidione ad deditionem adegerunt. Nouellus pater, cum filiis duobus,Franciſco, cui tertio cognomen fuit , & Wilhelmo,venit in poteſtatem Venetorum, à quibus ſtrangulati ſunt.Reliqui duo,Vbertinus,& Marſilius , ante vrbem deditam,fuga dilapſi,in Hetruriam abierant,vbi interierunt. Ex ea victoria,ceſſere Venetis,Verona , Vincentia, Colonia,Feltrium,Bellunum,Patauium.

Ad hunc modum,potētia Mediolanenſis,quæ pene omnem,cis Latium,Italiam erat complexa, diſcerpta eſt, Iohanne Maria,inuſitatæ immanitatis tyranno,& paternæ,& ſuæ ſæuitię pœnas luente, quę tamen in ipſius caput etiam redundarunt. Quod enim non vſitatis ſuppliciis contentus eſſet:ſed nouo,tyrannicæ rabiei,exemplo,dānatos, aut ſibi inuiſos, voraciſſimis canibus laniandos, obiiceret, eóque tam atroci ſpectaculo delectaretur , & in deliciis haberet huius ſuæ ſæuitiæ miniſtros, qui eam carnificinam, & prægrandes moloſſos, humanis carnibus alerent , & in iiſdem cùm aduenisset ſupplicii tempus,rabiem,longa fame,acuerent,à coniuratis,in templo diui Gothardi , duobus vulneribus confectus, diſſecta vſque ad oculos fronte, & dextro crure,ad ſuram,detruncato , non ingratum ciuibus,quibus ſummè exoſus erat,ſpectaculum præbuit.

Etſi verò deinceps,ſucceſſor Philippus, & fraternam cædem,& Tyrannos probè vltus,recepit Borgonium, & Brixiam,Malateſta pulſo:Laudē Pompeiam, Iohanne Vincato capto,& in furcam ſuſpenſo:Placentiam, Arcellis necatis,aut in exilium actis:Comum, Franchino Ruſca eiecto, certa præmij conditione:Cremonam , Gabrino Fundulio capto:Facinio Cane, in gratiam recepto , vt communibus viribus,in amiſſa recuperanda,incumberet : remotiora tamen,deſperatione neglexit. Ita Hetruria , Vmbria,Æmylia,& Piceno excidit.

De Fundulio referunt, quòd cùm Mediolani, in medio foro,iam ſecuri feriendum , Cucullati hortarentur ad pœnitendum,contortis in eos minacibus oculis, reſponderit, vt deſinant ſibi moleſti eſſe. Nam , tātùm abeſſe,vt ſe horum,

gum, quorum cauſſa nunc plectatur, pœniteat, vt maximè etiam doleat, quod Papam ſimul, & Imperatorem, ad immortalis atrociſſimi facinoris famam, è media turri, non præcipitarit: intelligens Iohannem viceſimum tertium, & Sigiſmundum Imperatorem, quibus hoſpitio exceptis, in ſumma celeberrimæ turris corona, peramœni proſpectus cauſa, conuiuium inſtruxerat.

Nunc ad Rupertum redeo, qui reiectus ex agro Brixiano, móxque à Venetis reuocatus Patauium, quod ſe exploratis diligenter, atque conſideratis rebus Italicis, his, in tanta perfidia eorum, quos defendere, contra Galeacium, debebat, parum opis allaturũ eſſe cerneret, rediit in Germaniam, ac reliquum ætatis, in hac conſtituenda, atque exornanda cõſumpſit, ſinens Italos inter ſe digladiari, quibus mox ſeſe denuo admiſcuerunt aliæ gentes, quæ diſcordes inter ſe ciues deuorarunt. Nam certantibus inter ſeſe Pontificibus, factionibus diuerſis, Italicis, & Gallicis, Ladiſlaus rex Neapolitanus, qui videri volebat fauere Gregorio duodecimo, Romam, incertis ſtudiis, & dubiis voluntatibus fluctuantem, opreſſit, & plura alia Pontificis oppida, minitatus & Florentinis. Hunc contra, pro ſede Romana, cum Florẽtinis, & Senenſibus, ſe coniunxit Ludouicus Andegauenſis, excitus literis Pontificis: ſed ea conditione, ſi de regno Neapolitano, ei ſpes certa fieret, quam conſequutus, vrbem Alexandro quinto recepit, & Ladiſlaum depulit. Sed rediit ad arma Ladiſlaus, & Pontificis, atque auxiliaribus Gallorum copiis, repreſſis, ac diſſipatis, Romã iterum cepit, multam ciuium ſtragem edidit, muros diruit, molem Adriani, quæ eſt Caſtellum S. Angeli, vi expugnauit, plurima, ditionis pontificiæ, oppida ſubegit, quæ retinuit, ad mortem vſque.

Moriens, ſorori Iohannæ regnum, ſubditis pernicioſa bella reliquit. Iohanna enim, quæ maritum, Iacobum Borbonium, Marchiæ comitem, repudiarat, vt contra Pontificem, & Andegauenſes, amicos compararet potentes, adoptauit Alphonſum, Arragonium regem, à quo, cùm ſibi videretur contumelia affici, mutauit voluntatem, illóque ſimiliter repudiato, accerſiuit natu maximum Ludouici Andegauenſis filium, patri ὁμώνυμον; cui mortuo, ſurrogauit Rhenatum fratrem. Inde inter Arragonios, & Andegauenſes, funeſtiſſima bella enata ſunt, Pontificibus aliis Arragonios, aliis Andegauenſes fouentibus, & adiuuantibus. Euenit ergo, quod dicitur Græco verſu, χρῶς διασπαρτίσα-

σὺ πολλὺ κονισρτὸν ἐγείρει His,iuſto Dei iudicio, bellis exagitata eſt Italia, penè ad Carolum quintum vſque; etſi interuenerunt alia plura,quæ à ducibus Mediolanenſibus,& Venetis extiterunt.

Rupertus Imperator Imperio præclarè, & laudabiliter geſto domi tranquillam mortem obiit.

Anno Imperij,decimo.

Anno Chriſti,milleſimo,quadringenteſimo,decimo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo.

Conditus Heidelbergæ,cum hoc vero elogio:

Rupertus dux Bauariæ,comes Rheni Palatinus, Romanorum rex,iuſtus,pacis,& religionis amator, dignus Deo viſus,qui pro iuſtitia pateretur;huius ſacræ ædis,& collegij inſtitutor,hic, cum caſtiſſima coniuge Eliſabetha Norici montis burggrauia,quieſcit,vita functus,anno Chriſti, M.CCCCX.Cal,Iunij XV.

Natus fuit Rupertus,patre Ruperto,auo Adolpho, qui nepos erat Rodolphi,fratris Ludouici Bauari: matre Beatrice,filia Friderici regis Siciliæ. Vxores habuiſſe traditur duas. Ex priore,cuius nomen, & familiam non annotant, natum perhibent Rupertum cognomento Pipan, qui, ſub Sigiſmundi ſignis,cum Iohanne Burgundiæ duce,a Turcis captus,poſt liberationem, vitam exegit Ambergæ, ducta in vxorem Eliſabetha,filia comitis Spanheimenſis. Altera vxor Eliſabeth, filia fuit Friderici, Burggrauij Noribergenſis:è qua ſobolem ſuſtulit numeroſam.Filiorum enim, qui ipſi ſuperſtites manſerunt,fuere quatuor. Ex his,Ludouicus,cognomento Canis,propagauit proſapiam Palatinorum ad Rhenum,Electorum,vſque ad Ottonem Hēricū:Iohannes alter filius,genuit Chriſtophorum,accerſitum ad regna Daniæ,Sueciæ,& Noruegiæ,cum quo ſtirps deſiit.Tertius Stephanus,ex vxore Anna, filia comitis Veldentiæ, duas diſtinctas ſtirpes produxit: ex eo Friderico, Simmerenſem, ſeu Spanheimenſem;ex Ludouico Nigro, Bipontinam.Illa protulit Fridericum Palatinum, qui,ante paucos annos,poſteritate Ludouici Ceci,in Ottone Hērico,poſt annos centum,quadraginta octo, à Ruperti morte,extincta,dignitatem,& ornamēta Electoris Palatini ad Rhenū, hęreditaria ſucceſſione,adeptus eſt. Quartus Otto, Mosbacenſes principes genuit, ſed poſteritas in ipſius filiis defecit Suſcepit & filias,quarum vna Margareta,Carolo Lotharingico,altera Eliſabetha, Friderico Auſtriaco,

tertia

tertia Agnes, Adolpho Cliuenſi nupſit.

Anno milleſimo, quadringenteſimo, ſecundo, per dies aliquot arſit cometa ingens, lurida, & funebri, oblongáque cauda, verſus eam cœli plagam, quæ in Corum ventum vergit. Hoc, minacis flãmę, vibratu, denunciatas eſſe conſentaneum eſt orbi terrarũ clades nouas, quæ, paulò poſt, ex ingentibus motibus, paſſim extiterunt. Nam & Boëmia irritata iniuſto ſupplicio Huſſi, vicinos grauibus cladib. affecit, & contentionibus, inter ſe, Pontificum, non leuiter quaſſata eſt Italia, & infeliciter, cum Turcis, dimicarunt exercitus Chriſtianorum.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

Sigiſmundum, Carolo quarto natum, adoptauit in filiũ, Ludouicus Vngarię rex, adhuc puerum admodum, propter generoſæ indolis conſpicua ſigna, quæ ſpem de illo eximiam concitabant, promiſſis ei filiæ nuptiis, & regno in dotem. Sed deceſſit Ludouicus, priuſquam annos pubertatis, Sigiſmundus attigiſſet. Quòd autem vidua Ludouici, à mariti morte, durius imperaret ſubditis; proceres, inita conſpiratione, euocarunt ex Apulia, ad regnum, Carolum Dyrrachianum. Hũc, magno applauſu, ac ſtudio ab Vngaris exceptum, vidua Ludouici, veneno interimi curauit, genero futuro regnum vt traderet, ſine certamine: ſed necem Caroli vltus Iohannes Horuatius Banus, reginam, in aquam demerſam, ſuffocauit. Huius facinoris fama cùm percrebuiſſet, Sigiſmundus, qui annum iam agebat viceſimum, Vngariam, ne regnum amitteret, cùm exercitu ingreſſus, ſuſceptíſque inſignibus, & ornamentis regiis, ac nuptiis celebratis, de Horuatio parricida, & aliis triginta duobus, qui cum illo, de abrogando ſponſæ ſuæ regno, conſenſerant, ſupplicium ſumſit.

Hac ſeueritate irritati Vngari, captum Sigiſmundum, tradiderunt cuſtodiendum, ad exquiſitam corporis pœnã, fœminæ viduæ, cuius maritum, è nobili familia Garenorum, inter factioſos, ſupplicio affecerat. Ex ea cuſtodia liberatus diuinitùs, cùm promiſſis ampliſſimis, iratum viduę animum placaſſet, mox regno recepto, præſidiíſque firmato, authorem captiuitatis, Stephanum Veiuodam, ſecuri feriit. Exemplo territi reliqui, quieuerunt.

Tanta cum difficultate regno potitus, quarto demum à primo ingreſſu, anno, poſtea, conatu omni, incubuit in bellum Turcicum, multis obteſtationibus accitus à Palęologo, aduerſus Baiazeten, obſidione vrgentem Byzantium.

Contrahit ergo validas copias,ex ſuis regnis,finitimiſque Germanis,quibus cùm Iohannes,Philippi audacis Burgũdi filius, Caroli Sexti patruelis impulſu , iunxiſſet lectiſſimas equitum cataphractorum turmas,quas multi præſtãtes viri,ex proceribus Sueuicis,Bauaricis,& Auſtriacis auxerunt,& ornarunt,directo in hoſtem itinere,penetrarunt ad Nicopolin vſque,Myſiæ vrbem,quæ monumentum eſt victoriæ,quam,de Dacis deuictus,retulit Traianus. Ad eã vrbem improſperè tentatam,hærentibus exercitibus,ſuperuenit Baiazetes,attrahẽs ſexaginta equitum millia, ſéque ad tertium Cal.Octobris,noſtris in conſpectum dedit.

Pugnatum eſt anno milleſimo,trecenteſimo, nonageſimo quinto,ſumma noſtrorum temeritate, Gallorúmque præſertim,qui primi agminis decus depoſcentes, cùm retineri non poſſent , quin vel inuitis,& fruſtra retentantibus ducibus,in primos hoſtium antecurſores, impetũ facerent, antequam Germanorum phalanges, & Hungari, Boëmique equites appropinquarent,à Baiazete, lunata acie circumuenti,partim cæſi,partim capti ſunt.

Hoc infelici Gallorum caſu, territi cæteri, diffugerunt, trepidatione tanta, vt Sigiſmundus exutus caſtris,& omnibus ſpoliatus ornamentis,vix euaſerit , ex hoſtium manibus;Iohannes,cum paucis ducibus, viuus in poteſtatem hoſtium deuenerit,cui proiecto ad pedes , & ſalutem ſuppliciter deprecanti,reſpondit Baiazetes : ſe vitam ei libenter conceſſurum,ob id,quod iuuenis, & regio ſanguine editus eſſet:ſed reliquos captiuos,ad vnum omnes, præter quinque proceres , carceris comites , in conſpectu ipſius, trucidauit.

Sigiſmundus,parua nauicula,Byzantium delatus,incidit in claſſem Venetam,qua reductus in Italiam,cùm inde ſeſe in regnum recepiſſet,reperit animos ſuorum, clade Nicopolitana,non conſternatos tantùm vehementer,ſed & alienatos à ſe:quæ res, nouas illi difficultates obiecit, quas tamen explicauit celeriter.

Hæc infelicia belli iuſti,ac neceſſarij auſpicia , oſtenderunt,qualis reliqua eius militia eſſet futura. Non fuerunt enim,iterati conatus,proſperiores prioribus.Etſi enim deuictus,captúſq;à Tamberlane Scytha,Baiazetes , ſummas attulit occaſiones, ad res bene,felicitérque gerẽdas,aduerſus attritas ac laceratas Turcarum,in Europa, vires,& ad gentem barbaram , nominíque Chriſtiano infeſtiſſimam, radicitus excindendam;& Sigiſmundus, ne occaſionibus,

prope

prope cœlo demiſſis, defuiſſe ſua aliqua ignauia, videretur, permouit Vngaros, ac Boëmos, ne, ſtudio tuendæ religionis, ac libertatis, pia, ac neceſſaria arma induere recuſarent: tamen, quòd Celebino, Baiazetis filio, qui è prælio elapſus, tranſmiſſo ad Seſtum, & Abydum, Helleſponto, opera nautarum, pecunia corruptorum, in Europam, cum aliquibus fractarum copiarum reliquiis, euaſerat; iiſque vtcunque refectis iam diu Triballos, Bulgaros, & Macedonas afflixerat: huic ergo, cùm ſeriùs occurriſſet nō clementiore fortuna, cum eo, quàm antea, cum patre, dimicauit ad Columbacium, Seruianorum oppidum, Triballis vicinum, iuxta Samandriam, non procul à Danubij ripis.

Non mouerunt tamen hi aduerſi caſus, Principes Electores, quò minùs, cùm Ruperto Imperatori ſucceſſorem quærerent, Sigiſmundum, præ cæteris omnibus expeterēt. Imperium quàm primum iniiſſet, curā omnem, cogitationémque intendit, in eos tumultus ſedandos, quibus orbem Chriſtianū perturbarat, & iam, aliquot annos, magno cū diſcrimine reipub. concuſſerat, ſchiſma Eccleſię Romanæ, ſcilicet, vt his ſopitis, pacéque reſtituta, cōiungeret, aduerſus cōmunes hoſtes Turcas, totius orbis Chriſtiani vires.

Tres enim, eo tempore, Pontifices, inter ſe digladiabantur, mutuis cōdemnationibus, & execrationibus, & diuerſarum gentium ſtudiis: Petrus de Luna, Benedicti decimi tertij: Angelus Carrarius Venetus, Gregorij duodecimi: Baldaſar Coſſa, Iohannis viceſimi tertij cognomentis infames. Dimicabant autem, non de gloria Filij Dei, aut emendatione corruptæ doctrinæ, ac deprauatorum morum: ſed de Principatu, Magnóque nouorum, vt inquit Lucanus, prouentu ſcelerum, quærunt vter imperet orbi. Iohannes Bononiæ, Gregorius Arimini, Benedictus Auenioni agebat.

Hæc mala, cùm Synodo rectiùs, quàm armis, tolli poſſe cerneret, percurſis Italia, Hiſpania, Gallia, & Anglia, inexpectata celeritate, & admirabili laborum difficillimorum tolerantia, perfecit, vt regum conſenſu, cogeretur Synodus Conſtantienſis, quæ omnium orbis Chriſtiani principum vel præſentia, vel legatis è Byzantio etiam ipſo, ac Trapezunte frequentata, non tam illo diuerſiſſimarum gentium concurſu, quàm martyrio conſtantiſſimo duorum martyrum Boëmorum, vt dicetur, celebris euaſit.

In ea Synodo Adolphum ſecundū Cliuiæ, & Amadæum Sabaudiæ comites, inſignitos ornamentis nouis, ac dona-

tos iuribus amplioribus, traduxit in ordinem ſublimiorem ducum Imperij.

Marchiam Brandeburgenſem,quam nuper redemerat à Wilhelmo Turingiæ Langrauio , cui eam patruelis Iodocus , Morauiæ marchio , oppignorarat, cùm ad Imperium aſpiraret; illam ergo cum dignitate Septemuirali, vẽdidit Friderico Burggrauio Noribergenſi , ſpectatæ prudentiæ,magnanimitatis,fidei, & authoritatis principi,déque Imperatore , & repub. præclarè merito,quadringentis millibus aureorum,tali conditione,vt ſi naſceretur ipſi filius, huic liceret eam , ſoluto precio, repetere, quanquam in hac venditione,non tam pretium ſpectatum eſt , quàm remuneratio virtutis,ac meritorum Friderici, qui,pro Sigiſmundo,contra Vngaros, & Boëmos,& ſapienter plurima conſuluerat,& magna pericula fortiter adierat.

Fridericus,ex Synodo Conſtantienſi profectus ad marchiam,in fidem ſuam accipiendam , iuramentóq; obſtringendam , cùm interea deceſſiſſet Albertus, Septemuir Saxoniæ , poſtremus ex Bernhardi poſteritate , qui ducis Saxonię munus , ac dignitatem primus apud Fridericũ Barbaroſsã, virtute promeruit. Quòd ergo ille deceſſiſſet,ſimul ditionem ducum Saxoniæ Electorũ cuius eſt caput Witeberga,occupauit,impoſitóque præſidio muniuit , vt eſſet , & maneret in fide , ac patrocinio Imperatoris , qui negabat ſucceſſionẽ Alberto patrueli, Erico Lauẽburgenſi, propter quædam,in ipſum contumaciter admiſſa delicta.

Eam ditionem, cum dignitate Septemuirali, Sigiſmundus tranſtulit in Fridericum,cognomento ſtrenuum,marchionem Miſniæ , excellentem , inter cæteros , prudentia, virtute,& potentia principem,pro nauata hactenus ac deinceps etiam præſtanda operâ, in bellis Boëmicis , próque ſumtibus , quos impenderat , ſed ea conditione, vt de iis, quæ in occupandam , Imperatoris nomine, regionem,inſumſiſſet,Fridericus marchio,huic ſatisfaceret. Æſtimatũ id tradunt, viginti octo millibus marcarum argenti.

Hic eſt Fridericus,qui anno milleſimo, quadringenteſimo,nono,in profeſto Martini , ex ruina ſcholæ Pragenſis, condidit Academiam Lipſenſem.

His rebus confectis,Synodóque diſſoluta,Sigiſmundus rediturus erat ſponte ad bellũ Turcicũ, vt, duplici clade, inuſtam Chriſtiano nomini labem, elueret , & à limitibus Vngaricis,hoſtem longiùs ſummoueret. Nulla enim,de hoc bello,in Synodo,mẽtio facta erat, põtificiis, vſitata ra-

bie,

bie, intentis magis in reſtinguenda vi, & armis, initia incendij Boëmici, quam arcendum, aut reprimendum tantum hoſtem. Sed & ingraueſcentibus in dies magis, magiſque motibus Boëmicis, & furiis Pontificis, retractus ex itinere, atque ab inſtituto depulſus, ex Auſtria deflexit in Morauiam, atque hac in fide confirmata, perrexit in Sileſiā. Ibi, cùm in ipſa regionis Metropoli, Vratiſlauia, ſuppliciū ſumſiſſet de ſeditioſis ciuibus, qui, Senatu è turri præcipitato, rapuerant dominatum totum, ſeſe compoſuit, & contulit ad bellum Boëmicum, accitis ſubſidiis Saxonicis, ac Marchicis. Vrgebatur enim à Pontificiis, quorū partes laborabant, inualeſcēte potentia illorum, qui Huſſo addicti, & huius iniuſto ſupplicio inflammati, omnes ſacrificulorum, ac monachorum ordines, horúmque patronos, ac defenſores, hoſtiliter perſequebantur, comprehenſos raptabant ad ſupplicia, fugientes pellebant in exilia, monaſteria exurebant, è templis, & ſtatuas eiiciebant, & idololatrias exturbabant, quas reprehenderat Huſſus.

Etſi autē aliquoties inter ſe, iuſta acie, vtrique conflixerunt, vicerunt tamen Huſſitæ, Ciſca duce. Imperator ergo, ad reprimendos eos, ingreſſus in Boëmiā, Pragam, caput gentis, inuaſit, & obtinuit, anno milleſimo, quadringēteſimo, viceſimo, ſolitóque more, regio redimitus diademate, atque inunctus in Boëmiæ regem, copias, quas attraxerat, immiſit in Boëmicas, à quibus cùm illæ fortiter repulſæ eſſent, ac diſſipatæ, Sigiſmundus, aduerſitate fortunæ territus, ſeceſſit in Morauiam, ad bellum redintegrandum.

Interea Martinus quintus Pontifex, per Cardinalē Vintonienſem Anglum, totam in Bohemos incenderat, & cōcitarat Germaniam, confectúmque fuit, vt tripartito exercitu peteretur Bohemia, quorum vnum, ex Saxonibus cōflatum, ducebat Saxoniç Elector: alterum, ex Franconibus, marchio Brandeburgenſis: tertium, ex Rhenanis, Bauaris, & Sueuis, Archiepiſcopus Treuirenſis Otto.

Ab his, etſi intra ſaltum Bohemicum ſeſe cōiunxerunt, tamen nihilo proſperiùs res geſta eſt, quàm antea. Copiæ enim, inopinato quodam, ſeu Panico terrore, perculſę, diffugerunt, nondum viſo hoſte. Non remiſit tamen quidquam, de cruentis conſiliis, Pōtifex, etſi, his reluctari fata, experiretur, ſed miſſo Iuliano Cæſarino Cardinale, rurſus coëgit ingentem exercitum, priore ornatiorem, & inſtructiorem, qui, ſimili pauore, ex improuiſo, ante congreſſum cum hoſte, diſſipatus eſt.

Quinquies tentatam tunc eſſe Bohemiam,& toties eos, qui contra Huſſitas arma tulerunt, exutos eſſe caſtris,atque omnibus impedimentis, citra prælium,tradunt,vt dubium non ſit,pro pio grege, amplexo ſinceram doctrinam Filij Dei,pugnaſſe ſanctos Angelos, qui hoſtes cõterritos, palantéſque,ac trepidantes, ſola conſternatione animorũ, tota exegerunt Boëmia. Etſi autem in aliquot annos,hoc bellum pertractũ eſt,quibus,Põtifices Romani,nihil moliri,mouereque deſtiterant, quod faceret ad extinguẽdam hanc,Eccleſiæ Romanæ, fatalem facem,repurgatæ doctrinæ ſacræ,tamen conatus hi eruperunt in neruum.

Secuta eſt Synodus Baſilienſis. Ea durante,Imperator Italiam adiit, attractus magnificis pollicitationibus Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanenſis, quẽ terra,marique Veneti,& Florentini coniunctim oppugnabant,& recens, conſpiratione earum ciuitatum, Bergomo etiam, ac Brixia,dominatúque Genuæ exciderat.

Venit Mediolanum,anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo,triceſimo primo, deductus à Nicolao Piccinio, qui copiarum Philippi ductor erat , accepitáque,ſexto Calend.Ianuarij,corona ferrea,Parmam profectus, reliquum hyemis ibi tranſegit.Inde primo vere, per Hetruriam,Romam delatus,vndecimo Calend.Iunij , ipſo die Pentecoſtes,ab Eugenio quarto Pontifice,eſt coronatus. Nec diu inter infidos amicos,in vrbe , inſidiarum plena , moratus, reditum,per agrum Picenum,inſtituit,vbi,ex itinere , Ferrariam, & Mantuam diuertit, ac Iohannẽ Franciſcũ Gonzagam,Mantuę dominum, marchionẽ creauit.His confectis,Baſileam , inde in Vngariam rediit, vbi vtrique principi Saxoniæ,& Brandeburgenſi, inſignia,ornamenta, ac iura Septemuiratus,ſolenni,& publico ritu,tradidit.

Ex Vngaria Boëmiam repetiuit, quæ aliquantò quietior erat,Boëmis, ſententia Synodi Baſilienſis , nonnihil placatis,ac dominum ſuum deſiderantibus. Ibi,cum, ſanatis vtcumque vulneribus publicis, impetraſſet à proceribus , vt Alberto Auſtriaco genero , egregio principi , & pleroſque ſui temporis præclariſſimis generoſæ indolis dotibus , antecellenti,ſucceſſionem in regno,ſe mortuo,promitterent, Znoimam Morauiæ vrbem, ad filiam deferri voluit, ſeu vt in ſinu,& oſculis, atque complexibus filiæ , quam impensè dilexit,moreretur,quæ ibi hærebat , ſeu quòd diffideret genti Bohemicæ.

In ea vrbe,tandem extremo virium defectu, ceu exolu-

tus,

tus, vitam finiit; cætera magnus, & illuſtris, ſed iniuſta in viros innocentes, & ſanctos ſæuitia, quam adiuuit, bellóque, & coniugio infelix. Deceſſit autem quinta Iduum Decembris.

Anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo ſeptimo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, trecenteſimo nonageſimo nono.

Imperij, viceſimo.

Regni Vngarici, quinquageſimo primo.

Regni Boemici, decimoſeptimo. Ætatis ſeptuageſimo ſeptimo.

Cadauer, regio apparatu, Varadinum tranſportatum, & ibi honorificè ſepultum eſt.

Conferri ipſe cum veteribus Carolis, & Ottonibus poſſet, indolis præſtantia, pietate, ſapientia, magnitudine animi, induſtria, dexteritate in conſiliis, patientia laborum, ſi optimè cogitatis conſiliis, prouidéq; ſuſceptis, & laudatiſſimis conatibus, reſpondiſſet fortuna, nec iuſtis, ac neceſſariis armis, cõtra Turcas, ſucceſſus fata negaſſent. Nec rediit ad bellum Turcicum, cùm impeditus domeſticis bellis, accenſis rabie Pontificum, tùm abſterritus, vt opinor, memoria geminæ cladis, vt quanquam truces, & barbaros hoſtes perſequi, atque vlciſci maximè cuperet, non auderet tamen fortunam periclitari tertiò, bis graui cum detrimento, rerum ſuarum, & publicarum, eluſus. Nam, vt fere ſucceſſus proſperi, inter initia, augent animum, ſic contrà aduerſi caſus eundem ſauciant, ac conterrent, vt rem eandem timidius deinceps aggrediatur, & vrgeat ſegnius.

Præterea in corpore ætate, & morbis eneruato, per ſeſe langueſiebat vigor animi, & à Synodo Cõſtantienſi, multò magis fortunam belli, aduerſati ſibi, experiebatur, vt ne ſuos quidem, tot, tantíſque amicorum auxiliis, compeſcere poſſet, cogeretúrque, pro iniuſtè, & nefariè permiſſu ſuo, exuſtis martyribus ſanctis, Deo innocentiæ vindice, perpeti acerbas contumelias, & vim atrocem ſuorum.

Futurum itaque proſpiciebat, vt quem ſpreuiſſent, ac repuliſſent ſui, is multò magis deſpectui eſſet, tam feroci, & ſuperbo, ac præpotenti victori, & vt multò magis, ſi quid in hunc moliretur, fortuna eum infeſta perſequeretur.

Ingenio fuit excellenti, & animo magno, ac heroico: delectatus eſt lectione hiſtoriarũ, iuſſit ſibi, ex Greco, in Latinum conuerti Arriani hiſtoriã, per Petrum Paulum Vet-

gerium antequam Bartholomæi Facij tranſlatio haberetur. Semper in ore habuit hæc dicta: Neſcit imperare, qui neſcit diſſimulare: non oportere ſe omnia, pro ſuo iure, agere, ſignificans. Item, aſſentatorem ſe odiſſe, tanquam peſtem: quòd cùm quidã, ex aſtantibus, aliquando redarguiſſet, & Imperatorẽ aſſentatorum nutu regi, oſtendiſſet, ſubiecit Imperator: Ita fit in aulis, vt quos oderimus maximè, & vitare cupimus, iis maximè parere cogamur, πράττει γὰρ τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ, ὁ συκοφάντης τὰ δεύτερα: ſed cùm à quodam, ſupra modum, laudaretur in faciem, & Diis prædicaretur ſimilis: illi colaphum impegit, dicentíque, Cur me cædis? reſpondit, Cur me mordes?

De gubernatione, ſolitus eſt dicere: Mirum eſſe, cùm omnes recuſent exercere artes, quas non didicerint, Imperare nemo recuſet, quæ ſit ars omnium difficillima. Beatos verò in terris fore reges, ſi excluſis à gubernatione faſtuoſis, manſuetudinis, grauitatiſque cultores, in curiam aſciſcerent: denique regno aptiſſimos tales eſſe, qui nec ſecũdis rebus extollerentur, neque aduerſis deiicerentur. Cùm accuſarent, apud eum, Purpurati, maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ ſuo principi paſſim obloqueretur, ſubridens, reſpondit: An vobis graue videtur, illos malè loqui, cùm nos malè agamus? Percontanti cuidam, cur, apud liberas ciuitates, peculatus crimen adeò ſit frequens, reſpondit: Quòd nudi honores ciuibus commendantur, populus autem ad lucrum inhiat.

Prima ætate, vehemẽtior fuit, & in vindicando aſperior. Sed hanc aſperitatem paulatim ætas leniit, & vſus rerum. Ideò cuidam expoſtulanti cũ eo, quòd, victis hoſtibus, nõ ſolùm vitam, & opes relinqueret, ſed eos etiam inter amicos reciperet, atq; extolleret: Tibi, inquit, videtur vtile inimicum occidere, quia à mortuo periculi nihil. At ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo.

Conſtat & munificum fuiſſe, penè ad profuſionem vſq;. Exempla enim munificẽtiæ eius commemorãtur aliquot illuſtria, feſtiuis condita iocis, in quibus lucet ingenij acumen pariter, & feſtiuitas. Cum, quodam tempore, illo flumen tranſeunte, equus, quo vehebatur, vrinam mitteret, prope equitãs vnus ex aulicis miniſtris, probatæ fidei homo, & qui diu ſeruierat, Equus, inquit, domini ſimilis eſt. Imperator has voces audiens, cauſſam quærit. Reſpondit miniſter, Equum proiicere vrinam in locum antea abundantem aquis. Sic Imperatorem effundere beneficentiam

in

in eos, qui affluant opibus, negligere cæteros qui egeant. Intelligens Imperator, ſe feſtiuè accuſari, quòd miniſtri bene meriti, rationem habuerit nullam, reſpondet: Voluntatem benefaciendi ipſi, nunquam ſibi defuiſſe, ſed ita fieri plerunque, vt fructus beneficentiæ publicæ regū, ac principum, redeat nō tam ad eos, quibus ex merito, quàm quibus, ex deſtinato fato quodam, debeatur: ídque ſe illi declaraturum reipſa. Non ita multò poſt, ocium nactus, duas pixides, magnitudine pares, implet, vnam auro, alteram plumbo, vt & pondere fierent æquales: has miniſtro proponit, & vt eligat, vtram vellet, iubet. Miniſter plumbeam arripit. Viſo plūbo, inquit Imperator: Agnoſcis ergo, mihi non voluntatem, ſed tibi fortunam defuiſſe: ſapienter monens, bona, non ſola, vel dexteritate iudicij, vel diligentia humana, acquiri, ſed & diſtribui, atq; conferri diuinitus, & ad ea conſequenda, & percipienda homines flecti etiam, ducíque diuinitùs, & à Deo, tanquam authore præcipuo, peti, atque expectari debere. Neque id tantùm in his fugacibus, atque caducis fortunæ bonis, ſed multò magis in aliis maioribus, locum habere, & vſu venire. Sapiētiam humanam enim, nihilo certius eligere, quod ſit optimum, quàm ſi fortè aliquid ducatur, vt præclarè apud Xenophōtem dicitur: ἄγε ἀνθρωπίνη σοφία οὐδὲν μᾶλλον οἶδε τὸ ἄριστον αἱρεῖσθαι, ἢ εἰ κληρούμενος, ὅτι λάχοι τοῦτό τις πράττοι.

Coniuges, Sigiſmundus, habuit duas, prima fuit Maria, Ludouici Vngarici filia, quam amiſit primo à nuptiis anno: altera Barbara, Hermāni, comitis Ciliæ filia, profligatiſſimæ pudicitiæ, & laſciuiæ procaciſſimæ mulier. Ex ea vnicam genuit filiam Eliſabethen, hæredem regni, quam deſpondit Alberto Auſtriaco. Coniugem, propter conſpirationes cum proceribus Boëmicis, de regno inuadendo, déque ſecundis nuptiis, factas, condemnauit ad perpetuos carceres, ſed, à mariti morte, dimiſſa, Gretij in Boëmia, in vita turpi, & fœdis libidinibus infami, conſenuit extincta tandem lue peſtilenti.

De familiis marchionū Miſniæ, & Burggrauiorū Noribergenſium, quas ad Septemuiralem dignitatem, quę, poſt Imperatorem, ſumma eſt, Sigiſmundus extulit, ſupra dixi.

Ex Friderici marchionis Brandeburgenſis, vita, cum alia referuntur memoratu digna, tum hoc in primis, quod, cū, teſtamentum conditurus, aduocaſſet ad ſe filios quatuor, Iohannem, Fridericum, Albertum, & Fridericum alterum, natu maximum Iohannem, in hunc fermè modum, allo-

cutus ſit: Primus ego dignitatem Septemuiralem acquiſiui, cum eſſem Sigiſmundo Imperatori admodum familiaris. Nunc, cùm ex hac vita euocer, curæ mihi eſt; ne decus tãtum, in familia noſtra, vileſcat: tibi, vt video, quietis, & trãquillitatis vnicum ſtudium eſt: in munere Septemuirali, præter ſollicitudines, & labores aſſiduos, nihil inuenies. Eam ob cauſſam, ſi tua volũtate poſſum, munus hoc, teſtamento concedã Friderico, qui tibi ætate proximus eſt, & te exercitatior, atque ad labores firmior eſſe videtur. Cui Iohannes: Exiſtimaui, ante hoc tempus, cariorem tibi multò Fridericum, quàm me eſſe, cùm illi ſæpius blandirere; neq; id non ægrè ferre potui. Nunc ſententiam muto, & te, Pater amo, colóque, qui mihi ocium, illi negocium, ſuprema voluntate, dimittis. Exemplum illuſtre, in patre Friderico, non affectus paterni, ſed ſapientiæ, conſulentis rebus publicis, ac priuatis: in filio Iohanne modeſtię, & obedientiæ, cedentis iudicio patris, de ſucceſſione, citra moroſitatem, aut recuſationem. Huius ſimile eſt in hiſtoria Dauidis, & Darij Hiſtaſpis.

DE SYNODIS, CONSTANTIENSI, & Baſilienſi.

SYnodum Conſtantienſem, multo labore coegit Sigiſmundus, præcipuè propter certamina, inter ſe, trium Pontificum, quibus inuoluebatur orbis Chriſtianus. Sed perfecit tamen, vt ibidem, ſub fide publica, ſiſterent ſeſe, Iohannes Hus, & Hieronymus Pragenſis, qui vocati erant ad reddendam rationem fidei, & ſuæ doctrinæ, quam profiteri cœperant, Romanæ Eccleſiæ contrariam. Sed quæ ſit in illos inſtituta, ſuſceptaque inquiſitio, quomodo refutata ſint eorum dogmata, quo ordine accuſati ipſi, & condẽnati ſint, hiſtoria actorum, quæ extat, oſtendit, & quæ hi dogmata, quos errores, & abuſus Eccleſiæ Romanæ præcipuè taxarint, ac reiecerint, firmis, atque euidentibus doctrinæ ſacræ teſtimoniis, ſupra commemorauimus.

Rectè fecit Sigiſmundus, quòd diſſidiũ inter Pontifices, non armis, nec violentis modis, ſed diſceptatione legitima, tollere ſtuduit, & quòd controuerſias motas, ad Synodi iudicium, deduci voluit, vt conſuleretur toti orbi terrarum.

Sed rurſus, non rectè fecit, quod non id dedit operam, vt prius acciſa, vel potius ſublata prorſus Pontificum tyrannide, iudicia Eccleſiæ, ad exemplum cæterarum Synodorum, quas, ſua authoritate, moderati ſunt Imperatores, concederentur, vt moderatione Eccleſiæ conueniente, co-

gnitio

gnitio & diiudicatio inſtitueretur controuerſiarum, ex ea norma, quam tradunt literæ ſacræ, & fieret emendatio vicioſorum morum, ac rituum, qui in Eccleſia hærebant, nec alligaretur quiſquam ad decreta Canonum, authoritatem Eccleſię Romanæ, commenta Monachorum, vitioſæ conſuetudinis antiquitatem, vt concederetur piis, & doctis, libertas dicendi ſententias, nec hi protinus opprimerentur, cauſſa nondum legitimè cognita, atque explicata.

Addidit ad hunc errorem alia atrociora, cùm homines innocẽtes, velut in manus tradidit hoſtibus immaniſſimis, idololatria, & parricidiis pollutis, ad certum ſupplicium, cum ſe miniſtrum ſæuitię Pontificum, & Sacerdotum prębuit, cùm ciuile bellum accẽdit, cùm delere Eccleſias pias, trucidare Chriſti membra, & pios Euangelij miniſtros, extinguere literarum ſtudia, barbariem, & vaſtitatem in patria, efficere conatus eſt.

Etſi autẽ magnis excelluit Sigiſmundus virtutibus, tamen in hoc genere ingentia eius peccata diſſimulari non debent. Deteſtabatur ipſe veſanam Pontificum ambitionem, & Sacerdotum luxum, ſed cur non id agebat, vt harum rerum nerui inciderentur, qui patefacti iam, ac demonſtrati erant doctrina Huſſi?

Occaſio Synodi inde extitit, quod Cardinales in Piſana Synodo, anno milleſimo, quadringẽteſimo, nono, abrogatum Gregorio, & Benedicto pontificatum, commendarant Iohanni viceſimo tertio. Sed cùm authoritas Cardinalium contemneretur, Sigiſmundus alia via ſchiſma tollendum, quod iam annos triginta octo flagrarat, & factioſos Põtifices ad abdicandum ſeſe hoc Magiſtratu maiore authoritate cogẽdos eſſe cenſuit. Ita ſententia Synodi pontificatus ademptus eſt omnibus. Cauſſas, id eſt, ſcelera, & flagitia, quæ ſpurciſſimis iſtis, ac ſæuiſſimis beluis obiecta, & exprobrata fuerunt, non libet commemorare.

Succeſſor decretus eſt Otto Columnius, ex Columniorum familia, qui ſe Martinum quintum nominauit.

Quantum ad errorem in doctrina, abuſum, & diſciplinæ emendationem attinet, conſtitutum in hac Synodo nihil eſt, etſi non defuerunt monitores, & inſtigatores boni viri, & pij, qui ſæuitiam iniuſtam in innocentes, & pertinaciam obſtinatam in errorum defenſione, vehementer improbarunt, & emendationem ſeriò flagitarunt.

Petrum de Aliaco Cardinalem conſtat multa grauiter monuiſſe, de corruptiſſimis moribus Pontificũ curiæ Ro-

manæ, omnium ordinum in Eccleſia Romana, de abuſuũ magnitudine in feſtis, & cultu ſanctorum, in precationibus, ieiuniis, diſcrimine ciborum, & ſimilium traditionum humanarum, de tyrannide, ſuperſtitione, & multitudine Monachorum.

Conſtat & Gerſonem cancellarium Pariſienſem Synodo articulos ſeptuaginta quinque obtuliſſe, quib. emendatione ſit opus. Sed nec auditi tales ſunt, nec quæſita ſunt remedia, quibus ſanarentur vulnera eccleſiæ, & conſuleretur conſcientiis faſcinatis ſuperſtitione, & laqueo traditionum humanarum nimium irretitis.

Condemnauit hæc Synodus dogmata Iohãnis Wicleffi Angli, digeſta in capita quadraginta quinque: condemnauit ad rogum, & duos Martyres Boëmos, viros ſanctimonia vitæ, & doctrina fidei Chriſtianæ analoga antecellentes, violata fide publica, qua ab Imperatore præmuniti acceſſerant.

Cauſſæ condemnationis his ferè capitibus duobus continentur, vt articuli oſtendunt, quòd Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis, & toti colluuiei Sacrificulorum ac Monachorum detraxerint Eccleſiæ titulum, & authoritatẽ, quòd derogarint iiſdem poteſtatẽ omnem, quam ſibi in Eccleſia Chriſti arrogant, prætextu authoritatis diuinæ, in abolendis, mutandis, cõdendis articulis fidei, ritibus, ceremoniis, legibus Eccleſiaſticis, quòd ademerint iiſdẽ omnẽ politicam poteſtatem, opes, ſplendorem, potentiam Monarchis parem. Deinde quòd reddendum populo cenſuerint Sacramentum integrum ex inſtituto Chriſti, quòd commẽtum tranſſubſtantiationis repudiarint, quòd nonnulla alia requiſiuerint congrua Propheticis, & Apoſtolicis ſcriptis, & teſtimoniis Catholicæ Eccleſiæ Chriſti purioris, ac ſalutaria piis cõſcientiis, ſed diſſona decretis, & legibus Romanæ curiæ, & huic aduerſa, ac pernicioſa.

Vtrumque & Iohannem Huſſum, & Hieronymum Pragenſem, poſtquam Synodus pronunciaſſet Hæreticum, Huſſum vſitato ipſis ritu exutum dignitate ſacerdotali, tradidit exurendum Magiſtratui ciuili. Huſſus eductus ad locum ſupplicij, geſtans mitram chartaceam, Epiſcopali ſimilem, in qua tres fuerunt depicti Cacodæmones cum hac inſcriptione: Iſte eſt Hæreſiarcha, ſubinde inter eundum has voces repetiuit: Ieſu Chriſte Fili Dei viui, qui paſſus es pro nobis, miſerere mei. Tãdem rogo impoſitus, euincente flamma, cum hac ipſa inuocatione, ſpiritum

emi-

emiſit. Factum id eſt octauo Idus Iulij, Anno milleſimo, quadringenteſimo, quintodecimo.

Fertur ante mortem ceu præſagiens vatidico Spiritu ſecuturam inclinationem regni Pontificij, dixiſſe, naſciturum eſſe ex ſuis cineribus olorem, quem non ita exuſturi ſint, ſicut anſerem torrerent. Significat autem Boëmica lingua Huſſus anſerem.

Sunt & hæ ex eo auditę voces: Poſt annos centum vos Deo & mihi reſpondebitis: quę verba Boëmi in ambitu monetæ cuiuſdam, ſignatæ imagine Huſſi, expreſſerunt. Vaticinij fidem comprobauit euentus. Interceſſerunt enim inter finem Synodi Conſtantienſis & initia diſputationũ Martini Lutheri, anni cẽtum. Crematus eſt deinceps ſimiliter Hieronymus Pragenſis quinta Iduum Septembris.

Renouatum eſt in hac Synodo & decrettum de altera tantùm parte Cœnæ Dominicæ Laicis cõmunicanda, horribili furore & audacia, & conſtitutum inter alia eſt, vt anno ab huius exitu quinto alia, & ſeptimo deinceps iterum, in poſterum verò decimo quouis anno poſt prioris exitum, Synodus indiceretur, quæ conſtitutio præcipua & vtiliſſima fuiſſet, ſi Synodi quæſiuiſſent repurgationem doctrinæ. Ex hac conſtitutione Papienſis Synodus conuocata, & inde propter peſtem Senas fuit tranſlata. Hãc cùm diſſoluiſſet Martinus quintus, metu Alphõſi regis Arragonum, qui odio Martini, Petrum Lunẽſem pontificatu Cõſtantiæ abdicatum, reſtituere conabatur, Baſileam futuræ poſt ſeptennium Synodo deſignauit, & Iulianum Cardinalem miſit in Germaniam, vt bellum Boëmicum promoueret, & Synodum cogeret, atque gubernaret.

Sequuta eſt itaque Baſilienſis Synodus, anno milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo, primo. Iniit die ſeptima Septembris. Fuerunt eò inuitati etiam, & admiſſi Boëmi, adhibiti, ad deliberationes de controuerſis dogmatibus, viri eruditi. Certatũ eſt acerrimè de authoritate, ac poteſtate Pontificia, tandémque decretum, Synodi authoritatem maiorem eſſe, quàm Põtificum: poſſe Synodorum iudiciis Pontifices, à gubernaculis remoueri: tribuenda eſſe ſuffragia non ſolis Epiſcopis, ſed etiam cæteris doctis, & piis: de quo articulo, cùm eſſet magna contentione diſputatum, vicit tamen hæc ſententia propter locum in actis Apoſtolicis, vbi memorantur adhibiti in diiudicanda controuerſia de Circumciſione, non ſoli Apoſtoli, ſed etiam cæteri Seniores.

Hos articulos etſi leuiores erant, tamen quòd Eugenius quartus Martini ſucceſſor videret labefacturos eſſe Pontificum potentiam, & memor præcepti veteris : Μὴ παρορᾶν τὸ παρὰ μικρόν. exiſtimaret nulla in re quamuis leui, exemplum violandæ authoritatis Pōtificiæ concedendum eſſe, Synodos enim paulatim plus libertatis ſibi ſumturas eſſe, præcepit Synodum transferri Bononiam. Quòd, cùm grauiter ferrent Sigiſmūdus Imperator, & cæteri, qui conuenerant, citaréntque Eugenium Baſileam, & ſi non compareret, minitarētur ei diras, atque execrationes, abdicationémque à Pontificatu, territus Eugenius confirmauit acta Synodi. Sed mox adeptus occaſionem nouam, ex aduentu in Italiam Iohannis Palæologi, Byzātini Imperatoris, qui venerat petitum auxilia, contra Turcas, rediit ad prius conſilium, promulgato edicto de Synodo, Ferrariam traducenda, vnde mox Florentiam tranſiit.

Etſi autem dum in viuis eſſet Sigiſmundus, acriter reſtiterunt Patres Synodi Baſilienſis, his conatibus Eugenij, & Græcos, ſi de conſenſu Eccleſiarum deliberari quid atque conſtitui vellent, Baſileam vt accederent, hortati ſunt, vicerunt tamen artificia Eugenij, Sigiſmundo mortuo, qui cùm authoritate non poſſet, armis Synodū diſſipauit. Nā cū eſſet ſitientiſſimus humani ſanguinis, incitauit Delphinum Galliæ, qui poſtea fuit rex Ludouicus vndecimus, vt ingentibus in Germaniam copiis adductis, Baſilea eos, qui conuenerant, pelleret. Hæ, cùm inauditam crudelitatem in Alſatia exercuiſſent, Baſileam petiuerunt, ibi exiguæ Heluetiorum copiæ fortiter totum exercitum Gallicum repreſſerunt, etſi ipſę occubuerunt propemodum, vt trecenti Lacedæmonij ad Thermopylas.

Etſi autem fuit virtute Heluetiorum liberata terrore Gallico Baſilea, tamen in his tumultibus paulatim dilapſi ſunt regum legati, qui conuenerant. Interea in Florentino cōgreſſu, Eugenius perſuaſit Grecis, vt ſentētiam Romanæ Eccleſiæ de proceſſione Spiritus ſancti, amplecterentur, vt recepturos ſe in ſuas Eccleſias vſum panis azymi promitterent, vt fabellis de purgatorio, vt commento de Pontificia poteſtate, aſſentirentur, quod factum eſt anno Chriſti milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo nono.

Sed quæ Imperator, & Patriarcha coràm approbarant, & amplexi erant, ea cæteræ Eccleſiæ Græcæ domi repudiarunt, ac refutarunt tanta vehementia, vt quotquot cōſenſiſſent, iis negarent officia Chriſtianæ ſepulturæ, figmentum

tum tamen de tranſſubſtantiatione reiecerunt. Nec multo poſt, vt dictũ ſupra eſt, & repetetur deinceps, vi expugnata Conſtantinopolis, venit in poteſtatem Turcarum.

Synodus verò Baſilienſis ſe diſturbari, & loco moueri paſſa non eſt, ſed authoritate ſua vſa, contra Eugenium ſententiam tulit, qua illum Pontificatu deiecit, ſurrogato in eius locum Amadeo, Sabaudiæ duce, qui ſe Fœlicem quintum nominauit. Inde nouum extitit ſchiſma, quod morte Eugenij diremtum, ac ſopitum eſt, cedente Pontificatu ſua ſponte Fœlice quinto. Etſi autem, vt hic neruus, tyrannidis Pontificię, Synodi authoritate confirmaretur, Eugenius furenter contendit, ſcilicet vt quemadmodum Stratocles Athenis decretum fecerat de Demetrio: πᾶν ὅ,τι ἂν ὁ βασιλεὺς Δημήτριος κελεύσῃ, τοῦτο καὶ πρὸς θεοὺς ὅσιον καὶ πρὸς ἀνθρώπους εἶναι δίκαιον: Sic quicquid ſtatuiſſent Pontifices, id ſimiliter pium erga Deum, & iuſtum eſſet erga homines: tamen Synodus Baſilienſis non aſſenſit.

Quod ergo vtraque Synodo, Conſtantienſi, & Baſilienſi, Põtifices de authoritate ſua plurimum decerptum eſſe, atque diminutum ſentirent, poſtea arte cauerunt, ne vlla amplius ita coiret, vt libertas eſſet piis dicendę ſententiæ. Sed reprimi veritas tyrãnicis, imo Diabolicis artib. & conſiliis diutius non potuit, quibus cùm colluctata illa ſequentibus annis ad Lutherũ vſque, tandem tamen, Chriſto duce, Luthero Miniſtro perrupit, & Pontificum tyrannidem telo anathematis exarmatam, ac vehementer eneruatã proſtrauit, aſſerta ac reſtituta Filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſua gloria, doctrinæ partibus omnibus repurgatis, & illuſtratis, iugo traditionum humanarum detracto de ceruicibus hominum, atque proiecto. Quod vero Synodos in Germania, vt ſibi maximè infeſtas, Pontifices amplius celebrari noluerint, præſagium fuiſſe ſentio euentuum, qui ſequuti ſunt, vt tandem a Germanis tyrannis hæc conuelleretur, atque euerteretur.

ALBERTVS AVSTRIACVS.

POſt fata Sigiſmundi, Albertus Auſtriacus gener, cum imperio Romano ſimul duo potentiſſima regna, Vngaricum, & Boëmicum anno vno obtinuit, qui fuit annus Chriſti milleſimus, quadringẽteſimus, triceſimus octauus. Boëmicum non ſine armis poſſedit. Nõnulli enim ex proceribus addicti Thaboritis, quod oppidum extruxerat, & munierat Ziſca, vltor, & vindex necis Huſſi, attraxerant in ſpem regni Polonos, quibus Imperator oppoſuit Albertũ,

marchionem Brandeburgenſem. Hic Polonos, aliquot leuibus, ac tumultuariis præliis, fatigos, coegit, pace facta, regni limitibus excedere.

Sed altero mox anno, Imperator diſſenteria correptus; ex peponum eſu nimis aſſiduo, interiit in Vngaria, non procul à Strigonio, cui vrbi confluens Iſtri, & Grani, coactis in vocem vnam dictionibus geminis, nomen dedit.

Deceſſit ſexto Calend. Nouembris, anno milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo nono, relicta Eliſabetha, quæ Sigiſmundi filia erat, coniuge grauida, & ex ea duabus filiabus, Anna, quæ deinceps, Wilhelmo duci Saxoniæ copulata eſt, & Eliſabetha, quæ data eſt in matrimonium Caſimiro Poloniæ regi.

Ex hoc præmaturo regis obitu nouarum diſtractionum ſemina, & ceu belli noui materia exarſit. Non quieſcebant enim Turcæ priores bello laceſſiti à Sigiſmundo, & infelici, irritóq; huius conatu, animati, atque in ſpem potiundæ Vngariæ erecti. Albertus, vt clades priores vlciſceretur, & depelleret hoſtes Vngariæ imminentes, arma parauit. Sed in ipſo apparatu è viuis exceſſit.

Quòd ergo Vngaria eſſet ſine rege, Amurathes, qui nuper Georgio Seruiæ Deſpotæ Principatum, & liberos eripuerat, protinus ex vicina Seruia in Vngariam incurſiones crebras, atque incolis maximè funeſtas, fecit. Pannones diffidentes rebus ſuis, vt vires augerent ſocietate Polonorum, conſilium inierunt de nuptiis Ladiſlai Poloni reginæ grauidæ conciliandis, quanquam de partu quid futurum erat, eſſet incertum.

Regina etſi initio à nuptiis non abhorruit, argumentis neceſſitatis perſuaſa, tamen vbi filium enixa eſſet Ladiſlaũ, nuptias prorſus recuſauit, cupiens filio regnum auitum cõſeruare. Ea res in bellum erupit graue admodum, ac perniciosum, cum ex proceribus nonnulli, qui res ad Ladiſlaum inflexerant, hunc depoſcerent, & ad vindicandam repulſæ contumeliam incitarent: nonnulli reginæ, & regis poſthumi partes tuerentur. Ingreſſus in Vngariam Ladiſlaus, ſtudio, fauoréque procerum citò ob vrgentem belli Turcici neceſſitatem, bonam regni partem occupauit. Nec rebus ſuis defuit regina vidua, amiſſa recuperando, & aſtu atque inſidiis Ladiſlaum oppugnando.

His inter ſe conflictantibus, Amurathes celerrimè copias vniuerſas per Myſos, Triballóſque Belgrado admouit, quę Taururi nomine veteribus celebrata, & ad Saui, Danubii-

que

que confluentem opportuniſſimo loco, & natura, atque arte munitiſſimo poſita, regni propugnaculum erat. Præcipua apud Ladiſlaũ valebant authoritate, Iohannes Hunniades, & Georgius Seruiæ Deſpota exul. Horum alterum Hunniadem, Ladiſlaus Tranſſyluaniæ, quæ veterum Dacorum ſedes fuit, præfecit, vt ſe inteſtino bello diſtento, arceret ex ea parte Turcos: alterum Georgium ad limites contra Belgradum collocauit, cum præſidiis, ad prohibendas ibidem Turcarum excurſiones, ac populationes.

Magnitudinẽ periculi cùm intellexiſſent cæteri Europę Principes, id dederunt operam, vt diſſidia inter reginam viduam, & Ladiſlaum componerentur. Res ita tranſacta eſt, vt regina ambas filias certis conditionibus deſponderet fratribus duobus, Caſimiro, & Ladiſlao.

Interea Hunniades multos Turcorum exercitus deleuerat, & Seruiæ partem, ac Muldauiam totam receperat. Aduerſus hunc Amurathes ingentes copias coegerat. Sed Hunniadi ſubſidio venit Ladiſlaus, qui ſui Achatis conſilio progreſſus, ſuperatis, profligatíſque Turcicis copiis aliquoties, citò maximam partem Seruiæ, & Bulgariæ victricibus armis percurrit.

Hunniades, eo bello, vno die quinquies cum Turcis aperto Marte congreſſus, quinque victoriis partis, vt colophonem prioribus adderet ſplendidiſſimum, ſub noctem Anatoliæ Baſſam, Amurathis affinem, ingenti auſu temerè, & improuidè Hunniadis fortunæ ſeſe obiicientem, ita contriuit, vt triginta Turcorum millia ad internecionem ceciderint. Ad huius cladis famam, etſi trepidare Amurathes cœpit, tamen ne timiditate, & ſeſe, & maiorum audacia acquiſitum Imperium deſtituiſſe diceretur, nouis ex Aſia copiis accitis, factóque ſupplemento, Carambeium Baſſam Phrygiæ, virum impigrum, & manu, conſilióque promptum, in quo ſpem omnem poſitam habebat, denuo inſtruxit. Hunc, in Hæmi montis vallibus nimio vindictę deſiderio, incautius irruentem, Ladiſlaus, Hunniadis prouidentia, ita excepit, vt inexpectata celeritate obrutum, ac circundatum ceperit, copiis illius vniuerſis partim iugulatis, partim diſiectis.

Ea res tantum fertur Amurathi incuſſiſſe terrorem, vt de morte, ſibiipſi ex deſperatione conſciſcenda, conſilium habuerit. Sed præſentia, ac magnitudine animi, expeditiſque conſiliis Halibæi Baſſæ, hominis aſtuti, & vafri, quem Carãbeio ſucceſſorem deſtinarat, rurſus confirmatus, eo-

dem monitore,aliam iniuit belli gerendi rationem, vt pręcluſis , obſeptíſque ad Rhodopen montem anguſtiis , eluderet cunctando,circumducendóque Fabij Maximi, contra Hannibalem ſtratagemate, artes & conatus Hũniadis. Ladiſlaus,ea re animaduerſa , cùm bellum videretur futurũ longius,ac difficilius , propter anguſtias inſidarum vallium, contentus aliquot victoriarum gloria , exercitum, quanquam aduerſante,& reclamante Hunniade , reduxit triumphabundus Belgradum,oſtentans inter prædas hoſtibus ereptas,captiuum Carambeium.

Harum cladium fama exciuit Caramãnum,Cilicię Principem, vt Pontum, & Bithyniam , Turcorum in Aſia prouincias inuaderet. Amurathes igitur, cùm acciſas tot præliis copias, vtrique bello non ſuffecturas eſſe cerneret, ſed Europęum hoſtem,atque exercitum magis,quàm Aſiaticũ reformidaret,legatos miſit ad Ladiſlaum, petitum pacem, iis conditionibus,quibus vellet victor. Ladiſlaus non difficulter aſſenſit, tulítque conditiones, vt Amurathes tota cederet Seruia, deductis præſidiis ex iis arcibus, & oppidis, quæ adhuc tenebat , redderet Georgio Deſpotæ liberos, redderet fortunas , & abſtineret ab iniuriis in poſterum, non repeteret Moldauiam , nec amiſſam Bulgariæ partem. Ibi cùm Amurathes ſolam ſibi Bulgariam relinqui peteret integram, , annuente Ladiſlao, pax concluſa eſt in annos decem,& iureiurando ſancita.

Sed pacis leges, cùm vix Amurathes ex Europa in Aſiam traieciſſet , violauit Ladiſlaus, iuuenis,alacer & ferox, incertæque belli gloriæ,quàm ſecuræ pacis auidior , & ex Amurathis abſentia,blanditiiſque arridentis , atque ad genium ipſius alludentis fortunæ prioris , in non dubias recuperandi Imperij Byzantini ſpes illectus. Rupit autem fœdera,perſuaſus ex Eugenij inſtinctu, Iuliani Cardinalis inſanis,& exitialibus conſiliis, qui Pontifici licere iuramenta , præſertim hoſtibus Chriſtiani nominis præſtita , religioſa authoritate reſcindere, contendebat, & ſpem regi faciebat futurum, vt Pontificis, Philippi Burgundię ducis,& Venetorum claſſis ad Helleſpontum Amurathi ſuppetias ſuis laturo, reditum ex Aſia in Europam intercluderet. Segedino egreſſus Ladiſlaus, cum vniuerſis copiis,& Walachiam, Bulgariámque omnem magna celeritate emenſus, ad Varnam, Bulgariæ oppidum,quæ antiquitus Dionyſiopolis vocata eſt,ſubſtitit,morbo detentus.

Amurathes vbi rem comperit, mox omiſſo Caraman-

no, quantis potuit itineribus ad Helleſpontum reuerſus, Aſiaticas copias trãſmittit in Europam, qua fretum arctiſſimum eſt ad Calliopolin, claſſe Italica, ſeu flagitioſa timiditate, ſeu ſcelerata perfidia, ocioſè ſpectante. Corruptos enim fuiſſe ſpeculatores, tradunt nonnulli, qui timiditati gentis patrocinantur. Tranſportarunt autem copias Genuenſium naues, quibus de ſingulis capitibus, ſingulos aureos nummos ſolutos eſſe perhibẽt, ſcilicet, vt quadam quaſi euentuum conſpiratione in hoc etiam tam acerbo, ac funeſto caſu palàm fieret, quæ ſit, & fuerit Satellitij Pontificij in periculis Chriſtianæ reipub. & quidem Pontificum arte commotis, atque accerſitis, cõſtantia, magnanimitas, ac fortitudo, & quæ Ligurum fides.

Amurathes, cùm Aſiaticas copias inter Europęos non procul ab Iſthmo Cherſoneſi Thracici diſtribuiſſet, promotis inde caſtris verſus Adrianopolin, incredibili celeritate, die ſeptimo contra Ladiſlaum, adhuc ad Varnam hærentem, & nihil tale opinantem, caſtra poſuit. Deuentum eſt ad pugnam, ad quam eductæ ſunt acies vtrinque quarto Iduũ Nouembris, Chriſtianam ſtruxit Hũniades, maturo, deliberatóque conſilio, vt latus vnum ad paludem quandam, alterum ad currus, valli inſtar, aut muri concatenatos, tergum exercitus ad montes conuerteret.

Certatum eſt totos dies, noctéſque tres, diu fortuna ancipiti, ſed tanto animorum ardore vtrinque, tantóq; impetu, vt cæſorum ſanguine cãpi ſtagnarint. Victoria tandem ad Chriſtianos inclinare viſa eſt, ob primos Turcorum ordines diſturbatos, atque in fugam dilapſos, confuſéque palantes, & Imperatorem ipſum trepidantem, ac deſperabundo ſimilem. Cùm Antiſtites, quos in templis, & in ſcholis, quàm in acie conſpici ſatius fuerat, ac decentius, ex ſtatione ſua hoſtem fugientem inconſultò proſequuti, aditu ad nudatos ordines patefacto, victoriam, & vitam regis, totiúſque exercitus, ac regni Pannonici, imo Europæ ſalutem hoſtibus prodiderunt. Mox enim ab ea parte in legiones Chriſtianas, immiſſi Turcorum ſagittarij, ordines ruptos diſſiparunt, & vrgente occaſionem Amurathe, reliquum exercitum, magna ex parte circumfuſis legionibus ſuis, vndique concluſerunt.

Rex iuuenis cùm pugnãdo ad prætorianos vſque penetraſſet, ex equo, lethaliter ſauciato prolapſus, multis vulneribus confoſſus eſt. Antiſtites in turpi fuga, turpi interitu, pœnas dederunt perfidiæ ſtolidęq; audaciæ, nimirum cæ-

no in paludibus ſuffocati. Hunniades vix euaſit. Pars copiarum, cui belli fortuna pepercerat, fuga quidem ex hoſtium manibus erepta eſt, ſed partim paludibus, ac lacubus abſorpta, partim fame, frigore, vigiliis, enecta in ſyluis miſerabiliter interiit. Iulianus rumpendi fœderis author, nudus repertus in via, ſed multis vulneribus ſaucius, iudicatus eſt à ſuis fuiſſe iugulatus.

Ita rex iuuenis, Pōtificum hortatu, ad fidem fallendam impulſus, & ab iiſdem rebus motis deſertus, ac proditus, ínque ipſa acie Satellitij Pōtificij imperita audacia, & turpi fuga, in diſcrimen extremum adductus, cum exercitus ſæpe victoris parte maxima miſerabiliter trucidatus, rebus Chriſtianis detrimentum ſummum, hoſtibus ad acquirendum, ac ſtabiliendum Orientis Imperium, opportunitatem ſummam attulit. Adeo conſenſu experientiæ perpetuæ certum eſt, nulla fuiſſe vnquam felicia, & ſalutaria, vel fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum conſilio ſuſcepta, & adminiſtrata, præſertim vbi cauſſæ fuerunt, aliqua religionis ſpecie veſtitæ, aut cùm fuit ſpectata, & quæſita dignitatis, aut potentię Pontificię amplificatio. Dimicatum autem eſt anno milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo quarto, in profeſto Martini, ſcilicet, die decima Nouembris.

Erat Iohannes Hūniades natione Semidacus, ſeú Walacus, Comes Biſtriciēſis, Ducum omnium, qui cum Turcis arma contulerunt, illo tempore clariſſimus, ſolers, ac ſagax in proſpiciendis, patiens in expectandis, celer in arripiendis, acer in perſequendis rerum occaſionibus, atque in ipſis rebus vrgendis pertinax, conficiendis felix, ac fortunatus. Aduerſus duos enim audaciſſimos, ac feliciſſimos Turcicos tyrannos, Amurathen, & Mahometen, diuina ope Pannoniam defendit: Sítque propterea appellatus fulmineus terror Turcorum. Fuit enim non modò, vt de Achille Homerus inquit, Achiuorum, ſed totius reliquæ Europæ murus, cuius vnius virtus, & felicitas tyrannorum impetus repreſſit, velut obiecta moles, exundans flumen. Nec quiſque regum, aut ducum, res maiores, & Europę vtiliores aduerſus Turcos geſſit.

In hoc Varnenſi bello, quod non ipſius, ſed Iuliani & Epiſcoporum conſiliis regebatur, non fuit ἀμυνόμενος, rege Ladiſlao non iuſta arma capiente. Ideo infelix fuit dimicatio, ſed Deus texit eum, vtupereſſet Vngariæ, ac hoſtem poſt victoriam progreſſurum reprimeret, turbatáſq;

regni

regni res atque rationes conſtitueret, quod egregiè præſtitit. Mahometem enim Amurathis ſucceſſorem, à Belgradi obſidione, fortiſſimè depulit, fuſis circiter quadraginta millibus Turcorum, vbi victori continuis præliis duorum dierum vehementer defatigato, coniectóque ex laboribus, & ardore animi in lethalem corporis ægritudinem, & commendanti ſeſe, ac patriam piis votis, Domino noſtro Ieſu Chriſto, atque adhortanti filios qui aderant, ad virtutem, Deus conceſſit exitum placidum, & glorioſum: anno milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimoſexto, quarto Idus Septembris.

Ladiſlaum, Alberti poſthumum educauit Fridericus Imperator, nec, repoſcẽtibus Vngaris, eum reddidit, niſi poſtquam eouſque adoleuiſſet, vt ætas capeſſendo regno eſſet idonea. Regni curam cùm ſuſcepiſſet adoleſcens, totum ſe dedidit Vlrico Ciliæ Comiti, ſuo propinquo, ita vt niſi de ipſius conſilio, & voluntate decerneret, & faceret nihil, quæ res ipſi regi inuidiam apud Vngaros conflauit, odia erga Vlricum vetera in proceribus vehementer auxit. Nã Vlricus cum Hunniade capitales exercuerat inimicitias, offenſus ſola magnitudine virtutis eius, & gloriæ. His odij cauſſis impulſus, dignitati, & vitæ eius fuit inſidiatus. Nec odij crudelitas in eo placata eſt, vel meritis tantis, vel interitu Hunniadis, ſed erupit aliquanto poſt in filios. Vt enim patri Hunniadæ inſidias ſtruxerat, ita filios Ladiſlaũ & Matthiam calumniis oppreſſos, conatus eſt tollere: de quibus, cùm Ladiſlaus veniſſet expoſtulaturus, cũ Ciliano orta rixa eſt, quæ in pugnam exarſit, in qua Cilianus prior feriens à Ladiſlao repulſus, & confoſſus eſt. Etſi autem Ladiſlaus, poſtquam regi expoſuiſſet facti cauſſas, impetrauit fidem publicam, & rex matri ſupplici affirmauit, ſe filio ignoſcere, & obliuionem facti, atque ἀμνηστίαν ſanciuit, donauit etiam Ladiſlaum purpurea veſte, cui aurum erat intertextum: tamen paulò poſt rex nouis inflammatus calumniis, fratrem vtrumque cepit, & de Ladiſlao ſupplicium ſumpſit, in quo innocentiæ teſtimonium Deus, mirando exemplo, tribuit. Productus enim Ladiſlaus in ea veſte, qua donatus erat à rege manibus vinctis, dum inter vota ad Deum, procumbens in genua, forti animo ceruice erecta, ictum expectabat, ter à lictore percuſſus, atque ex ictu prolapſus in terram, ſuopte annixu, quãquam ligatus eſſet, ſeſe rurſus à terra attollit, & clara voce Deum innocentiæ ſuæ teſtem inuocat. Quarto demum ictu capite

præfecto, vitam profundit.

Rex cum ex ſupplicio Hunniadis, creſcere odia procerum Vngaricorum didiciſset, ſéque ſine periculo diutius ibi non verſari poſse perſpiceret, ſeceſſit in Boëmiam, abducto ſecum Matthia, altero Hunniadis filio, vel ne Pannonij eius liberandi cauſsa, ſi apud ipſos relinqueretur, tumultus mouerent, vel vt extra Vngarorum oculos de eius ſupplicio, quem metuere oportebat, conſideratiùs, ac liberius ſtatueret. Sed regem, ante latam de capite Matthiæ ſententiam, nuptias Pragæ parantem cum ſponſa Gallica, Margareta Caroli ſeptimi Francorum regis filia, veneno intra paucas horas ſublatum eſse tradunt, regnum arripiẽte Boiebracio, procerum potentiſſimo, vigore animi, clientelis atque opibus.

Hic Boiebracius, Vngaris repoſcentibus, Matthiam ad regnum, memoria virtutis, ac felicitatis paternæ, inſtinctu auunculi Micaeli Zilagi, mox eum reddidit, non ſolùm catenis detractis, ſed inſuper ad certiſſimum amicitiæ pignus, filia deſponſata, ac tradita, additíſque regij cultus muneribus, vt eo beneficio Vngaros, & ſibi obſtringeret, qua re, nihil erat, opportunius ipſi ad regnum nouum confirmandum, & Boëmis conſociaret.

Ita ex carcere, ad regnum Matthias eductus eſt, nõ per ſeditionem, & ciuilem cruorem, ſed ſingulari conſilio Dei, & magno conſenſu omnium procerum, & ordinum, grata mente recolentium memoriam beneficiorum patris Hunniadis, quam Ladiſlaus rex, ceu miniſter odij, & ſæuitię alienæ, intempeſtiua crudelitate in altero filio obruerat. Etſi autem ſingulari clementia, & protectionis diuinę exemplo, ac Boiebracij iuſtitia, ac prudentia, quæ laude digna eſt, ad regnum, Matthias eſt ſeruatus, tamen hic non viciſſim, quam debuit gratiam, benefactori reddidit, cùm ſe ad arma Boiebracio inferenda Pontificum furiis impelli paſſus eſt, etſi, vt non neceſsaria, nec iuſta, ſic infelicia illa fuerunt, & reip. Chriſtianæ noxia. De Matthia verò, & Imperio Occidentis, infra plura. Nunc de rebus Turcicis pauca ſubiiciemus.

DE

DE TVRCICIS REBVS, QVIBVS MISCENtur Scythicæ ſeu Tartaricæ, Perſicæ & Ægyptiæ.

BAIAZETES PRIMVS, ET Tamerlanes Scytha.

QVibus occaſionibus, initiis & progreſſibus extulerit ſeſe rurſus potentia Turcorum in Aſia, cùm eſſet oppreſſa à Scythis Tartaris, atque inde quomodo ſeſe in Europam effuderit, ſupra oſtenſum eſt. Erat autem iam tum valida potentia, in Europa, Turcorum, quando poſt Amurathis cędem Baiazetes filius, ſummam rerum occupauit, regnum auſpicatus à cæde fratris, vt ſolutus metu æmuli, animo liberiore vrgeret propagationem Imperij aduerſus Chriſtianos.

Relicta Pruſia, Bithynię vrbe, ſedem Imperij fixit Adrianopoli, quæ loco opportuniore eſt ad magnum Imperium, & ad coniũgendas cum Aſia vires Europæ. Inde mox cum infeſto exercitu profectus in Myſos, Triballóſque, ſecundum Iſtrum ad mare Ponticum extenſos, quos Bulgaros, Seruióſque à nouis colonis nominamus, occurrentẽ Marcum Deſpotam, cum vniuerſa Bulgarorum, & Seruiorum nobilitate, deleuit, totáque ea ditione ſubacta, hinc in extremam Illyrici regionem, quæ pars eſt regni Boſnæ, & interiorem Macedoniæ, atque Epiri partem, quæ Albania eſt, adeóque ad ipſam Vngariam vſque, terribilibus excurſionibus populabundus, nemine reſiſtente penetrauit, & impune receſſit, onuſtus ingentibus ſpoliis. Abegit enim ex his regionibus, innumerabilem captiuorum multitudinem in Thraciam, præter auri, argentíque vim, & res precioſas, circiter annum Chriſti milleſimum trecenteſimum, ſeptuageſimum ſextum. Anno, ante mortem Caroli quarti, penultimo.

Nec multo poſt, peruaſtata Theſſalia, Thraciáque, ad Boſphorum vſque, & deletis Byzantinorum ſuburbanis, vrbi caſtra admouit, cum tanto Græcorum metu, vt Iohannes Palæologus Imperator, diffiſus rebus ſuis, ad imploranda Europæa auxilia, in Galliam vſque nauigare, cogeretur.

Galliæ regnum, vt dixi, adminiſtrabat tum temporis

Carolus ſextus. Is cum periculi magnitudinem intelligeret, Iohannem comitem Niuernenſem, patruelem, qui poſtea Burgundiæ Principatum conſequutus eſt, cum equitatu exquiſito in Pannoniam miſit, vt Sigiſmundo regi, in communes hoſtes arma paranti, iungeretur. Comitati ſunt Iohannem præcipui Germaniæ & Galliæ Principes, atque ad Sigiſmundum delati, arrepto itinere, per Seruiam, coniunctiſque copiis poſt leuiculas aliquot in itinere victorias adeptas, Nicopolin peruenerunt. Eius vrbis oppugnatio infeliciter tentata, ſpatium dedit Baiazeti ad cogendas copias, qui ſua celeritate vſus, cum ſexaginta equitum millibus, ad tertium Calend. Octobris noſtris ſeſe obiecit. Ibi quo euentu pugnatum ſit, ſupra in Sigiſmundo expoſitum eſt.

Victor Iohannem cum captiuis quinque (reliquos enim in horum conſpectu omnes, in fruſta concidi iuſſit) Pruſiam deduci, ibíque cuſtodiri præcepit. Sed redemtis ducentorum millium aureorum precio, reditum conceſſit, pecuniā Iacobo Mytilenarum Principe ſoluente. Reuerſus domum Iohannes in memoriam captiuitatis, familiā militarē inſtituit, certis inter ſe legibus, & officiis deuinctam, cuius qui ſocij ſunt, pro ſymbolo geſtant torquem aureum concatenatum non annulis rotundis, ſed anguloſis nexibus, formatis ad eam ſpeciem, quę ferramenti eſt quo ignis ex ſilicibus, excutitur: ſed tranſuerſo poſitu inter ſe coaptatis, vt figuram crucis S. Andreæ exprimāt, ſilicéque annexa, & ſubtus aurei velleris effigie dependente, ſcilicet, quod iis in locis exulaſſet, in quibus fama doceat, aureum vellus ab Iaſone quæſitum, & S. Andream, Petri fratrē cōcionatum eſſe, & quod ante id bellum ab Aſtrologo alludente, ad inſignia ferri excuſſorij cum ſilice, prædictū meminerat, Turcarum fore victorem Principem, qui ignem in pectore geſtaret. Incidit autem hic conflictus in profeſtū diui Micaëlis, anni milleſimi, trecēteſimi, nonageſimi quinti. Gallici Scriptores tradunt, ordinem aurei velleris inſtitutum eſſe à Philippo bono, Iohannis filio, ſymbolum vero aurei velleris, ideo ab eo aſſumptum eſſe, quod pręcipua vectigalia haberet ex lanificio.

Baiazetes à victoria, ad obſidionem Conſtantinopolitanam reuerſus, penè non dubia ſpe expugnandæ vrbis, ſuburbia omnia, dirutis ædificiis, euaſtauit. Nec reſiſtere diutius tam feroci, & valido hoſti, attritæ Gręcorum vires potuiſſent, niſi interpellata obſidione, in Aſiam eum procul abſtra-

abſtraxiſſet Tamerlanes Scytha, cùm centum myriadibus equitum,& peditum torrentis inſtar è Scythia effuſus, eodem itinere,quo Hielon,& Alabaga,Chriſtianis, de Hieroſolymitano regno,cum Ægyptiis certãtibus, cẽtum ferme annis ante aduentum Tábernalis in Syriam penetrarũt. Hũc Tamberlanem,quem Græci Scriptores,Temyren nominant,tradunt Samarcandę vrbis,quę metropolis eſt Zagataiorum Tartarorum ad Iaxartem amnem,Sogdianę regioni finitimum,infimæ ſortis ciuem fuiſſe,& ex humili loco,belli ſucceſſibus, ad ſummũ Imperium aſcendiſſe, finitimis Sogdianis,Aracoſiis,Bactrianis & Hircanis, quos vno nomine omnes hodie,Tartaros Zagataios, nominant, edomitis ac ſubactis ad Perſiam vſque.Nec de origine plura addam.

Bellum cum Baiazete quo euentu geſſerit, paucis referã. In aditu Aſiæ anterioris, aliquot Armeniæ vrbibus captis, & Sultania Perſarum olim regia,quæ veteribus eſt Tigranocerta,direpta atque incenſa,dextrorſum iter flexit , Euphratéque ad Arſengam ſuperato , in Cappadociam tranſiit. Ibi expugnata Sebaſtia, quæ hodie Suias appellatur, Orthobulẽ,Baiazetis filium, cepit,& paulo poſt interemit. In captiuos ſæuitiam exercuit tantam, vt omnem promiſcuè multitudinem,quam affirmant penè numerum duodecim myriadum æquaſſe,equis conculcandam obiecerit. Ibidem moranti obuiam factus Baiazetes, cum ingentibus copiis caſtrametatus eſt ad Stellam montem,Pompeij Magni de Mithridate victoria celebrem,cui ab Antitauri radicibus exporrecta planicies ampla ſubiacet, campis ad acies commodè ſtruendas, ac diſponendas vndique latè patentibus,qui Turcarum lingua Caſſonaſi,id eſt,anſerum cãpi nominantur,inde,quod id genus volucrum,ſtatis anni tẽporibus,eò cõueniat,vt totis agminibus in Europam commigret.

Dimicatum eſt inter hos anno Chriſti milleſimo, treceteſimo,nonageſimo ſeptimo,ſecundo poſt Nicopolitanam cladem anno,eo exitu,vt circiter centum quadraginta millia hominum ceciderint,& Baiazetes equo plurimis ſagittis cõfixo,captus,atque ad Tamberlanem perductus, miſerabile fortunæ ludentis ſpectaculum toti Aſiæ præbuerit.Nam catenis vinctus aureis, ínque cauea ferrea cãcellata per Aſiã circũductus,& paſſim oſtentatus,victori equum aſcendenti dorſo ſubdito ſcabelli vſum præſtitit, exemplo fortaſſis Saporis, Perſarum regis , qui Valerianum

Romanum Imperatorem, ſimilibus iniuriis inſolenter exagitatum, ad mortem adegit. Sed & inter conuiuandum acerbiſſimè inſultantem, exprobrantémque venationis ſtudium barbarico, truculentóque faſtu, aſſidue audiuit, & coniugem Lazari, Deſpotæ filiam, quam vnice dilexerat, pocillatricis loco ad menſam famulātem ſpectauit. Aiunt Tamerlanem cuidam pro Baiazete deprecanti, & claritatem nominis ex tot præclaris victoriis commemoranti, reſpondiſſe, ſe non regem rebus geſtis, aut nobilitate clarum, ſed hominem improbum, & nefarium, fratris natu maioris particidam punire.

Poſt victoriam Tamerlanes Taurum montem traſgreſſus in Meſopotamiam, peruaſit, tanto iſſato incolis terrore, vt ad maris Syriaci oram vſque ſigna protulerit, & Sultani Memphitici copias non procul à Peluſio, per duces ſuos profligarit, nulla nec in Meſopotamia, nec in Comagena, nec in Syria ciuitate impetum eius ſuſtinente, Damaſco excepto, quam tamen vi tandem cepit. Prætoriis vſum ferunt in conſpectu vrbium, primo die cādidis, altero rubentibus, tertio atris. Horum colorum candidus mox dedentibus ſeſe clementiam, ruber cunctabūdis gladiū, ater repugnantibus flammam & cineres denunciauit. Ad Ægyptum, arenoſis ſolitudinibus detentus, victoriis ſuis finem impoſuit, cumque exercitum ſæua peſtilentia depopularetur, diues ſpoliis rediit Sarmacandam, vbi fato functus eſt, anno milleſimo, quadringēteſimo, ſecūdo. Arſit ante mortem eius ingens, & liuidus Cometa, ille ipſe, cuius, paulo ante facta eſt mentio.

Baiazeti finē miſeriarum mors attulit, altero à captiuitate anno, cùm bella Turcica adminiſtraſſet annos viginti ſex. Præter ingentem & expeditam vim conſilij, & animi ad res gerendas, commendatur in eo incredibilis in negociis omnibus celeritas, propter quam Turcica lingua Hildrin, Græca λαίλαπα, id eſt, Cœli fulgur, eum cognominarunt, vt Tamerlanem, Temir Cuthlum, quę vox Tartaris, fortunatum ferrum, ſignificat.

Ex conflictu, cum Baiazete ad Angorium, quod oppidum ex veteris Ancyræ ruderibus ſupereſt, filij eius aliquot euaſerunt, de quibus alij alia ſcripſerunt. Plures recenſentur in Græcis hiſtoriis Ieſus, qui & Ioſua natu maximus, Mulſumanes, Moſes, Mahometes, quē Cyriſcelebē & Cyrum & Celebinum noſtri vocant, Ieſus iunior, Muſtaphus, Hali.

Ioſua

Ioſua, procerum, & copiarum, quæ ſuperfuerunt, conſenſu,principatum adeptus, à Mulſumane fratre,quem adiuuerunt Græci,acie victus, quarto, à clade patris,anno, regnum,& vitam perdidit.

Idem Mulſumanes dimicauit, cum altero fratre Moſe, quem, Tamerlanes, cum patre captum,dimiſerat,& vicit eum,auxiliis Iſmaëlis,principis Synopę,ex vetuſtis Turcorum familiis. Sed tandem,propter ignauiam,& voluptuariam vitam, Imperio excidit, traditus ab exercitu, fratri Moyſi, qui eum necauit, circiter annum Chriſti, milleſimum,quadringenteſimum,duodecimum.

Contra Moyſen, duxit exercitum Mahometes,adiutus opibus Caramanni è Cilicia. Hic exercitum, infenſum Moyſi, propter tyrannidem, & truculentiam, cùm ad ſe pellexiſſet, deſerto illi à ſuis, captóque guttur chorda arcus eliſit,vſitato, genti barbaricæ,ſupplicio. Idem & Muſtaphã ambientem Imperium,ac Turcos ſollicitantem ad defectionem, tandémque deſperatione concedentem ad Græcos, his eum dedentibus, non ſupplicio quidem affecit,ſed ad perpetuos condemnauit carceres.

Ieſum minorem, baptiſmo Chriſtianis ſacris initiatum Byzãtij,paulò poſt è vita exceſſiſſe tradunt. Hæc hoc modo referuntur à Græcis, à quibus cæterorum narrationes, paululum diſcrepant. Solus ergo ſuperfuit,ſeu Mahometes,ſeu Celebinus.

Caſus Baiazetis, & diſcordiæ prælianti inter ſe ab illius interitu filiorum, cùm attuliſſent Chriſtianis ad excindendam gentem Turcicam, occaſiones ſummas, & optatiſſimas, quid fecerint, proh dolor, euentus oſtendit. Sed fatales pœnæ vrſerunt orbem Chriſtianum.

CELEBINVS BAIAZETIS filius.

NArrationes Gręcorũ,de filiis Baiazetis, diuerſæ ſunt, à noſtrorum hominum ſcriptis. Hi enim duos ei tribuunt,Celebinum & Muſtapham, hóſque ex prælio Tamerlanis,præcipiti fuga,ad Helleſpontum delatos,à Byzãtinorum Mioparonibus, interceptos eſſe,memorant: ſed ea ſorte,vt Muſtapha,à Palæologo Imperatore,ſit in carcere aſſeruatus ad mortẽ vſque: Celebinus vel aſtu ſuo,vel, quod veriſimilius eſt,Græcorum nautarum auaritia,adiutus, quod fato vocaretur ad Imperium, feliciter euaſerit Hadrianopolin,vbi veteranis,qui in Europa ſupererãt, vndique ex præſidiis deductis, receptuſque,qui è Scytharum

manibus elapſi,in Europam traiecerāt ad Seſtum,& Abydum, quæ loca caſtellis vtrique littori impoſitis,præſidio firmiſſimo à Turcis tenebantur, cito copias cōtraxerit tātas,vt tumultuario progreſſu,inualidas vicinorum Bulgarorum,Seruiorum,& Macedonum vires,facilè repreſſerit.

De nomine,etiam hoc,noſtri monent,Celebinum hūc, Mahometen,Luſtrico die,appellatum:in quo cum Græcis conſentiunt,alterum nomen inde tuliſſe,quod impuberes regum,procerúmque filios, Turci, Celebinos, ſua lingua, vocitent Sed & nomina apud noſtros variant. Cynum enim,& Celebinum,& Cyricelibem eum appellant.

Græcis, Celebini nomen ignotum eſt. Mahometen illi memorant,qui poſt mortem patris,Pruſiæ,apud priuatum quēdam hominem,latuerit, & datis occaſionibus,ad Alurium Caramannum,Ciliciæ principem, confugerit,atque huius,& aliorum Aſiæ , atque Europæ principum ope,fratribus regnum eripuerit.

De rebus,ab hoc, in Aſia geſtis,noſtri nihil commemorant,vt de Europæis , nihil Græci , excepto bello Veneto, quod de ea regione motum fuit,quę ſpectat mare Ionium. Hi enim tradunt Mahometen,amicitia iuncta,cum Emanuele Byzantio , bellum in Aſiam tranſtuliſſe, aduerſus Iſmaëlem, Synopæ principem, qui Moyſen fratrē inſtruxerat, & huic,bello fracto,ademiſſe prouentus annuos,quos ex venis metallicis illorum locorum , habuit vberrimos. De Veneto bello , narrant, Mahometen deuictū eſſe à Petro Lauretano Veneto apud Callipolin,& claſſe munitiſſima ſpoliatum eſſe , cum multa Turcorum clade:Emanuelem Palæologum verò, interea Iſthmium,vt olim Peloponeſij,Xerxis tēpore , fecerant,ne pateret ea parte irruptionibus Turcorum, muro cinxiſſe,quem hexamilum nominarūt,eo,quod in iis anguſtiis , quæ Ægeū mare,Ioniúmque diſterminent,inter ſinus duos, Corinthiacum,& Megaricum , in ſex milliarium ſpatium, fuerit porrectus,ac Peloponneſum totam (hodie Moream vocant) ita incluſerit, vt eam velut inſulam effecerit. Perfoſſionem enim Iſthmi , antea , à Demetrio rege , Iulio Cæſare,Nerone,& Herode Attico,aliquoties fruſtra cœptam,tentare denuo, irrito conatu,noluit.

Noſtri,eum,perhibent, ignauia,& cūctatione principū Europæ,diſſidiiſque inter ſe Græcorum,ac vicinorum cōfirmatum,Bulgaros,Seruios ac Macedones diu vexaſſe,vſque ad Sigiſmundi,regis Vngariæ, aduentum.Nondum enim

nim

nim ad Imperium peruenerat. Hunc enim, quod arripiendam cenſeret occaſionem, quam Scytharũ victoria ad nomen Ottomannicum nõ ex Europa ſolùm: ſed & Aſia vniuerſa pellendum delendúmque aperuerat, & vt cladem Nicopolitanam vlciſceretur, excitis ſtudio tuendę, propagandæque religionis, Vngaris & Boëmis, valida magis, quàm felicia arma in Celebinum ſuſcepiſſe, certò conſtat. Concurriſſe eos infeſtis armis, ad Columbacium, Seruianorum oppidum, iuxta Samandriam, non procul à ripis Iſtri, ſupra dixi. In ea pugna, quam anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo nono, proximo ſcilicet ante Sigiſmundi Imperium anno, commiſſam eſſe retuli, **Chriſtiana** acies, equitatu impar, ſed peditatu, qui in medio conſtitutus erat, ſuperior, iniquiſſima ratione cum barbaris congreſſa, cecidit, peditatu omni, poſt equites Hungaros, & Boëmos loco depulſos, circumfuſi equitatus Turcici ſagittis confixo.

Græci huic Mahometi tribuunt annos duodecim, quibus, ſi iungantur reliqui, à captiuitate Baiazetis, quibus inter ſeſe filij decertarunt, efficientur anni ſeptemdecim, quos vſitatè, noſtræ hiſtoriæ, Celebino adſcribunt: ſed de numero annorum, valde diſſentiunt plerique Scriptores.

MAHOMETES PRIMVS.

QVæ poſt captum Baiazetẽ, de rebus Turcicis, memoriæ prodita ſunt, cõfuſiſſimè narrantur. Græci enim, vt nullius Celebini meminerunt, ſic plures, vt monui, recenſent Baiazetis filios, qui inter ſe, euentu belli vario, de ſucceſſione in Imperio, certarunt eouſque, donec ad vnum Mahometen ſumma rerum fuit redacta.

Noſtri & de Baiazetis filiis, & de ſucceſſione inter ſe eorũdem diſſident: alij tribuunt Baiazeti, filios duos, Orchanem cognomento Calepinum, ſeu Celebinũ, & Mahometen, qui, fratre intra biennium obtrũcato, regnum occupauit, & huius Mahometis filium faciunt Amurathen ſecundum. Alij plures Baiazeti adſcribũt filios, ſed etiam ratione & commemoratione diuerſa. Alij rurſus duos tantùm, vt dixi, Celebinũ & Muſtapham, & viciſſim Celebino filios tribuunt, Orchanem & Mahometen primum, de quibus hoc commendarunt poſteritati, Orchanem adhuc paruulum, auxilio ducum quorundam Imperium aſſumere annitentem, à Moſe patruo interfectum eſſe. Sed Moſen, rapto principatu non diu potitum, rurſus pœnas dediſse parricidij Mahometi Orchanis fratri. Apud Græcos Orchanis mentio nulla eſt.

In hac tãta varietate, & diſcrepantia opinionum, mihi rectius videtur ſequi Græcos, & Mahometem hunc, quem primum aliqui ſtatuũt, facere filiũ Baiazetis, ſiue idem ſit, qui Celebinus, ſiue alius, qui, cæteris fratribus ſublatis, ad vnum Muſtapham vſque, ſolus dominatu potitus eſt.

Walachos aſperrimo bello attriuit, & profectus in Aſiam cùm recepit loca, à Tamerlane, occupata, tùm verò plurimos Turcicæ nationis principes in Galacia, Ponto, Cappadocia, Cilicia, partim pulſos fũditùs extirpauit, partim compeſcuit. Sedem Imperij habuit Adrianopoli, quæ Thraciæ caput eſt, & conflixit cum Sigiſmundo in campis Columbacenis. Nam ad Mahometem, quàm Celebinum, hæc verius congruere, non Græcæ hiſtoriæ tantùm, ſed ipſa tempora oſtendunt.

Mortuum tradunt, anno Chriſti, milleſimo, quadringẽteſimo, decimo nono, cum rebus Turcicis præfuiſſet annos quatuordecim, qui numerus, ab annotatis, tãtùm differt biennio. Cæteri, qui annos decem, & ſeptem tribuunt Mahometi, eam ſequuntur rationem, quam proximè, in Celebino, explicaui. Quæ verò anteceſſerunt, huius Mahometis Imperium, dimicationes, inter ſe, inteſtinæ, filiorum Baiazetis, quas ſupra recitaui, de his rectius, perſpicuis Græcorum, quam confuſis, ac diſſonis noſtrorum narrationibus credimus. Etſi autem vtilius fuerat, & commodius, ſeriem à Græcis traditam ponere, in qua minus eſt obſcuritatis, aut perplexitatis, tamen vſitatum, noſtris Scriptoribus, ordinem, ſeruare, & rationem diuerſitatis oſtendere volui.

AMVRATHES SECVNDVS.

FRanciſcus Philelphus, Amurathẽ ſecundùm Celebino, Laonicus Chalcõdyles Mahomete patre natum, refert. Hic, cùm primum adiiſſet Imperiũ, in eam ſe curam totum contulit, vt clade aui, bellóque inteſtino filiorum inclinati, ſed audaci conatu, ſucceſſuque patris erecti, iterum ac nonnihil confirmati, Imperij fines longè, latéque proferret, & Chriſtianos regulos, aſſiduis bellis vrgendo, inde ſummoueret, penitúſque deleret.

Id eius conſilum cùm animaduertiſſent Byzantini, quibus cum Mahometes pacẽ coluerat, Muſtapham patruum eius, è cuſtodia dimiſſum (Aſſeruabatur enim is tũ in Lẽno non admodum arcta à Græcis cuſtodia, in quorũ manus inciderat, lapſus è carcere fratris) dimiſſum illum ergo, quantis potuerunt auxiliis, inſtruxerunt contra Amurathen,

rathen,cum quo parum proſperè congreſſus, deſerentibus Turcis, qui ad eum ab Amurathe tranſierunt deuenit viuus in poteſtatem hoſtis, cui moti belli pœnas exoluit, ſupplicio gutturis chorda ex arcu eliſa fracti,tertio,à moto bello,anno.

Aduerſitate fortunæ,territi Græci,ſupplices pacem petiuerunt,qua non impetrata,acceſſiuerunt Muſtapham,Amurathis fratrem, annum agentem tertium decimum,& tunc apud Caramãnum Cilicem exulantem,ſub cura Alibæi Baſſæ, cui filium impuberem,Mahometes moriens, commendarat. Hic,armatus à Græcis,Niceam Bithyniæ vrbem cepit. Sed in ea oppreſſus ab Amurathe,proditione ſui curatoris, ſimili,quo alter Muſtapha, ſupplicio,vitam perdidit.

Sublatis,ad hunc modum,Imperij æmulis,Amurathes, vim belli omnẽ, conuertit in Græcos, à quibus incitatos, & adiutos eſſe æmulos ſuos, norat, & peragrata Thracia, acceptíſque in deditionem vrbibus,quæ Byzantino Imperatori reliquæ erant, mox Theſſalonicam, quæ tunc in fide,& poteſtate Venetorum erat, vrbẽ antiquitate, amplitudine, pulchritudine, amœnitate loci, religione,artibus, & ſtudiis,opibus,ſitus opportunitate,terra,mariq; ad ſinũ Thermacium,in extrema Macedoniæ ora, frequentia populi,ciuium dignitatẽ, inſignem maximè,vi expugnatam, & captã,penitus diripuit, móxque inde Tomaro, & Pindo montibus tranſcenſis continuo victoriæ curſu, Phocidem cum Attica,Bœotiam,Ætoliam,Acarnaniã,& omnẽ, citra Peloponneſum, regionem, vſque ad ſinum Corinthiacum,incredibili celeritate perdomuit.

In Epiro & ea parte Macedoniæ, quæ ad Adriaticum vergit,Albaniæ nomine hodie celebris,eo tempore regnabat Iohãnes Caſtriotus. Hic,vt vim belli Turcici,quam ſe non poſſe ſuſtinere proſpiciebat, eluderet, his legibus ab Amurathe pacem impetrauit, vt cederet Croia oppido non ignobili, & obſides daret filios tres, Conſtantinum, Repoſium & Georgium, inter quos Georgius cum indole regia animi, & forma corporis emineret, neque obſcura ſummi futuri ducis indicia, vultu,geſtúque corporis præberet, tantam apud Amurathen iniit gratiam, vt eum in aula regia liberaliter educari,inſtruíque literis,& moribus Turcicis,ad Mahometanæ legis diſciplinam curauerit, & propter ingenij præſtantis, atque expediti conſilij vigorem,qui in certaminibus ludicris conſpiciebatur, mirám-

que vim corporis proceri,atq; robuſti,quo ſuperabat cunctos æquales,Scanderbeium,id eſt,Alexandrum Magnum, cognominarit,& propemodum ante ętatem militarem in Aſiam, aduerſus Caramannum Cilicem, miſerit, quo bello cum aliis rebus fortiter geſtis,tum deuictis, atque proſtratis duobus,ex hoſtili exercitu, prouocatorib. ſingulari certamine, vno Scytha pedeſtri, altero Perſa equeſtri, eam conſequutus eſt celebritatem, vt deinceps bellica laude,& ſingulari Amurathis gratia,facile cæteros vicerit.

Hac fretus deinceps,mortuo patre, petiuit ſibi ditionem paterni Imperij concedi. Petitioni, etſi annueret Amurathes,tamen,cùm rem aſtutè duceret, Georgius, ſe ludificari ſentiens,dedit operam, vt perfidum hoſtem, falleret viciſſim,cúmque inſigni calliditate,ſolertiáque,in Epirum euaſiſſet,& per adulterinas literas,Croiam, ſpontanea deditione,reliquos Epiri, & Macedoniæ populos recepiſſet, coactis copiis non magnis, ſed ſumma voluntate militantibus,fines ſui Imperij,ita tutatus eſt, vt per multos annos Amurathis,& Mahometis, penè inuictos exercitus, profligarit. Sed ad Amurathē redeo Hic Epiro his conditionibus,quibus dixi,in ſuam poteſtatem redacta,Illyride deinceps,Albania,& Boſna peruaſtatis partim, partim ſubactis in Bulgaros mouit,Walachos,& Seruios, ſpe occupandæ Pannoniæ.

Georgium Deſpotam Seruiæ in ſuperiorum Myſorum & Triballorum veterum ſede pacem ſuppliciter rogantem, & filiæ nuptias vltro promittentem,cùm his potitus eſſet, mox, rupta pace,bello adortus, regno expulit, ademptis ei vrbibus Scopia, Nouomonte,Sophia,captiſque duobus eius filiis, quos barbara crudelitate admota pupillæ candenti ænea pelui,oculorum vſu priuauit. Georgius in Vngariam profugit ad Albertum Auſtriacum: qui exercitum oppoſiturus,in ipſo belli apparatu,vt dixi, dyſenteria extinctus eſt.

Seruia potitus, cùm Vngaria,euocato Ladiſlao Polono, poſt Alberti mortem, arderet inteſtinis diſcordiis,tentauit oppugnationem Belgradi,ſed infeliciter. Multis enim ſuorū amiſſis,cùm inſuper exercitus laboraret fame,& minitaretur defectionē,recipere ſeſe coactus eſt,re infecta.

Interea Iohannes Hunniades duos Baſſas Amurathis, quorū alter vicina Belgrado loca depopulabatur, ac deuaſtabat,alter aſſiduas maximéque incolis funeſtas incurſiones faciebat in ipſam Tranſſiluaniā,multis pręliis deuictos

fudit,

ſudit,fugauit,cecidit,Seruiæ bonã partem recepit,Moldauiam totam. Hoc Hũniadis ſucceſſu,irritatus Amurathes, bellũ Pannonicũ totis viribus vrgere cœpit,ac perſequi. Id quo euentu geſtũ ſit, ſupra in Alberti Auſtriaci, & cladis Varnenſis hiſtoria cõmemoraui. Hoc bello primùm iniquiore fortuna vſus,pacis leges à Ladiſlao accepit, Georgio Seruiæ deſpota reſtituto, & in Caramannũ arma mouit. Inde euocatus in Europam noua Ladiſlai regis expeditione,qui,violatis decennalibus induciis,impulſu Iuliani Cardinalis abſẽte Amurathe, prouincias Europæas inuaſerat,caſtra ad Varnam poſuit, cõmiſſoque prælio,& rege trucidato,exercitu fuſo,detrimentum rebus Chriſtianis ſummum attulit.Tempus pugnæ ſuprà annotaui. Dimicatum eſt enim anno milleſimo,quadringẽteſimo,quarto, pridie eius diei,qui Diui Martini memoria celebris eſt.

Tantæ victoriæ proſperitate elatus,vt Græcos vlciſceretur, à quibus accitum animatúmque eſſe Ladiſlaum cognorat,rectà Peloponneſum petiit, effractóque ad ſinum Corinthiacum hexamili muro, Conſtantinopolitani Imperatoris fratrem, qui ea loca tuebatur, cum omni Græcorum exercitu repentina clade obruit. Murum refecit Conſtantinus Palæologus Imperator, ſed mox iterum mandato Amurathis diruit. Secundò dirutum inſtaurarunt Veneti, vt dicetur.

Muro expugnato, Amurathes ingreſſus in Peloponneſum agmine bipartito(vnum enim ipſe,alterum Turachanes Theſſaliæ præfectus duxit)captis,direptíſque aliquot oppidis,vt Sycione,quæ Baſilica hodie dicitur, & Patris in Achaia,reliquam bellum deprecantem tributariam fecit,& exercitum reduxit in hyberna.

Anno ſequenti bellum Epiroticum cœpiſſe Græci referunt,quod à Georgio Caſtrioto Scanderbeio, Amurathis alumno,geſtum eſt,qui cum inſigni aſtu regnum paternũ Amurathi abſtuliſſet, in hoc defendendo occupatus, ſeptem Ottomannici nominis experientiſſimos reì bellicæ duces è purpuratorum Baſſarum ordine, miſſos cum inſtructiſſimis,& exercitatiſſimis veteranorum militum copiis ad ſe opprimendum,acie deuicit,caſtris exuit, & tota Epiro depulit, tandémque Amurathen ipſum cum ingentibus copiis,& mirifico,tormentorum bellicorum apparatu, tentantem oppugnationem Croiæ vrbis, detrimentis maximis affectum coëgit obſidionem ſoluere.

Poſt hunc infelicem conatum,aiunt Amurathen ex vo-

to, quod in prælio Varnenſi fecerat, ſi vinceret, faſtidita Imperij proferendi cura, ac religione ſimulata, ita ſe regno abdicaſſe, vt gubernaculis rerum Hali purpurato Mahometis filij nutritio commendatis, ipſe ſeſe in nemoroſum Bithyniæ ſpecum, cum paucis ſacerdotibus, ad rerum cœleſtium contemplationem abdiderit.

Sed citò cum è vita ſolitaria ad arma, & certamina noua retraxerunt Hunniades, & Scanderbeius, quorum ille vt damna clade Varnenſi Chriſtiano orbi, & regno Vngariæ illata vindicaret, maiores quàm antea armarat copias ex Vngaris, Boëmis, & Germanis: Hic digreſſum ab obſidione proſequutus Macedoniam omnem ſubegerat, & ſuos Boſnenſibus, Raſciis, Illyricis deſpotas reddiderat, eiectis præſidiis Turcicis, quæ Illyricum & Iſtriam ad Euganeos vſq; depopulata erant magna cum trepidatione Venetorum.

Etſi autem Hunniadis conſilio, perfidus vicinus Georgius Deſpota Seruię beneficiorum perceptorum, præſtitęque ab Vngaris defenſionis immemor, hoſti prodidit, quo factum, vt bis ille infeliciter pugnarit cum Amurathe, ſeruatus eſt tamen diuinitùs, vt ex duorum Turcorum manibus, cum non agnoſceretur, ſeſe eriperet, altero iugulato, altero in fugam coniecto, & cùm ab eodem Georgio interceptus eſſet, repoſcentibus Vngaris redderetur. Quæ res cauſam nouo bello aduerſus Georgium præbuit, in quo Hunniades, gratitudinis oſtendendæ cauſſa, penè oppreſſum iam acriter tutatus, Turcicos exercitus fortiter profligauit, & procul à Seruia depulit.

¶ Hanc Græci poſtremam Amurathis, expeditionem fuiſſe memorãt. Incidit autẽ in annũ Chriſti, circiter milleſimũ, quadringenteſimũ octauũ. Alij reuerſũ affirmãt, ad bellum Epiroticũ, opem flagitantibus Purpuratis pro recuperata Macedonia, quam penè totam Scanderbeius ſubiugarat. In ea expeditione, etſi Epirũ omnẽ ſæua populatione ad Adriã vſq; grauiter afflixit, nullũ tamẽ inſigne oppidũ cepit, ſed cum itineribus ab Epirotis intercluſis, in reditu dimicare coactus, iacturam virium ſuarum, inſignẽ feciſſet, iam ſenex ab hoc infelici, & irrito incœpto, vſque adeò acerbum ex metu & animi dolore morbum concepit, vt, è caſtris, Hadrianopolin relatus, pauciſſimis diebus, deliranti, veſanóque ſimilis, vitam reliquerit, cum quartum, & triceſimum regnaſſet annum, vitæ verò ſeptuageſimũ quintum compleuiſſet, ac Mahometem filium, regni hæredem conſtituiſſet, ea lege, ſi perpetuus καὶ ἄσπονδος Chriſtiani nominis

nis hoſtis foret. Græci, apoplexia extinctum, ſcribunt. Interitus eius refertur in annum Chriſti milleſimum, quadringenteſimum, quadrageſimum nonum.

Primus is autem, ex Ottomannis, ordinem militum Prętorianorum exemplo, phalangis Macedonicæ, inſtituit, quorum opera incumbentem hoſtium equitatum, reprimeret, & audentius, oppidorum oppugnationes, aggrederetur. Hoc militum genus, vt in Ægypto Mamalucorum, Chriſtianis parentibus ereptum, delectúmque, cum iudicio, & accuratè exploratum, iiſdem ſacrorum legibus imbuitur, & in iiſdem exercetur belli artibus, quibus Turcos, à prima ſtatim pueritia, erudiri mos eſt. Ianizaros Amurathes, id eſt, vt vocabulum interpretantur nonnulli, nouæ gentis milites, appellabat, educatóſque in aula, & aſcitos in cohortem prætoriam, perpetuos corporis ſui cuſtodes, ſtipatoréſque efficiebat. His pro galea erat, peculiare capitis tegumentum, quod Exarcolam vocant, colore album, ex coacta craſſiore lana, denſatum adeò, vt gladiis ſit impenetrabile. A tergo, latior cauda demiſſa, ceruices muniebat, à fronte ornabatur aureo, vel argenteo cono, qui criſtas ſuſtineret. Sagittis, haſtíſque, & paruis ſecuribus rē gerebant. Sed ætate noſtra, haſtis, arcubúſque abiectis, imitatione noſtrorum, ſclopetis vtũtur. Fuerunt ab initio, in ea phalange, non plus, quàm octo millia, ſed eam poſt ſucceſſores, animaduerſa vi, atque induſtria peditum, duplicato fere, adauxerunt.

Hæc triſtiſſima, omnium ſeruitutum, ſeruitus eſt, quam ſub Turcis, Chriſtiani perferũt. Quid enim poteſt piis mētibus accidere acerbius, quàm ſpectare, vt liberi, iã per baptiſmũ, Chriſto inſerti, & ad æternam, cum Deo, conſuetudinē, ſanguine filij Dei redempti, rurſus ab eo auellantur, & imbuti, blaſphemo Mahometis dogmate, fiant ex profeſſo truces, & immanes hoſtes Chriſti, & Eccleſiæ, & cum cœlo bellum gerant, atque in æternum pereant? Denique, vt noſtrorum, & ex nobis natorum manibus, hoſtes noſtri, hos iugulent, noſtra euertant, ac deleant? Hæc animorum ſeruitus, lõgè maius malum eſt, morte ipſa, quod ſi multi intelligerent, maiore impetu ferrentur, & incumberent, in bella Turcica.

Filios, reliquit Amurathes, tres, Mahometen, ex Deſpotę Seruiæ filia, annum agentem viceſimum; alterum, Turſinem; tertium Calepinum, natum ex Filia Sponderbei, nobilis, in Penderatia, ſatrapæ. Turſinem, agentem menſem

decimum octauum, Moſes Baſsa, iubente, & immotis oculis atrocitatem facinoris inſpectante Mahomete, multa vi aquæ obrutum, ſuffocauit. Hanc immanitatem, cùm pueri mater horribili vlulatu, planctúque deteſtata, tyrannum præſentem, diris deuouiſſet extremis, tyrannus, placaturus nouercam, mox in vltionem parricidij, ei authorem depoſcenti ad ſupplicium, in manus vinctum tradidit, huic ipſa, tyranno aſtante, cor cultro transfixit, & rimata, in diſſecto cadauere, epar, id inde extractum, canibus laniãdum obiecit. Talibus auſpiciis, & ſpectaculis, Turcici Tyranni, Imperia iniuerunt.

Tertium filium Calepinum, ſextum menſem agentem, commendarat Amurathes, Halibaſſæ, magni, apud eum, nominis purpurato, è cuius conſiliis, totus pependit. Ab hoc, proditum puerum, Mahometes ſtrãgulauit. Sunt, qui affirmant, pro Amurathis filio, ſuppoſititium alium tyranno oblatum: genuinum verò Calepinũ, Byzantium tranſlatum, póſtque vrbem captam, ſubtractum, & Venetias primùm, deinde Romã, Calixti Pontificis mandato, fuiſſe deductum, inde, cùm, percepto dogmate Chriſtiano, nomen Chriſtianũ, baptiſmo eſſet profeſſus, in Germaniã, ad Fridericum Imperatorem veniſſe, & apud eum, honorificè habitum, reliquum ætatis, in Auſtria tranſegiſſe.

Reddidit & Halibaſſæ gratiam, Mahometes; nam, non multò poſt, confictis criminibus, atrociter accuſatum, tãquam cum Chriſtianis colluſiſſet, poſt exquiſitos cruciatus corporis, ſtrangulauit. Inhiaſſe theſauris creditur, quos Halibaſſa, immenſos cumularat. Fuit enim in Mahomete auaritia inexplebilis.

MAHOMETES SECVNDVS.

MAhometes ſecundus, maiorum exemplo, adminiſtrationem rerum, à parricidiis auſpicatus, cum Imperium orbis terrarum, ingenti animo, & auſu, ſibi deſpondiſſet, ac deſtinaſſet, adeò intentatum vlla ex parte reliquit nihil, vt inſignibus barbaricæ feritatis, ac ſæuitiæ exemplis, & prodigioſis, immanis audaciæ, ſucceſſibus, cũctos, ante ſe, Ottomannici ſanguinis principes, longè vicerit. A matre, Deſpotæ Seruiæ filia, ad Chriſtiana pręcepta, & mores, cùm eſſet, à teneris, aſſuefactus: mox horum oblitus, ita ſe, ad Mahometis ſacra, contulit, vt neutri religioni addictus, prorſus ἄθεον ageret, nec, niſi vnum, bonæ fortunæ numen agnoſceret, ac coleret, irrideret ſollicitas cogitationes hominum, de prouidentia, credentium Deo,

curæ

cutæ eſſe,res humanas. Diſciplinam militarē,& rem bellicam omnem, ita veteri Græcorum lege,ad pręmia,& pœnas reuocauit, vt plurima emēdarit,in bellica ratione maiorum, addiderit multa,excogitarit artificia noua, conſiciendę,vbi opus eſſet,pecuniæ, & locupletandi ærarij,nouóſque,omnis generis armorum,apparatus.

Primus Ottomannorum naualibus inſtitutis, cum Venetis,de Imperio,decertauit.

Primum bellicorum operum eius, & terribile maximè, fuit Conſtantinopolis, terra, maríque expugnata, & cæſo Conſtantino Palæologo, vt ſupra,in huius mentione,expoſui, antiquiſſimum Orientis Imperium euerſum. Capta eſt autem vrbs, quarto Calendas Iulij, anno quinquageſimo tertio,ſupra milleſimum, quadringenteſimum,die obſidionis,quinquageſima quarta.

Exinde,oppugnationē Belgradi tentauit,tertio poſt captam Conſtantinopolin anno,ſed infeliciter. In ea enim, cùm Hūniadem, neutiquam viribus parem,ſed incredibili ardore,& alacritate ſuorum,vrbem propugnantem,continuis,& maximè cruentis, duorum dierum, præliis,exercuiſſet, ſucceſſu tamen, & fortuna, quàm,ad Byzantium diſpari, accepto in pectore, ſub leua pupilla, vulnere,exanimis cōcidit,ac pro exanimi ex acie, à ſuis elatus,caſtríſque,ab hoſtibus,exutus, amiſſis circiter quadraginta millibus hominum, & machinis bellicis, fuga vitam conſeruauit. Ad huius inſperatæ ſtragis,& fugę tàm turpis,atq; ignominioſę,recordationem,vbi rediiſſet ad ſe,tanta cum indignatione, infremuiſſe dicitur, vt de morte ſibi conſciſcenda,cogitarit.

Obſidionē Belgradi Idibus Iunij, anno milleſimo,quadringenteſimo, quinquageſimo ſexto, inchoatam, & in diem quadrageſimum ſextum, productam, octauo Idus Auguſti,exercitu fuga diſſipato, ipſe quoque fugiens,perinuitus ſoluit.Nec diu poſt hanc victoriam,ſuperſtes fuit Hunniades, vt dixi.

Poſt hāc cladem,omiſſis terreſtribus bellis, claſſe inuaſurus erat,maris Ægei inſulas.Sed,ab hoc eum conſilio,& conatu, auertit Vſumcaſſanes, ex Aſſimbeia Turcica ſtirpe,Cappadociæ,Armeniæ, & vicinarum aliquot regionū, dominus,qui nuper interempto, ſeu Malaonchre,ſeu,vt alij volunt,Demiro, Perſarum rege,ex vetuſta ſtirpe Gempſæ,magni apud Parthos Sultani,regnum abſtulerat. Eo enim ſucceſſu ferox,legatos miſit,ad Mahometen,afferen-

tes dona ampliſſima, deprõpta, è theſauris Perſicis, ad oſtẽtanda victoriæ præmia, qui flagitarent, vbi abſtineret Trapezunte, & Cappadocia, quas ſibi regiones, dotalitio nomine, vendicarat, propter coniugem Deſpinam, Dauidis Comneni filiam. Nuper enim, Amaſiæ præfectus, facta in Cappadociam irruptione, Trapezuntem terruerat.

Barbarus, impatienter ferens, & leges ſibi ferri, & quaſi inſultari, in calamitate recenti, ab inferiore domino, & offenſus, noui regis felicitate, & gloria, belli apparatum omnẽ, terra, maríque in Aſiam, nulla mora interpoſita, tranſtulit, præmiſſáque parte claſſis, in Põtum, & Synopen, verſus Trapezuntem, ipſe cum exercitu, terra ſequutus, incredibili celeritate, Aſia ceu peruolitata, opinione omnium citius, contra Vſumcaſſanem caſtra fixit. Vbi Vſumcaſſanes, bino & vtroque acerrimo, cõflictu, ſemel ad Euphratẽ pugnante, Amurathe Baſſa, Græco homine, olim Imperatoris Conſtantinopolitani conſanguineo, qui in eo prælio occubuit, iterum, Mahomete ipſo pręliante, pro caſtris, Turcicas vires vehementer attriuit, ſed dum tertio, ſummi certaminis fortunam, periclitatur ad Arſengam, multitudine tormentorum, obrutus, infelici exitu, ſuperiores victorias corrupit. Nã cùm exercitus Perſicus, inſolito fragore, diſploſarum bõbardarum, atque violẽtia impetus, turbatus, non conſiſteret, recipere ſeſe Vſumcaſſanes coactus eſt, amiſſo filio Zeimalde, qui globo traiectus, occidit.

Hanc ceſſionẽ, Mahometes, pro victoriæ confeſſione, interpretatus, mox Synopẽ, prouinciæ caput, omnémq; Paphlagoniã ſubegit. Inde Trapezuntẽ, regiam ſedem, terra, maríque infeſtiſſimè oppugnatã, cepit, potitus, & theſauris regiis, & ipſo rege Dauide, filiíſque duobus, & Calo-Iohãne patruele, quos præmiſſos Byzãtium ad triumphum, deinceps crudeliſſimè interemit, exciſa cum his, tota Comnenorum ſtirpe, circiter annum Chriſti milleſimum, quadringenteſimum, quinquageſimũ nonum. Regna illa, cùm redegiſſet in formã prouinciæ, Pyrameto Caramanno, eodẽ victoriæ curſu, debellato, Ciliciam ademit. Inde reuerſus Byzantium, claſſe Lemnũ, & Lesbum, inſulas cepit: Mytilenę vrbe, prope deleta, & tota inſulanorũ multitudine abducta, velut in aliam coloniam. Nicolaum Catalusium, Lesbi principem Genuenſem, immaniter trucidauit.

Terra adortus Draculam, Walachorum principẽ, & ab hoc improuiſo, non magna manu militum, & pari propemodum equitum numero, circumuentus in caſtris, atque con-

concluſus, in tantum venit diſcrimē, vt pereundum fuerit exercitui, niſi maturo conſilio, & ingenti auſu, exitu patefacto, perrupiſſet Mahometes Baſſa, quē Chriſtianis parentibus natum, Triballo patre, & Cōſtantinopolitana matre, ſed ſecum, à pueritia educatum, ſummæ rei, propter induſtriam præfecerat, poſt interemtum Halibaſſam. Magnam tamen partem exercitus, amiſit. Eo refecto, adauctóque ſupplementis, ſuperiorem Myſiam, & Illyricum, aggreſſus, Stephanum, Boſnæ regem, Iaiza vrbe, totóque regno, expulit, & occidit, circiter annum Chriſti, milleſimum, quadringenteſimum, ſexageſimum tertium. Sed Boſnenſe regnum, cũ vrbe paulò poſt Matthias Coruinus, Vngariæ regnum, adeptus, fuſo, fugatóque ingenti exercitu, qui venerat populatum, Sirmienſes agros, & multa alia in vicina Croatia, ac Dalmatia, prios à Turcis occupata, recepit, Mahometémque reuerſum, ad alteram Iaizæ obſidionem, caſtris, atque impedimentis omnibus exutum, expulit.

Ante expeditionem Aſiaticam, Pelopōnenſum ingreſſus, ſuſtulerat principatum Palæologorum, diſſidentibus inter ſe fratribus, Thoma, & Demetrio Palæologis, quorum alter, Demetrius tranſierat ad hoſtem, collocata ei filia, in vxorem, alter, Thomas, rebus perditis, fugerat Romam.

Interea Veneti, qui poſſeſſa ante, in Peloponneſo, hactenus retinuerant, magno ſumtu, & labore reſtituerant hexamili murum ad Iſthmum Corinthiacum, præbētibus materiã, ad accelerandum opus, veteris ſtructuræ ſaxis, Mahometes, ea re cognita, facta improuiſa irruptione, in Peloponneſum, cum octoginta millibus hominum, deuaſtatis initio agris Coroneis, ac Methoneis, Venetos, magna ſtrage, concidit: deinde, reliqua Peloponneſo in deditionē accepta, murum, ex vſu victoriæ, totum demolitus eſt.

Nec multo poſt, Venetos è Lesbo inſula, expulit, cæſis quinq; millibus armatorũ. Recuperarant enim illi, Lesbũ, cum Lemno, ademit iiſdem, & Eubœam inſulam, quam Nigropontē vocant, ponte, admirabili apparatu ſupra Eurypũ conſtructo, expugnatáq; Chalcide, triceſimo obſidionis die, fœda Chriſtianorũ ſtrage, ob præfecti claſſis Venetæ inertiam & timiditatem, qui, quanquam proſperè flãtib. ventis, non tamen fuit auſus pontem, triremibus inuadere. Horribiliter, in ea vrbe, ſæuitum eſt, edicēte tyranno, ne vllus, qui annum viceſimum attigiſſet, ſeruaretur. Irritatum enim, clade ſuorum, fuiſſe conſtat, cùm ſupra quadraginta millia hominum, diuerſis circa muros prælìis, amiſiſſet.

Nondum tamen tot,tantæque res confectæ,inſanæ eius cupiditati, atq; audaciȩ ſatisfecerunt.Maiora cõcepit animo. Immiſſos enim in Dalmatiã, Homarem,& Malcociũ duces,quorũ ille,patre Genuẽſe natus, ardebat Veneti nominis ingenti odio,ad Euganeos vſque,infeſta populatione,penetrare iuſſit,quæ irruptio,Venetis, graue vulnus inflixit,cæſo ad Soncium amnem,Hieronymo Nouello,comite,& primo exercitus duce.Immanium illarum cȩdium, ac deuaſtationum clades,ſenſere tunc & Styriæ,atque Carinthiæ gentes,barbaris finitimæ.

Ipſe verò Mahometes,finitis induciis,quas cum Scanderbeio pepigerat,ad oppugnationem Croiȩ,& Scodrȩ,vrbiũ in Albania rediit,ac vtranque tandem,longa fatigatam obſidione,& multis exhauſtam cladibus, perdomuit, Scodrã dedentibus Venetis,quo tempore, Solimannus Baſſa,Caphã, Boſphorani regni caput,in ipſa Taurica Cherſoneſo Genuenſium coloniam, quæ antiquitùs, Theodoſia fuit, occupauit,& Tartaros Præcopitas,qui eam regionem,oppreſſis Gothis,obſederant,Mahometi tributarios fecit.

Gotticȩ gentis verò,& originis,poſtremos principes fratres qui ſoli reliqui,eouſq; in arce Mancupio, ſeſe conſeruarant,redactos in ſuam poteſtatem,ſecuri percuſſit.Gentis reliquias,hinc inde per Tauricam, vſq; ad Circaſſos diſperſas,tãdem Baiazetes ſubiugauit,circiter annum,octogeſimum quartum,ſupra milleſimum,quadringẽteſimum.

Scanderbeius,patria eiectus,& in Italiam,vbi paulò ante Ferdinãdum,Neapolitanum regẽ,cõtra Andegauenſes fortiter defenderat,Põtificum literis accitus, cùm immodicæ cupiditati,& audaciæ gentis barbaricæ, niſi conſentientis totius Europȩ viribus,reſiſti nõ poſſe,oſtendiſſet,deinceps nihil,priſtina ſua virtute,& laude dignum geſſit.Sed,cùm Lyſſi eſſet,ad Dryllum amnẽ,ac de bellicis rebus,cum prȩfecto Veneto,conſultaret,febre correptus,nõ ita multò poſt è viuis exceſſit, anno ætatis ſuæ, ſexageſimo tertio,anno Chriſti,ſexageſimo ſeptimo,ſupra milleſimum, quadringenteſimum.Moriens,Iohãnem,impuberem filium, commendauit ſenatui Veneto.Hoc fine,vitam exegit Scanderbeius,ingentis animi,ac roboris vir,cui pugnam ingrediẽti,è labris,æſtuantis animi vehementia,fiſſis,ſanguinem erupiſſe,aiunt. Narrant etiam,nunquam eum pugnã detrectaſſe,nunquam terga vertiſſe,nunquam vulneratum eſſe, niſi leui ſagitta in pede, nec hoſtibus plus, quàm ſena equitum,terna peditum millia oppoſuiſſe,& ſua manu, ſu-

pra

pra duo hominum millia, barbarorum præſertim,iugulaſſe,tanto ictuum impetu, vt multos,per medium diſſecuerit tranſuerſim,ad vmbilicum vſque.

Mahometes,liberatus metu Hunniadis, & Scãderbeij,& poſt ſublatos vicinos,Pelopõneſi, Myſię & Illyrici regulos, totius orbis imperio inhians, pacẽ fecit cũ Venetis, his legibus,ſi Scodrã,Tenarum,Laconicę promõtorium, & Lẽnũ dederent illi,& annua penſione,octo aureorũ millium, mercatoribus Venetis nauigationem Ponticam, aperirent.

Ab hac pace mox, vno,eodémque tẽpore,tres expeditiones ſuſcepit.Meſithen,purpuratum è gente Palæologa,miſit ad oppugnandam Rhodum,cum valida claſſe.Acomatẽ Baſſam,cui ab exciſo anteriore dente,Gendico cognomen fuit,iuſſit traiicere in Italiam,ad occupandum , cum vrbe Roma,Imperium Occidentis:ipſe tranſiit in Aſiam. Harũ expeditionum,is fuit euentus,vt Meſithes, poſt multas,& cruentas, ſed irritas Rhodi oppugnationes, claſſem reduxerit,cum dedecore ſummo,& detrimento: Acomates,ab Aulone,in Salentinos tranſuectus, Hydruntum expugnarit,terrorémque Italiæ tantum inuexerit , vt Pontifex,rerum aliarum omnium oblitus,ſed ſui memor, fugã,ex vrbe,adornauit:Mahometes, in Aſiatica profectione , apud Nicomediam,repentino coli dolore correptus, extremum vitæ diem,tridui cruciatu,feſtinata morte, clauſerit: anno ætatis,quinquageſimo tertio,regni,triceſimo ſecundo,anno Chriſti octogeſimo primo,ſupra milleſimum,quadringenteſimum,magno Reipub.Chriſtianæ commodo.Nam præſidia Turcica,quæ tenebant Hydruntum,ab Italis,ope Matthię Coruini obſeſſa,vbi mortem ſui principis cognouiſſent,non expectato reditu Acomatis,qui viginti quinq; millia Turcorum adducebat,inchoatum victoriæ curſum perſequuturus:illa ergo pacta,cum obſidentibus, de vrbis deditione,& ſua incolumitate,Hydruntum reliquerunt.Ita tunc Italia liberata eſt,hoc diſcrimine.

His barbarorum immanibus graſſationibus,Muſę è Gręcia pulſæ abierunt,in exilium,quæſitum nouas ſedes,in Italia,& Gallia,deducentibus eas,multis pręſtantibus viris, quorum opera, cura, labore, ſtudio, reſtitutæ ex Græcis fontibus diſciplinæ , reuixerunt, quæ inde vſque, à prima Italiæ,ſub Gottis facta deuaſtatione, eo vſque iacuerant, ſepultæ profunda barbarie.

Primus Gręcarum literarum ſtudia, in Italia,excitauit Emanuel Chryſolora, ſocer Franciſci Philelphi , Tolenti-

natis, qui à Iohãne Palæologo, ſub Baiazete primo, miſſus in Europã, vt reges adeundo, pereunti Græciæ, maturã opẽ imploraret, perfunctus munere mãdato, in Italia ſubſtitit, ac Venetiis primùm, deinde Florẽtiæ, Romæque, ac demũ Ticini docuit. Extãt Grammaticæ præcepta, ab eo ſcripta. Interiit in Germania, Conſtantienſis Synodi tempore.

Succeſſere huic proximè, Georgius Trapezuntius, auitam patriam cognomine potius, quàm ſuam profeſſus, originẽ enim paternam, è Pontica, celebri vrbe duxit, ipſe in Creta genitus, & Theodorus Gaza, Theſſalonicæ honeſto natus loco, impetúque Amurathis, patria eiectus. Inter hos, æmulatio fuit. Sed Trapezuntiũ Gaza, acumine ingenij, dexteritate iudicij, & linguæ vtriuſque peritia, ſuperauit. Ariſtotelis enim, de animalibus, & Theophraſti, de plantis, libros ita latinos fecit, vt dum ad Græcarum compoſitionum exemplum, horridioris linguæ vocabula, ceu emollita prius, inter ſe aptè, concinnéque iungit, & vim Græcarum vocum, nouis latinis accõmodatè effingit, atq; exprimit, audaci quidẽ, ſed felici admodum tranſlatione, facultatem latinæ linguæ, non mediocriter locupletauit.

Gazæ amicus & ſodalis fuit Iohannes Argyropilus Byzantius, qui à Coſmo Medice Petro filio, & Laurentio nepoti, præceptor datus, primùm Florentiæ, deinde Romæ, Græcos authores enarrauit.

Iohannes Capnio, hunc Romæ, Thucydidem interpretantem audiuit, de quo, ſuo cũ Argyropilo congreſſu, Capnio ſolitus eſt hanc recitare hiſtoriã: Cũ in auditorium veniſſet, ante lectionẽ, more legati, cũ mediocri comitatu, & aſſiderent ibi multi nobiles homines ſenes, Cardinales etiam aliqui, ſalutat Argyropilum reuerenter, deplorat exilium Græcorum, & narrat ſe cupidum eſſe doctrinæ ipſius. Argyropilus interrogat cuius ſit, & an Græcam linguam intelligat. Hic narrat ſe Germanum eſſe, & Græcæ linguæ non omninò rudem. Iubet igitur Argyropilus, eum legere partẽ Thucydidææ concionis, & reddere ſententiam. Legit Capnio clara voce, & addit interpretationem, cumque & ſonus pronunciationis non eſſet agreſtis, & ſentẽtia rectè, & bonis verbis reddita eſſet, animaduertit Argyropilus, non admodum tyronem eſſe, in lingua Græca, & gemens exclamat: Græcia noſtro exilio tranſuolauit Alpes. Didicerat autem Capnio Græcæ linguæ rudimẽta, primùm in Gallia, præceptore Hieronymo Spargiata, Græco, qui ſecundus à Gregorio Typhernate, in ea

regio-

regione literas Græcas, velut à morte, reſuſcitauit. Venerat enim, non multò ante Lutetiam, Gregorius Typhernas, è ſchola Emanuelis Chryſoloræ, & ſuo conſilio ad rectorem accedens, operam Academiæ obtulit, in docenda Græca lingua, ac δίδακτρον decerni ſibi poſtulauit, iuxta decretum, quod extat in iure pontificio. Rector, etſi miratus eſt hominis peregrini audaciam, tamen ad conſilium retulit. Ibi laudata eſt voluntas Typhernatis, & decretum ſtipendium, vt Græcè doceret. Ita tunc Græca lingua, poſt multa ſecula, Lutetiam reducta eſt.

Poſt Argyropilum, ſtudia Græcæ linguæ, in Florentina ſchola, gubernauit Demetrius Chalcondyles, Atticus homo: ſed inde pugnaci, & ſæua ambitione Politiani, eiectus, Mediolanum ſe contulit. Fuere, præter hos, & alij exules Græci, in Italia, homines docti, vt Marcus Muſurus Cretēſis, & qui nobilitate natalium, ac generis ſplendore, cunctos ſuperauit, Iohānes Laſcares, è Laſcarina Imperatoria ſtirpe ortus, quo, Laurentius Medices Florentinus, legato vſus ad Baiazetē ſecundum, impetrauit, vt liceret ei tutò, abditas Græciæ bibliothecas perſcrutari, & conquirere in omnibus artibus, atque diſciplinis, de Eccleſiæ doctrina, & hiſtoriis ſcripta volumina, ínque Italiam trāsferre, de quibus collecta præcipuè, atq; inſtructa eſt Bibliotheca Mediçeorum Florentię. His initiis, renatę ſunt literæ Græcæ, in Italia, quæ mox cùm auidiſſimè expeterentur, & certatim, acerrimo ſtudio, colerentur, proſperrimo ſucceſſu latè ſparſæ, & magnam lucem artibus omnibus, & ad repurgationē doctrinæ Eccleſiaſticæ, ſordibus monaſtici cœni obrutæ, momēti plurimum attulerunt, de quo beneficio, gratiæ debentur ſempiternæ, æterno, miſericordi, & propitio Deo, Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Ieſu Chriſto Filio, qui eſt lumen de lumine, veram lucem rebus tribuens, & Spiritui ſancto diſpenſatori donorum, inter quæ eſt & donum linguarum, atque interpretationum.

BAIAZETES SECVNDVS.

Mahometi ſcribūtur fuiſſe filij tres, quorum maximus natu Muſtapha, qui contra Vſumcaſſanē, ſub paternis ſignis, egregium militiæ ſpecimen ediderat, pulſo Ioſepho Perſico duce, regis Caramanniæ fautore: hic ergo Iconij deceſſit ante patrem, confectus libidinibus, & voluptatibus. Reliqui ergo erāt duo, Baiazetes, & Gemes, qui & Zizimus nominatur, & ex Baiazete nepotes ſex, Sciaēſciacus, Mahometes, Alēſciacus, Achomates, Corchutus,

& Selymus. Ex Geme vnus, cuius nomen nō reperio. Aberant Byzantio filij, cùm Mahometes interiit, in iis prouinciis, quibus conceſſione patris, pręerāt. Baiazetes in Cappadocia, cuius regia ſedes eſt Amaſia: Gemes in Lycaonia, cuius caput eſt Iconium. Cùm autem diſſentirent inter ſe purpurati, & prætoriani, de ſucceſſore, & diſſenſio exarſiſſet in conflictū, ac cædes mutuas, prætoriani milites Baiazeten, abſentē proclamarunt Imperatorem, rē procurantibus, ac conficientibus, Cherſeogle, Græciæ Bellerbeio, & Aga præfecto prætorianorum, qui Baiazetis generi erant.

Nonnulli equeſtris militiæ principes, qui in vrbe erant, vt tumultus præſētes ſedarentur, Corchutum adoleſcentem Baiazetis filium Imperatorem ſalutarunt, attollentibus eum Iſaaco, & Meſithe purpuratis, arcibúſque traditis, atque theſauris, auito in ſolio conſtituerunt, vt ipſi, tutelæ nomine, cuncta Imperij negocia, ex arbitrio adminiſtrarent. His ſe adiunxit Achomates Baſſa, qui nuper Hydruntum expugnarat. Nec Baiazetes pater, è Cappadocia, feſtinatiſſimis itineribus reuerſus, quanquam, ſe iniuſtè fraudatum Imperij iure, quereretur, quicquam precibus, vel lachrymis impetraſſet, niſi & adoleſcens filius ſponte ceſſiſſet, & ipſe, purpuratorum malignitate, alienatas à ſe, rurſus, atque concitatas prætorianorum voluntates, multa largitione, placaſſet.

Etſi autem Gemes, ex Lycaonia propiore prouincia, non minore celeritate, aduolarat in Bithyniam, tamen, Baiazete eum anteuertente, Byzantio excluſus eſt. Quare de ſpe Imperij deiectus, incitantibus eum amicis, fratri, de Imperio, bellum mouit, in quo, ab Ægypti Sultano Caithbeio, & Caramanno adiutus, ſed tribus præliis ſuperatus, ductu Achomatis Baſſę, deſperatione confugit ad Magnum Rhodi magiſtrum, relicta apud Carras matre, & geminis tenellæ ætatis liberis, maſculo, & femella, quos Baiazetes necauit.

Gemem multis depoſcētibus, Romano Pontifice Innocentio quarto, Ludouico vndecimo Galliarum rege, & præcipuè Matthia Vngariæ rege, in certam ſpem victoriæ, contra Baiazeten, milites Rhodij Romano Pontifici cuſtodiendū miſerunt, vbi in Vaticano aſſeruatus & Carolo octauo Franco, per vrbem, ad obſidionem Neapolitanam, cum exercitu, proficiſcenti, ab Alexandro Sexto, cum Valētino Borgia filio, obſes datus, Terracinæ, in itinere, interiit, veneno, per Alexandrum Pontificem, necatus, ne quam Carolus, apud Baiazeten, gratiam iniret, fratre dedito. Sed

Baia-

Baiazetes mox, etiã Achomati Baſſæ, ex Albania oriundo, per quem Imperium, aduerſus fratrem defenſum, conſeruarat, gratiam laqueo reddidit, cùm quòd, fiducia magnarum opum, inſolenter ferocientem, cognouiſſet, mutata voluntate, ſummam rerum rurſus inflectere ad Gemem fratrem, tùm vt theſauris eius potiretur: quod factum eſt, magno cum emolumento, Chriſtiani nominis; cui Achomates erat infenſiſſimus.

Inteſtino bello, hoc modo, Baiazetes liberatus; etſi natura ab armorũ ſtrepitu abhorruit, tranquillitatis amans, ſtudiorum cauſa, quibus apprimè fertur fuiſſe deditus, quam belli amantior; tamen vt tueretur maieſtatem acquiſitæ potentiæ, & more maiorum, proxima in Chriſtianos arma direxit, & tertio anno ſui principatus, Walachiam ſubegit, arcibus duabus Lithoſtomo, ad Iſtri oſtium ſito, & Moncaſtro, ad Boryſthenem flumen, expugnatis.

Exinde bellum in Aſiã, infelici auſpicio, trãſtulit, pœnas ſumturus de Caithbeio Sultano Ægypti, qui Gemem fratrem, hoſpitio exceptum, ſumptu commeatúque, & milite adiuuerat. Pyrametum enim Caramannum, Ciliciæ Tyrannum, nuper præſides Turcici penitùs ſuſtulerant, omni ea regione, quam ille reliquerat, in prouinciæ formam redacta. Huic bello præfecit purpuratos duos, Calibeium, & Cherſeoglen generum.

Caithbeius natione Circaſſus, cõditione ſeruus, à prima pueritia inſtitutus his moribus, atq; artibus, quib. Mamaluci equites certatim incumbebãt; & beneficio Mahometanæ legis, liber factus, ſuffragiis, & commẽdatione rerum proſperè geſtarum, ad Sultani dignitatem conſcenderat. Legebantur enim Mamaluci è venalitio ſeruorum ordine, maximè verò Circaſſiorum, qui Pontum Euxinum, ea parte, incolunt, qua à Colchis, & Iberis ad Boſphorum, cõtra Tauricã Cherſoneſum, extenditur, & Chriſtianæ religionis profeſſione, ritibúſque, cum Hoſchis, & Roxolanis, ac vicinis Græcis, cõſentiũt. Ex his creabantur Sultani, procerum ſuffragiis, quod cœptũ eſt fieri, deleta Saladini poſteritate, vt ſupra oſtẽdimus. Oportuit autẽ Mamalucos omnes Chriſtianis parentib. editos, & baptizatos, ac religione Chriſtiana imbutos eſſe; & hanc, ſi in ordinem Mamalucorum cooptari vellent, execrari prius, atque abiicere.

Caithbeius ergo, hoc tempore, ſummę rerũ præerat, in Ægypto, cũctis ſuffragiis declaratus Sultanus, propter opinionem virtutis, quod Arabum latrocinia, validis armis

vindicanda,& Perſæ, qui irruptiones crebras faciebant in Comagenam,& Syriam, tranſitu Euphratis,deterrendi,& Ottomannorum arma, qui, ex Cilicia, ad Iſſicum ſinum, veteres tranſgredi fines, & aliena tentare auderent, reprimenda eſſe,viderentur.

Tria hîc magna bella,ingẽti animo,ſuſcepit,& pari fortuna,cõfecit.Arabes enim,ſuo more,fuga in vaſtas,& horridas ſolitudines ſeſe abripientes; iuſtis tamẽ cladibus,ad eum modum accidit, vt omnes eorum reguli,híſque permixti Mauri,&Ægyptij,qui regiones inter Nilum,& dextrum latus maris rubri incolunt, accipere Imperium Sultani Memphitici,& tributa pendere,cogerentur.

Perſas,duobus tumultuariis pręliis,fuſos vltra Euphratẽ, in Meſopotamiã reiecit. Turcos in Cilicia,ſemel ad Adenam, iterum ad Tarſum, conſilio duorum Italorum Mamalucorum,fortiter profligauit, captis, ac Memphin perductis ducibus Meſithe Palæologo, & Cherſeogle, qui Cherſechij reguli in Illyrico, ad Nigrum montem, filius, tranſierat ad Turcos, propter iniuriam à patre acceptam. Nam adamatam ei ſponſam, è ſtirpe deſpotæ Seruiæ, & iam in thalamum ducẽdam, impotenti animo,eripuerat. Hac iniuria cõmotus, cõtulerat ſe ad Baiazeten,& abiurata fide Chriſtiana, próq; Stephani, Acomatis,& Cherſeoglis nomine ſuſcepto, nuptias filiæ Baiazetis obtinuerat.

Tharſenſi clade, vix vllam maiorem, Turci, pertuliſſe putantur. Nam cùm centum millia in aciem educta ſint, vix tertiam partem,à prælio,ſuperfuiſſe,memorant.

Abſtinuit ab Aſia deinceps Baiazetes,ad motus Perſicos vſque,& ad Europæa bella reuerſus, Dyrrachio,prope Velonam,expugnato, Illyriorum,Pannoniorum,& Croatorum coniunctas copias, atque in apertis campis Liburnię, quæ Croatia eſt,cõgredi auſas, magno prælio,per Cadum Baſſam,non procul à Sauo, cecidit, circiter annum nonageſimum tertium, ſupra milleſimum, quadringẽteſimum.

Vnde Venetis bellum intulit, quod Iohannem Caſtriotum Scãderbeij filium, & Iohannem Ceruouichinũ ſuſcepiſſent defendendos, quorum ille,prælio,in Croatia proſperè commiſſo, cum pręſidiario Baiazetis milite, arma Turcica,finibus ſuis expulerat,his repetitis,quę eripuerat Mahometes,Baiazeten iis, quibus voluerat,cõditionibus, pacem facere coëgerat. Et quod Baiazeti hoſpitium,ſuę claſſi,in littore Cyprio, petenti, tempore expeditionis Syriacę,id denegaſſent.Cauſſas bello has prętexuit. Sed incitatum

ſatum fuiſſe, contra Venetos, à Ludouico Sfortia, parricidialibus conſiliis, certum eſt. Initium huius belli, collocatur in annũ, nonageſimum octauũ, ſupra milleſimũ, quadringenteſimum. Principio belli, Schẽdero Baſſa duce, factæ excurſiones funeſtæ, & improuiſæ, vltra Tiliauentum, & Liſontium flumina, in Euganeos, & agrum Taruiſinũ, vſque ad Venetos, penè ad deſperationẽ adegerunt. Mox etiam Deuches, claſſis præfectus ad Iadran vſque Dalmatię vrbem, acceſſit, cúmque, abducta inde magna captiuorum multitudine, Venetæ claſſi, imparibus viribus, & cõditione iniquiore, occurriſſet, ad Protum, inter Sporadas inſulas, circa Peloponneſum, Grimannus Venetus tamen, cùm ſemel in fugam actus, exiiſſet, tunc eum, ſeu timiditate, ſeu imperitia, aliquoties elabi paſſus, ſũmas occaſiones, penè exploratæ victoriæ, amiſit. Euitato periculo, ille ad ſinum Corinthiacũ profectus, Naupactum oppidum, nunc Lepantum, in Ætolio ſinu, cepit, cùm paulò antè, & Dyrrachium, in Epiro, eis ademiſſet.

Biẽnio pòſt, qui fuit annus Chriſti, quingenteſimus, ſupra milleſimum, Baiazetes cum centum quinquaginta armatorũ millibus, ab Iſthmo, Peloponneſum ingreſſus, trinis caſtris, circa Methonem, poſitis, poſt varia certamina, vtrinq; depugnata, tandem intra vrbem irrupit, cum fortè infelici, & miſerabili caſu, Methonei, conſpectis quinque triremibus Venetis, quæ arma, milites, & commeatum obſeſſis adferebant, vt appulſos exciperent, ad mare, deſertis ſtationibus, deſcendiſſent. Captiui ad vnum omnes, ſupra mille numero, longis nexi reſtibus, productíque ad prætorium, & in conſpectu Tyrãni, barbarica immanitate, contra vſitatum, omnibus gentibus, ius ſupplicum, trucidati ſunt, iis exceptis, è patricia gente, quos Cherſeogles gener Baiazetis, exorato ſocero, ſupplicio eripuit, inter quos fuit Andreas Gritti. Coronei, exemplo Methoneorum, territi, itémque Pilus, olim Neſtoris ſedes, hodie Nauarrinũ huic Iunco potui impoſitum, ſeſe, in poteſtatem hoſtis, dediderunt. Criſſeum vltra Acritem, hodie caput Galli appellatum, Cherſeogles tormentis expugnauit: Nauplium, in Argolico ſinu, Halibaſſa fruſtra ex itinere tentauit.

His rebus geſtis, etſi Baiazetes Byzantiũ victor rediit, tamen, cùm Hiſpaniæ, Galliǽque reges Venetis opẽ ferrent, Benedictus Piſaurius præfectus claſſis Venetæ, Conſalui magni Hiſpani cõſilio, & virtute, Cephaleniã, inter Zacynthum, & Ambracium ſinum, in Ionio mari ſitum, gemino

portu,& agri vbertate,Venetis opportunam,recepit. Leucadem,Nericúmque vi expugnauit,cæſo,in ſtatione, vniuerſo præſidio Turcico.Sed claſſis Gallica,ad Lesbum inſulam tentata,Mitylenarum oppugnatione , non pari fortuna,ita acceſſit,vt diſiecta tempeſtate, poſt pericula multa,& naufragia, vix tandem ad Tarentum,euaſerit.

Hoc caſu , & nouorum apparatuum fama aſſiduáque ſuorum,de interruptis commerciis,querela; Venetis conſternatis,Andrea Gritto,qui apud Baiazetem captiuus erat, intercedente,pax impetrata eſt, ea conditione , vt recepta Cephalenia,Venetæ ditionis eſſet, vt ante Turcicum Imperium fuerat,Leucas,Nericuſque,Turcis redderentur.Eò facilius autem pax impetrata eſt,quod in Perſide Hiſmael Sophus,paterna origine è ſtirpe Malaonchore, materna è progenie Vſumcaſſanis,regem ſeſe,Iacuppo,Vſumcaſſanis filio, perfidia libidinoſæ coniugis , obtruncato , effecerat, occaſione innouatæ,in Mahometana ſecta,religionis,quę tanto cum applauſu,& ſtudio credulæ multitudinis ſuſcepta eſt,vt clientes eius, ſectatoréſque concurſu gẽtium,ardoréque propagandæ religionis , incredibili in Cappadociam,ipſámque Lycaoniam, felicibus armis,penetrarint, nepotéſque duos Baiazetis Orchanem,ac Mahometen, & binos Baſſas,Caragium Bellerbeium Aſię,& Halim, geminóſq; exercitꝰ,duob.ducib.oppreſſis, occiſione deleuerint, penè citius, quã magnitudo periculi Baiazeti innotuerit.

Hiſmael Sophus genitus fertur, Haidare, cui Harduelli cognomẽ fuit,regulo Perſico,& Martha filia Vſumcaſſanis regis,qui primus ex Aſſimbeis Turcis, Malaonchore rege Perſico obtrũcato , regnum illarum regionum acquiſiuit. Pater Harduelles , Mahometanæ ſectæ legibus reuocatis, ad præſcripta , & placita Halis interpretis,ac ſocij Mahometis,à quibus,qui Gomarem ſectantur,diſſentiunt,ſimulatáque peculiari vitę, ſupra communiũ hominum conditionem,ſanctimonia, tantã ſui concitauit admirationẽ,in animis hominũ, vt quotidie ingens auditorũ numerus agminatim,ad eũ viſendi , audiendíque ſtudio conflueret,& dogmata,quæ proponebat , auidiſſimè arriperet,obſeruarétque rigidiſſimè,veteribus ritibus repudiatis. Quæ res, cùm Vſumcaſſani,in nondum ſatis confirmato imperio nõ poſſet non ſuſpecta eſſe, pręſertim cùm qui , ſub ſpecie religionis,& ſacrorum coirent, excitatis factionibus,nõ obſcurè molirentur nouos motus , & appareret, vi Harduellẽ opprimi nõ poſſe, vir aſtutus , & ſubdolus ad aliud decur-

rit

rit conſilium,vt ſibi in generum eum adſciſceret.

Ex hoc coniugio,Hiſmael natus eſt:ſed Iacuppus Vſumcaſſanis filius,patre mortuo, affinitatis vinculo parum fidens, ſicariis ſubmiſſis, Harduellē interfecit,ſectatoribúſque,aut cæſis,aut pulſis,ſe,vt falsò exiſtimauit, & metu,& periculo liberauit. In eo tumultu,Hiſmael adhuc puer,euitata,fato quodam,auunculi ſæuitia, confugit in Hircaniam,ad Pyrchalim amicũ paternum , qui ſupra Caſpium mare,paucis oppidis imperabat.

Vnus ex diſcipulis Harduellis,cæteris præſtãtior,nomine Techeles,qui poſtea à peculiari, diſtinctóque ab Homaris aſſeclis capitis tegumento , Cuſelbas,id eſt,rubrum caput, cognominatus eſt , ſimiliter declinato periculo,ſuperatóque Euphrate,in minorem Armeniam euaſit.

Hi duo,& Vſumcaſſanis poſteritatē euerterunt, & Turcos,magnis cladibus,affectos,ne in Europa progredi,& inchoatum victoriarum curſum, perſequi poſſent,remorati ſunt. Hiſmael enim in veſtigia patris, non minore , quàm ille cum admiratione,ingreſſus, atque ex applauſu hominum , magnam ſpem ingentis Imperij adeptus , auunculo Iacuppo, veneficæ vxoris dolo , è viuis ſublato,ad paternos agros,& modicum illud Imperium , quod matris dotale erat repetendum , animum adiecit, armatíſque ſectatoribus ſuis, & à Pyrchale regulo , auxiliis aſſumtis,breui fama magis,ac beneuolentia hominũ,apud quos memoria patris nõ erat extincta, quàm viribus,paternam ditionem recepit,adauctíſque, ex concurſu hominum,copiis,Sumachiam vrbem,in finibus Mediæ,adortus,vi captã,diripuit.

Ex hoc ſucceſſu,incenſus cupiditate,& ſpe regni Perſici, mox cum exercitu perrexit ad Tauriſium, olim Teruam, Perſarum in maiore Armenia, numeróque hominum, & opibus totius Orientis celeberrimam , tunc verò flagrantem odio Aluantis Iacuppi filij,qui paulò antè Moratchamum fratrem,prælio victũ, Armenia Perſiáque pepulerat, & primores ciuium, qui Moratchamo adhæſerant,infeſtis armis perſequutus,vrbem funeribus,& luctu publico,impleuerat. Ea vrbe,Aluante inde aufugiente,ſine vi,ciuium deditione,& vniuerſis theſauris regiis potitus,deinde magna celeritate Aluanti iuſtas copias inſtruenti,ad Nyphates montes , qui Armeniam, ab Aſſyria , diſterminant,occurrit. Vbi Aluantes,acie victus,cecidit.

Ad huius victoriæ famam , pleriſque finitimis populis, per legatos offerentibus ſeſe ad deditionem, duxit exer-

citum ad vrbes potentiores: ſed Scyra, quę antiquis Cyropolis eſt: Sapha,quę exiſtimatur fuiſſe Suſa : Sultaniáque, quam arbitrantur fuiſſe Tigranocertam , in fidem , ſine mora,& recuſatione,acceptis, conſtitutíſque,per ſingulas vrbes,ſuæ ſectæ magiſtratibus,in Meſopotamiã profectus eſt, vt Moratchamũ , alterum Iacuppi filium, arma adhuc, exercitúmque tenentem , poſſeſſione Babyloniæ depelleret. Moratchamus,fama aduetus eius, & victoriarum perculſus,nec copiis ſuis ſatis fidens, nec,vllius ſe vrbis mœnibus ſatis munitum fore,credens , collecta ſupellectile, cum vxore,& liberis in Arabiam profugit.

At Hiſmael bonam,magnámque Orientis partẽ,victricibus armis,peruagatus,ab Aſſyria in Mediam tranſiit,vrbes,caſtelláque aliquot,in Zagro monte,quæ Aluãtis pręſidiis tenebantur,expugnauit, regreſſúſque in Armeniam, Albanis,Iberis & Scythis,qui vlteriorẽ Caſpij maris oram accolunt,bellum intulit, quòd eæ gẽtes,tributariæ Perſarum , iam in annum quartum tributa non perſoluiſſent, nec ſolitas legationes,in tãta præſertim victoria miſiſſent. Hæc geſta ſunt , circiter annum Chriſti , nonageſimum nonum,ſupra milleſimum,quadringenteſimum.

Interea Techelles concionando,vatidicéque reſpondendo,pellectis Cappadocibus, in ſectæ,bellíque ſocietatem, exercitúque Perſarum,auxiliis,firmato,è Taſica vrbe,quę ad Antitauri radices ſita eſt, protinus è finib. Cappadociæ in Lycaoniam irruit. Regionẽ agri vbertate,hominũ frequentia celebrem,& agrum populatus cũm eſſet,exercitũ Iconio admouit. Inde eum depulſuri Orchanes , & Mahometes,nepotes Baiazetis, ex Alemſciaco,& Sciaenſciaco,filiis,qui illis regionibus imperabant, ab hoſte fuſi,fugatíque ſunt.

Techelles,non tentata oppugnatione,atque itinere,per mediam Aſiæ minoris latitudinem, directo acceſſit ad Ancyram , quam hodie Angorium vocant,præteruectus trepidantem metu , ac congreſſum tergiuerſantem Corcuthum Baiazetis filium. Inde per Galatiam effuſus , in Bithyniam, non longè à Sangario flumine , obuiam habuit Caragium Baſſam , Aſiatici equitatus magiſtrum , quem Bellerbeium nominant , hunc magno prælio ſuperatum, atque in fugam coniectum, feſtinatóque aduolatu,obrutum , ac circumſeſſum , concluſit intra Cutheiam vrbem, ad Orminium montem , in veteri Caucorum ſede , quæ vrbs,totius Aſiæ minoris vmbilicus, ac magiſtri equitum

Anatoliæ

Anatoliæ ſedes eſt,vt in Europa,Sophia vrbs Miſię,magiſtri equitum Europæorum.

Vrbe expugnata,prætorióque,Caragium,cum vxore,viuum cœpit,atque ad Pruſiam Bithyniæ caput,animum adiecit. Sed ab eo conatu auertit eum Baiazetes,nouis copiis obiectis,per Halibaſſam, natione Macedonem, conditione Eunuchũ,cui ſe Techelles, Sangario flumine ſuperato, tranſuerſis itineribus , recta inter Cutheiam, & Ancyram, quintis caſtris Galatiæ planitiem emenſus, obuium ex inſperato tulit:& vt vel remoraretur,vel à perſequendo eum deterreret, Caragium Bellerbeium , quem vinctum ſecum trahebat,media via ſequentibus, ſpectandum palo infixit.

Hoc ſpectaculo incenſus Halibaſſa,cùm,magnis itineribus antecedentem,toto exercitu conſequi non poſſet,cum octo millib.equitum,citatiſſimo curſu,aſſequutus,ad Oligam montẽ,non procul ab Ancyra, perturbatis primis ordinib. Techellis prælij initium fecit,in quo,ipſo ad extremum cæſo,copiæ penè iam victrices,mutata fortuna belli, cum interitu ducis,diſſipatæ ſunt. Techelles,ductis,trans Halim, copiis,ad Taſciam vrbem , in rubra demum ſaxa, ſeſe recepit , non procul à Caleneo monte , è quo Marſias amnis,poetarum carminibus inſignis , profluens, mediam vrbem Maras, Aladoli regis, quẽ Selymus ſuſtulit,regiam, & à corrupta fluminis voce ſic denominatam,interfluit.

In locum Halibaſſę,ſummiſſus Iunus Baſſa Epirota,acceptis,ab Achomate Baiazetis filio, copiis,Techellem tãdem,tota minore Aſia,expulit. Ita admirabili iuſtitiæ,prouidentiæque diuinæ exemplo , ac teſtimonio,gentes blaſphemæ in Filium Dei , horribili rabie impietatis , ac blaſphemiæ ſuæ , pœnas à ſeſe inuicem , mutuis cædibus, ac deuaſtationibus ſumſerunt.

Huius belli periculis Baiazetes conſternatus, cùm ſe alioquin,& ob pedum dolorem , & ſenectam, ad tantæ militiæ munia obeunda, inualidum eſſe ſentiret, & prodigia horribilium terræmotuum , repentinæque , & atrocis peſtilentię , maiores calamitates portenderent, de ſucceſſore deligendo,cum purpuratis, deliberare cœpit,quæ res,materiam,& occaſionẽ bellis inteſtinis , præbuit. Supererant Baiazeti filij tres, Scianſciaco , Mahomete,& Alemſciaco, iam ante morbo abſumptis , ſcilicet Achomates , Corchutus,& Selymus. Nepotes plures Mahometes ex Scianſciaco , Orchanes ex Alemſciaco, Zilebus ex Mahomete, & præter hos,alij adhuc duo tenelli. Ex Achomate,Amu-

rathes,& Aladinus. Pater Baiazetes, propenſiore animo ferebatur ad Achomaten, qui in Amaſiæ, & Cappadociæ præfecturis voluptatibus potius, quàm bellis, operam dabat,& à patre vocatus, venerat Chalcedonem vſque, contra Byzantium, in altero littore Helleſpõti Aſiatico ſitam, hodie Scutarium vocatam. Ab hoc,& altero Corcutho, qui in Magneſia littore, Rhodio vicinus, ſtudiis vacabat, alienos animos habebant prætoriani,& purpurati omnes, præter Cherſeoglen.

Purpuratorum præcipui erant Muſtaphas, in oppido Seres, apud Amphipolin, ſacerdote Græco genitus, Boſtãges hortorum præfectus, ex Ducagina familia apud Ætolcs,& Aiax Baſſa prætorij præfectus, hi Selymo magis fauebant, qui & eorum perfidioſa incitatione, patrem bello adortus auxilio Tartari Præcopitæ, cuius filiam iam antea, inuito Baiazete, vxorem duxerat, ſed prætorianis fortiter præliãtibus, ad Chiurlum oppidum, medio, inter Byzantium, ac Adrianopolin, itinere, acie victus, rurſus tamẽ, purpuratorum interceſſione, reconciliatus, & demum, vel inuito patre, Imperator proclamatus, cùm in verba eius milites iuraſſent, parricidiorum initium fecit in patre. Nam regno eiectum, mox etiam per Hammonem, Iudæum medicum, veneno è viuis ſuſtulit, cùm ætatis annum ſexageſimum ſextum compleuiſſet, præfuiſſet rebus Turcicis, annos triginta duos. Mortuus eſt in itinere, dũ ex vrbe ſecedit, petiturus Dimotocum, Thracię vicum, hortorũ amœnitate,& cœli temperie, exilio, ac præſenti fortunæ opportunum.

Fuit Baiazetes,& corpore, & animo languidior, neutiquam par maioribus, aut fortunatæ audaciæ ſucceſſibus, aut laborum bellicorum tolerantia, ſiue à natura id habuit, ſiue à ſtudiis philoſophicis. Nam ſophiſticis Auerrois, in philoſophia, argutiis, admodum deditum fuiſſe perhibent. Nec vicit toties, ſua aliqua peculiari felicitate, ſed vt in omni magno Imperio, mole potentiæ, obuia, aduerſáque omnia proterentis, profligantis, atque obruentis, roboréque, numero, vigore,& impetu militis exercitati, nec vnquam quieſcentis, vt ociari,& quieſcere, tanti exercitus non poſſunt.

SELYMVS, BAIAZETIS FILIVS.

Selymus immanitate, ſæuitia,& præferocis, effrænìſque audaciæ impetu, Mahometen auum ſuperaſſe videtur. Inſitam ingenio diram rabiem, & cæde paterna exaſperatam (nam, ex humana carne guſtata, homines lupinam

naturam induere, inquit Plato; & res oſtendit, multóque magis, ſi hauriatur cognatus ſãguis, è quo, in corde naſcũtur Erinnyes vltrices parricidiorum) rabiem ergo ingenij conſuetudine Ottomannica, mox etiam in fratres, horúmque filios, expromſit, necatis quinque egregiæ indolis adoleſcentibus, fratrum, qui iam deceſſerant, filiis, fratribus ipſis Achomate, & Corchuto ſtrangulatis, quorum illum acie victum, in poteſtatẽ ſuam redegit, ad Elatam flumen, ex Orminio monte, recta decurrentem in Pontum: hunc, nihil metuentem, ſed ſtudiis in Magneſia ſeſe oblectantẽ, & cùm, per indices, de inſidiis edoctus eſſet, ad littus fugiẽtem, vt in Rhodum traiiceret, ſex improuiſo ſubornatis ſatellitibus, comprehendi curauerat. Muſtapham Baſſam, cuius ſubnixu ad Imperium conſcenderat, quòd videretur ad Achomatem inclinare, metu immanitatis Selymi, hunc ergo ſtrangulatum prius, deinceps canibus dilaniandum obiecit.

Reſtabant Achomatis filij, Amurathes, & Aladinus, hi de fortuna patris, & prælij euentu edocti, conſilium de fuga inierunt tale, vt Amurathes, cum equitibus Perſicis, tranſmiſſo Euphrate, confugeret ad Hiſmaelem Sophum: Aladinus, ſuperato in Cilicia Amano monte, conferret ſe ad Camſonem Gaurium, Ægypti Sultanum. Inde nouorum bellorum cauſa Selymo conflata, liberauit orbem Chriſtianum, ſummo, quod à Selymo impendebat, diſcrimine. Nã meditantem in Chriſtianos expeditionem, totis viribus, ſed dubium adhuc, atque incertum animo, Rhodum-ne Pannoniam-ve, aut ipſam protinus Italiam, diſcordiis inteſtinis labantem, affectámque multis bellorum incommodis, & ægrè ſeſe ſuſtinentem, terra, marique aggrederetur, hæc cauſa ab Europa auertit.

Amurathes inſtructus Perſicis auxiliis, in Cappadociam irrupit, Hiſmaelo paulatim inſequente, fuiſſétque tota potiturus, deficientibus paſſim populis, niſi eum Chendemus Baſſa, quem Aſiæ præſidio Selymus reliquerat, ad Sebaſtiã Cappadociæ, quæ hodie Siuas eſt, magnis copiis obiectis, repreſſiſſet, ac detinuiſſet. Id cùm Selymus comperiſſet, tranſiit in Aſiam, & maxima celeritate vſus, triceſimis caſtris, peruenit ad Arſengam, quam aliqui Comanã Ponticã fuiſſe cõiiciunt. Inde regreſſum Cappadocia Hiſmaelẽ, cùm inſequi ſtatuiſſet, inuitatis fruſtra, ad belli ſocietatẽ, ſpe magnorum præmiorum, regulis Aladulorum, & Armeniorum, quos à tergo metuebat, & itineribus explora-

tis, intra Armeniam minorem, & Aladoli fines,iuxtáque decurrentem Euphraten, continuis itineribus,progreſſus ad Periardem montem vſque,duorum fluminum Euphratis,& Araxis fontibus inclytum, tandémque ad irriguos aquis Araxis Calderanos campos, maioris Armeniæ,Periardi ſubiectos,penetrauit. Vbi in coniunctas Amurathis Turci,& Vſtaogli ducis Perſici copias incidit,ad quas,cognito aduentu Selymi, cùm Hiſmael acceſſiſſet, prælium exortum inter Turcos,& Perſas,cruentum admodum,incertáq; victoria diremtum eſt. Hiſmaeli (propter vulnus, ſclopeti ictu, in ſublimem humerum inflictum) receſſu ex acie,quem reliquus exercitus Perſicus,qui fuerat initio nõ maior, quàm triginta millia equitum, ſequutus, victoriã, hac ceſſione, Selymo reliquit, ſed ea cruenta admodum fuit. Nam de centum,& quinquaginta armatorum millibus,quos in aciem eduxerat Selymus,ſupra triginta millia hominum,intérque hos,Caſſembaſſam,Europæi equitatus prȩfectum,cum flore, & robore exercitus,amiſit. Pugnatũ eſt,ſeptimo Caléd. Septembris,eius anni,qui fuit,à nato Chriſto Saluatore,milleſimus, quingẽteſimus,quartus decimus,in campis Calderanis ad Choim,quam Artaxata vrbem fuiſſe autumant, à Domitio Corbulone, ſub Imperio Neronis,deletam.

Selymus poſt victoriam, Tauriſiam, regiam Perſarum, quæ,Ptolemæo, Terua eſt,profectus, cùm eam,deditione ciuium, occupaſſet, ac diripuiſſet; decimo die ab vrbe, móxque ex tota maiore Armenia, exercitum in Cappadociam reduxit;territus fama reuertentis Hiſmaeli Sophi, cum validis equitum turmis, collectis ex Iberis, Albaniſque,qui Gregoriani,& Mengrellij hodie vocantur,atque, in Cappadocia, copias ad Trapezuntem, & Amaſiam,in hyberna diſtribuit.

Anno,qui proximè inſequutus eſt,nimirum quinto decimo,ſupra milleſimum, quingenteſimum,Selymus,quòd Hiſmaelum Sophum, domeſticis ſeditionibus implicitũ, aduerſus Hyrcanos,Bactrianóſq;,& vlteriores Caſpij maris accolas,profectum eſſe,didicerat;etſi vires Perſicas vehementer cupiebat deprimere, tamen nihil prius, in Armenia maiore, tentandum ſibi exiſtimauit,quàm Aladolum regem, à quo multiplicibus erat iniuriis laceſſitus, priore in Hiſmaelum expeditione, tota ditione pelleret. Is montanis gentibus imperabat, quæ in Tauro,& Antitauro ſedes habent,montibus à Scirdiſcis iugis,& Cappa-

dociæ

dociæ finibus,perpetuo, velut catenæ cuiuſdam,nexu,cohæſúque ad Amanum vſque, & vltimos Ciliciæ colles,extenſis. Ortæ dicuntur ex Galatis,Cappadocibus,Armeniis, veteribúſque minoris Aſiæ colonis, qui, propter aſſiduas bellorum iniurias,& Scytharum irruptiones, vrbibus relictis,in ea loca, vtpote natura munitiora, aduerſus ſubitas incurſiones,refugerant.

Fines regni Aladoli terminabãt, cum Sultano Ægyptio Alepum:cum Hiſmaelo Sopho, Armenia minor:cũ Turcis, Orpha,olim Edeſſa, mirabili fonte oris lepram ſanante,& tumulo Balduini,fratris Godefridi Bilionei,celebris.

Aladolum ergo cùm Selymus tollere decreuiſſet, prius Ciamaſſum,in vlteriore Euphratis ripa poſitum, ſupra eũ locũ,quo Melas amnis, Græcorum carminibus celebris,in Euphratem euoluitur, oppidum acceſſuris ad Armeniam opportunum,expugnauit. Dehinc,recluſis anguſtiis faucium,præſidiiſque deiectis, per Synam Baſſam,intra ipſos mõtes,cũ Aladolo conflixit, eo euentu,vt Aladolitæ ſclopetarum procella conterriti, profligatique, notis tramitibus,in proximas ſiluas diffugerint. Aladolus,trãsfugio Saxouanoglis conſanguinei ſui exarmatus,indicióque indigenarum, è nemoroſo antro, in quod ſeſe, deſperatione, abdiderat,extractus,atq; ad Selymum viuus ſit perductus, cui Selymus caput pręcidit, ídque prius per Aſiam,ad oſtentationem victoriæ circumgeſtatum,deinceps Senatui Veneto tranſmitti iuſſit. Filius Aladoli natu maior,ex inſequentium manibus elapſus,Ægyptum petiuit.

Hoc bello confecto, Selymus, cùm regnum Aladoli in tres præfecturas diuiſiſſet, contulit ſe Iconium,in Lycaoniam,inde in Europã rediit, limites ſui regni,ea parte,defenſurus, aduerſus Pannonios, quos cognouerat imminere Samandriæ, quæ,ad Iſtri ripas,propugnaculum erat Miſiæ, Thraciæque. Sed citò repreſſis Vngaris,incurſione duplici,in Croatia, Iunobaſſa, ad Getinum vſque,per Illyricum excurrente, & in propinquis Seruiæ limitibus, totus in nouos, multóque prioribus maiores,belli apparatus incubuit,quorũ fama, ita vicinos reges perculit,vt Maximilianus Cæſar,Ladiſlaus,Pannonum,& Sigiſmundus Polonorum reges, celeberrimo conuentu habito, in defenſionem Chriſtiani nominis, communibus armis ſuſcipiendam,coniurarint. Sed ab his,poſtquam deinceps nihil moueri intellexiſſet, rediit in Lycaoniam, ad veteres exercitus, & reliquias belli Perſici, cui ſeſe ita deuouerat, vt

ceſſaturus prius non eſſet, niſi Hiſmaelo euerſo.

Præmiſit tamen legatos, ad Sultanum Ægyptiũ, qui rogarent, vt hoc bello quieſceret. Nam hunc, magnis copiis, tota Ægypto, & Iudęa eductis, in Syriam, ad Orontẽ amnẽ vſque acceſſiſſe, & palam profiteri, ſe rebus Perſicis non defuturum, didicerat: & impellebatur Sultanus aſſiduis lachrymis, precibúſque exulum, ac ſupplicum regum, Aladini, filij Achomatis, & natu maximi filij Aladoli, qui reduci ſe, in auita, & paterna regna, petebant.

Præerat in Ægypto ſummę rerum Campſon Gaurius, euectus ad hoc faſtigium, conſenſu Mamalucorum, poſt varios tumultus, ac cædes, quas Caithbei, & Dultibę vxoris Arabicæ intempeſtiua conſilia, de transferendo in filiũ regno contra leges, excitarant. Sultanos enim, poſt extinctam Saladini poſteritatem, Mamalucorum inſtituto, vt ſupra dixi, non obſeruata ſucceſſione liberorum, ſed communibus ſuffragiis equitum, creare mos erat. Hac lege vt abrogata, nouum conderetur decretum, quod regnum filiis tradebat, ad nutum ambitioſæ, & imperioſæ mulieris, Caithbeius perfecit. Sed mortuo Caithbeio, etſi Mahometes filius, funeſtiſſimè inter ſe, de principatu, contendentibus Achbardino, & Campſonia, qui ſummos magiſtratus gerebant, Imperium, ea occaſione, vſurpauit, tamen biennio poſt, Mamalucis grauiter ferentibus iniuriam interruptæ, ereptæque prærogatiuæ, inter epulas, à Circaſſo obtruncatus eſt, Circaſſum Grapalutus Damaſci, Syriæque præſes, hunc Tomumbeius, Tomumbeium amici Grapaluti viciſſim contrucidarunt. Nec cruentæ controuerſię videbatur exitus alius futurus, niſi interitus ordinis, cadentibus in conflictibus penè cotidianis, exercitatiſſimis in re bellica viris. Quare cædium pertæſi, Mamaluci ſummam rerum detulerunt ad Campſonem Gaurium, moti fama, & opinione innoxiæ probitatis atque à ſuperbia omni, & crudelitate alienæ.

Hic Campſon, cùm memoria partæ de Turcis, ad Tarsũ, victoriæ, & repreſſi Vſumcaſſanis, ferocior, atque audacior, belli inter Hiſmaelum, & Selymum ſe diſceptatorem, arbitrúmque deligi cuperet, & ad petita, poſtulatáque Selymi minaciùs reſponderet, non ſe poſiturum arma, niſi à prouinciis Hiſmaeli abſtineat, & filio Aladoli regnum reſtituat, Selymus, inſolentiã hanc retundendam eſſe ratus, omiſſo Perſa, vim belli omnem, præter ſpem, & opinionẽ Campſonis, magna celeritate, ſuperatis Tauri iugis, tranſ-

tulit

tulit in Comagenam, caſtris poſitis ad Singam amnem, nõ procul ab Alepo, vbi Campſon, ignarus perfidiæ Caierbei præfecti Alepi, & Comagenæ prouinciæ, à quo ad conflictum incitabatur, promotis à Damaſco caſtris, Selymo occurrit, & extemplo acie congreſſus, eo euentu pugnauit, vt Caierbeio, inſigni perfidia, Campſonem non modò deſerente, ſed infeſtis perſequente armis, Mamaluci fuſi ſint, & Campſon ipſe armis, multóque abdomine, & ingentis ramicis pondere, grauis, cadente equo, in puluerem excuſſus, conculcatúſque, interierit.

Pugnatũ eſt ſeptimo Calend. Septembris, biennio poſt conflictum cum Hiſmaelo, in Calderanis campis, id eſt, anno ſexto decimo, ſupra milleſimum, quingenteſimum. In partibus Selymi, tria millia equitum cæſa feruntur, Mamaluci periere non amplius mille, intérque hos, pręfecti duo, Damaſcenus, & Tripolitanus, ſed plures ex ſeruis eorum, maiórque aliquantò cædes in fuga, quàm in prælio, facta eſt, impetu turbulentiſſimo, proceribus, poſt patefactã Caierbeij proditionem, in fugam, Hieropolin verſus, effuſis. Hos inſequutus, die ſequẽte, Selymus, cùm, citato itinere, Damaſcum perueniſſe, cognouiſſet, Hierapolin in fidem recepit, ac Iunum Baſſam cum equitatu expedito, Damaſcum præmiſit: Vnde, cum hoſtes deceſſiſſe intellexiſſet, copias omnes eodem adduxit. Damaſceni, apertis portis, hoſtem receperunt. Idem fecerunt Tripolis, Berytus, Sydon, Ptolemais, Damaſcenorum exemplo.

Tam inſperato ſucceſſu, Syria potitus, ne quid belli ſupereſſet, perſequi reliquias Mamalucorum, conſtituit, qui Memphim, ex fuga, delati, iam Tomumbeiũ Circaſſum in Campſonis locum delegerant. cùm autem, propter latrunculos Arabes, impeditus, ad Ægyptum, aditus fore putaretur, Selymus, Sinambaſſę negotium dedit, vt, his pulſis, iter ad Gazam vrbem aperiret. Quo feliciter perfecto, ab aduerſa parte, celeriter accurrit Gazelles, magni caitbeij alumnus, miſſus in ſubſidium Gazenſibus, à Tomumbeio, vir acer ac pugnax. Exarſit nouum prælium, in quo Gazelles victus, omnibus ſignis militaribus amiſſis, vix per ſolitudines euaſit. cecidere, in hoc prælio, præfectus Alexandrinus, & Orcomas Memphiticus prætor, ac, præter hos, magnus Arabum numerus, & equites mille. Sinambaſſa ſupra duo millia lectorum equitum, & claros aliquot, virtute bellica, præfectos deſiderauit.

Sed Arabes, conflatis nouis copiis, Turcis ad Gazam has

rentibus, cæteriſque, qui his ſubſidio veniebant, magnas intulerunt clades, donec Selymus, vniuerſis copiis, in Iudæam adductis, ſeſe, cum exercitu Sinambaſſæ coniunxit. Inde, poſt acceptam in deditionem Gazam, cùm octauis caſtris ad vrbem Mēphin acceſſiſſet, & ad ſextum ab vrbe lapidem, prope pagum Matharæam, balſami fœcunditate memorabilem, egreſſum ex vrbe Tomūbeium, cū exercitu, excepiſſet, edoctus prius de conſiliis Tomūbeij à tranſfugis, ita cum eo dimicauit, vt Tomumbeius amiſſis illuſtribus, præfectis, & flore equitum, vi tormentorum, perturbato, intra vrbem ſe receperit, tanquam ibi, per obſeptas, magnis trabibus, regiones vrbis publicas, de Imperio, de liberis, de vita decertaturus. Sed Selymus, magno auſu, vrbem aggreſſus, cuncta perrupit, & cùm tridui prælio, magnam partem Mamalucorum deleuiſſet, vt gens tota radicitus excinderetur, reliquos etiam, qui in templa confugerant, ſéque ſub fide dederant, interfici iuſſit, ipſumque Tomumbeium, qui vltra Nilum, reparatis copiis, extremo conatu ad Nili ripam, & pontem, prælium inſtaurat, inde reiectum, atque in paludibus, in quas, deſperatione deſilierat, repertum, diúque in quæſtione, de theſauris acerbiſſimè tortum, ac tandem vili iumento impoſitum, pérque vrbem circumductum, gula laqueo fracta, ad Baſuelam Syrię portam, vnco ferreo ſupra fornicem ſuſpendit, vt tranſeūtibus ſpectaculo, ludibrióq; foret, & Ægypti ſe victorem eſſe faterentur.

Id factum eſt Idibus Aprilis, anno à nato Chriſto ſeptimo decimo ſupra milleſimum, quingenteſimum, poſtridie Paſchæ, cùm ad Rhodaniam pugnatum eſſet eodem anno vndecimo Calend. Februarij, die Diui Vicentij memoriæ dicato. Ad hunc modum Selymus duobus ſultanis ſublatis Mamalucorum in Ægypto impotenti ac ſuperbo regno poſtremus finem attulit, quod illi ab extincta in Melechſala poſteritate Saladini, annos tenuerant circiter ducentos quadraginta tres.

Rebus in Ægypto & Syria conſtitutis atque adminiſtratione Ægypti commendata Caierbeio in præmium proditionis ad Alepum: Gazelli qui in victoriis Selymi fidem regno Mamalucorum euerſo ſe contulerat, Syriæ præpoſito præter omnium opinionem, abductíſque ex omni Ægypto, ſed præcipue ex vrbe Memphi, quæ Alcairum eſt, pluribus quam quingentis familiis, quæ opibus, & claritate generis præſtabant, magnáque fœminarum

rum

rum & puerorũ multitudine ex progenie Mamalucorum, quorum quotquot ſuperfuerant ex pręliis, eos ad vnum omnes Alexandrię in foribus carceris concidi iuſſerat, rediit Byzantium triumphabundus, bellum deinceps in Chriſtianos atrox moturus.

In eo conatu vlcere canceroſo renum correptus, toto corpore ex longè latéque ſerpentis vlceris corroſione fœde putreſcente, morte ſæuitia tam beluina digna, meritas immanis parricidij pœnas perſoluit, anno Chriſti viceſimo ſupra milleſimum quingenteſimum, Septembri menſe, apud Chiurlum Thraciæ pagum, eo ipſo in loco, quo Baiazetem patrem acie circumfuſum antea opprimere fuerat conatus.

Vixit annos quadraginta ſex, regnauit octo. Regnum eius quid fuit aliud, quàm tetra & abominabilis carnificina? tanta quidem, vt immanitate ſæuiſſimas feras anteiſſe videri poſſit, beluæ quàm homini ſimilior. Nulli enim ex ſuis pepercit. Patre ſublato, tota agnati ſanguinis ſtirpe exciſa à radice, præcipuis belli ducibus ob leuiſſimas ſuſpiciones interemtis. Muſtapha Calogero, Chendemo, Boſtange genero, Iunobaſsa, filium etiam veſte veneno intus atrociſſimo delibuta extinguere cogitaſſe ferunt, ob quædam eius de patris immanitate dicta liberiora, ſed aſtutia matris repudiatum donum, próque Solymanno cubiculario cuidem datum, ocyſſime illi perniciem attuliſſe. Filium Solymannum crudelem animam exhalans commendauit Pyrrho Baſſæ Cilici, ſeuerè præcipiens vt ſe mortuo in Chriſtianos bella verterentur, omiſſis Perſis.

In hac laniena Turcica præcipua exempla ſpectemus & ingentis iræ Dei aduerſus peccata totius generis humani, & miſericordiæ reprimentis pœnarum atrocitatem, ac parcentis illi multitudini, in qua eſt eccleſia Dei. Ruunt in ſeſe mutuo cæca diráque libidine imperandi, & vindictæ rabioſa cupiditate ex leuiſſimis occaſionibus nata, gentes prophanæ ac blaſphemæ horribilibus cædibus, ſingulari permiſſu diuino incitantibus eas diabolis, cùm vt ipſæ ſeſe puniant rabie indomita víque inſuperabili in ſemetipſis conflictu mutuo conſumta: tum vt hac bellorum barbaricorum tempeſtate inter ipſos deſæuiente, interea halcyonia ſint iis in regionibus, in quibus ſonat vox doctrinæ de filio Dei.

Erat autem maximè opus quiete ac tranquillitate hoc

tempore renaſcenti in Germania eccleſiæ, cùm emendatio doctrinæ ſacræ multipliciter corruptę, ac vitioſorum rituum ex verbo Dei voce Lutheri inchoata eſt. Si tunc enim reuera eccleſia impetu externorum armorum quaſſata fuiſſet aut diſiecta, conſiſtere confirmaríque aut recipere ſeſe vix vnquam potuiſſet. Cúmque deinceps etiam in Pannoniam ſeſe hoſtilis impetus effudit, pœnarum exempla propoſita fuiſſe Germaniæ non dubitemus, propter odium & contemtum illuceſcentis doctrinæ, quam multo maxima pars procerum ita auerſata eſt & abominata, vt cupiuerit extinctam, oblita & præceptorum & comminationum, quas collocatis ad gubernacula denunciat concio Pſalmi ſecundi. Et nunc reges intelligite: Erudimini qui iudicatis terram. Oſculamini Filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cùm exarſerit in breui ira eius. Beati qui confidunt in eo.

Reſpicientes ergo ad triſtiſſima tyrannidis Turcicæ exempla, vtriuſque recordemur, iræ & miſericordiæ Dei, & flectamus animos ad agnitionem & inuocationem filij Dei, cuius contemtum grauiſſimis & publicis ſupplicijs ſe viturum comminatur & vindicare oſtendit cœleſtis & æternus pater. Cogitemus etiam de communi miſeria generis humani, & de diaboli furore, qui odio Dei & contemtu generis humani, tantis flagitiis ac ſceleribus deformat imagines Dei, & quidem ſummo loco, in imperiis, vbi excellere virtus debebat: vt illa horrẽda diaboli ſpectacula vniuerſa rerum natura abominetur. Quare filium Dei oremus, vt opera diaboli graſſantis cum in toto genere humano, tum verò præcipuè in ſummis ordinibus deſtruat, ſicut ſcriptum eſt: Filium Dei apparuiſſe, vt deſtruat opera diaboli.

Cætera in Turcorum hiſtoriis talia ſunt, vt ſi quem delectãt, illum Hircanica tigride feriorem: ſi non dolore afficiant, Caucaſeis rupibus duriorem eſſe oporteat. Nec alia fuit cauſa, vt in hanc epitomen hæc quæ recenſui inſererem, niſi vt conſiderata aliquo modo tyrannidis & latrociniorum ſpecies, principibus orbis Chriſtiani & militibus, pia tandem & iuſta arma induat. Nunc redeo ad imperatores occidentis.

IMPERATORES OCCIDENTIS.

FRIDERICVS TERTIVS.

ETſi Hunniades aliquandiu excepit & auertit impreſſiones violentiæ Turcicæ, velut oppoſita moles irruentis fluminis impetum, tamen non caſu nec viribus humanis vim tantam, & cùm adacta fuit in Chriſtianos, retuſam, atque diſcuſſam, & cum ab Europa in Aſiam ſeſe incitauit, hinc eo depulſam fuiſſe, ſed prouidentiæ atque potentiæ diuinæ nutu ductúque gubernatum perfũctúmque id fuiſſe conſideremus, ac grati agnoſcamus, cum in hiſtoriis Friderici & Maximiliani, ſed Friderici præcipuè, intuemur laceram ſpeciem Europæ miſerabiliter diſtractæ, & ciuilium bellorum, quæ præcipuè accenderunt pontifices, colliſione penè oppreſſæ ac perditæ.

Italia multo auro redempta ab imperatoribus licentia, qua vti illa neſciebat, iamdudum in ſeditiones ſeſe diduxerat exitioſas, ambitioſa gente æqualitatem nuſquam admittente, hæ in tyrannidem exierant paucis dominatum occupantibus, quorum potentia offenſi pontifices, hos rurſus inter ſe commiſerant. Inde nata ciuilia bella cum iidem ſopire non poſſent, attracti ſunt tandem imperatores & reges peregrini, qui ciuibus oppreſſis, de Italiæ imperio inter ſe certarunt multo ſanguine. Illorum certaminum is fuit exitus, vt imperium Italiæ quanquam Germanicis ſimul & Hiſpanicis armis adſertum eſſet atque defẽſum aduerſus Gallos, titulotenus tamen relictum imperatoribus Germanicis, reipſa ceſſerit Hiſpanis.

In Germania cum maieſtatem & robur imperij eneruaſſet nimium ſtudium amplificandæ potentiæ priuatæ in pleriſque, nec inualida imperatorum potentia magnopere formidaretur, ſimiliter domi nuſquam non exarſerant bella inteſtina.

Neque extra has prouincias penè vllus fuit in orbe Chriſtiano angulus immunis ab ingentibus armorum apparatibus ac colliſionibus, vt difficile non fuerit Turcis, ſi occaſiones oblatas tunc apprehendiſſent, in Europam vndique flagrantem bellis domeſticis, nec ſatis in res ſuas intentam, ſedem imperij orientalis longius promouere, ni Deus prohibuiſſet. Quare has hiſtorias ita legamus, vt pro ſeruata Europa Deo gratias agamus.

Imperium poſt Alberti obitum, tertio Calend. Aprilis, anno quadrageſimo ſupra milleſimum, quadringenteſimum, traditum accepimus Friderico tertio Auſtriaco, principi ſuo quodam peculiari genio fatóque inclyto atque admirabili, vtpote qui etſi præclara quadam generoſi ingenij indole, prudentiáque matura ac circumſpecta ſeſe nunquam deſtitueret, abhorreret tamen à bellis cum natura tum ob iniquitatem fortunæ, quam aduerſam experiebatur, & eam ob cauſsam animo eſſet fractiore, opportunáque & aſtuta calliditate fulciret, ac quaſi suppleret debilitatem potentiæ, atque alienis armis, ſumptibus & periculis potius quàm ſuis vel res magnas gereret, vel conſtitutus in diſcrimine defenderetur aut eriperetur, & quos compeſcere authoritate ſua nequiret, ſibi aduerſantes, eos incitatis inuolueret ac diſtraheret bellis domeſticis.

Collocatum in imperio ſtatim inter exordia gubernationis exagitarunt mota ab agnatis bella de poſſeſſione & adminiſtratione Auſtriæ. Traduxerat enim ad ſe à morte Alberti Ladiſlaum filium eius, hæredem duorum regnorum Pannoniæ & Boëmiæ, & ducatus Auſtrię, cui ipſe tutorio nomine prǫerat. Hunc repetebat Vlricus Cilię comes auunculus Ladiſlai magnus. Cum Ciliano ſe Albertus Friderici frater coniunxerat, flagitans paternę hęreditatis diuiſionem.

Sed hoc bellum citò interponentium ſeſe principũ Germanię prouidentia & induſtria diremtum eſt, fratribus reconciliatis, Ciliano vt arma poneret iuſſo.

Motibus Auſtriacis ſedatis, tollendo ex eccleſia Romana ſchiſmati incubuit, quod extiterat de indicta coactáque ab Eugenio pontifice Florentina ſynodo contra Baſilienſem, & deſignato Baſileę in pontificem contra Eugenium Amadeo Allobrogum primo duce, qui ſe Felicem quintum appellauit. Sed tragœdię ab Eugenio, per Ludouicum Gallię Delphinum Caroli ſeptimi regis filium excitatę ad turbandos vel opprimendos eos, qui Baſileę celebrandę ſynodi cauſſa coierant, ocioſum ſe ſpectatorem prębuit, vel quia viribus impar eſset, vel, vt potius reor, quod Heluetiorum, qui defenſionem Allobrogi & ſynodo ipſiſque Baſilienſibus tanquam ſociis promiſerant, audaciam coherceri, atque indies magis magiſque inualeſcentes vires retundi optabat.

Adduxerat Delphinꝰ ornatas & inſtructas è Gallia copias ad

ad Baſileam Eugenij impulſu, Armeniacas nominarunt, non ab Armoricis ciuitatibus, ſed à comite Armeniacenſe eorum ductore. Eſt autem comitatus Armeniacenſis in Aquitania. Cum his quarto à Baſilea lapide quatuor Heluetiorum millia acie congreſſa incredibili auſu tam fortiter pugnarunt, vt cùm ex his mille ſexcenti, in confertum agmen Gallorum ſeſe intuliſsent, etſi ad vnum cæſi ſint omnes, victores Gallos tamen interitu ſuo tota mox Germania pepulerint, perſequẽtibus ſcilicet reliquis ope vicinorum multa cæde hoſtes, & clade ſuorum & animoſitate ac ferocia eorum, qui ceciderant, perculſos atque conſternatos. Memorabile hoc eſt fortitudinis exemplum ſimile illius Lacedæmoniorum ad Thermopylas. Pugnatum eſt ſeptimo Calend. Septembris, anno quadrageſimo quarto ſupra milleſimum, quadringenteſimum. Cecidiſse in eo conflictu tradunt ſex millia Gallorum.

Nec aliud egit deinceps Fridericus in eo bello, quod Albertus marchio auxiliis magnæ partis principum Germaniæ geſſit cum Norica vrbe ſociarum ciuitatum auxiliis nitente, circiter annum quadrageſimum octauum, in quo bello Albertus octo prœliis victor, nono victus poſt illata acceptáque damna plurima, pacem cum ciuitatibus fecit.

Depulſo Delphino, cùm Fridericus perfeciſset vt Felix abdicato pontificatu cederet Nicolao quinto Eugenij ſucceſsori, & Nicolaus viciſſim vt decreta ſynodi Baſilienſis rata haberet, ac faceret, Romam profectus eſt ad ſolennem renuntiationem, comitantibus eum inter cæteros Alberto fratre & Ladiſlao iuuene rege. In eo itinere vt quod inualidæ potentiæ, & propter hanc neglectæ authoritati deerat, compenſaret aliis, ex inſito ingenio, præſidiis, Italorum animos affectatione clementiæ, comitatis, manſuetudinis, munificentiæ, in conferendo cumulandóque dignitates ac titulos, mirificè ſibi deuinxit. Sponſam Leonoram Eduardi Portugalię regis filiam nauibus aduectam in Italiam Senis excepit, eáque ſecum Romam deducta, Idibus Martiis ibidem in regem Longobardorum, (Mediolanum enim Philippo Maria vicecomite extincto recèns in Franciſci Sfortię poteſtatem venerat, cui ius ſucceſſionis concedere recuſabat) biduo poſt cum noua nupta in Romanorum imperatorem eſt coronatus, anno milleſimo, quadringenteſimo, quinquage-

ſimo ſecundo. Inde poſt cuncta, quę in præſens imperio & ſibi conducerent expedita, regredienti, Veneti & Ferrarienſes hoſpitalia officia apparatu regio magnifice præſtiterũt, pro quibus marchionem Ferrarienſem nomine Borſium, honoribus & inſignibus ducalibus, Venetos amicitia ac fœdere remuneratus eſt.

Interea domi tumultus atroces conſpiratione Ciliani & Auſtriacorum depoſcentium ad gubernationem Ladiſlaum iuuenem renouati, reuerſo multum negotij exhibuerunt, vt quanquam ſeditioſè tumultuantibus, auxilio aliquot principum Germaniæ & Boëmorum facile par eſſet, tamen Ladiſlaum dimittere ſit coactus, iniquitate aduerſantis fortunæ intra Neapolin Auſtriæ compulſus obſeſſúſque. Fruſtra tentarunt pacificationes legati Saxoniæ principum & Alberti marchionis Brandeburgenſis, & acerrimè repugnante Ciliano, qui tyrannidem prætextu tutelæ regiæ affectabat. Magnas tunc clades & detrimenta magna perpeſſa eſt Auſtria, quæ ipſa ſibi peperit, vt ſeditionis nulla iuſta de cauſſa motæ, & exagitati crudelem in modũ Imperatoris ſui pœnas lueret. Sed & ſuas mox pertulerunt pœnas Cilianus & Ladiſlaus rex: ille Ladiſlai Hũniadis manu obtrũcatus: hic quinto anno poſt dimiſſionẽ, ſcilicet anno quinquageſimo ſeptimo, pharmaco peremptus Pragę, cuius interitus materiã nouorũ bellorũ principibus, cauſam cladium nouarum Auſtriacæ genti attulit.

Erãt patrueles, nimirũ fratribus duobus nati, Fridericus imperator cum Alberto fratre, & Sigiſmundus exarchus Auſtriæ. Ille natus patre Erneſto, hic Friderico ſeniore.

Hos cum pari agnationis gradu attingeret Ladiſlaus iuuenis Auſtriæ hæres, relinquebat eam diuidendam patruelibus pari iure. Sed totam ſoli ſibi vindicabat Imperator. Inde exorta diſſenſio conflauit bellum, in quo Alberto coniunctus Sigiſmundus imperatori reſtitit vſque ad Alberti mortem, qui anno ſexageſimo tertio vita functus eſt, cùm paulò antè mortem fratre concluſo à ciuibus in arce Viẽnenſi, ipſe ciuibus opitulaturus inde armis & expeditis conſilis Gregorij Boiebracij Boemi reiectus eſſet. Eo amoto Sigiſmundus bello finem impoſuit, Auſtria Imperatori citra diſceptationem conceſſa.

Sed ne tunc quidem Imperatori contigit diuturna pace frui. Nam cùm ex proceribus Pannoniæ aliqui poſt Ladiſlaum expeterent Imperatorem Fridericum: ſed pars maior annitente Michaelo Zilagio præ-

ferret

ferret ſuæ gentis hominem, quanquam nouum, & humili ſtirpe natum, atque eo tempore captiuum, Matthiam Hunniadem, hoc, poſtquam regnum eſſet adeptus, repetente coronam regiam, Friderico conſtitutionem detrectante, qui eam cum Ladiſlao acceptam de manibus Eliſabethæ matris eo vſque apud ſe retinuerat, rurſus ad arma deuentum eſt, quæ arrepta potius quàm vſurpata cito poſuerunt, interceſſione principum Germaniæ lite compoſita, vt coronam à Friderico Matthias redimeret octoginta millibus aureorum nummûm.

Interea noui belli ſemina in Germania ſparſerat Pius ſecundus Pontifex Æneas Syluius, cognomēto Picolomineus, quondam apud Fridericum Imperatorem magiſter epiſtolarum, confiſus Imperatoris priuata erga ſe beneuolentia, & eximio erga ſedem Romanam ſtudio. Deiecto enim Moguntino epiſcopo Diterico Iſeburgio, in locum eius cooptarat Adolphum Naſſaënſem.

Cauſæ depoſitionis Iſeburgij præcipuæ fuerunt, quod acriter aduerſaretur iniuſtis pontificum exactionibus, quibus expilabantur prouinciæ prætextu belli Turcici, & quod Pio flagitanti, iuramento ſe vt obſtringeret, quo ſucceſſores etiam tenerentur, non ſe conuocaturum imperij ſeptemuiros ad communem aliquam de nouo imperatore eligendo, aut de aliis in Imperio rebus conſtituendis deliberationem, vel ipſorum Imperatorum aut ſeptemuirûm mandato, niſi conſiliis prius communicatis cum pontifice, & huius voluntate explorata, quod ergo aſſentiri & parere recuſaret.

Iſeburgium in cauſſa iuſta atque ad ſtabilitatem imperij & publicam concordiam, amoliendáſque pontificiarum machinationum occaſiones ſpectante, defendendum ſuſcepit Fridericus cognomento Victorioſus, comes Palatinus ad Rhenum, eo tempore ſeptemuir imperij, pro impubere pupillo Philippo Ludouici fratris filio, nil veritus anathematis pontificij terriculamenta. Huic ſeſe ad communem defenſionem coniunxit Ludouicus Bauarus cognomento Diues. Oderat autem vtrumque Imperator, & vtrumque caſtigatum cupiebat, etſi, vt exiſtimo, cauſam, cui patrocinabantur, tacitè non improbaret. Cúmque robur animi in Friderico, in Bauaro opes pertimeſceret, quem à pecunia ſciebat eſſe inſtructum, impellente pontifice aliquot potentes Germaniæ principes per ſe Friderico infenſos, ipſe quoque iiſdem calcaria

occultè ſubdidit, vt non tam Iſeburgium, quàm huius defenſores peterent.

Conſociarunt ſeſe ergo pro Naſſaënſi Albertus marchio Brandeburgenſis, Ludouicus Bauarus cognomento Niger, Carolus marchio Badenſis, & frater huius Iohannes epiſcopus Metenſis, Vlricus comes Wirtebergenſis, quem anno proximè præcedente dotem coniugis Margaretæ Sabaudæ, viduæ quondam Ludouici Palatini, à priuigno impubere Philippo armis nullo iure repetentem, ſtrenuè compeſcuerat.

Alberto verò Brandeburgico & Friderico antiqua ex æmulatione virtutis ac felicitatis interceſſerant odia, quæ tamen ita moderabatur & premebat vterque, vt neuter alterius fortunam temerè irritaret, aut periclitaretur.

Sed adiuuit Deus honeſtos & iuſtos Friderici conatus in cauſſa meliore, vt quanquam longè inferior eſſet numero militum & apparatu bellico, tamen hoſtes contemtu quodam audacius irruentes fortiter exciperet ac funderet, captis vna die, quæ fuit prima menſis Iulij anni ſexageſimi primi ſupra milleſimum, quadringenteſimum, principibus tribus, Badenſi, Metēſi & Wirtebergenſi, quos redimentes ſeſe, aliquanto poſt ſub conditione dimiſit, contentus laude victoriæ. Ferunt Fridericum in prima cœna alioquin exquiſitè apparata captiuis panem denegaſſe, & reprehenſum propterea, quod victoria immoderatius vti, atque à fortuna preſſis acerbius inſultare videatur, atque interrogatum cur id faceret, reſpondiſſe: Non ſeruaſſe hoſtes iura belli, nec peperciſſe iis, quæ leges bellorum violare prohiberent, vt qui ſegetes vel temerè conculcatas corrupiſſent, vel incenſas exuſſiſſent, & molas paſſim igne deleuiſſent. Iure igitur panem iis ſubtrahi, qui nec materiam panum, nec his præparandis atque conficiendis extructa organa ſupereſſe voluiſſent. Hic Fridericus pater eſt ſtirpis comitum in Lauenſtein.

Hoc bello minimè ex ſententia geſto, mox inter Imperatorem & Matthiam Coruinum aliud exarſit funeſtius ex refricatis noua iniuria veteribus odiis. Nam Matthiæ pontificio diplomate deſignato in Boëmorum regem aduerſus Georgium Boiebracium ob Huſſitici dogmatis patrocinium aulæ Romanæ inuiſum, imperator collationem regni ſeu feudi, vt vocant, denegabat, eam rem Matthias grauiter ferebat. Sed furioſius incanduit, cū Georgio

fato

ſato functo, Boëmici proceres & Imperator ipſo iterum præterito amplecterentur Ladiſlaum, Caſimiro Poloniæ rege & Eliſabetha filia Alberti Auſtriaci natum, cùm quidem Imperator prior ad idem regnum inuitatus accipere id recuſaſſet, vel diſſidiis gentis Boëmicæ territus, vel quod labores fugeret & pericula, in quæ ſeſe cum regno contra tam potentem & bello acrem æmulum conijci intelligebat.

In hoc bello & Imperatori Auſtriam conſeruatam, & maieſtatem Imperij, quæ infelicitate Friderici in diſcrimē adducta penéque profligata nutabat, vindicatam eſſe conſtat virtute Alberti ducis Saxoniæ, Friderici ſecundi electoris Saxoniæ filij, patris Georgij atque Henrici ducū aui Mauricij atque Auguſti Electorum, qui imperatore penè tota Auſtria excluſo, & iam à patria in alieni domini poteſtatem redacta exulante, comparatis ſuo ſumtu egregiis copiis, Matthiam tanta animi magnitudine & felicitate aliquot ſecundis præliis contudit, atque è maxima Auſtriæ parte depulit, vt fathiſcentem belli pondere coëgerit iis conditionibus, quas propoſuit, pacem facere. Albertum ex huius belli euentu Matthias ita deinceps coluit, vt quanquam odiſſet, ei ſoli tamen inter Chriſtianos principes encomium magni ducis & militaris virtutis ac fœlicitatis gloriam tribuere ſit ſolitus. Viennam in ea trāſactione Matthias retinuit, cuius oppugnationem Albertus, diffiſus amplitudini vrbis munitioníque & ſuis viribus, aggredi non fuit auſus.

In hac perturbatione patriæ bello laborantis imperator diſcedens è Germania Romam ex voto adiit, cùm iam Pio pontifici ſucceſſiſſet Paulus ſecundus ob ſpurciſſimam libidinem maſculam & artes dæmoniacas publicè infamis atque execrabilis, vtpote quem tandem in concubitu à dæmone ſtrangulatum, obtorti colli terribili ſpecie mortis genus oſtendiſſe fama eſt.

Interea nouum in Belgio incendium erupit, excitatum temeritate & audacia ambitioſi nimis, feruidíque ac præcipitis, & immodica bellorum proferendíque imperij cupiditate nimium deflagrantis iuuenis Caroli Burgundi, cuius immenſum animum anguſtia eius regionis, quam tamen poſſidebat ampliſſimam, minimè capiebat. Erat is natus Philippo bono patre, Iohanne Burgundo auo, illo ſcilicet, qui ad Neapolin temerè in confertorum Turcorum agmen prouolans cum equitatu ſuo à Turcis cir-

cumuentus & captus eſt,cuius pater Philippus Audax cōceſſione patris Iohannis primus è regia Capeti ſtirpe Burgundiæ hæreditatem adiit. Ante Philippum enim poſt veteres reges exactos Burgundia, ferè ſuos habuit principes imperio ſubditos,ſed ex proſapiis diuerſis. Poſtremi orti à comitibus Chabilonenſibus & Salinarum, principatum à Meraniæ ducibus coniugio adepti erant Imperatorum aſſenſu. Eorum ſtirps extinctis Ottone Ruperti filio, atque huius filio & nepote Philippis, in viuis eſſe deſiit. Nepos enim ex Margareta Flādrica ſobolem non procrearat. Habebat autem ſorores duas Otto, Margaretam & Iohānam. Margareta nupſit Huttino tunc regi Nauarræ propter matrem,& deinceps Franciæ regi. Ex hoc coniugio nata Iohanna regina Nauarræ, & collocata Philippo, Eburouicum comiti peperit Carolum regem Nauarræ. Altera Iohanna Philippo Valeſio regi in vxorem data, genuit ei Iohannem Franciæ regem & Philippum Aurelianenſem. Sublato igitur è viuis Philippo Ottonis nepote, Burgundiam ſibi deberi contendit Carolus Eburouix rex Nauarræ,quia deſcenderet à ſorore Ottonis natu maiore Iohanna, ſed excidit ſucceſſione propter ſuſpicionem incertæ & ambiguæ originis Iohannæ matris, cuius matrem Margaretam in adulterio correptam maritus Ludouicus Huttinus fame necarat. Excluſo itaque Carolo inuaſit Burgundiam deſolatam interitu principum Iohannes rex, atque eam Galliæ regno coniunxit, non iure aliquo peculiari regni,ſed hæreditario.

Hæc copulatio lites peperit & bella longa ac difficilia, quibus certatum eſt vſque ad Carolum V.Burgundiæ,ducibus conantibus ſeſe aſſerere in libertatem immunem ab omni clientela atque imperio regis: Auſtriaci deinceps repetentibus Burgundiam tanquam hæreditatem Caroli Burgundi:Francis prætendentibus iura feudorum, & quantum ad cętera pacta quædam à morte Caroli Burgundi cum Flandris inita. Vi tamen Burgundiam Franci hactenus retinuerunt.

Sed ad Carolum Burgundum reuertor,qui tum aliquandiu infidi regis Ludouici vndecimi, cui nihil tam familiare erat, quàm ex vſu & commodis ſuis ſine diſcrimine fidem fallere quibuſcunque, ſed præcipuè agnatis principibus, quos vt potentes nimis & factioſos, réſque regni & publicarum deliberationum conſilia turbantes, diminutos numero viribúſque aut extirpatos cupiebat,

huius

huius ergo inſidioſas molitiones cùm aliquandiu & ſuſtinuiſſet fortiter, & armis fœliciter vindicaſſet, edito ingenti prælio ad Allerium montem, regíque propemodum debellato pace extorta, ac fœdere bellum in Eburones tranſtulit, Leodióque ipſorum vrbe pro epiſcopo, cuius cauſã tutabatur, ſociis agnati regis armis expugnata ac diruta, rege à fœdere diſcedente, cui placato Carolo à reliquis Galliæ principibus minus periculi erat, ipſe ſeſe conuertit in Germaniam, inuitatus à Ruperto Bauaro, vt huic in Colonienſem epiſcopum electo ſuppetias ferret cõtra Hermãnum Haſſiæ Landgrauium, eandem dignitatem armis quærentem, quod Lotharingo alij tribuunt.

Hæc belli tranſlatio etſi Gallo grata erat, vt cui nil tam expediebat, quàm vt Carolus, ad cuius nomen expaueſcebat, committeretur cum hoſtibus potentioribus, tamen euentu nocuit ipſi & poſteris, quod occaſionem præbuit, vt mirificis artibus diu captatum & vix tandem acquiſitum Belgium à regno Galliæ rurſus auelleretur.

Non deſinebat autem Ludouicus in Carolum petentem Germaniam, quos poſſet incitare, fœdere inito cum Friderico imperatore, & Renato Lotharingiæ duce exſtimulato ad bellum eidem indicendum. Huic Renato mater erat Iolanta filia Renati Andegauenſis, qui ducta in vxorem Iſabella filia vltimi Lotharingiæ ducis è directa linea ſtirpis Bilioneæ, excluſis ſucceſſoribus maſculis comitibus Vallemontanis è collaterali linea eiuſdem familiæ propagatis, ducatum intulerat in familiam Andegauenſem. Sed Iolanta nupta Friderico Vallemontano reduxit eum ad veterem ſtirpem, procreato hoc Renato ex Vallemontano patre. Et offenderat Carolum Fridericus Imperator, qui petenti diadema, & nomen regium dignitatémque, & munus vicarij præſidis in imperio, vtrumque denegarat.

Quod ſe ergo hoc bello cum terrore Germaniæ feliciter expedito planè confideret, vel extorturum imperatori priora poſtulata, vel etiam imperij faſtigium Friderico deiecto conſequuturum, facilior in Bauaro defendendo fuit. Heſſo adhærebant Colonienſes & confœderatæ his aliquot atque etiam ſubditæ ciuitates. Inter confœderatas præcipua erat Noueſium quatuor infra Coloniam milliaribus, præfecturæ ſeu aduocatiæ nomine, vt vocant, imperio obnoxia. Ad hanc obſidendam cùm Carolus ex-

ercitum adduxiſſet, Fridericus imperator maturè ei occurrendum ratus imperatis vndique auxiliis exercitum coëgit circiter octoginta millium hominum, ſequentibus imperatorem ducem principibus pleriſque, quos anteibant Albertus dux Saxoniæ & Albertus marchio Brandeburgenſis. Nam vexillum imperij Saxoni erat commēdatum. Ad eius vrbis obſidionem explicatis quodam die aciebus vtriſque ac depoſitis ad ſtatariam pugnam, cùm cōflictus certus expectaretur, & Saxo, qui Friderici aciem inſtruxerat, moræ impatiens eſſet, ſubito conuerſis rebus in vtraq; acie pax proclamata eſt, quam conciliarant nonnulli ex Belgio proceres clam perductis ad colloquium mutuum Imperatore & Carolo.

Pax pridie Calend. Iunias, anno ſeptuageſimo quinto ſupra milleſimum quadringenteſimum, in eam fuit ſentētiam ſancita, vt Caroli vnica filia deſponderetur Maximiliano Imperatoris filio cum omnibus Caroli prouinciis, ſi abſque hærede maſculo ipſe decederet. Ita tunc quidem ab armis diſceſſum eſt.

A conditionibus pacis excluſi erant Ludouicus Franciæ rex, Sigiſmundus exarchus Auſtriæ patruelis imperatoris, Renatus Lotharingiæ dux, & Heluetij, qui in Burgūdiam impulſu Ludouici vndecimi irruperant prædabundi duóque oppida ceperant. Sigiſmundus verò Carolum irritarat cum aliis rebus, tum redemptione aliquot prouinciarum vrbium, quas illi aliquanto ante Heluetico bello diſtentus oppignorarat.

Carolus itaque Noueſio promotis caſtris Lotharingum adortus, magna parte ditionis eū pepulit. Dehinc in Heluetios Lotharingi ſocios progreſſus, primò caſtris ad Granſonem poſitis arcéque expugnata, mox fortuna ſeſe vertente, quarto Nonas Aprilis ab Heluetiis feſtinato acceſſu obrutus, fœdéque fuſus ac ſtratus, & caſtris exutus, amiſſis impedimentis, totiúſque exercitus opibus & ſua precioſa ſupellectile, vix ex inſequentium manibus ſeſe eripuit.

Paulò poſt iterum ad Moratum oppidum in confinio Allobrogum decimo Cal. Iulias, acie ab iiſdem victus, anno ſeptuageſimo ſexto ſupra milleſimum, quadringēteſimum, cum tertio Renato amiſſa recuperante, reduxiſſet exercitum ad Nanſeū, in ipſa obſidione pridie Epiphanias Domini ab Heluetiis circumuentus ac trucidatus interiit, cum vixiſſet annos quadraginta tres, menſem vnum, dies

vi-

viginti quinque,anno Chriſti ſeptuageſimo ſeptimo, ſupra milleſimum quadringenteſimum.

Hunc habuit exitum nimis ferox & effrænis inexpletæ ſuperbiæ impetus in Carolo, qui hoc ſuo caſu confirmat regulas: Quod infelicia ſint non neceſſaria bella,ſuperbia & fiducia potentiæ mota.Item:Qui amat periculum,peribit in eo.Item:Depoſuit potentes de ſede.Deſertum fuiſſe feruntà ſuis inſigni perfidia Campobaſſi Neapolitani, qui aliquando à Carolo colapho cæſus vindictæ occaſionem in id tempus diſtulerat.

In hos Caroli Burgundi motus inciderunt duo cometę. Horum alter anno milleſimo, quadringenteſimo,ſeptuageſimo ſecundo,Idibus Ianuarij ſub Libra effulſit,& initio lentè proceſſit,donec peruenit ad Arcturum. Inde totum propemodum hemiſphæriũ intra Zodiaci & æquinoctialis polos percurrit, celeritate tanta,vt vno die quadraginta gradus magni circuli, & cùm velociſſimus eſſet penè quatuor ſigna confecerit. Tandem vltimis diebus Februarij, iuxta decimum quartum gradum Arietis ſolis radiis ceu abſumtus euanuit.

Ab huius cometę conſpectu profectũ dicterium eſt,quo tẽpus notatur,quib. ſeſe in Miſnia venæ metallicæ Schnebergenſes aperuerunt, vbertate tanta,vt cunctas Germaniæ ſuperarint. Nuſquam enim vna vena tãtùm fudit argenti,quantum D.Georgij Schnebergæ.Complectitur autem dictũ anni tempus. Ecce cui cometa luxit.Annus tũc agebatur triceſimus ſecundus Imperij Friderici,quem qui ſint conſecuti motus,docent hiſtoriæ.

Alter cometa anno quinto poſt conſpectus eſt, cœruleo pallore ſubniger, quo anno Carolus Burgundus cæſus eſt.Ex cuius occubitu nouum mox bellum enatum eſt. Maximiliano & vrgente nuptias Mariæ Caroli filiæ,& deſtinatas doti ex pacto prouincias occupante, Gallis contra Burgundiam Flandriámque euaſtantibus, & quibuſdã Belgij proceribus, quorum dux & caput erat Philippus Raneſtenius, rex ad Gallos trahentibus, qui vehementer his nuptiis aduerſabantur, & id agebant, vt irritas redderent.Sed vicit fortuna Maximiliani, qui quanquam à ſeditioſis ſubditis grauiter exagitatus, ſemel etiam Brugis obſeſſus, pericula non leuia pertulit, tandem tamen octennij totius bello præcipuas prouincias ſoceri Caroli omnes induſtria, victoriis & ſumptibus vnius præcipuè Alberti ducis Saxoniæ recepit, Philippo Raneſte-

rio,clientelis & ſociorum auxilis exuto,qui Belgio relicto cum ad Gallos ſe contuliſſet, creatus claſſis Gallicæ præfectus aliquanto poſt ad Lesbum inſulam infœliciter cum Turcis conflixit.

Imperator Matthia rege extincto rediit in Auſtriam tertio ante obitum anno:ſed nihil admodum geſſit,niſi quod reliquias vagorum latronum ex eo exercitu,quem vocitarunt nigrum,deleuit, multis acie trucidatis,nonnullis ex fuga præcipitatis in obuia flumina, aut necatis laqueo. Partem enim illorum multo maximam Albertus frater eius antea ſuſtulerat.Cùm autem incommodius valeret ex phagædena pedis, Lincij commoratus eſt vt plurimùm,vbi tandem melonum intemperantiore vſu proſtratis languidi & imbecillis ſtomachi viribus in diarrhœam incidit,qua abſumptus expirauit,decimo quarto Cal.Septembris.

Anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo,nonageſimo tertio.

Anno mundi quinquies milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo quinto, Ætatis ſeptuageſimo octauo.

Cùm imperaſſet annos quinquaginta tres, mēſes quatuor,dies quatuor,ſuperatus triennij imperio ab Auguſto, quem triennij ætate anteceſſit.Reliquit Maximilianum filium & Cunegundam filiam, quam Sigiſmundus patruelis exulante imperatore & eodem inſcio, atque inuito collocauit in vxorem Alberto Bauaro. Idem poſtea abdicata gubernatione ditionem ſuam Maximiliano conceſſit imperatore excluſo.

Verè bellatrix fuit hæc ætas. Acerrimos enim & præſtantiſſimos in re bellica duces produxit non vno in loco aut regno, ſed pluribus ac diuerſis toto orbe terrarum, etſi in ipſis monarchis orbis Chriſtiani imperatore præſertim & Ludouico vndecimo, adeóque in ipſo Baiazete tyranno Turcico, plus calliditatis fuit ac verſutiæ, quàm fortitudinis bellicæ.

Germania tres habuit origine nobiliſſimos, & induſtria militari;ac bellica laude clariſſimos principes, Albertum Saxonię ducem, Albertum marchionem Brandeburgenſem, & Fridericum Victorioſum comitem Palatinum ad Rhenum.

Albertum Saxonem nomine & aſpectu Vngaris Galliſque & Belgis ac Friſiis terribilem,ſagacitate atque in conſiliis promptitudine ac celeritate admirabilem, fortitudi-

ne

ſte atque vehementia in ipſo prœliorum feruore intolerabilem, moderatione poſt victoriam & clementia ſalutarem fuiſſe, ipſorum hoſtium confeſſio oſtendit. Contra hos enim populos pro imperatore, vt maieſtas imperij maneret inconcuſſa, atque illabefacta, fortiſſime pugnauit. Gallos Belgio exturbauit, idémque continuo octēnij bello eóque aſpero admodum ac difficili vix tandem pacauit à factionibus & ſeditionibus inteſtinis. Matthiā regem in Auſtria ad paciſcendum de pace & amplectendas conditiones quas tulit, adegit. Quibus rebus pro imperio geſtis meruit, vt decreto publico vocaretur, Dextra manus imperij, & deſignaretur dux copiarum publicarum. Mortuus eſt anno quingenteſimo ſupra milleſimum, quo anno menſe Aprili viſus eſt cometes.

Alberto Brandeburgico tributum eſt cognomentum Achillis Germanici à Papa Pio ſecundo, authoritas ac celebritas tanta fuit, vt deliberatum ſit de committenda ei ſumma belli Turcici præ cæteris. Cum aduerſus eum omnes ſuperioris Germaniæ ciuitates, vt dixi, iuuare ſtatuiſſent Noricos, quibus ille bellum indixerat, & compararetur numeroſus exercitus, interroganti cuipiam, cur tanto apparatu adornaretur bellum aduerſus vnum principem & eum quidē nō ditiſſimū, reſpondit vnus ex primoribus ciuitatum: Deſipis, inquit, in Alberti aſtutia & fortitudine omnium Germaniæ principum vires opéſque continentur. Nec vanum fuit hoc illius augurium. Nam ſeptem & decem principes in partes ſuas traxit, ciuitatéſque multis attritas incommodis pacem petere coëgit. Multa fortiter & manu fecit, cum in medios confertóſque hoſtes perruptis ordinibus editáque innumera ſtrage penetrauit, & muros ipſe inter primos in oppugnationibus oppidorum conſcendit, quarum rerum exempla de eo commemorat Æneas Siluius, cui fuit familiaris.

Dignum laude eſt Friderici Victorioſi Palatini trophęum defenſa ſcilicet aduerſus inſidioſas machinationes pontificum libertas & maieſtas imperij.

Vngaricam gentem hoc ſeculo nobilitarunt res geſtæ duorum Hunniadum Iohannis patris & Matthiæ filij. Matthias initio gubernationis ſuæ ſeditioſorum agmen, qui duce Telepho Boemo in iugis Carpathi latrocinia exercebat, partim regno expulit, partim interfecit, Polonos repreſſit. Draculam Walachorum tyrannum cepit. Halibeium Baſſam à Mahometo Turcico tyranno immiſſum

in Syrmium & limites Illyrici, duobus prælijs ita attriuit, vt & Mahometes & Baiazetes filius Mahometis pacem petiuerint. Exercitu ductoin Boſnam, Iaizam caput regni Turcis ademit. Longius tum verſus Thraciam progredi non voluit, intelligens ſe vnum tanti belli molem ſuſtinere non poſſe, & in fœderatis nihil ſpei eſſe. Poſtea cum Mahomete mortuo filiis de regno diſſidentibus, diſcordia domeſtica occaſiones rei præclarè gerendæ opportunas obieciſſet, triſti eum Europæ fato à bello Turcico abduxerunt artes pontificis, qui regni Boëmici titulo à Georgio Boiebracio in ipſum tranſlato, noua bella accendit inter Matthiam & Boiebracium, atque Boiebracij ſucceſſorem Ladiſlaum Polonum, quibus bellis Matthias infeliciter implicitus aliquoties à Boiebracij copiis, Henrico eius filio duce cæſus & profligatus: Morauiam tamen & Sileſiam ſpontanea illarum gentium deditione magis quam vi & armis Vngariæ regno coniunxit. Oderant enim hæ gentes excommunicatum à ſede Romana Boiebracium tanquam hæreſeos reum. Luſatia tamen neutra à Boëmo deſciuit, nec vnquam Matthiam dominum agnouit, etſi id minis & armis quæſitum fuit.

Ladiſlao in regnum Boëmiæ traducto, recruduit bellum, hoc auulſas prouincias repetente. Adduxerunt tunc exercitus ad vrbem Vratiſlauiam tres potentes reges: Caſimirus Polonus, Ladiſlaus Boëmus, Matthias Vngarus, qui celeritate reliquos duos anteuertit vrbe præoccupata, vt totis viribus de Sileſiæ Morauięque imperio decertaret. Ibi cum in Boëmia & vicinis regionibus exercitus vaſtitatem paſſim efficerent, & à rege victore, in alterutram partem ſeſe fortuna inclinaſſet, his terris graue periculum impenderet, contraxerunt exercitum circiter ſex millium equitum ex ea Germaniæ parte, quæ & numero & robore equitum antecellit. Erneſtus dux Saxoniæ elector, & Iohannes marchio Brandeburgenſis, Albertis ambobus Saxone & Brandeburgico tunc contra Carolum Burgundum imperatori opem ferentibus. Et cum Vngaricas copias, quę à Matthia rege, Alberto Saxoni infecto, in Luſatiam immiſſæ, ad limites Miſnicos vſque, populabundæ excurrerant, repuliſſent, profecti Vratiſlauiam, perfecerunt, vt reges, omiſſo infelici bello, finerent rem componi, iis conditionibus, quas propoſuerunt, quæ, ne contemnerentur, affirmarunt, ſe adiūcturos eſſe ſuas copias illi, qui aſſentiretur, oſtendentes, vt olim dicebatur, ἅμα τῷ κηρυκείῳ δόρυ. Cau-

ſæ

ſæ orator, in conſeſſu regum, & principum,fuit marchio Iohannes,quam,tanta cum grauitate,& vehementia egit, vt,præ admiratione , aſtantes obſtupuerint, & iudicatum ſit,quanquam multi adeſſent ingeniis, vſu & eloquentia excellentes , neminem tamen , in eo cœtu,tam ſplendidè peroraturum fuiſſe. Ita tunc, virtute Erneſti Saxonis,& eloquentia Iohãnis marchionis, hæc ora Germaniæ magno diſcrimine liberata,rediit ad tranquillitatem.

Pax,die duodecima Februarij, anni milleſimi,quadringenteſimi,ſeptuageſimi quinti , his conditionibus firmata eſt, vt Ladiſlao ad Boëmiam,pars Sileſiæ, quæ montibus Sudetis adiacet, & vtraque Luſatia accederent. Reliquam Sileſiam,& Morauiam poſſideret Matthias, ſed ea lege,vt, ſi abſque maſculo hærede decederet,rediret ad Ladiſlaũ:Si gigneret hæredẽ, liberum eſſet Ladiſlao vel illi relinquere prouincias,vel redimere eas,ducentis millibus aureorum.

Sed præcipuam Matthiæ laudem,apud poſteritatem,peperit cognitio,admiratióque doctrinarum,omnis generis, ſingularéque,in his propagandis,ſtudium,& munificẽtia, ac reuerentia ergá viros eruditione excellentes, de quorũ monumentis , & commendatione , magis inclaruit apud poſteritatẽ, quàm ſuo ſeculo,virtute ſua, aut rebus geſtis. Cùm enim & hoſtes vincere, & virtutem liberaliter exornare, regiæ fortunæ munus præcipuum duceret, inuitatis ad ſe viris doctis , & inuectis in Pannoniam nobilioribus ſtudiis,ita gentis ad arma natæ, ingenia ferocia emolliuit, vt regnum ex plumbeo,aureum reddidiſſe,diceretur.

Bibliothecam comparauit ingenti ſumptu,quanta extra Italiam nulla eſt.Ex hac prolata ſunt Polybij, & Diodori Siculi fragmenta, quæ primùm prodierunt. Delectatus eſt maximè hiſtoriarũ cognitione,quas ex Græca lingua,multas in Latinam transfundi,ſui vſus cauſa,curauit. Didicit etiam ſtudioſè multa de ſtellarum motibus,& effectionibus.Multos viros doctos,præcipuè verò mathematũ peritos & poëtas ad faſtigia honorum ampliſſimorum euexit, ac,præ cæteris, fauore, venerationéque ſingulari,complexus eſt Iohannem Regiomontanum, quem tanti fecit,vt crebrò eum , eruditorum colloquiorum cauſa , & menſæ contubernio adhiberet. Extinctum tradunt Viennæ,apoplexia, anno ætatis quinquageſimo ſexto, anno Chriſti, nonageſimo ſupra milleſimum , quadringenteſimum, eo feſto die,qui Palmarum memoriæ dicatus eſt.

Minimè verò contemnenda conſtantia eſt,& fortitudo

Georgij Boiebracij ac filiorum, qui, quanquam expoſiti eſſent odiis,& periculis immenſis, quę conflarat eis pontificij anathematis execratio,& armis aſſiduè laceſſerẽtur, non abiecerunt tamen agnitæ veritatis profeſſionem. Ideò protexit, & adiuuit eos Deus, vt, pulſis hoſtibus, ſéque,& regnum tutarentur, atque conſeruarent. Victorinus filius, obſeſſum Viennæ Imperatorem, à ciuibus, liberauit. Idem, cum fratre Henrico, feliciter aliquoties Matthiam vicit,& reliquias copiarũ, ab vrbe Glogouia, profligatas, ad internecionem cecìdit. Imperator, vt virtutem tantam, egregio remuneraretur, & cõdecoraret præmio, duces eos creauit. Pater Sileſiæ partem eis attribuit. Ab Henrico enim defluxit ſtirps ducum Meunſterbergenſium. Boiebracij maiores è ſtirpe comitum Niddanorum, ſanguinis Germanici, tranſierunt in Boëmiam, Friderico ſecundo imperante.

Epirus Scanderbeium habuit.

In Italia, diſſidia eorum, qui de Mediolanenſi principatu, iuris prætextu,& armis contendebant, aditum ad eundem patefecerunt Frãciſco Sfortiæ, mercenario militi, nato Cotignolæ, antiquo Togatæ Galliæ oppido, iuxta viam Æmyliam, agri Fauentini, ex Attendula familia ignobili, ſed honeſta. Nã vita fũcto Philippo, in quo Vicecomitum vetuſta progenies, à Matthęo magno ducta, defecit, nemo ex ea ſtirpe ſupererat, præter Valentinam, Philippi ſororem,& Blancam, Philippi, ex Agnate Maina, nobili concubina, natam. Valentinam Iohannes Galeacius pater, Ludouico Aurelianenſi, Caroli V. Galliæ regis filio, nuptui dederat, Aſta vrbe in dotem conceſſa, & ſuperaddita conditione, vt, ſi fratribus nouæ nuptæ, nulla ſoboles legitima ſuperſtes eſſet, Valentinæ filij, vt legitimi ſucceſſores, Inſubium principatu potirentur. Sed talibus dotalibus, in hanc ſententiam cõfectis, deerat Imperatoris Romani authoritas, quam deinceps Pontifex Romanus, vſitata impudentia, rapiens, alieni muneris officia ſuppleuit. Blancam Philippus pater, Franciſco Sfortiæ collocarat, addita in dotem Cremona.

De iure ſucceſſionis itaque, cùm hæres maſculus deeſſet, multi contendebant. Ad Fridericum Imperatorem reuoluebatur ducatus, legibus Feudorum, quibus inſiſtebat. Huic Carolus Aurelianenſis, qui, Ludouico patre, inſidiis Iohannis Burgundi, Pariſiis interempto, Valẽtinæ matris, mox ſubſecutæ, ius, hæreditate exceperat, opponebat ſanguinis neceſſitudinem, propter quam ipſi deberetur ducatus,

catus,

catus,ex inteſtato,ſimúlque pacta, & conuenta,pontificia authoritate roborata.

Alponſus Arragonius, is, qui Neapolin occupauit, teſtamento ducatum ſibi vendicabat,quoniam Philippus,vt Venetorum conatus,qui tum Mediolano imminebant, eius virtute, eliderentur, primis, ac verioris teſtamenti tabulis,ipſum hæredem reliquiſſet.Franciſcus Sfortia,hæreditario iure, coniugis, notæ Philippi filiæ, & teſtamenti recentioribus tabulis,nitebatur. Mediolanenſes verò ad libertatem aſpirabant. Hæc contentio in eum deſiit euentum,vt Franciſcus ius ſuum neglexerit,multitudine hæreditatem contentioſè petentium abſterritus, & detentus domeſticis bellis.Carolus Aurelianenſis,tranſmiſſo in Italiam,cum iuſtis copiis, Reinaldo duce, eóque à Mediolanenſibus ſuperato,captóque,principatu exciderit.Alphonſus, cùm incerto belli euentu, hæreditatem procul diſſitam, & circumſeſſam vndique à competitoribus, minimè vendicandam cenſeret, etiam quieuerit. Veneti, qui in omnem opimam prædam, ingluuie, rabiéque inſatiabili, inuolare conſueſſent, & Sfortiæ ſoli arma expediuerint, ex occaſione diſſidiorum, eò quòd Mediolanenſibus,reliquæ ciuitates ſubeſſe, atque parere recuſarent,& alij alios dominos quærerent.

Hoc dubio,incertóque ſtatu, Placentini,& Laudenſes vltro Venetis ſeſe dediderunt. Papienſes,& Derthonenſes receperunt Franciſcum Sfortiam. Nauarrenſes Vercellis proximi, reſpectarunt ad Allobrogem. Venetis,ex primo ſucceſſu, penè certa ſpe,ſibi principatum deſpondentibus, conductus eſt à Mediolanenſibus, Sfortia, quí,expugnata Placentia, Laudéque recepta, Venetas vires memorabili prælio,ad Carrauaggium fregit, cúmque hi pacti pacem, inſidioſè eum, promiſſis auxiliis, incitarent ad Mediolanenſe Imperium inuadendum, etſi poſtea rurſus,conuerſa fide, ab ipſo ad Mediolanenſes defecerunt, Sfortia tamen armis,& fame,vrbem perdomuit, & receptis oppidis reliquis,principatum ſibi ſubiecit,ac ſtabiliuit.

Deerat ſola authoritas Imperatoris,quã,cùm multò ære mercanda eſſet, ſemel imploratam fruſtra,expoſcere deinceps,& vrgere deſtitit, non magnopere veritus vim aliquam ab Imperatore,multis bellis diſtento. Idem, exẽplo patris,fecit Galeacius,qui,pręmatura morte abreptus,cùm tutelam impuberis filij Iohãnis Galeacij, fratri Ludouico, cognomento Moro,commendaſſet,in homine ambitione

cæco,& furente,ac iam ante, inſana Imperij cupiditate,ęſtuante,id deſiderium,occaſione prębita,adauxit. Nā cum Morus,morę eſſet impatiens,mox à fratris morte,Iohannem Galeacium iam ex Iſabella Arragonia , patrem Franciſci,& Bonæ liberorum;nulla habita ratione ſanguinis,tabifico veneno infecit,quo ille paulatim conſumptus eſt,& cùm Arragonij , pro Iohanne, arma pararent;euocauit in auxilium, Carolum octauum,Galliç regem;iam ante,totis viribus,meditantem bellū in Arragonios , ad perſequenda domus Andegauenſis iura. Deniq; vt conſenſu authoritatis publicæ,etiam ſeſe cōfirmaret,à Maximiliano Cæſare, quatercentum millibus aureorum nummûm impetrauit, per diploma ornamenta,ac titulos principatus.

Hoc Mori,ex inſana,cæcáque ambitione,profectū parricidiale conſilium,& facinus,cùm ipſi,liberíſque exitiale, tum Italiæ toti funeſtum euaſit. Nam poſtquam Carolus octauus,celeri,& incruēta victoria, Arragonios Neapolitano regno exegiſſet,& profligatis ad Tarrū Venetis , incolumis in Galliā remeaſſet , Ludouicus,Caroli Aurelianēſis filius,qui poſtea duodecimus,hoc nomine in Gallia regnauit , vſus occaſione occupandæ hęreditatis , quam victoria Caroli attulerat , caſtris regiis, ex Aſta vrbe ſua, promotis,Nouariam occupauit. Sed progreſſurum inde, confœderatorum hoſtium exercitus, repulit;& obſeſſum, Nouaria abire coëgit.

Rediit ad arma triennio poſt , cùm , Carolo octauo filium non relinquente,regnum obtinuit;initóque cum Venetis fœdere,Ludouicum Morum,ducatu expulit. Cōcitauit Sfortia,in Venetos,Baiazeten Turcicum Tyrannum,& in Italiam vſque pellexit, ſed caruit euentu conſiliū,quanquam Venetos Baiazetes grauiter afflixit. Gallus tandem Sfortiā è Germania, Heluetica, Rheticáque auxilia attrahentem,ad Nouariam cepit, deductúmque in Galliam,in carcerē incluſit, in quo,anno quinto poſt,miſerrimo interitu,pœnas expēdit,cōmiſſi patricidij,& rapti principatus.

Perductus eſt in Galliam & Franciſcus , Iohannis Galeacij filius,adoleſcens admodum, ibíque legibus cucullatorum initiatus, monaſticis in clauſtris,extra ſpem Imperij paterni,conſenuit.

Ita Ludouicus duodecimus Inſubrum principatum adeptus,cùm poſſeſſionem, authoritatis publicę cōſenſu,corroborandā eſſe exiſtimaret;Maximiliano, conceſſionis tabulas , interceſſione quorundam, auro corruptorum,arte elicuit.

dicuit; Vt Ludouicus, eiúſque gener ex Claudia filia, Frãciſcus Angoliſmorum princeps, qui, poſt eum regnauit, liberíque demum eius poſteri, ac ſucceſſores, beneficiario iure, Mediolani duces eſſent.

Sed tabulis inſerta erat particula, quæ oſtenderet, conceſſionem, ſine alieni iuris præiudicio, factam eſſe. Hac nixus particula, Iulius Pontifex, vt Gallos, qui iam Ligures, Venetóſque terreſtri Imperio penitùs exuerant, & ad Italiæ Imperium contendebant, Ciſalpina Gallia penitùs eiiceret; perfecit, vt Helueticis, & Venetis armis, Maximilianus in paternum principatum reſtitueretur, quem tenuit vſque ad Frãciſci regis aduentum; qui, capto, ad radices alpium Cocciarum, Proſpero Columnio, deuictíſque, iuxta Mediolanũ Heluetiis, inſigni prælio, victor inde Mediolano potitus, Maximilianum intra arcem, acri obſidione coarctatum, ad deditionem compulit.

Ex veneficis potionibus mente motum fuiſſe, conſtat, in quam perturbationem animi deinceps, in Galliam traductus, cùm ſæpè, ex recordatione priſtinę felicitatis, & aſpectu, ſenſúque orbitatis præſentis, recidiſſet, poſt aliquot annos, vaga febre correptus, interiit.

Reſtabat Franciſcus frater. Hũc Carolus Quintus Imperator, Proſpero Columnio, Ferdinando Piſcario, Nicolao Salma, & Georgio Fronſpergio ducibus, reduxit, Gallis ſuperatis, gemino prælio: vno ad Bicocã, cui Lothergius: altero, cui apud Gallos Amirantes præerat; Heluetiíſque vno itidem, ad Seſithem amnem; Franciſco verò rege tandem ad Ticinum capto. Sed mox accuſatum proditionis, Piſcarius & Antonius Leua, qui Mediolanum non Sfortię, ſed Cæſari partum volebant, grauíque obſidione circumuentum in arce Mediolanenſi, ferè tota ditione ſpoliarunt. Etſi verò Clemẽs Pontifex, Veneti, ipſíque Galli, ex hoſtibus, ſocij facti, ac defenſores, quorum omnium intererat non augeri in Italia Imperium Caroli, plus nimio tuendum Sfortiam, coniunctis armis, ſuſceperunt: hanc conſpirationem tamen contempſit fortuna Caroli, ita, vt qui fruſtra conati eſſent Sfortiam reponere in principatum, mutato conſilio, cogerentur precibus impetrare, quod armis nequiuerant. Cæſar enim permotus interceſſione eorum, quos diximus, Sfortiæ reuocato Bononiam, ſub fide publica, ducatum reddidit, deſponſata ei ſimul Chriſtierni, regis Daniæ filia, ſorore ſua genita, vt duplici beneficio Sfortiam obſtrictum haberet, atque obnoxium

contra Gallos. Sed hæ nuptiæ, licentius delitiis nouæ nuptæ indulgenti, mortem accelerarunt. Deceſſit tum fortè, cùm Cæſar, Tuneto capto, Neapolin rediēs, inde Romam triumphabundus adiit.

In hoc Frāciſco, Sfortiana ſtirpe extincta, rex Frāciſcus, à Cæſare poſtulauit, Mediolanenſem principatum ſibi, & liberis, hæreditario iure, & Maximiliani Imperatoris conceſſione debitum, reddi. Sed Cæſar, cui opportunam & opulentam ditionem, è manibus dimittere, & Gallos in Italia pati regnare, cōſultum minimè videbatur, id ſe facturum negabat, niſi Carolus, Allobrogum dux, nuper, Gallicis armis, ditione ſua excuſſus, reſtitueretur. Fecerat id Frāciſcus, quodam iuris prætextu, allegans pacta, quę natis ex Ludouica Sabauda, Philippi filia (ea erat mater Franciſci) ſucceſſionē, à morte Philippi, promittebāt. Sed verior cauſa erat, vt eo principe, qui Cæſari fauebat, velut obſtaculo intermedio remoto, certiorem ſibi, expeditioremque aditum, ad Inſubrum principatū, aperiret. Fuiſſe quæſitas cauſas à Cæſare, quibus poſtulata Franciſci eluderētur, & cōfirmato Hiſpanorum Imperio, arcerentur in poſterū Galli, ab Italia, multi nō temerè iudicant. Certè vt tunc, à propoſito inuadendæ Longobardiæ, Gallos, duplici bello diſtractos, auerteret, terra marique Narbonenſem prouinciam, & vno ſimul tempore, è Belgio Morinos, Ambianóſque, eum inuaſiſſe, non eſt obſcurum.

Retinuit itaque Mediolanū Carolus, quoad vixit, cúmque id poſſideret titulo iuris publici, quod Imperatoris eſt, certis pactis deinceps in Philippum filium tranſtulit. His affecta mutationibus Longobardia, ab interitu ſtirpis Vicecomitum, calamitatibus ſuis, non leuiter ſimul Venetos perculit, & cæteros vicinos, implicatos tamē his malis, ſua magis, quàm aliena culpa. Nam dum ampli Imperij auidi, nimis impotenter aliena concupiſcunt, & dum formidine quadam, ac diffidētia, nimis curioſè, ſollicitéque fatis occurrere nituntur, in fata ſeſe, réſque ſuas præcipitarunt, vſitato errore ſapientiæ humanæ, quæ ad occaſiones leuiſſimas, cupiditates, & ſpes immenſas, ſuáque opinione infallibiles, concipit, & ſe fœderibus accuratè, prouidéque munit, ac horum fiducia, de opprimendis iis, quos creſcere nō expedit, conſilia cudit: & quibus artibus, effloreſcenti aliorum fortunæ, maturè obuiam eundum ſit, mirifico contextu conſiliorum, ſtruit, quæ deinde leuiſſimo momento eliſa, vel labefactata, in neruum erumpant.

Et

Et ſuis etiam exagitata motibus Apulia, ex conflictu inter ſe, Arragoniorum, ex Hiſpania; & Andegauenſium, è Gallia, regulorum: quod bellum intermiſſum, quandoque, & ex interuallis redintegratum, in annum ſeſe extendit viceſimum. Occaſiones inde extiterunt. Iohanna regina, de qua dictũ ſupra eſt, Ladiſlao rege fratre extincto, cùm non contenta tertiis nuptiis, impudentiſſimis amoribus palam indulgeret, à Martino Pontifice, & Ludouico Andegauẽſe, armis petita eſt. Sed verior cauſa fuit, quod Ludouicus, ex ſpe, à Põtifice facta, in præmium nauatę, cõtra Ladiſlaum, egregiæ in bello operæ, regnum Neapolitanũ ſibi deſtinarat, ac deſponderat. Propter hoc bellum, Iohãna in metu conſtituta, Alphõſum Arragonium, qui tum in Corſica, magno apparatu, Bonifacium vrbẽ oppugnabat, cum valida, atque expedita viginti roſtratarum nauium claſſe, Neapolin accerſiuit, cuius virtute, cùm Gallorum, & Sfortiæ vim repreſſiſſet, Alphonſum in filium adoptauit.

Erat autem Alphonſus natus patre Ferdinando, filio Iohannis regis Caſtellæ, qui, diſſidẽtibus inter ſe Arragoniis, de rege, cùm plures regnum appeterent, delectorum ordinum ſuffragiis, cæteris prælatus, Tarraconenſe regnum, & paulò poſt, Siculum, rege Martino, ex Arragoniis vltimo, defuncto, obtinuit. Sed Alphonſus, vt antecelluit ſapientia cunctos ſuæ ætatis reges, ſic paulò poſt, impatiens muliebris Imperij, & peroſus ſpurcitiem intemperantis, atque inuerecundæ libidinis, Iohannam, Caracciolo eius amatore, in vincula coniecto, palam armis oppugnauit, ac Neapoli expulit. Idcirco Iohanna eum, tanquam ingratum, & impium, apud Pontificem, facilè, promiſſo ſubiectionis, ac deditionis, placatum, accuſauit; & priore adoptione reſciſſa, Ludouicum Andegauenſem, in Alphonſi locum aſciuit.

Inde grauiſſima bella ſecuta ſunt, in quibus, alternante fortuna, nunc Arragonij, nunc Andegauenſes Neapoli potiti ſunt. Mortuo enim Ludouico, ad Renatum eius fratrẽ, bellum, eodem iure, tranſlatum eſt; quod, patre Britannico bello occupato, excepit Iohannes filius, qui cum Ferdinando, Alphonſi notho filio, ſed, ex teſtamento patris, Neapolitani regni hærede, magnis viribus, per aliquot annos, rerum ſucceſſu parum proſpero, decertauit, donec ad Troiam, extremo prælio, profligatus, regnóque, & Ænaria inſula, quæ hodie eſt Iſcla, pulſus, cùm in Galliam ſeſe naui recepiſſet ex febre oppetiit, ſuperſtite adhuc patre Renato, qui mox, & ipſe, ſine liberis, è vita excedẽs, Carolum

Mainum, ex fratre nepotem, teſtamento hæredem fecit. Sed cùm & hic ſobole careret, inſtituit hæredem Ludouicum vndecimum, Galliæ regem, Caroli octaui patrem. Hunc, etſi regni proceres ſæpe hortati eſſent, ad repetendam Neapolin, perſuadere tamen non potuerunt, vt arma efferret extra regnum prius, quàm ſublatis infenſioribus regulis, & agnata ſtirpe, qui in caput eius conſpirarant, Carolo filio regnum Galliæ, omni metu, inſidiiſque omnibus vacuum, traderet.

Alphonſus, anno ætatis ſuæ, ſexageſimo quinto, menſe Iulio, anni milleſimi, quadringenteſimi, quinquageſimi octaui, deceſſit Neapoli. Moriens reliquit Arragonicum, & Siculum regna, fratri Iohanni, tunc regi Nauarrę, pro Blāca vxore: Neapolitanum Ferdinando notho filio, cui Carolus octauus bellum mouit. Sed dum bellum parat Carolus, moritur Ferdinandus, octauo Cal. Februarias, anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo, relictis filiis Alphonſo ſucceſſore, & Friderico, atque ex Alphonſo, nepote Ferdinando.

Iohānes Arragonius, Alphonſi frater, Siculum regnum Ferdinando filio, ex ſecunda coniuge genito tradidit: & eidem ſororem Henrici regis Caſtellæ, matrimonio iunxit. Tandem verò Henrico quarto, vlterioris Hiſpaniæ rege, cum vxore, ab Eduardo rege interfecto, filióque Alphonſo præmatura morte ſurrepto, quod Henrici filia diceretur eſſe ex adulterio nata, Ferdinandus, propter vxorem, regnum Caſtellæ occupauit, Henrici filia excluſa. Ita Ferdinandus, cum Siculo, regna vtriuſque Hiſpaniæ vlterioris, & citerioris, copulauit, & his mox victricibus armis fortuna fauente, duo alia, Granatenſe, & Neapolitanum etiam adiecit, atque vniuerſa illa in Carolum quintum, ex filia nepotem, tranſtulit.

Granatenſe regnum, Mauris pulſis, edomuit Ferdinandus, conſilio, & opera Conſalui magni, cuius, ex Aquilaria Cordubenſi familia, origo, maiorum illuſtrata rebus geſtis, de ipſius virtute, hoc bello, magis enituit. Regnarunt Granatæ, eo tempore, duo inter ſe diſſentientes reges. Vrbs ipſa in Bætica, ex antiquis Illiberis ruinis conſurrexit, & quod mali punici, ex maturitate rupto cortice, dehiſcētis, formam referat, nomen inueniſſe putatur. Bulahaze mortuo, Baudeles frater eius, cognomento Alzagal, quę vox, punica lingua, virum audacem, & expeditum ſonat, traducta in partes ſuas dimidia regni parte, ſeſe regem conſtituerat,

tuerat,

tuerat, & Alambra ſe arce tenuit. Duas enim vrbs arces habuit,in oppoſitis collibus inter ſe aduerſas,mediáq; valle diremtas,quam explent ædificia vrbis. Alter eodem nomine, Bulahazis filius,patre viuo,à poſſeſſæ vrbis ditione, Gaudix appellatus, Albiazinam arcem incoluit. Vtrique longo bello fatigato,fractóque,cùm ex omnibus circumcirca oppidis, vrbibúſque deiectis,ac trucidatis Maurorũ præſidiis, ſpem defenſionis vlteriorem ademiſſet, altero Baudele in fines ſeſe Ferdinandi conferente, hortatu, ductúque Conſalui, altero in Mauritaniam, traiecto mari, profugiente, Ferdinandus regno potitus eſt,excluſis tota Hiſpania, vel ſub iugum redactis, & ad fidei Chriſtianæ profeſſionem adactis regulis Maurorum, & ſubditis; vnde cognomentũ Catholici tulit, poſt annos fermè ſeptingentos,ex quo Miramolinus rex Maurorum,qui ad montem Atlantem habitant, attractus contra Rodericum Gottorum regem, vt ſupra indicaui,Muza duce,Hiſpaniæ magna parte perdomita, regnum illud condiderat.

Vrbem triumphans intrauit quarto Nonas Ianuarias, anno à nato Chriſto Saluatore, nonageſimo ſecundo, ſupra mille quadringentos. Conſaluus iſte meritò inter viros bellicoſiſſimos, non tantùm huius ſeculi, ſed multorum aliorum,collocatur.Nam huius virtute,Ferdinandus, non tantùm, Maurorum regnis euerſis, Hiſpaniam omnem vno Imperio complexus eſt, ſed mox etiam Neapolin Gallis eripuit.

Hiſce annis,duo fulſerunt cometæ. Alter eorum, Iunio menſe, anni milleſimi, quadringenteſimi, quinquageſimi ſexti, in decimo quinto gradu Cancri,orientem verſus exarſit,toto conſpectus menſe, tanta comæ longitudine,vt huius tractu,amplius quàm duo cœli ſigna,occuparit. Alter,anno ſequente,eodem mẽſe, in viceſimo Piſcium gradu effulſit,ex eo cometarum genere,quos Nigros vocant. His ſignificatos eſſe motus,&domeſticos,& externos,quibus Europa miſerabiliter quaſſata eſt,& afflicta,valdè cõſentaneum eſt.Nam & Mahometes,capta,ante triennium, Conſtantinopoli,plurimas Græciæ,& Aſiæ vrbes ſubegit. Belgradum, quanquam irrito conatu,oppugnauit. Lemnum,Mytilenem & totam Eubœam edomuit.Reliquę Europæ prouinciæ inteſtinis flagrarunt bellis. In annum ſequentem cadit mors Alphonſi, cuius poſteritas mox cum Andegauenſibus Gallis,grauiſſimis,& diuturnis bellis decertauit,pro regno Neapolitano.

Anno decimo quinto poſt, id eſt, anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, cometa ſub Libra eluxit, qui initio tardius proceſſit, donec peruenit ad Arcturum. Inde incitato curſu, per crura Bootę, medio inter duos Zodiaci, & æquinoctialis polos, itinere, tanta celeritate ceu euolauit, vt vno die ad quadraginta gradus magni circuli confecerit.

Incidit in hæc tempora, in annum ſcilicet, quinquageſimum quartum, ſupra milleſimum, quadringenteſimum, defectio Boruſſorum, à Marianæ familiæ militibus ſacris, ad Polonos, quibus tum imperabat Caſimirus Iagellonis filius, qui aliquot annos ante, vires Marianorum vehemẽter debilitarat, crebris victoriis partis. Cauſſam defectioni dediſſe memorant, impotẽtem, crudelem & contumelioſum dominatum Marianorum: & conſentaneum eſt fuiſſe conditionem ſubditorum difficiliorem, ac duriorem, propter aſſidua bella. Accepti ſunt autem Boruſſi in fidem Polonorum, his conditionibus, vt in ſocietatem ordinum regni adſciſcerentur, ad honores, ac magiſtratus admitterentur, in comitiis, ſuo loco, ſententias dicerent, nec excluderentur à conſultatione, & ſuffragiis, cùm rex creandus eſſet. Cætera ſuis legibes viuerent, iure quo vellent vterentur, quę bona quiſque, ante mutationem, ſiue priuatim, ſiue publicè poſſediſſet, ea deinceps quoque obtineret, telonia cuncta, & portoria à Marianis inſtituta, abolerentur, magiſtratus publici in vrbibus, & præfecturæ arcium externis, ne mandarentur, mercatoribus liceret tutò paſſim in Polonia negociari.

At Boruſſi, ne relinqueretur vlla occaſio aut Marianis, repetendę, aut Polonis, nouis dominis conſtituendæ tyrannidis, vafro, ſed opportuno conſilio, mox arces vrbibus impoſitas, præſidióque firmatas, hoc eiecto, diruerunt vniuerſas, priuſquam deditione in Polonorum venirent poteſtatem.

Ex hac Boruſſorum defectione renatũ inter Marianos, & Polonos bellum, incolas grauiter afflixit, totos annos duodecim, ad annum ſcilicet, ſexageſimũ ſextum vſque, ſupra milleſimum, quadringenteſimum; quo anno, ad decimum quartum Calendas Nouembris, pax inter Caſimirum Poloniæ regẽ, & familiæ magiſtrum Ludouicum Erlingshuſium, his legibus, facta eſt: vt Culmẽſis, & Michalouienſis ditiones, ad hæc Mariæburgum, Stuma & Chriſteburgum arces, atque oppida; Elbinga itidem, Turonia, & Tochemi-

Tochemita, & quæ ad Pomeraniam vergunt,vulgari Pomerellæ nomine,cederent Polonis.Reliqua retinerēt Mariani,ſed ita,ſi in fide,& clientela manerent Polonorum.

Fuit is annus,ducēteſimus, quinquageſimus,ex quo Mariani primùm,ſub magiſtro Hermanno Salcēſe,à Cunrado Maſonio, aduerſus rebelles Boruſſos, acciti,ſub cōditione vt,quæ armis perdomuiſſent, tenerent,ex quo ergo regionem illam cœperunt ſubiugare, debellatis partim,atq; ab idolorum cultu abductis, partim deletis incolis,nouíſque è Germania coloniis,paulatim cæterorum principum ope introductis, & regione paſſim culta,atque exornata ædificiis frequentibus, Germanico ritu,Friderico Imperatore, quicquid de prouincia illa occupaſſent; tanquam armis Germanicis partum, Imperio aſſerente, & vt Germaniæ coniunctum eſſet,ſanciente.

Quòd autem,edomitis Boruſſis, Mariani progrederentur,vicinóſque Lituanos,& Samogetas infeſtarent,& Poloni,ægrè ferentes, hanc ipſis prouinciam eripi, laceſſere eoſdem non deſinerent,mox inter ipſos, & Polonos noua bella exarſerunt,quæ Poloni, cùm,euocatis ad regnum,ex Lituania,Iagellonibus, acceſſione trium prouinciarū,ſuas vires auxiſſent, validius vrſerunt. Certatum eſt inter eos euētu vario, vſque ad eas quas dixi, pacificationes:ſed Marianas res defectio ſubditorum euertit. Cùm verò & pacificationes,in fraudem Imperij, factæ,iudicarentur,ſucceſſores minimè ſeruandas eſſe,arbitrati,bella renouarunt, vt dicetur ſuo loco.

Circa hęc eadem tempora, Veneti Cyprum inſulam adepti ſunt, hac occaſione: Suſceperat rex Cypri Iohannes, ex pellice, Iacobum nothum filium: ex legitima coniuge, filiam Carolotam,cui maritum quæſiuit Ludouicū Sabaudienſem, promiſſo regno dotis loco. Poſt mortem ergo ſoceri Ludouico in Cyprum euocato à ſubditis, dum cūctatur,regnum præripit Iacobus. Etſi hic autem aduentāti Ludouico ceſſit, Cypro relicta:tamen paulò poſt rediit, inſtructus Ægyptiis auxiliis, & fruſtra defenſum Ludouicū à Rhodiis,cum cōiuge,regno exegit. In eo ad hunc modū acquiſito,ſeſe vt ſocietate Venetorum muniret,petiit in vxorem Æcatarinam Marci Cornelij Veneti, filiam, quam Senatus adoptatam in filiam, vt aditum ad Cyprū ſibi patefaceret,ei collocauit. Sed nō diu,poſt nuptias ſuperſtes, coniugem grauidam Senatui Veneto commendauit, quæ enixa filium, hoc etiam in ipſis annis nutritionis extincto,

regnum Senatui, patria repetita, conceſſit.

Anno quadrageſimo, ſupra mille, quadringentos, eo ipſo ſcilicet, quo Imperium iniit Fridericus, inuentum eſt, ſagacitate, & ſolertia Germanorum, artificium Typographicum, excudendi libros, characteribus ex metallo nigri, cinereíque plumbi, æris, & ſtibij conflatis, Moguntia primos codices excudente. Hoc artificium agnoſcamus eſſe donum diuinitus generi humano communicatum, hoc ſeneſcentis mundi, vel potius ætate iam effœti, ac fatiſcentis, ſęculo, vt renaſcentis in Eccleſia ſincerioris doctrinæ & aliarũ neceſſariarum artium ſtudia, prolatis in lucem, è tenebris, omnis generis codicibus vetuſtis, inſtruerentur copioſa ſupellectile, optimorum ſcriptorum, quorum fuit authoritas ἀξιόπιστος, & ſubleuaretur imbecillitas, & ignauia hominum, fatali languore torpeſcentium. Vtinã tanto Dei munere grati vteremur, non ad obſcurandam, ſed illuſtrandam Dei gloriam, non ad diſiungendas, ſed copulandas Eccleſias.

Anno ſeptuageſimo ſeptimo, ſupra mille, quadringẽtos, Eberhardus comes Wirtebergẽſis, quem aliquantò poſt ad dignitatem ducalẽ, euexit Maximilianus, inſtituit Academiã Tubingenſem, conquiſitis vndique viris doctis, in doctrina Eccleſię, Iure, & aliis artibus. Fuerunt ibi Iuriſconſulti Vranius, qui ex Italia conſultus eſt, Georgius Lamparter, Maximiliano admodum familiaris, Theologi, Gabriel Biel, & Wendelinus, qui cùm aſſiduè legeret libros ſacros & Auguſtinum, agnouit multa eſſe abſurda in doctrina Thomę, Scoti, & ſimilium, & ſatis liberè, doctrinam de gratia, ſinceriorem ſcholæ propoſuit.

MAXIMILIANVS IMPERATOR.

MAximilianum natũ die Martij duodecima, anni quinquageſimi noni, ſupra milleſimum, quadringenteſimum, Fridericus pater, cunctis Septemuirũ ſuffragiis, conſortem Imperij fecit, anno milleſimo, quadringenteſimo, octogeſimo ſexto, die ſexta Februarij. Adfuerunt præſẽtes Electores omnes, ſed duorum ſumma fuit authoritas, Erneſti Saxonis, & Alberti Brandeburgici, qui, in eo conuentu vitam finiit.

Ferunt, eo tempore, Francoforti Iudæum fuiſſe, qui dixerit, tunc vltimum Imperatorem Germanicum eligi, ac ita latè ſparſam eſſe hanc fabulam, & authoris opinionem fuiſſe tantam, vt ad principes Electores ſit accerſitus. Apud hos eadem dixit, ſed addidit, ſucceſſorem Maximiliani, ex

eius

eius progenie, latè in Europa dominaturum eſſe, & ſecuturas eſſe multarum rerum mutationes.

Patrē Fridericum ſenem, cùm fieret renunciatio electionis, largiter lachrymas profudiſſe, tradunt, qua de re varia fuerunt ſapientum iudicia. Eūdem, Electoribus collaudantibus in filio, cùm alias generoſiſſimæ indolis dotes, tū verò & promptam facultatem, atque expeditum vſum latini ſermonis, reſpondiſſe: Quàm ſit facundus, neſcio, ſed me, cùm annum attigiſſet duodecimum, vereri memini, ne, aut hebetioris ingenij, aut imperitioris linguæ vicio, redderetur ineptus, ad negocia publicæ gubernationis. Serius enim loquutum eſſe conſtat.

Sed tardiorem vſum vtriuſque, excellentia ſapientiæ, & facundię, cùm adoleuiſſet, abundè compenſauit. Tantas in eum natura, tātas diuina benignitas, ex vſu reip. dotes effudit, atque congeſſit, & tam cumulatè, vt cunctos ſuę ętatis, in orbe Chriſtiano, reges, heroici ingenij vigore, ſolertia, & alacritate, virtutibus priuatis, ſeu domeſticis, ac publicis, togatis item, & bellicis, ardenti pietatis ſtudio, tantóque principe digna magnificentia, generoſi ſpiritus, inuictíque animi magnitudine, ſecundis pariter, & aduerſis caſibus, omnium iudicio, antecelluerit.

Coronatus Aquiſgrani, die decimo Aprilis, incidit in maximas rerum perturbationes, commiſſis inter ſe, pontificiis facibus, orbis Chriſtiani regibus, cum triſtiſſima Italiæ clade, & ruina.

Vita eius priuata plena fuit exemplorum, non ſimulatæ ſanctimonię, honeſtatis, grauitatis, temperantiæ, ſobrietatis, caſtitatis, vt apparuerit haud dubiè fulgere in mente eius, veram agnitionis diuinę lucem, accenſam à Filio Dei, & pectus ardere motibus Spiritus Sancti, ac totum vitæ curſum regi diuinitùs. Conſuetudo familiarior, vitæ domeſticæ, cōſumta illi eſt, cum viris doctis, quibus cum de doctrina Eccleſiæ, de omnibus philoſophiæ partibus, ſed de arte medica præcipuè, & matheſi, de hiſtoriis omnium temporum ſuauiſſimè collocutus, & in ipſis curam lectionis, ac meditationis aſſiduè acuit, & ſuo exemplo, hortatúque, ac ſpe præmiorum ampliſſimorum, cùm omnium liberalium artium, tum verò in primis hiſtoriarum ſtudia, in Germania, tunc adhuc profunda barbarie obruta, & veræ, ſolidęque eruditionis fontes ignorante, vnus excitauit, ita vt ante eū patriam, vix quiſquam, verioribus ornamentis priuatim, aut publicè illuſtrarit, ac condecora-

rit. In doctrina medica, maximi fecit Georgium Collimitium Danſtetterum. In matheſi hunc, & Vogelinum, quorum vterque audiuerat Regiomontanum, alter Vogelinus etiam Purbachium. Indagatione verò antiquitatis accurata, penéque curioſa, cauſſam præbuit Cuſpiniano, Nauclero, Cunrado Peutingero, Iacobo Manlio, vt integram hiſtoriarum ſeriem contexerent. Alios, vt Ladiſlaum Sunthemium, & Stabium impulit, vt vetuſtatem familiarum Germaniæ, quarum norat fuiſſe antiquitùs incorruptam nobilitatem, nullius illegitimæ commixtionis vitio adulteratam, explorarent, ac deſcriberent, in quam rem magnos impendit ſumtus.

Exemplo Imperatoris, inuitati, & confirmati principes reliqui, non minore deſiderio, & cura, cognitionem hiſtoriarum expetiuerũt. Nam & Capnio Philippo Palatino, epitomen hiſtoriarum compoſuit, recitata ſerie Monarchiarũ ex Herodoto, & Xenophonte, & aliis probatis ſcriptorib. qui poſtea res Macedonicas, & Romanas expoſuerunt. Et refloreſcentium, in Academia Viennenſi, literarum celebritate, moti Electores duo, Fridericus Saxo, cognomẽto Sapiens, & Ioachimus Brandeburgicus, cùm rectè iudicarent, veteriora, & maiora, communis vitæ, ornamenta eſſe literarum, & artium propagationem, leges, diſciplinam, in ſuis, ipſi quoque, ditionibus ſcholas inſtituerunt. Fridericus Witebergæ ad Albim, anno ſecundo, ſupra milleſimum, quingenteſimum, doctoribus omniũ honeſtarũ artium accerſitis, ex Academia Tubingenſi præcipuè, nonnullis etiã ex Lipſenſi, ſed legibus, ad formam Tubingenſis ſcholæ, quæ ceu colonia Bononienſium eſt, compoſitis. Ioachimus Francofurti ad Viadrum, colonia deducta ex Lipſenſi, quam, ex Pragenſi natam eſſe, ſupra dixi. Pragenſis ad ideam ſcholæ Pariſiorum accommodata fuit. Talis priuata vita fuit Maximiliani.

Bella geſſit plurima, & difficillima domi, foríſq;, ſed magna ex parte, neceſſaria, exceptis iis, in quæ, fœderũ occaſione, fuit pertractus, in quibus, quoties à Pontificibus ſtetit, toties fortunam ſenſit aduerſam. Tyrocinia prima fecit in Belgicis & Sicambricis bellis, Sicambro duce Adolpho qui ad Tornacum occubuit, cũ Gallis conſpirante. In his bellis, fuſis viginti millibus Gallorum ad Tabernam, Geldriáque in deditionem accepta, ſequutus authoritatẽ, cõſilia, & fortunam exercitatiſſimi in re bellica, & acerrimi ducis Alberti Saxonis, Belgas factiosè tumultuantes, & in-

ſolenter,

ſolenter, ac contumaciter Imperium noui principis, Philippo Raueſteno factionum duce, detrectantes, ita prælijs aliquot, & obſidionibus, toto octennio, attriuit, contuditque, vt aliquot vrbibus vi, faméq; expugnatis, cæteræ territę, vicinarum cladibus, vltrò acciperent iugum Imperij, & pacem ſuppliciter poſcerent.

Albertus Saxo, inde arma in Friſiam conuertit, quam, in pręmium confecti belli, & ſumtuum compẽſationem, Maximilianus, procerũ Imperij conſenſu, ei attribuerat propriã. Huius, etſi magnã partem ſubegit, tamen interceptus morte, filiis imperfectam victoriã reliquit. Sed eum, oppugnatio Friſiorum eventum habuit, vt quanquã à Georgio & Henrico fratribus, ducibus Saxoniæ, graui bello domiti magna ex parte, in poteſtatem illorũ conceſſerint, aliquantò pòſt tamen, conſpiratione comitum, ac ciuitatum, quæ alieni Imperij iugum nondum ſubierant, ad defectionem inuitati, deſerta fide, ruſus ſeſe in libertatem vendicarint, Saxonibus belli pertæſis, in prouincia procul ab ipſorum ditione diſſita, cuius & incerta poſſeſſio, & adminiſtratio ſumtuoſior, quàm fructuoſior futura eſſet.

Initia tamen, in motibus Belgicis, Maximiliano parũ læta affulſerunt. Brugenſes enim, biẽnio poſt electionem, captum, arctéque cuſtoditum, & tractatũ cõtumelioſè, vt terrore eum aſſiduo inſuper ceu excruciarent, atrocia ſuorum in vrbe, indignáque ſupplicia ſpectare, aſſiduè coegerunt, barbarico quodam furore, donec totius Imperij auxiliis à patre liberatur.

A morte Matthię Pannonis, totum ſe contulit ad bellum Vngaricum, in quo, non ſolùm occupatas ab illo vrbes Auſtriacas, recepit, ſed multas alias in ipſo regno expugnauit. Fuerunt in eius exercitu duces Saxoniæ fratres, Fridericus & Iohannes, qui poſtea in bello Veneto, etiam egregiam ei operam nauarunt, itémque Georgius Bauariæ dux, Rodolphus Anhaltinus princeps, ex Aſcania veteri ſtirpe, & nonnulli alij. Iohannes Saxoniæ dux, in oppugnatione Albæ regalis, inter primos, mœnia conſcendit & coronã muralem promeruit. Nec magno negocio Maximilianus tunc totum perdomuiſſet regnum, præcipuis vrbibus iam ad ſpontaneam deditionem paratis, niſi, ex pacto, Vladiſlao Boëmię regi, procerum ſuffragiis expetito, id concedere viſum fuiſſet ſatius, retento ſolo iure ſucceſſionis, vt deficiẽte maſcula ſobole Vladiſlai, in ſuos id poſteros deuolueretur.

Sequuta ſunt deinceps bella Italica,funeſta admodum,& grauia,in quibus inimicam crebrius,quàm propitiam fortunam expertus,tandem iis excidit omnibus,quæ occuparat. Primùm in Hetruria bellum geſſit,à Pontifice,Ludouico Sfortia,& Venetis accitus,contra Gallos,& Florentinos,ad defenſionem Piſanæ vrbis. Ad eam expeditionem Genuenſium claſſe,in Hetruriam tranſuectus,cùm Liburni portus oppugnationē,aduerſa tempeſtate,fruſtra,cúmque ſuorum clade,tentaſſet;fatis aduerſis non reluctandū ratus,copiis,diuerſo itinere,in Longobardiam remiſſis,ipſe ſubſequutus,rediit in Germaniam. Creditur,in hac expeditione,morem geſſiſſe Pontifici,non tam propter Piſanos,quàm vt ſi bellum feliciter confeciſſet,vteretur opportunitate accedendi,ex propinquo ad vrbem Romam,petendæ coronationis cauſſa.

Sed maiora fuerunt bella,quæ extiterunt à Carolo octauo,alacri,& feruido iuuene,atque ex aſsētatorum applauſu,ſpebus ampliſſimis,eximiæque gloriæ inexplebili cupiditate inflammato.Hic,ſub Andegauēſium,in regno Neapolitano,iure,totius Italiæ Imperium animo complexus,& opportunè contra Arragonios,à Ludouico Sfortia,in auxilium euocatus,ne quid,tantum opus molienti,domi obſtaret,quod victoriæ curſum remoraretur,duos ſibi infenſos vicinos,extorto fœdere,nō ad belli ſocietatem,ſed vt quieſcerent,priùs placauit,Maximiliano quidem,quem repudio Margarethæ filiæ,& raptu ſponſæ Annæ Britannicæ graui iniuria affecerat,per Ludouicum Sfortiam,qui Britannicis nuptiis defraudato,Blancam Mariam,Iohannis Galeacij ſororem,deſponderat,& per Heluetiorum legatos,ſatisfecit. Ferdinandum Hiſpanum ſibi deuinxit,reſtitutione Perpenniani,ditiſſimæ vrbis,in ipſo Hiſpaniæ aditu,& agri Ruſcinonenſis,quæ Iohannes pater,Celtiberico bello,in ſumma rei pecuniariæ difficultate conſtitutus,Ludouico oppignorarat.

Carolus itaque,incuſſo ingenti terrore,toti Italiæ,cùm Piſanos,eiectis Florentinis:hos rurſus,eiectis Mediceis:& Senenſes,pulſo Pandulpho Petrutio,in libertatem vendicaſſe videri vellet,& Pontificem introducto in vrbem exercitu,ad fœdus ineundum & dedendum ſibi Gemē Bajazetis fratrem compuliſſet,hinc improuiſa celeritate Neapolin delatus,regibus fama ſui aduentus perculſis,ac profugientibus Alphonſo patre,Ferdinandóque filio,& Friderico patruo,regnum totum omnium opinione citius,

obtinuit.

obtinuit. Neapolin cum triumpho ingreſſus eſt, Cal. Ianuarij, anno nonageſimo quarto; ſupra milleſimum, quadringenteſimum.

Quo tam inopinato ſucceſſu, conſternati Principes orbis Chriſtiani, Pontifex, Maximilianus Cæſar, Senatus Venetus, Ludouicus Sfortia, Ferdinandus Hiſpanus, icto fœdere, arma contra Gallos vndique coëgerunt Hac conſpiratione principum, retractus Carolus, cùm per intercluſa, obſeptáque à Venetis, & Sfortia (quem Ludouicus Aurelianenſis interea bello inuaſerat, occupata Nouaria) reuerti ſe, niſi via ferro aperta, non poſſe cerneret, ſuperatis illis ad Tarrum amnem, cruento prælio, ipſe in Galliam incolumis euaſit.

Etſi autem Cãpanos, Brutios, Apulos, ac Samnites, impoſitis præſidiis, cõfirmauit, poſſeſſio tamen regni nec firma Gallis, nec diuturna fuit. Rediit enim ad arma Ferdinandus, Alphonſi filius, adiutus à Conſaluo, quem Ferdinandus Hiſpanus, ad Siciliæ defenſionem, cũ valida claſſe, ablegarat. Sed in ipſo victoriarum curſu, biennio poſt Caroli victoriam, pridie Nonas Octobris, febre concîdit, iure regni in Fridericum patruum tranſlato. Contra hunc, & Ludouicum Sfortiam, fœdus percuſſerunt Alexander Pontifex, Ludouicus duodecimus Galliarum rex, Caroli Aurelianenſis filius, qui Carolo nuper, præpopera morte, è vita euocato, ſucceſſerat; Ferdinandus Hiſpanus, Veneti, & Florentini, ea conditione, vt Ludouico regi principatus Mediolanenſis, quem hæreditario iure ſibi arrogabat, Venetis Cremona cederet. Cæſar Borgia, Alexandri Pontificis filius, nulli hominum, quotquot vixerunt, ſcelerum immanitate ſecundus, in Flaminia, Æmyliáque, & Vmbria occupanda, trucidandáque, aut exterminanda omni antiqua nobilitate, adiuuaretur, quibus ſibi cædibus aditum ad Imperium Ciſalpinæ Galliæ, parare cogitabat. Ferdinandus, & Ludouicus regnum Neapolitanum inter ſe partirentur, plus valente, in Ferdinando, regni cupidine, quàm ſanguinis neceſſitudine, cuius ratione Friderico auxilia debebat, & defenſionem.

Initium fœderis à Venetis extitit, Sfortiæ odio. Nã paulò antè Pontifex, Sfortia, & Veneti coniuncti, contra Gallos, & Florentinos, pro Piſanis, ad horum libertatẽ defendendam, attraxerãt Maximilianum Imperatorem, vt dixi: Sed cùm res non ſucceſſiſſet, & Veneti Imperio Piſanæ vrbis inhiare viderentur; Sfortia ab eorum amicitia diſce-

dens, id egit, vt quibus poſſet modis, conatus Venetorum impediret. Inde implacabile, aduerſus Sfortiam, odium conceperunt, quòd in eum, concitatis ad fœdus principibus, quos dixi, effuderunt.

Ex hoc fœdere Sfortia coniectus in ſummas difficultates, cùm fruſtra à Maximiliano, Helueticis, Rheticiſque armis laceſſito, auxilia expectaret, Baiazeten in Venetos, ſcelerato conſilio, cõcitauit, cuius ille conſilij mox pœnas dedit, cùm rediit in Lõgobardiam, Helueticis copiis, & Burgundico equitatu inſtructus. Vix recepto enim Mediolano, & Nouaria etiam expugnata, Tramulio Gallorum duci proditus, & ab hoc in Galliam, ad perpetuos carceres, relegatus eſt, anno Chriſti, quingenteſimo, primo, ſupra milleſimum. Aſcanium quoque fratrem, Cardinalem, cuius opera, pleraque feliciter peregerat, in agrum Placentinum fugientem, Veneti exceperunt, & depoſcentibus Gallis tradiderunt. Mediolanum verò, non toto vertente anno, tertiò dominos mutauit.

Reſtabat Fridericus Arragonius in regno Neapolitano. Hic igitur fœderis, inter duos reges, Hiſpanium, & Gallum, conditioniſque de regno inter ipſos, ex æquo, partiendo, dum fruſtra opem Cõſalui implorat, è Gallis ducibus qui è Ciſalpina Gallia in Campaniam deſcenderant, per inducias, ex improuiſo oppreſſus, rebus deſperatis, cum vxore, & liberis in arcem Ænariæ inſulæ traiecit, & cum Mamurcio, atq; Obegnio ducibus, dedita Neapoli, pactus, vt liceret ſibi in Galliam nauigare, & Ludouici regis clementiam ſuppliciter coram experiri, id non difficulter impetrauit, quod illi ad certos & perpetuos carceres, eum proficiſci, non ignorarent. Excedens Italia, Ferdinandum filium adoleſcentem, Tarenti reliquit, vt eam vrbem, natura loci munitiſſimam, præſidio tueretur. Hunc Conſaluus, deditione vrbis, in fidem ſuſceptum, Ferdinando flagitanti, in Hiſpaniam miſit, ad eandem, in qua pater inciderat, fortunam.

Poſt hæc, reges, vt conuenerat, pari æſtimatione, regnum inter ſe diuiſerunt. Cõſtabat id, veteri partitione, quatuor prouinciis. Harum prima erat Campania, quæ magna ex parte terra Laboria dicitur, extendítque ſeſe, à Fundano ſaltu, vltra Sarnum, & Sylarim, Picentinorum extremos amnes, vſque ad Laum, Lucaniam à Brutiis diuidentem, cuius caput eſt ipſa regia Neapolis.

Campaniam proximè attingebat Aprutina regio, olim

Præcutina

Præcutina. Hęc ab Apennino, ad oram maris Adriatici, per Samnium porrigitur, cuius caput eſt noua vrbs Aquila, ex Amiterni, Forconæque ruinis extructa.

Reliquarum duarum è leua, alteram Apuſi olim, Salentiníque tenuerunt, à Gargano monte, ad Iapygium, extremum Italiæ promontorium, protenſum. Alteram Brutij, quæ, non rectè, hodie Calabria dicitur, cũ, Calabri ij ſunt, qui Apuliam incolunt, circa Brundusium, ad mare ſuperum. Brutij, quorum caput eſt Cõſentia, ſub Calabriæ nomine, à Silari, vſque ad fretum Siculum, incolunt; incluſi, ad Ionium mare, ora magnæ Græciæ, ea Lucaniæ parte ſimul intercepta, quæ inter Laum, hodie Lainum, & Sylarim flumina, Thyrreni maris littus attingit.

Ex partitione igitur Brutij & Apuli Hiſpanis: Campania cum Aprutina regione, Gallis obuenerant. Intererant duæ exiguæ regiones, appellationibus nouę, Capitanata, & Baſilicata, ab Apulia, & Lucania abſciſſæ: Capitanatam, duo amnes, Fronto, qui hodie Fortoris eſt, & Aufidus; Baſilicatam Hirpinorum, & Lucaniæ fines includunt. De his, cùm neutris, in diuiſione, attributæ eſſent, iure primum inter vtróſque, mox & armis diſceptatum eſt, eo euentu, vt Galli bello victi, Caieta, quæ illis poſtrema reliqua manſit, dedita, Neapolitani regni finibus exceſſerint.

Cæſar Borgia, cùm immanibus cædibus, florem nobilitatis Italicæ, paſſim excidiſſet, Alexandro patre perempto, vi veneni, quod Cardinalibus paratum, pocillatoris errore, ipſe, & filius hauſerant, mandato Ferdinandi Hiſpani comprehenſus, atque in Hiſpaniam nauibus deuectus eſt, vt in carcere adſeruaretur. Vbi, cùm, poſt tertium annum, deceptis cuſtodibus, è Medinæ arce, funibus ſe demiſiſſet, & ad Iohannem Cantabriæ regem euaſiſſet, hoc, bello, cum Alarino regulo, contendente, in prælio ad Mendauiam, glande traiectus, occubuit, mortis genere nimis placido, vtpote cuius inaudita ſcelera, & parricidia, atrociora ſupplicia promeruerant.

Talem cum habuerint euentum inſidioſa, & πλεονεκτικὰ conſilia, & infidæ conſpirationes, diſcant pij Principes, non poſſe retineri Imperia ſine auxilio Dei. Quare Deo obtemperent, faciant officia neceſſaria, & à Deo expectent defenſionem, ſicut ſcriptum eſt: Qui dat ſalutem regibus. Nec faciant ſocietates, & fœdera cum impiis, nec quęrant infida prælia, nec incertiſſimis, & fallaciſſimis hominum voluntatibus nitantur, nec moliantur πλεονε-

κτήματα, nec implicent ſeſe non neceſſariis rebus.

Propter Caroli octaui irruptionem in Italiam, & vt de bello Turcis inferendo, maturè deliberaretur, Maximilianus, indicto conuentu, Wormaciam Imperij Principes congregauit, anno nonageſimo octauo, ſed irrito conatu. In eo conuentu, Eherbardum comitem Wirtebergenſem, inſignibus, & honoribus auctum, ſolenni, & publica feſtiuitate, prouexit in ordinem ducum.

Interea eum exercuit, & bellum Helueticum, quod motum anno, ſupra milleſimum, proximo, ante quingenteſimum, varióque euẽtu geſtum, ſupra viginti millia hominum abſumpſit, Heluetiis partæ libertatis conditiones, & detractas domui Auſtriacæ prouincias, pertinaciſſimè tuentibus; iugúmque, quod ceruicibus ipſorum intentabatur, acerrimè propulſantibus. De his enim certamen erat præcipuum: Maximiliano contra, elatæ gẽtis ferociam compeſcere ſatagente; quæ, proſperitate victoriarum, indies magis, magíſque tumeſcens, imperare Monarchis, legibus præſcriptis, & belli, pacíſque conditiones ferre, decerpere hinc inde, quæ opportuna ipſis eſſent, atque Imperium, quibus vellent limitibus, circumſcribere, pellere, reduceréque principes, quos liberet; auellere ſeſe ab Imperio, & onera communia recuſare, non erubeſcerent. Belli πρόφασις erat iuſta, & æqua quod, ex cõuentu Lindaënſi, flagitabat Imperator, vt ad æqualia iura, & onera Imperij redirent, ſéque cum Sueuico fœdere coniungerent, quod tunc renouabatur. Octies cùm dimicatum eſſet, maiore Maximiliani, quàm hoſtium clade, tandem tranſactione bellum compoſitum eſt Baſileæ, decimo Calend. Octobris, anno eodem.

Inde ad Bauaricum bellum deuentum eſt, quod vno anno cœptum, & confectum eſt, quarto ſcilicet, ſupra milleſimum, quingenteſimum, Ruperto Palatino, Patréque eius, Philippo Septemuiro, ex præſcriptionis ſententia, quam Maximilianus promulgarat, à totius Imperij ordinibus oppugnatis.

Cauſſa inde extitit: Ruperto filio, Philippus conciliarat nuptias filiæ Georgij Diuitis, Bauariæ ducis; qui ex pacto, dotis loco, Ruperto genero legauit, præter auri, argentíque vim omnem, & ſupellectilem planè regiam; eam etiam Bauariæ partem, quam ex hæreditate tenebat. Hoc teſtamentum, quod in Imperij leges, & iura feudorũ peccaret, & factum eſſet in fraudem Alberti, Bauariæ ducis,

Maxi-

Maximilianus,deprecante Alberto, non voluit ratum eſſe. Quæſita eſt ergo,& impetrata approbatio pontificia. Poſt Georgij mortem, genero, ex teſtamento,hæreditatem adeunte,Alberto eandem, ex legibus,aſſerente, Maximilianus ſeſe interpoſuit, & conditiones tulit,vt de Georgij ditione triens vnus, relinqueretur Ruperto, dotis ratione. Alter cederet Palatinæ domui, in compenſam eorum,quibus illa ſeſe,& defraudatam à Ludouico Bauaro, & ſpoliatam eſſe, ſæpe fuerat queſta. Tertia rediret ad Albertum. Philippo has cõditiones recuſante, & pro tota ditione arma expediente, Maximilianus, edita proſcriptionis formula, bellum concitauit, in quo,Palatina ditione multis detrimentis affecta, multis præſtantibus viris,aut veneno necatis, inter quos fuêre Rupertus Princeps, & coniunx, vel in acie trucidatis,vel ſupplicio plexis,Palatina familia rerum ſuarum iacturam fecit grauiſſimam.

Semel totis viribus certatum eſt,per aliquot horas Marte dubio,Ruperto Boëmicis auxiliis confiſo,& pertinaciſſimè pugnam vrgente, aciémque,ſicubi ſolueretur,aut fatiſceret,reficiente. Nec ceſſit,donec ad eam redactus eſſet paucitatem, vt conſiſtere non poſſet. Boëmi ceciderunt circiter bis mille.

Res tandem ad pacificationes deducta eſt, interceſſione Friderici Saxoniæ Electoris,qui,etſi Maximiliano non defuit,plus tamen curæ, & laborum ſuſtinuit in leniẽda Maximiliani ira, ita vt, eo vtcunque placato, vnicus,in conuentu Coloniẽſi,auſus fuerit Palatinum ad Maximilianũ adducere,vt ſupplex fieret, qua in re,exiſtimatum eſt,eum nõnihil offendiſſe animum Imperatoris,quòd hoſti ipſius non vehementiùs iraſci viſus eſſet, cauſa tamen conſilij fuit honeſtiſſima. Nã,quæ ſit Electorum neceſſitudo,conſiderauit, nec penitùs dilacerari voluit vetuſtiſſimam cognati,& multis fœderibus ipſi deuincti Electoris,ditionẽ, ac nobiliſſimam familiam. Hoc ipſum tamen officium tegendi amici, ita moderatus eſt, ne, de authoritate ſummi Imperatoris,aliquid derogaretur, ſupplicem eſſe voluit.

Laudanda verò eſt,& moderatio in victoria,atque clementia Maximiliani, qui ſupplici pepercit, & nepotibus Philippi, Ruperti filiis,partem controuerſæ regionis attribuit,eam,quę intra Danubium, & Nabum,ſupra Ratisbonam,limites veteres Palatinæ ditionis attingit.

Anno octauo,ſupra milleſimum, quingenteſimum,Venetum bellum cœpit, mirabili voluntatum conuerſione

motum à regibus totius Europæ, ad deprimendum faſtum inſolentiæ, ac frenandam audaciam potentiæ Venetæ, inſtinctu Iulij Pontificis, qui nuper Iohannem Bentiuolum, ſenem ſeptuagenarium, Bononia expulerat. Id bellum in hunc finem deſiit, vt Venetis, quantum ſatis videbatur, mulctatis, & compilatis, Iulius, voluntate velut venti flati ſubito inuerſa, aliud inde pro Venetis detexuerit, regibus, ſua ſemper conſilia, ad exemplum leuitatis, ac perfidiæ pontificæ, inſtituentibus, ac temperantibus, ex vſu ſuo, & commodo, & ſanctitatem, veritatem, pietatem, iuſtitiam, fidem, ac religionem fœderum, pactorum, conſtantiam in his ſeruandis, poſtponentibus, ſuæ vtilitati, qua metiũtur, & æſtimant dignitatem, non curata mutatæ fidei labe, quantumuis indigno tanto ordine auſu.

Maximiliani quidem, in hoc fœdere, conditio eo fuit deterior, & iniquior, quàm reliquorum; quo æqui, iuſtíque ipſe, & fidei, pactorúmque fuit obſeruantior. Nihil enim in eo fucatum, inſidioſum; nihil, aut ſuſpicax, nihil captioſũ, aut πλεονεκτικὸν, aut auarum fuit. Natura enim ad veritatem, candorem, iuſtitiam, & æqualitatẽ ferebatur, ac fraudulentas ſimulationes oderat; alienus erat ab iniuſta ſæuitia, & moderationem amabat, in omnibus rebus, conſilia dirigebat, exquiſito, grauíque iudicio, non ad diſtractiones voluntatum, non ad inuoluendas res, non ad alendas ſimulates, & odia, non ad oppreſſionem, & euerſionem aliorum, ſed ad concordiam cum ſalute, & dignitate Imperij coniunctam.

Biennio ante, Philippus Maximiliani filius, Belgarum princeps, in Hiſpaniam nauigarat, crebris procerum literis euocatus, vt Iſabellæ ſocrus dotale regnum capeſſeret. In eum, cùm Ferdinandus propenſiora ſuorum ſtudia eſſe perſpexiſſet, quàm erga ſe, deteſtatus leuitatem perfidiæ, traiecerat Neapolin. Sed Philippus, ex indulgentiore victu, ſub noui cęli inſueta temperie, ſæua febre correptus, citò deceſſit, anno ętatis viceſimo octauo, relictis ex cõiuge, filiis duobus, Carolo, & Ferdinãdo, & filiabus quatuor.

Arſerat paulò antè cometes, circiter Idus Septembris, in ſeptentrione, prope plauſtrum, tetra, luridáque ſpecie, cauda ſplendida, ac denſa; à qua, cauda pauonis vocabatur, in Corũ ventum proiecta. Hunc & Philippo fatalem fuiſſe, & nouas clades Italiæ portẽdiſſe, ex euẽtu coniectari licet.

Ferdinandus, vbi de generi interitu cognouiſſet, rebus Neapoli compoſitis, rediit in Hiſpaniam, in eo itinere, Ludouicum

douicum regem Franciæ, Saxoniæ conuenit, belli Veneti cauſſa, quod tunc agitabatur.

Communis belli proxima cauſſa fuit, quod Veneti, qui, vt ex aliorum ruina, & interitu, tantùm Imperium, initiò condiderant, ita deinceps ex euentu alienæ fortunæ, occaſiones amplificandi res ſuas, captare, atque arripere conſueuerant; tunc etiam immodicam affectantes potentiam; vel potius iam tantam adepti, vt niſi retunderetur, videretur in totam ſeſe Italiam extenſura eſſe, regibus exterminatis. Quod illi ergo, de ſingulorum regum ditionibus, aliquid decerpſerant, id, Iulio Pontifici videbatur, armis communibus, repetendum eſſe, ea lege; ne ab armis prius decederetur, quàm ſua ſinguli recepiſſent.

Conſpirarunt ergo Cæſar Maximilianus, Iulius Pontifex, Ludouicus Gallus, Ferdinandus Hiſpanus, Alphonſus Ferrarienſis. Fœdus Cameraci ictum eſt. Ad hoc Maximilianus, eò faciliùs acceſſit, quia occaſionem quærebat vlciſcendi illatam ſibi priore bello, à Venetis, Hiſpanorum, & Gallorum ope, cladem ad Petram caſtellum, & ad Cadurium, cùm à Carnicis Alpibus, & ad Tridentinas fauces, copiis præmiſſis, ipſe ſequi, & Romam, ſolennis renunciationis cauſſa, proficiſci conſtituiſſet. Qua de re, priore anno ſeptimo, in conuentu Conſtantienſi, cum Principibus Imperij, deliberarat. Sed Veneti, conſilio intellecto, quòd profectionis euentum metuerent, talem fore, qualis fuerat expeditionis Gallicę, paulò antè, iter auxilio confœderatotorum, totis viribus intercluſerunt, ac prohibuerunt.

In hoc communi bello, præcipuæ, apud exercitum Maximiliani, partes fuerunt Rodolphi Principis Anhaltini, ex nobiliſſima ſtirpe Aſcania, ante hoc bellum, victoriis præclaris in Vngaria, & Geldria partis, inclyti; vt qui Vincentiam, Veronam, & Patauium recepit, & non procul à Vincentia à Bartholomæo Liuiano, Venetorum duce, circumuentus ſit, vt elabi non poſſe videretur, hoc præmatura, & nimis puerili ferocia, Venetos, ad lanienam Germanorum ſpectandam, tanquam ad certam, paratámque victoriam, euocante, ita pugnauit, vt Veneto exercitu, prouida irruptione, ſed impetu vehementi diſſipato, protrito, conciſo, in Bachilionem amnem præceps acto, cum magna ſpectatorũ parte, victoriã reportarit glorioſiſſimã, Nonis Octobris, anni decimi tertij, ſupra milleſimum, quingẽteſimum. Deſiderata ſunt, in exercitu Veneto, ad nouem millia.

Sed hoc fidiſſimo cuſtode, Veronæ, veneno perempto,

ciuitates,perfidia gentis, rurſus amiſſæ redierunt ad Venetos.

Ludouicus Galliæ rex, pridie Idus Maias , anno nono, poſt milleſimum, quingēteſimum,deuictis,ad Pandinum vicum, Venetis, captóque Liuiano, Cremonenſes,Bergomates,& Brixianos,in deditionem accepit.

Alphonſus Ferrarienſis Peninſulam Rodignam, & Ateſte, natale ſolum maiorum ſuorum , Montagnanam , & Montem Silicem:Iulius,Ariminum,Fauentiam,Ceruiam, & Rauennam : Ferdinandus,Venetis pignori datas,ab Arragoniis,Apuliæ vrbes,recepit.

His cladibus Veneti affecti,ínque difficultates rei nummariæ,ærario exhauſto, terreſtríque Imperio omni perdito , coniecti maximas, pacem à Iulio Pontifice ſupplices petiuerunt,qui,cùm ſibi abundè ſatisfactum eſſet, vt Gallos , Germanóſque nihil, de ſua in Venetos acerbitate, remittentes , Italia exturbaret , conceſſa Venetis pace , Alphonſo Ferrarienſi etiam , vt arma poneret , imperauit. Hoc perſiſtente in fide, & amicitia Gallorum,& Gallis viciſſim defenſionem ei præſtantibus , nouum bellum conſertum eſt,cuius ea fuerunt initia,vt Triuultius Gallorum dux,Bononiā, reductis Bentiuolis,Pontifici adimeret. Ad huius facti famam,Pontifex in furorem actus,mox rurſus, totam penè ad arma conciuit Europam , euibrato in Ludouicum Gallū,anathemate,& aſſumpto prætextu,Maximilianum Sfortiam in paternum Imperium, vnde non iuſtè ſit pulſus,reduci oportere.

Gallus contra,contemtis diris pontificiis,vt viciſſim omnem Pōtificis authoritatem, retorto in eum anathemate,infringeret,Concilium Piſis indixit,in quo,in Iulij ſceleratas molitiones,recentibus Conſtantienſis, & Baſiliēſis Synodi exemplis, inquireretur, & ſtatueretur,annuētibus, primò Florentinis : ſed,mox ſententia mutata,refragantibus,quo factum , vt pulſi ex vrbe cardinales,cum præſidio Gallico,tumultu plebis,Mediolanum conceſſerint.

Pontifici in pręſentia opem tulerunt, Veneti,Heluetij, & per Aphricanas cohortes, Ferdināدus Hiſpanus abſens, qui & Iohannem Nauarræ regem Gallicis addictum partibus,interea tota Cātabria expulit. A tergo verò Galliam inuaſit Hēricus Anglię rex,vt Ludouicū domi detineret.

Gallicū exercitum, Germanicis Maximiliani copiis firmum,ac validum,duxit Gaſto Foſſeius,ſorore Ludouici in Vaſconibus genitus,qui cùm Venetas copias,Balęono duce,ad

ce,ad Atheſin fudiſſet, & eodem victoriæ curſu, per arcem, in vrbem Brixiam ingreſſus, præſidio Veneto cæſo, vrbem recepiſſet, Rauennam delatus,tota acie,cum Pontificiis copiis,conflixit,tanto pugnantium ardore,vt Galli victores, pontificij exercitus partem maximam trucidarint,reliquam, cùm res deplorata eſſet,proiectis armis,ſeſe dedentem, ceperint. Certatum eſt,anno duodecimo, poſt milleſimum,quingenteſimum, tertio Idus Aprilis,die feſto Paſchę. Cecidiſſe in conflictu,de pontificis exercitu, ad ſedecim hominum millia referuntur. Occubuit & ipſe Foſſeius, à globo hoſtium circumuentus, dum Hiſpanos incautius perſequitur.

Ad huius prælij famã, Imperator,reductis ſuis auxiliis à Gallo, initóque fœdere cum Hiſpano, & Anglo,Gallum domi,nouo bello implicauit, in quo,cùm,retractæ ex Italia,Gallorum copiæ, regrederentur, excitæ à Pontifice,in auxilium,nouæ Heluetiorum cohortes, illas ab Atheſi repulſas,intra Ticinum vrbem compulerunt, & Venetis copiis auctæ, inſtructæque tormentis,mox etiam Ticino,& tota ciſalpina Gallia,excedere coëgerunt.

Pontifex Bononiam ,Bentiuolis denuò eiectis, recepit. Genua ſe in libertatem vendicauit. Maximilianus Sfortia, in Mediolanenſem principatum repoſitus eſt. Medicei, quos Galli Florentia pepulerant, eiecto Soderino, in patriam,paternúmque principatum reducti ſunt.

Hoc exitu finitum eſt, confœderatione regum, ſuſceptum, contra Venetos, bellum, memorabile exemplis cupiditatum,& affectuum in regibus inconſtantiæ, ac mutabilitatis voluntatum humanarum, incertæ,dubiæque fidei fœderum, & triſtiſſimi exitus, non neceſſariorum bellorum. Confectum id eſt cum multa clade gentis Italicæ, quam in hoc bellum inuoluit ambitio,& rabies Iulij Pontificis,iuſto Dei iudicio,ſcilicet, vt hoc,ceu irretita,hæreret triſtiſſimis,& tragicis pœnis.

Inuidebant omnino Italiæ ociũ, & quietem,fatales furores Pontificum, & regum infinitæ cupiditates. Nam & Leo decimus, vt proferret Imperium pontificium, ad Padum vſque, Sfortiæ Placentiam, & Parmam,olim Ateſtinæ ditionis oppida,extorſit, & rurſus, mutatis voluntatibus,Ludouicus, atque Ferdinandus reges, occultè pacem pepegerunt, mutuis commodis ſeruituram, vt neutro alterum impediente, Hiſpanus Cantabriæ regnum confirmaret, Gallus Mediolanum repeteret. Et ab Henrico Bri-

tanno, Gallus,poſt amiſſas duas vrbes Belgij, & Iacobum Stuardum,Scotorum regem,belli ſocium,ab Anglis interfectum, certis conditionibus pacem impetrare, Maria, Henrici ſorore,in vxorem ducta.

Sed fuére, Gallo, ſecundæ nuptiæ, exitiales. Nam paulò poſt, deceſſit Calendis Ianuariis, anno decimo quinto, ſupra milleſimum, quingenteſimum. Nec longo interuallo,eum ſequutus eſt Ferdinandus,in Hiſpania,ſcilicet decimo ſeptimo, Calend. Februarij, anno milleſimo,quingenteſimo decimo ſexto, clauſa Arragoniorum regum ſtirpe,quæ à Berengariis, Barchinonæ comitibus, prognata,in Hiſpania,annos trecentos, ſeptuaginta: in Sicilia,ducentos triginta regnarat. Cometa, multorum dierum incendio,mortem ei portendit.

Succeſſere Ferdinando, Carolus quintus,ex filia nepos: Ludouico,Franciſcus,dux Angoliſmorum,gener,qui gubernationem ab Italico bello auſpicatus, perfracto, vt dixi,captiuitate Proſperi Columnij, per alpes,aditu,Heluetios, Maximilianum Sfortiam acerrimè propugnantes,ingenti,ſed cruento,& periculoſo bidui prælio debellauit,ad Mediolanum, adiuuantibus Venetis, ita vt de viginti quinque millibus, vix pars dimidia euaſerit,Parmámque, ac Placentiam,Pontifici ablatas,ad vetus Inſubrum Imperium reduxit, captóque, à deditione arcis Mediolanenſis, & tranſmiſſo in Galliam Maximiliano,poſſeſſionem principatus ſtabiliuit.Pugnatum eſt anno milleſimo,quingenteſimo,quinto decimo, Idibus Septembris,& poſtridie.

Ex hoc ſucceſſu,Franciſcum,maiora animo agitantem, inceſſit libido inuadẽdi regni Neapolitani, qua de cauſſa, euocatum Româ Leonem Pontificem,Bononiæ cõueniſſe exiſtimatur. Sed id molientem, retraxit ex Italia,Cæſar Maximilianus, impulſis Heluetiis,iam ante vindictę cupidis,& Henrico Anglo ſollicitato.

Veneto bello, quod vario euentu, in annum nonum geſtum eſt,à Maximiliano, nulliſque interruptum induciis,huic ergo finem attulit pax, inter Carolum,hæredem regnorum Ferdinandi Hiſpani, ex teſtamento, & Franciſcum Gallorum regem. Carolo neceſſaria magis, quàm honeſta, conſiliis Caroli Ceurij Belgæ, nutricij,apud Nouiodonum vrbem,in finibus Veromanduorum,cõfecta,in has conditiones, vt Carolus regnum Nauarræ Iohanni filio, qui inde expulſus erat,reſtitueret, ſi id iudicibus,qui conſtituendi eſſent,videretur ex æquo,& iure. Item centum

tum

tum millia aureorum numerorũ, quotannis, Gallo, vt pẽderet ex regno Neapolitano ; ad confirmandum ius, quod in illo regno ſibi arrogabat. Cúmq; ad Venetos etiã, Franciſcus, & res Mediolanẽſes reſpiceret, Venetis etiam Veronam reddi, Brixiam enim paulò ante receperant, poſtulauit, ea lege vt redemptionis nomine, ducẽta millia aureorum numm ûm Cęſari, duabus pẽſionibus, perſoluerentur. Non refragatus eſt his conditionibus, Maximilianus auus iam ſenex, qui bellorũ pertęſus & auxiliis Heluecicis diffiſus, quibus dimiſſis, paulò ante ex Italia ſeſe, nulla re memorabili geſta, receperat; nepotis ſui commodis, in præſẽtia obſtare non volebat, etſi his conditionibus, vehementer eum prægrauari, nõ ignoraret. Sed non fore aut ratam, aut diuturnam compoſitionem, facilè intelligebat, quòd Carolo impubere, à nutritio facta eſset.

Nec ita multò poſt, Carolo quinto ad Imperium ſuffragiis Electorũ expetito, cùm Franciſcus, per coemptos ſuffragatores, idẽ fruſtra ambiens, de ſpe ſua decidiſset; renouatis, ex repulſæ dolore, veretibus, erga æmulum, cõpetitorem, odiis, nouis excitatis, bellũ inter vtrumq;. primum apud Belgicas, Eburonum vrbes, exarſit, quod inde in Italiam, Gallias, & Hiſpanias ſeſe diduxit, vario euentu, ſed ita, vt fortuna Caroli viuente, Neapolitani regni, Mediolaníque poſſeſſio, de qua præcipuè certatum eſt, apud Carolum manſerit, vt dicetur ſuo loco.

Anno, ante Venetũ bellum proximo, Carolus Geldriæ dux, incitatione, & sũptibus Gallorũ, apud quos, ab interitu patris, à teneris, ad odiũ domus Burgundicæ educatus erat, violata iuriſiurãdi fide, qua ſe Maximiliano obligarat, Brabantinos magnis detrimentis, & cladibus affecit. Erat Carolus feroci, & ſuperbo ingenio iuuenis, cuius auus Arnoldus, natus Maria filia Johannis, domini de Arkell, mortuo Reinaldo vltimo Menapiorum, & Sicambrorum, hoc eſt Juliæ, & Geldriæ duce, è gente Naſſouia, matris auunculo, Geldriæ ducatum in Egmondanam familiam adduxerat. Nec deſtitit deinceps etiam, ſub fide Gallica Burgũdos laceſſere, atque inſectari. Et moriens hæreditatem reliquit vicinis ferro aſſerendam, vt dicetur.

His ipſis annis, cõmouerunt ſeſe paulatim, ſemina motuum popularium, ex Heluetice libertatis conſpectu, deducta. Initia in Spirenſi diœceſi circiter annum ſecũdum, ſupra milleſimum, quingenteſimum, nata; paulatim ſerpendo, Sueuiam, multis in locis, & nõnullas imperij ciui-

tates corripuerunt. Sed velut ſcintilla, adhuc obſcurè inter profundos, atque confertos cineres, incendium latuit, vſq; ad annum viceſimum quintum, quo magno ſeſe impetu, paſſim per Germaniam, effudit.

Vngariam tamē minus, ſeditioſæ multitudinis impetu, anno Chriſti, decimo quarto, ſupra milleſimum, quingenteſimum concuſſit. Selymo enim Turcarum Tyranno implicito bello Perſico, Thomas Cardinalis Strigonieſis, ſuadet vtendum eſſe facultate rei bene gerendæ, contra Turcos, ex Tyranni abſentia. Sed quia regi negligenti, & regni adminiſtrationem, & curam rei bellicæ; deerant nerui ad tantum apparatum, conſulit, vt congregetur, ſub ſigno crucis, vſitato olim Pontificibus more, exercitus, qui ſpe veniæ pro delictis perpetratis, gratis militet. Conſilio diuulgato, immenſa ſubitò, eáque promiſcua, ex variis gentibus multitudo confluit, quæ nil ſollicita de Turcico bello, protinus latrocinari, vicos populari, expugnare villas, vaſtare agros, nobiles, & ſacerdotes capere, atque omni cruciatu interficere incipit. Illius ſe multitudinis ducem facit quidam Georgius Sechelus, adiuncto ſibi fratre Lucatio. Hic maximum terrorem, exquiſitiſſimis ſuppliciis, nobilitati, regno ingētia damna infert, donec Lucatij fratris copiis, ad Peſtum, à nobili Pannone Bornemiſſe fuſis, ipſe etiam deinceps, ab eodem, difficillimis, & periculoſiſſimis prælíis, ad Nagelacum & Agriam attritus, tandem ſuperuentu Johannis, Tranſſyluaniæ Vaiuodæ, copiis ad occiſionem deletis, prope Temeſum flumen, in conſpectu oppidi Temeſuari, viuus cum fratre capitur.

Pœnas ſeditioſi conatus, ſupplicij genere nouo, barbaricóque, & auditu horrendo, luit. Nudus enim, & catenis vinctus, coronáque ferrea candenti redimitus, equuleo imponitur. Venis inciſis, ſanguis potandus præbetur fratri Lucatio, his clauſis, rurſus mittuntur in eum viginti ex ſociis, tridui inedia macerati, qui dentibus eum lacerant, & carnes arroſas deuorant. Tandem extractis viſceribus, exenteratur: corpus in fruſta conciſum, aheníſque, & verubus coctum comedendum militibus apponitur, qui hoc paſtu, ſatiati, ad vnum omnes, cum Lucatio fratre, immanibus ſupplicis, necantur.

Anno milleſimo, quingenteſimo, decimo quinto, mēſe Julio, cōuenerunt Viēnæ tres vicini reges, Imperator Maximilianus, Ladiſlaus Vngariæ, Boëmiæque, Sigiſmundus Poloniæ, reges. Inter hos, ſublatis è medio ſimultatib. omnibus,

nibus,

nib. vetera pacta renouata, & nouis additionib. aûcta, nouáq; cõprobatione, & nuptiis inter liberos, nepotéſq; cõtractis, ſãcita ſunt, vt Maria Maximiliani neptis, Ludouico Vladiſlai filio, Anna filia Vladiſlai, alterutri ex nepotibus nuberet, certa cũ ſpe ſucceſſionis in regno Vngariæ, ſi abſque hærede maſculo Ludouicus decederet. Conſtitutum & hoc eſt, vt Ladiſlao rebus humanis exempto, regni, liberorúmque curam agerent Maximilianus, & Sigiſmundus. Sed Proceres regni, dum pactione hac, & teſtamento regis, ſeu ambitione, ſeu auaritia, neglecto, poſt Vladiſlai fata qui paulò poſt, è vita exceſsit, Ludouico filio, annum vix agente decimum: dum ergo neutrum tutorem admittunt, neutrum conſulunt, neutri fidunt, & inter ſe, ſuo arbitrio, ex ſuis commodis, & prouincias, & reditus regni partiuntur, dum impuberis regis curam, & educationem, priuatis commodis, poſtponũt, diuiſo in factiones regno, & fiſci regij opibus, in priuatos vſus conuerſis, regnum exarmant, & optatam diúque quæſitam, adoriundæ Vngariæ occaſionem Turcis ſponte obiiciunt. Qui, à Maximiliani morte, de ſtatu regni Pannonici, de conditione regis adoleſcentis, de difficultatibus tutoris Sigiſmundi Polonici, diſtracti triplici bello, Tartarico, Roſsico, & Boruſſiaco, edocti: nihil cunctantes, productis ad limites Vngariæ caſtris, Belgradum regni propugnaculum, vi expugnant, móxque in regnum ipſum populabundi, penetrant, vt dicetur.

Anno decimo octauo, Maximilianus conuentum egit poſtremum, & eum quidem, frequentia Principum, celeberrimum, Auguſtæ, in quo de bello Turcico actum eſt. Selymus enim Sultanorum regno deſtructo, magnum, regibus orbis Chriſtiani, terrorem incuſſerat. Commendauit & nepotem Carolum, Principibus, vt ſe mortuo, eius in electione, rationem haberent: Inde profectus OEnipontem, febre correptus eſt: cúmq; transferri ſe Velſam curaſſet, accedente, ex virium reſolutione, alui profluuio, expirauit, pridie Idus Januarias, anno decimo nono, ſupra milſimum, quingenteſimum.

Anno mundi, quinquies milleſimo, quadringenteſimo, octogeſimo primo.

Anno ætatis, quinquageſimo nono, menſe nono, die viceſima prima.

Anno Imperij, triceſimo ſecundo, menſe vndecimo.

Vxores habuit duas, primam Mariam Burgundicam, ex

qua ſuſcepit filios tres, Philippum, qui dotalia regna Hiſpaniæ, Siculúmque & Neapolitanum, domui Auſtriacæ acquiſiuit, Franciſcum, & Georgium, in annis pubertatis mortuos, & Margaretam filiam, connubiis infelicem: Carolo octauo enim, Galliarum regi, deſponſatam, & in aula Francica educatam, Sponſus, vbi adoleuiſſet, repudiauit, rapta, propter ius ſucceſſionis, Anna, Franciſci vltimi, citerioris Britanniæ ducis, vnica filia hęrede, quæ Maximiliano promiſſa erat. Poſt Carolum, Arragoniæ principi, & hoc, ante nuptias, mortuo; Philiberto Sabaudo, non meliore fortuna, nupſit.

Altera coniunx Maximiliani, fuit Blanca Maria Galeacij Mediolanenſis filia, Johannis Galeacij ſoror, ex qua ſoboles ei nulla eſt nata. Anno decimo quarto, ſupra milleſimum, quingenteſimũ Poloni, ſub rege Sigiſmundo, Conſtantino Roſſo duce, Moſcos, memorabili prælio, deuicerunt, cæſis circiter quadraginta millibus hoſtium, ad Boryſthenẽ, propè oppidum Smolenſco, quod Baſilius, veteri quodam iure, ad Moſcouiticum Imperium pertinere, ratus ſuperiore anno, aliquot mẽſibus, magna pertinacia oppugnatum, ceperat. Contempſerat Moſcus, Polonorum paucitatem, & ideò permiſerat, vt Boryſthene ponte ſtrato, in vlteriorem ripam tranſirent, ſed comitata eſt, vt fit, ſuperbiam Adraſtia vindex.

DE ECCLESIA.

DE moribus, conſiliis, & conatibus Pontificum, in Romana Eccleſia, ſupra dictũ eſt. Baſiliẽſis Synodus, Eugenio pontificatu moto, & condemnato, ſuffecit Amadeũ Sabaudiæ ducẽ, indito ei nomine Fœlicis quinti. Eugenius Synodum Baſileâ, Bononiam, inde Ferrariã, tandem Florentiam reuocarat, prętexens veris cauſſis (quia libertatem Concilij metuebat) Gręcorũ aduentum, qui vt auxilia impetrarent aduerſus Turcos, prolixè ad Synodi decreta acceptanda, ſeſe obtulerãt. Etſi autẽ tunc Græci ſentẽtiã Eccleſiæ Romanę, de proceſſione Spiritus ſancti, de vſu panis non fermentati, in cœnæ Dominicæ adminiſtratione, de purgatorio, de primatu Pontificis Romani, approbarunt: tamen cùm, Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano mortuo, Romanus Pontifex creaturus eſſet alium, Græci id non admiſerunt, nec vt dixi, commentum περὶ μετουσίας approbarunt, & aliquantò poſt, vix reuerſo domum Imperatore, Conſtantinopolis à Turcis expugnata eſt.

Euge-

Eugenius ſubiectus anathemati, decreto Baſilienſis Synodi vt ſeſe muniret nouo præſidio, creatis cardinalibus octodecim, & incitato Carolo quinto, atq; huius filio, Delphino Franco, aduerſus Baſilienſes patres, ſpem, de Synodo in Laterano celebranda fecit, non ſeriò, ſed, vt conceptas à regibus inanes ſpes, & molitiones eorundẽ, cogẽdi Concilij cauſſa, ſuſceptas, eluderet. Eo vita functo, Fridericus perfecit, vt cedente Felice quinto, ſucceſſor Nicolaus quintus, retineret Pontificatũ, ea conditione, ſi acta Synodi Baſilienſis rata faceret, in quo conſtitutũ erat, vt Pontifex authoritati Synodorum ſubiectus eſſet, & eiſdẽ pareret, & decimo quouis anno, nouę Synodi celebrarẽtur, in quibus facultas daretur, liberas dicendi ſententias, etiã viris intelligentibus, & doctis. Huius decreti ſententia tamẽ, quæ promulgata eſt, anno quadrageſimo nono, ſupra milleſimum, quadringẽteſimum, apud ſucceſſores, ponderis, & authoritatis nihil habuit. Fuerunt & alia conſtituta, quę in Synodorum libro referuntur, & poteſtatem Põtificum, in ſacris beneficiis conferendis, cauſſíſque eorum cognoſcendis, ac controuerſiis diiudicandis, moderantur, ac reſtringunt. Vniuerſa ea, Pragmaticam ſanctionem vocarũt Galli à Carolo ſeptimo conſenſu procerum, receptã probatámque, & Lutetiæ, Nonis Julij, anno triceſimo nono, ſupra milleſimum, quadringenteſimum, publicatam, conſtanter retinuerunt, magno cùm regni, & ſalutis, ac tranquillitatis publicæ, commodo.

Qui ſecuti ſunt Nicolaũ, Alexãder Sextus, & Julius Secundus, grauiſsimis bellis Italiam obruerunt, ſicut dictum eſt, attractis & cõmiſſis, inter ſeſe, regibus Europæ. Idcirco, cùm Maximiliani cõſenſu, Ludouicus duodecimus, indiceret Piſanam Synodum, ad Cal. Septembr. anni vndecimi, ſupra milleſimum, quingenteſimum, contra Julium; & Piſis exturbatam, transferret Mediolanum, Julius, ne quid pateretur, de pontificia authoritate, decedere, proſcriptis Cardinalibus, qui aſſenſerant, & eiecto, per cæteros reges, Gallo, ex Italia, concilium coëgit, in ædem Lateranenſem, Romæ, quod Leo deinceps abſoluit.

Sed, vt toties monui, non doctrinæ, non morum, & diſciplinæ emendatio, nõ legum pontificiarum laxatio, quęſita eſt, quæ nerui fuerunt abominandæ impietatis, ſed idolatriæ, errorum, abuſuum, ſuperſtitionis, & tyrannidis pontificiæ confirmatio.

Feruebat tunc, inter monachos, duarum familiarum

Franciſcanæ & Dominicanæ certamen, de ortu beatę virginis Mariæ, culinæ ditādæ vtile admodum. Illis, ſine peccato conceptam eſſe his, contrariam adſerentibus: magno partium ſtudio res acta eſt. Franciſcanorum plauſibilis erat ſententia, & vulgo grata, cuius animos, ex perſuaſione ſuperſtitionis inueteratæ, cultus beatæ virginis penitus obſederat: idcirco facilè vincebat. Ex Dominicanis, quia ſtipulatores reperiebant rariores, nonnulli, vt fidem ſuo dogmati facerēt, cùm non valeret authoritas teſtimoniorum, ad ſubſidia præſtigiarum decurrerunt, cuius rei exemplum commemoratur, de Bernatibus: vbi in ſtatuam beatæ virginis, ad hunc vſum artificiosè inſtructam, monachi abdentes ſeſe, & ſtatuæ geſtus mirificos affingentes, gemere illam, lamentari, quiritari, profundere lachrymas, reſponſa ſciſcitantibus dare, populo perſuaſerunt. Fraude patefacta, authores cremati fuerunt, pridie Cal. Julij, anno nono, ſupra milleſimum, quingenteſimum. Huius ſimilia multa à monaſtico genere, Diabolo impulſore, excogitata fuiſse, & vſurpata, ad mentes hominum, captas antea vanæ ſuperſtitionis laqueis, & terriculamentis arctius irretiendas, minimè dubium eſt.

Quare, dum ad hunc modum, Pontifices, & horum ſatellites, circunductum, atque deluſum orbem Chriſtianū, exagitant, Deus tandem miſertus generis humani, tam denſis oppreſſi tenebris, titulo Eccleſiæ, ceu faſcino, tam miſerè dementati: ſoque tam profundis ſuperſtitionis inuolucris detenti, ineffabili bonitate, excitauit, & magnitudine, ac firmitate animi, diuina prorſus, atque admirabili, roborauit M. Lutherum, è monaſtico genere, familiæ Auguſtinianæ, magno, & acri ingenio præditum, ac multa inſtructum eruditione virum, ſed humili, honeſtiſsimo tamen natum loco, & nulla ſuffultum authoritate publica, in nulla conſtitutum, regni Pontificij dignitate, nullis denique munitum præſidiis, qui inſolubilem hactenus, imò formidabilem, omnibus Chriſtiani orbis regibus, nodum Gordium pontificiæ Hierarchiæ vno verbi diuini ictu, validiſſimè incidit, & ſuſtulit, fruſtra frementibus, & bella, vaſtationes, exilia, ſupplicia, incendia, fruſtra minitantibus, cum Pontifice, regibus orbis Chriſtiani, qui religionem, tot ſeculorum, conuelli, cum perturbatione, ac diſtractione totius Europæ, nolebant.

Circumacta erat periodus tertia, cōpletis, inde vſque à tyrannidis, in Eccleſia, Pontificum initio, annis quingētis.

Verte-

Vertebatur centeſimus annus, inde vſque ab exitu Synodi Conſtantienſis, quē fatalem mutationem allaturum eſſe, Romanæ Hierachię, prędixerat Huſſus, quã, nulla ſæuitia, incendiis nullis eſſent prohibituri: ὅπερ καὶ extitit, cùm à rapacitate, & auaritia pontificiorum; qui cùm nouo ſubinde impoſturarum genere, facultates miſerorum hominum deprædarentur; prædâ potiti, fœtorem poſt ſe relinquebãt in eccleſia, cõſcientiis perniciosiſſimum, harpyarum inſtar, tum verò ab impudentiſſimo indulgentiarum cõmento, quod ad extorquendas pecunias, iam olim excogitatum erat.

Eo igitur anno, qui fuit ſeptimus decimus, ſupra milleſimum quingẽteſimum, Lutherus primùm oppugnare cœpit forum indulgentiarum, & ex Eccleſia Filij Dei, huius ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti exemplo, eiicere ementes, & vendentes; euerſis menſis, ſcabelliſque, id eſt, idolorum altaribus deſtructis, & ſubſelliis hypocritarum, ornatu magnifico, in templis, ſeſe oſtentantium, diſturbatis. Templáque & manu facta, & condita diuinitùs, id eſt, corda hominum repurgata, à ſuperſtitione, & erroribus, Deo vendicare cœpit, vt fierent domicilia precum, id eſt, ſancta templa, Deum rectè agnoſcentia, & inuocantia, in agnitione, & fiducia filij Jeſu Chriſti, Saluatoris, ac Mediatoris noſtri vt in his habitaret, & regnaret, non idolum vaſtans pontificum, ſed tota Trinitas, Pater Filius & Spiritus ſanctus, ſecundùm promiſſionem.

Diſputatio propoſita eſt in foribus templi, quod arci Wittebergenſi contiguum eſt, pridie Cal. Nouembris tali occaſione & initio.

Circumferebãtur, titulo Alberti, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, venales indulgẽtiæ, in his regionibus, à Tecelio dominicano, ſycophanta impudẽtiſſimo. Huius impiis, & nefariis cõcionibus irritatus Lutherus, ſtudio pietatis ardens, edidit propoſitiones de indulgentiis, quæ, in primo Tomo monumentorum ipſius, extant. Hic Tecelius nihil ſui diſſimilis, ac ſperans etiam, ſe gratiam, apud Romanũ Pontificem, initurum eſſe, ſuum Senatum conuocat, monachos aliquot, & Theologos, ſophiſtica ſua vtcunq; leuiter tinctos. Hos componere aliquid iubet aduerſus Lutherum. Ipſe interea, ne eſſet κῶφον πρόσωπον, non iam conciones, ſed fulmina in Lutherum torquet, vociferatur vbique hunc hæreticum igne perdendum eſſe. Propoſitiones etiam, & concionem de indulgentiis Lutheri, coniicit in flammas. Hi furores Tecelij, & eius ſatellitum, neceſſi-

tatem impoſuerunt Luthero, de rebus iiſdem copioſiùs diſſerendi, & veritatem tuendi.

Hæc initia fuerũt huius controuerſiæ, quæ inclinationem fecit regni pontificij. Sed Lutherus tunc nihil adhuc ſuſpicans, aut ſomnians de futura mutatione rituum, ne quidem ipſas indulgentias prorſus abiecit, mutationem tantùm flagitauit. Quare falsò eum calumniantur, qui à plauſibili cauſſa exorſum dicunt, vt poſtea mutaret remp. & vel ſibi, vel aliis potentiā quæreret. Ac tantùm abeſt, vt ab aulicis ſubornatus, ac incitatus ſit, ſicut ſcripſit dux Brunſuicenſis, vt doluerit etiam illuſtriſſimus princeps, dux Saxoniæ, Fridericus Elector Imperij, moueri certamina, longè proſpiciens, quanquam exordium eſſet, de re plauſibili, tamē paulatim latius vagaturam eſſe hanc flammam. Nec ipſi, cùm & ſapientia excelleret, & iam ſenex, vſu cognouiſſet omnia gubernationum pericula, præcepta, de vitandis mutationibus, ignota erant.

Sed vir ſapiens, & vera pietate Deũ colens, nec tantùm prophana iudicia ſequēs, quæ tenera initia omnia mutationum, celerrimè opprimunt, ſed etiam normam vocis diuinæ in conſiliũ adhibēs, quæ iubet audire Euangelium, intelligebat, omnib. priuatis, & publicis periculis, anteferendam eſſe gloriam Dei. Sciebat horrēdam, & inſanabilem blaſphemiā eſſe, agnitæ veritati aduerſari. Idcirco cùm ſtudiosè legeret Lutheri ſcripta, & accuratè penſitaret teſtimonia, quibus niterentur, deleri nō voluit, quæ iudicauit vera eſſe. Et cōfirmabatur diuinitus. Quare nullis minis, ac terroribus frāgi potuit, etſi & Maximilianus, & Carolus Imperatores, & Romani Pontifices minaciter edicerent ei, ne locum docendi Luthero concederet.

Nec tamen ſibi ipſi tantùm ſumebat, vt ſolus de doctrina iudicaret, ſed multorum ſenum, & eruditorum, & quidem principum iudicia ſciſcitatus eſt; intérque alios doctos, Eraſmum Roterodamum, in eo conuentu, quem in vrbe Agrippina Colonia egit Carolus quintus, poſt coronationem. Eraſmum ergo ad ſe accerſitum, amanter allocutus eſt; poſtquam controuerſiæ motæ ſint, malle ſe, vt ſibi terra dehiſcat potius, quàm velit falſis opinionibus adſentiri, ac fauere. Sed ſi Lutherus rectè taxet errores, & veros monſtret doctrinæ fontes, ſe, etiamſi videat quantum ſibi, & ſuis ſit periculi, non tamen aduerſaturum veritati. Nec ſe ſuum, de re tanta, iudicium ſequi, ſed eruditorum, ac peritorum ſentētias inquirere. Et cum his ſimul

Eraſmum

Eraſmum obteſiatus eſt, ſuum liberrimè iudicium, vt de tota re diceret. Eraſmus, ab ironia exorſus, duo magna eſſe Lutheri peccata dixit, quod ventres Monachorum, & coronam Papæ attigiſſet. Poſtea pertexuit ſuam ſententiam, & dixit Lutherum iuſtè taxare errores, & eorum emendationem Eccleſiæ neceſſariam eſſe. Addidit etiam ſummam doctrinæ Lutheri, veram eſſe, ſed lenitatem ſe in eo deſiderare. In eandem ſententiam ſcripſit, ad Fridericum Electorem, & Laurentius Epiſcopus Wurceburgenſis, qui ſe, multorum eruditorum iudicia exploraſſe, affirmauit.

Conſtat & hoc, Lutherum literis, apud Leonem Pontificem, & Albertum Archiepiſcopũ Magdeburgenſem, Germaniæ primatem, de impudentia, & rabie impoſtorum, venditantium indulgentias, queſtum, ſua themata cẽſuræ, ac iudicio Eccleſiæ Romanę, ac ſemetipsũ ſubieciſſe, & in conuẽtu Maximiliani poſtremo Auguſtano, Thomæ Caietano Cardinali, promiſſurum fuiſſe ſilentium, ſi aduerſariis ſimiliter ſilentium imponeretur. Qua ex re, perſpicuũ eſt, Lutherum tũc quidem non decreuiſſe ad alia progredi certamina, ſed fuiſſe cupidum tranquillitatis. Sed rebus ſemel motis, paulatim ad alias materias pertractum eſſe, vndique laceſſentibus eum ſcriptoribus indoctis.

Secutæ ſunt igitur diſputationes, de diſcrimine legũm diuinarum, & humanarum, de tetra prophanatione cœnæ Domini, in venditione, & applicatione eius pro aliis. Hic explicanda tota ſacrificij ratio fuit, & oſtendendus vſus ſacramentorum. Cúmque iam audirent homines pij, in monaſteriis, fugienda eſſe idola, diſcedere ex impia ſeruitute cœperunt. Ita monaſteria deſerta ſunt.

Addidit igitur Lutherus, ad explicationem doctrinæ de pœnitentia, de remiſſione peccatorũ, de fide, de indulgentiis, deinde & has materias, diſcrimen legum diuinarũ, & humanarũ, & doctrinam de vſu cœnæ Dominicæ, & aliorum ſacramentorũ, de votis. In his certaminibus Deus Luthero adiunxit παραστάτην καὶ συνεργὸν, ac laborum tantorum ſocium Philippum Melãthonẽ, qui controuerſias omnes, mira vi ingenij, & dexteritate planè diuina, ex intricatiſſimis ſcholaſticæ doctrinæ labyrinthis, ad planiſſimã, & explicatiſſimã methodũ reuocatis, diſputationibus, & ſcriptis illuſtrauit, atque defẽdit. Acceſſerunt ad hos duos deinceps plures alij, in his regionibus Johãnes Bugenhagius Pomeranus: Caſpar Cruciger, Juſtus Jonas, Juſtus Menius, Johãnes Æſpinus, & alibi alij: qui, cum Luthero, commu-

nis cauſſæ defenſionem, ac propagationem repugnatę doctrinæ, Eccleſiæ renaſcentis, magno conatu, ſuſceperunt.

Diſputationem, de Romani Pontificis poteſtate mouit Eccius, magis vt accenderet Pōtificis, & regū odia, aduerſus Lutherum, quàm quòd cauſſæ vehementer confideret.

His initiis cœpta emendatio doctrinæ Eccleſiaſticæ, & rituū, & paulatim magis, magíſque illuſtrata, ingentē regni Pōtificij ruinā, primùm in Germania, deinde apud vicinas gentes traxit, de qua ordine dicemus in ſequētibus.

In hac mutatione, præcipuè cōſilium Dei omnipotentis conſideremus, qui Eccleſiam non authoritate, potentia, aut ſapientia humana, ſed ex ore infantium, ac lactentium, miniſterio verbi ſui, quod eſt potentia Dei ad ſalutē omni credēti, colligit, condit ac regit. Nec armis aut præſidiis regum, ſed vmbraculo alarum ſuarum protegit, ſeruat, ac tuetur, vt plantet cœlos.

Beneficium reſtitutæ lucis diuinæ reuerenter agnoſcamus, & gratias agam⁹, quod eiici monaſticæ doctrinæ venena ex euangelicis fontib. voluit. Nec cogitemus minus miraculum fuiſſe, aut eccleſię à pontificia tyrannide aſſertionem protectionémq; aduerſus immania odia, minas & vim regum totius Europæ, quam fuit populi Iſraelitici liberatio ex ſeruitute Ægyptia: Aut reſtitutionem doctrinæ purioris ex tanta caligine humanarum opinionum & ſuperſtitione tam inueterata, quā fuit traductio populi per mare rubrū, & per vaſtas ſolitudines deſerti in terrā patrib. ſanctis promiſſam, etſi illa magis incurrūt in oculos.

Sēper etiam coniunctis atque ardētibus votis & gemitib. petamus, vt confirmet Deus hoc quod operatus eſt in nobis propter templum ſāctum ſuum. Te ergo viue vere Deus, æterne pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, oro toto pectore, vt propter gloriam tuam & filij tui domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper tibi inter nos quoque eccleſiam æternam colligas voce euangelij, & noſtra pectora Spiritu ſācto tuo regas, vt te verè inuocemus, & officia tibi placētia præſtemus: concedas & hoſpitia tranquilla eccleſię tuæ & pios principes, qui fouēt eccleſias, & ſtudia doctrinæ atque artium honeſtarum eccleſiæ neceſſaria propagari curant, ſerues ac defendas per & propter ęternum Filium tuum dominum noſtrum Jeſum Chriſtū μεσίτην ἡμῶν καὶ ἱκέτην, qui tecū viuit & regnat in infinita ſecula. Amē.

Τέλος, θεῷ δόξα.

SVPPLE-

SVPPLEMENTVM CHRONICI CARIONIS.

A Maximiliani primi obitu, nempe ab anno Christi M. D. XIX. ad annum M.DC.

CAROLVS QVINTVS.

MAXIMILIANO è viuis ſublato, duodecima die Ianuarij 1519. bellum inter Epiſcopum Hildeſemienſem & Ericum Brunſicum ſtatim geſtum eſt, paulò poſt compoſitum interuentu Friderici Saxonis (is tũc Imperij Vicarius) quod illud ab Henrico Lunæburgico Frãciſci Galliæ regis partibus fauente, vt Carolum Auſtriacum, Hiſpaniæ regem, cognomine Catholicum, quominus Cęſar crearetur, impediret, ſuſcitatum crederetur. Nec periculoſius, quanquam maioris molis bellum fuit, quod eodem tẽpore Vlrici Virtembergici cauſſa à coniunctis fœdere Sueuico principibus & ciuitatibus ſuſceptum, quod tandem, Vlrico reſtituto circa annum 1534. extinctum fuit. Grauior contentio inter Franciſcum Galliæ, & Carolum Hiſpaniæ reges orta, Moguntino præſule Caroli partes, Treuirenſi cõtra Marchionem Brandeburgenſem adiuuante, tandem electus eſt Carolus, XXVIII. Iunij rex Romanorum, quod & Germanus, Gandaui natus 24. Februarij 1500. & in Germania domicilium haberet: fruſtra reclamante Treuirenſi, & Germaniæ fatum impendentémque ruinam ſe animo præſagire dictitante. Suffragatorum venaleis ſententias fuiſſe fama fuit, magnáque inuidia Electorum nonnulli laborarũt, quòd ab vtroque Principe accepta ingenti pecunia, pręcipuè à Franciſci miniſtris, tamen Carolo, ac non potius Saxoni (quem reſpexerant) vel Brandeburgico, imperatoriam adiudicaſſent dignitatem. Saxonem conſtanter tantum onus repudiaſſe ferunt. In ea petitione non tam agebat Gallus, vt ratio ſui haberetur, quam vt excluſo Carolo Auſtrio, cuius meritò potentiam ſuſpectam habebat, vnus ex Septemuiris,

aut quilibet ex aliis Germaniæ principibus, Imperator crearetur, quippe cùm Franciſcus de regni Neapolitani recuperatione, & Henrico Labretano Iohannis F. in Nauarræ regnum reſtituendo cogitaret: prouidebat fore, vt Pontificis animus, cuius in ea expeditione opera atque opibus indigebat, mutata fortuna, quam ferè ſemper innata vanitate quadam ac perfidia ſequebatur, facilè ab iis conſiliis auerteretur: nec dubitabat quin Carolus magnæ ſpei iuuenis, noua tantæ potentiæ acceſſione auctus de Burgundiæ Imperio, quod Mariæ auiæ à Ludouico vndecimo ademptum iampridem querebatur, acturus eſſet, & ad Gallos Mediolano deiiciendos, quibus nullum ius ab Imperatore in eo competeret, niſi quòd armis paraſſent, omnes opes quamprimùm conferret. Accedebat vetus & implacabile Burgundicæ domus in ducem Geldriæ, quem Franciſcus tutandum ſuſceperat, odium: qua re cùm maximè offenderetur Carolus, omnes iudicabant non diu inter æmulos Principes, in ætatis flore conſtitutos, & priuatarum ſimultatum ſtimulis incenſos, manſuram concordiam. nec Franciſci mens læua fuit. Nam cùm Leo X. Lutherum anathemate percuſſiſſet, & inaugurationem Caroli contra clauſulam qua reges Neapolitani in fidem à Pontificibus Romanis accipiuntur adprobaſſet, primis Comitiis quæ nouus Cæſar anno CIↃ IↃXX. Vormatiæ habuit, vt Leonis gratiam aucuparetur, Lutherum item proſcripſit, & inito cum Pontifice fœdere, de Gallis Mediolano, Inſubria, atque adeo tota Italia expellendis continuò conſilium cœpit.

Laurentius Mediceus, quod erat amicitiæ inter Franciſcum regem & Leonem vinculum, deceſserat: & Lautrecus Mediolani Prorex, de Pontificis conſiliis certior, ſic diſciplinam eccleſiaſticam ordinauerat, vt præfecto ſacris Bigerronum epiſcopo ſine authoritate Romani Pontificis omnia adminiſtrarentur. quod adeo Leonis animum exaſperauit, alioqui Placentiæ & Parmæ, quæ à Gallis tenebantur recuperandarum, & Alfonſi Ateſtini, cui inſidias nefaria fraude ſtruxerat, Ferrarię poſſeſſione deiiciendi cupidi, vt qui modò Principes Chriſtianos ad concordiam hortatus fuerat, omnia conſilia ad bellum in Italia excitandum converteret. Pręcipuus fuit conatus contra Mediolanum, quo Leonis impetus, adeo Lautreco infenſi, & omnia Cæſaris conſilia ferebantur, quod facile captu fuit, fœderatis Heluetiis, qui iam à Cæſare ſollicitati fuerant, ob non perſolu-

ſoluta à Lautreco ſtipendia è Gallorum caſtris diſcedentibus. Leone autem ſubita morte ſublato, Hadrianus Batauus, Caroli quondam præceptor, Pontifex creatus, res Cæſaris alumni ſui conſtanter fouit. Id certè hominum mentes ad Carolum ita inclinauit, vt mox irrito conatu tentata à Lautreco Parma & Papia, ſecuta dein Heluetiorum ad Bicocam internecione, Laude Pompeia à Piſcario capta, Genua ab Alfonſo Vaſtio Piſcarij patruele expugnata & direpta, Senatus Venetus, quamuis beneficio recenti Franciſco obſtrictus, eius amicitiæ renuntiauerit, fœdus cum Cęſare, Pontifice, Fr. Sfortia contra Gallos percuſſerit. Vt autem Franciſco grauiſsima, ita Carolo gratiſsima fuit defectio Caroli Borbonij, qui cum ſe fuga ex Galliis proripuiſset anno 1523. Italiam petiit, in Hiſpaniam quàm primùm transmiſſurus, vt Eleonoram Cæſaris ſororem, vti conuenerat, in vxorem acciperet. Sed Cæſar, cùm videret Borbonium in Burgundia pollicitationes, quas initio iactauerat, exequi non potuiſse, ob id cunctandum ratus, vt moram in Hiſpaniam traiiciendi ex honorifica occaſione imponeret, Proſpero Columna nuper extincto, eum exercitibus cũ amplißima poteſtate in Italia præfecit. Jam enim Cæſar ex Germania in Hiſpaniam redierat, vt excitatos per abſentiam ſuam motus componeret; quorum occaſione oblata Franciſcus biennio ante totum ferè Nauarræ regnum, ipſámque Pompelonis arcem, ductu Sparrenſis, Lautreci fratris, recuperauerat. Cæſar igitur conſcripto quàm potuit maximo exercitu Pompelonem venit, in Aquitaniam proceſſurus, ſed difficultatibus locorum & hyemis impeditus, ac deficiente ſtipendio, quod ab Hiſpaniæ ordinibus promiſſum fuerat, expugnata Fontarabia, retrocedere coactus eſt.

Prima Borbonij expeditio fuit in Prouinciam, vbi Aquarum Sextiarum ciuitate capta, Tolonij turre munita, multíſque caſtellis deditis, cum fruſtra Maſsiliam optimè munitam, Hiſpano nomini infeſtam, oppugnaſſet, in Italiam magna & confuſa celeritate rediit. Tantis aduerſitatib. obruto Franciſco, apparebat conſilium de tranſitu in Italiam ſuſpenſum iri. Sed receſſus Cæſarianorum fugæ ſimilis animum fecit principi generoſo & iuſtæ vltionis ſtimulis ardenti, ad Alpeis cum exercitu ſuperandas. Venienti fortuna primò arriſit: nam Fr. Sfortia ſubitò deſeruit Mediolanum, quod ſuadente Morono ipſo mox Franciſco patuit. Sed in Papiæ obſidione, cùm rex ſecuriùs quàm decebat ageret, &

ex conſilio Clementis VII. qui Adriano Pontifici ſucceſſerat, exercitum ſeparaſſet, parte Ioanni Albaniæ regulo, regis Scotiæ patrueli, ad regni Neapolitani expeditionem attributa, Borbonius & Lanoius coniunctis copiis cruentam victoriam de Gallis reportarunt, commiſſo ad Ticinum prælio, qua & ipſe Franciſcus captus eſt, anno 1525. x. Calend. Februarij, qui natalis erat Cæſari. Hac clade proſtratis omnino Galliæ viribus, vti videbatur, tamen rex victus tantum efficere potuit, quantum incolumis optare vix eſſet auſus, exemplóque ſuo verum eſſe comprobauit, regum res afflictas multorum opes allicere ad miſericordiam; dum quiſque in præpotentum cladibus ſuæ conditionis efficacius admonetur. Nam Cæſar licet moderato animo ſucceſſum hunc tuliſſet, tamen inuidiam Italicorum Principum vitare non potuit, qui timentes rebus ſuis etiam non rogati conſilia vltro ſua communicarunt, vt quà poterant iacentem Franciſci fortunam ſubleuarent, & victorem nimia proſperitate exultantem, reprimerent. Hactenus Clementis VII. animus hinc à Nicolao Schombergio viro graui & ſapiente, ſed (vt Germanum decebat) Cæſaris partibus obnoxio: inde à Iohanne Matthæo Giberto Hiſpanis infeſtiſsimo, diuerſas in parteis diſtractus, tandem eo adductus eſt, vt omni ope ſibi enitendum exiſtimaret, quo Cæſaris potentiam in Italia debilitaret: eáque mente per Hieronymum Moronum Sfortiæ Cancellarium, Piſcarij tunc, vt apparebat, paulùm alienati, animum tentauit, an conſilij de liberanda Italia particeps eſſe vellet, honorificis conditionibus propoſitis, vt ſi id probaret, tam iuſto bello omnium principum conſenſu præficeretur, & pulſis regno Neapolitano Hiſpanis ipſe illud futurus Romanæ ſedis beneficiarius pro præmio à Pontifice acciperet. parte alia Anglus famæ Cæſaris inuidere cœpit, atque ex calamitate vicini & olim æmuli regis dolorem capere ſe haud obſcuris indiciis manifeſtum fecit.

Cæſar veritus ne vno hoſte ſublato plurium in ſe animos concitaret, ad minuendam inuidiám de liberando Franciſco deliberare cœpit, & diſſentientibus Mercurij Gattinaræ cancellarij, Carolíque Lanoiique ſuper ea re opinionibus, in Lanoij ſententiam poſtremò deſcendit, acceptíſque obſidibus Franciſci liberis captiuum regem, conditionibus Madritiano fœdere expreſſis, cuſtodia liberatum in Galliam redire permiſit. Nec quieuerunt propterea

Italiæ

Italiæ principes: nam detectis quæ clam per Moronũ tractabantur, præpoſtera Piſcarij, qui paulò poſt mortuus eſt, perfidiæ excuſatione, conſiliis, Pontifex & Senatus Venetus palam cum Franciſco fœdus inierunt. Sed capto & militari licentia ab Hiſpanis longo tempore vexato Mediolano, tandem arx, cùm à fœderatis ſuppetiæ nullæ ferrentur, Borbonio deditur à Sfortia. Cæſar, vt iniuriam ſibi à Clemente illatam vlciſceretur, Póntificij nominis auctoritatem per omnem Hiſpaniam abolet, exemplo ab Hiſpanis ipſis poſteritati relicto, poſſe Eccleſiaſticam diſciplinam citra Pontificij nominis auctoritatem conſeruari. Eodem tempore Columnij à Cæſare inſtigati, Romam occupant, & Clementem VII. in mauſoleo Adriani obſident. nec multò poſt totis viribus Romam itum, Borbonio duce, anno 1527. 6. die Maij, Roma impetu capta & direpta, ɔɔcccc, poſtquam à Totila poſtremò vaſtata fuit, anno, abundè de Clementis ambigua fide Cæſari ſatisfactum eſt. Genua denuò in Gallorum poteſtatem redacta, & multis in Gallia Ciſalpina vrbibus captis à Lautreco, qui auctore Anglo, Gallorum fœderato, ad id bellum deſtinatus fuerat, ex conſilio Pontificis in regnum Neapolitanũ exercitus ducitur; vbi Petrus Nauarra & Rentius Cerius fortes belli duces magnos in Samnitibus & Apulia progreſsus fecerant. Arauſienſis mortuo Carolo Lanoio à Cæſare regno præfectus erat, qui Neapoli incluſus magna conſtantia obſidionẽ ſuſtinuit. Hugo Moncata, Siciliȩ prorex, rem maritimam adminiſtrabat, qui tandem nauali prælio à Philippino Auria victus & occiſus ſpem magnam vrbis potiundæ dedit. Sed ea victoria in exitium Gallorum vertit, ſecuta mox Andreæ Auriæ defectione, & marchione Vaſtio captiuo è cuſtodia emiſso, nã exercitus omnis morbo graſsante diſsipatus, & Lautrecus ipſe ex mœrore animi paulò poſt mortuus eſt. Copiarum reliquias ſoluta obſidione Auerſam ſecum abduxit Michaël Antonius Saluciarum marchio, poſt Lautreci obitum ab exercitu dux electus: ſed in itinere Cæſarianis inſequentibus grauiter vulneratus, deditáque Auerſa Neapolin delatus, ex vulnere deceſsit. Nec in Liguria & Gallia Ciſalpina felicius cum regiis actum. nam Andreas Auria eiecto Barbeſio rei maritimæ præfecto, Genua & arce potitus Gallos mox Sauona expulit, & Franciſcus Borbonius Comes Sampaulinus, dum Papiam contenderet, quo ante Guidonem Rangonium prȩmiſerat, ad Landrianum ab An-

tonio Læua cæſus & captus eſt.

Tot cladibus acceptis res ad pacē ſpectare cœpit: ac primus quidem Pontifex Barcinonem profectus, cum Cęſare fœdus ſeorſim ab aliis percuſſit: dein Franciſcus ipſe Cameraci cum Margarita Cæſaris amita, citra ſociorum fœderatorum conſenſum, qui poſtea apud eorum oratores de ea re cum ipſo expoſtulantes vehemens redimendorum liberorum deſiderium excuſauit. Senatus denique Venetus ac reliqui fœderati traditis quæ in Samnitibus, Piceno & Apulia tenebant, oppidis, pacem certis conditionibus fecerunt. Dū hæc toto nouennio in Italia gerebantur, Germanicæ Eccleſiæ fruſtra tumultuātibus ſeditioſis ruſticis, fanaticis & portentoſarum opinionum fautoribus, incremēta cœpêre maxima, Principes & pij magiſtratus religionis orthodoxæ negotium magno zelo promouerunt, Pontifice de bellis varias cogitationes cum gregalibus ſuis induente. Gallis autem totâ Italiâ excluſis, cùm quieſcerent omnia, Cæſar in Italiam venit, & ab omni motu domeſtico ſecurus in Pannoniam tranſiuit, vbi magna illa & memorabili Viennę Auſtriacæ obſidione ſummam contra Solimanni Turcarū imperatoris ſummos impetus, Philippi comitis Palatini prudentia & fortitudine eximia vſus, virtutem admodum felicem oppoſuit, anno 1529. Inde rediens anno ſequenti Bononiæ magna pompa à Pontifice, coronam ſumpſit, die natali ſuo. Dein Auguſtæ Vindelicorum comitia habuit, in quibus doctrinæ Germanicarum Eccleſiarum confeſſionem à Principibus Proteſtantibus poſtulauit, quam exhibuerunt â Philippo Melanthone, pio, docto, pacis ſtudioſiſsimo viro conſcriptam, xxv. Iunij in publicis comitiis, articulatè, diſtinctè, clarè perlectam, vt ab omnibus exaudiretur. Cæſar quum attentas aures præbuiſſet, iuſsit confeſsionem illam ſibi reddi Italicâ & Gallicâ linguâ conuerſam. Etſi autem contra Germanicas Eccleſias edictum aſperius in eo conuentu edidit; tamen cùm Moguntiæ paulò poſt Albertus archiepiſcopus Moguntinus & Ludouicus Palatinus de Germaniæ pace cum eo colloquerentur: & vicecancellarius Heldus Caſaris adſtantis nomine durius reſpondiſſet, Cæſarem, qui alia regna haberet, decretum de religione in Comitiis aduerſus Proteſtantes conſcriptum, etiam ſi vaſtanda eſſet Germania, exequi conſtituiſſe, Cæſar hunc interpellans dixiſse fertur, Hæc non iuſsi te dicere, nolo enim vaſtari Germaniam, quia & patria mea eſt, & ſummum imperij decus ab ea accepi: Cæſaris eſt etiam, ſaluti orbis terrarum,

terrarũm, iuuante Deo, pro virili conſulere. Data igitur Moguntino & Palatino de pace cum Proteſtantibus agendi poteſtate, confectam tandem Ratisbonę confirmauit.

Cæterum, atridente fortuna nullã amplificandæ potentiæ occaſionem prætermittẽs Cæſar, vt imperium Germanicum in familia Auſtriaca firmaret, Ferdinandum fratrẽ Romanorum regem Coloniæ renunciãdũ curauit, anno 1531. Id Septemuiri & alij germaniæ principes, quod contra Caroli IV. bullam auream ſeu cõſtitutionis illius leges factum eſſe conquererentur, magnopere improbarunt, & in ea Septẽuiralem conſenſum neceſſarium fuiſſe dicebant. Idcirco Saxonię elector, Haſſię Landgrauius, Wilelmus & Ludouicus Baioari fratres libertatis germanicæ tuendæ cauſſa, cum Franciſco gallię rege clam fœdus pepigerunt, quod annorum ſequentium mutationibus obrutum eſt. Eodem anno poſt diutinam obſidionem, in qua Auraſienſis occiſus, & eo occiſo Ferdinandus gonzaga ſubrogatus eſt, Florentia Cęſari deditur, & vti inter Cęſarem & Pontificem conuenerat, Alexander Medices nothus Laurentij filius Florentinorum dux creatur. Hoc facto Cæſar, cùm prouideret ſibi à Turcis impendere negotium, pacem cum Proteſtantibus, Smalcaldico fœdere coniunctis, Alberti Moguntini & Ludouici Palatini interuentu factam confirmauit, Viennámque ingenti cum exercitu prægreſſus, & Solimanno copias ſuas ex Hungaria in Thraciam reducente, ſuborta inter milites, vt fit, ob non ſoluta ſtipendia ſeditione, in Italiam atque inde in Hiſpaniam rediit. At pontifex, qui pace cum Cæſare contracta patriam, hoc eſt Florentinorum rempublicam euerterat, vt quod in prouerbio eſt contra noctem procelloſam duobus anchoris nauẽ firmaret, adfinitatẽ etiam cum Franciſco contraxit, indictóque Mantuę cõcilio venit Maſſiliam, & Catharinam Mediceam Laurẽtij ex Magdalena Turria filiam Henrico ex Franciſci liberis ſecũdo in matrimonium tradidit. Circa finem Septembris anni 1534. põtificem Glementem VII. clementia fati rapuit, cuius in locũ Alexander Farneſius, Petri Lodoici filius, qui Onufrius V. primùm, mox Paulus III. dici voluit, menſe Nouembri ſuffectus eſt. Annus proximus fuit illuſtris expeditione Tunetana, quæ & Cæſari gloriã & Reipublicę Chriſtianæ magnam vtilitatem attulit, exſtructa ad fauces lacus arce, quæ repreſſa Turcarum audacia nauigationem antea piraticis excurſionibus infeſtam hoc præſidio, ſecuriorem Chriſtianis reddebat.

Huc vſque Gallorum arma quieuerant, poſtquam fœdere Cameraci icto cuſtodia emiſſi ſunt Franciſci liberi. Sed ea occaſione ſumpta ſunt. Mirabellum Mediolanenſem, ſed in familia Ludouici XII. & Franciſci honorifico loco ſemper habitum ad ſe delegari curauerat Franciſcus Sfortia, nuper in gratiam receptus à Cæſare: ſed quia verebatur, ne ea ratione ſuſpectus eſſet Cęſari, tegi rem cupiebat. Itaque ex conſilio Fr. Tabernæ Mirabelli ſororis F. qui ſummum dignitatis gradum apud Sfortiam obtinebat, Mirabellus priuatorum negotiorum prętextu Mediolanum profectus erat, re vera vt nomine Franciſci oratorem apud Sfortiam ageret. Cæſar id ægiè ferens, Mirabelli dimiſſionem vrgebat: cui vt Sfortia ſatisfaceret & inſigni ſcelere dilueret rei ſuſpicionem, iuris prætextu Mirabellum noctu ſecuri percuſſit: quo facto maximam Cęſaris gratiam eſt promeritus. Franciſcus de tanta iniuria violatóque iure gentium apud principes Chriſtianos per oratores expoſtulauit: cúmque de ea ſibi à Sfortia ſatisfieri debere omni ratione contenderet, Cæſar iure factum dicere, Sfortia excuſare, Franciſcus tandem armis tantam iniuriam perſequendam ratus, quod ſaluo fœdere Cameracenſi ſibi licere exiſtimabat, exercitum conſcribit. Mortuo Sfortia, Cæſaris nomine Mediolanum occupauerat Antonius Læua, & Cæſar per occaſionem reditus ex Africa Neapolin venerat, cum Velius orator regius in illa expeditione ſemper comitatus de Franciſci conſilio certiorem fecit. Quum autem Cæſar moras necteret, Franciſcus ad bellum paratus ab incœpto neutiquam ſibi deſiſtendum exiſtimauit. Hinc grauiſſimæ querelæ, contentiones, belli apparatus ingentes, Cæſaris parum felix in Prouinciam deſcenſus, in Italiam, inde in Hiſpaniam nauigatio, dum ad Belgij fines vario marte Galli cum Cæſarianis dimicant. Nec non in Italia bellum ardebat: quod induciis penè extinctum eſt. Eodem tempore, nempe anno 1538. Paulus Pontifex Nicææ cum Franciſco congreſſus x. annorum inducias, quo concilium celebrari & bellum aduerſus Turcas commodius inſtrui poſſet, inter Cæſarem & Franciſcum firmauit.

Nec multò poſt ad Foſſam Marianam Cæſar cum Franciſco colloquutus fraterni amoris ſpecie ſpem fecit, fore vt certis conditionibus in poſterum concordia inter ipſos firma & conſtans c al ſceie poſſet. Anno ſequente, quum Gandauenſes rebellarent, miſsiſque ad Franciſcum legatis vt ſe veteres regni clientes in fidem reciperet, orarent,

repulſam,

repulſam paſſi ſunt, Franciſco inducias & amicitiam quæ ſibi cum Cæſare intercedebat cauſſato, quod vbi Cæſar reſciuit, ne malum exemplo latius ſerperet, eò ſibi proficiſcendum quàm primùm exiſtimauit. Sed quia videbat niſi per Galliam iter haberet, magno exercitu, quem non tam ſubito, quàm pro rei neceſſitate, conſcribere poterat, opus eſſe, per legatos tranſitum à rege petiit, quem ſibi eo magis neceſſarium iudicabat, quod ea re arctiorem inter ſe & Franciſcum amicitiam coiſſe ab omnibus creditum iri ſciret, Gandauenſésque ſpe auxilij è Gallia deſtitutos facilius redituros ad officium. Id quo facilius impetrare poſſet, referentibus Galliæ hiſtoricis, ſpem fecerat Georgio Seluæ Vaurenſi epiſcopo, qui Franciſci nomine apud eum Oratorem agebat, de Mediolano reſtituendo. ſed id petebat, ne in præſentiarum ea de re ageretur, ne neceſſitate adactus potius quàm ſponte in id conſenſiſſe videretur: cæterum ſe, vbi primùm in Belgium perueniſſet, regi facturum ſatis. Itaque ſumma liberalitate & humanitate acceptus, deducentibus eum per totum regnum regiis liberis, Lutetiam rege ipſo comitante magna pompa ingreditur. Cæſaris an fiducia maior fuerit, qui regis irritati toties, & ſeuerè nimis, cum captiuus eſset, habiti, poteſtati ſe commiſit, an fides & generoſitas Franciſci, qui hoſpiti, quem ſibi omni officio colendum propoſuerat, ne iuſta quidem petitione moleſtus eſse voluit, multis & magnis vtrinque rationibus agitari potuit. Cùm ille, dum in Gallia eſset Momorantio Equitum magiſtro promiſsa verbis confirmaſset, & Momorantius Cęſarem promiſsa repræſentaturum Franciſco recepiſset, vbi Valencianas venit, iam de rebus Gandauenſium (quos ſub iugum duriter exceptos reduxit) ſecurior, inſtantem Vaurenſem, vt fidem de reſtituendo Mediolano datam liberaret, excuſatione primùm, ad extremum denegatione eluſit. quod cùm grauiſſimè, vt par erat, tuliſset Franciſcus, eámque ob cauſsam Momorantium antea ſibi percarum à ſe & ab omni regni adminiſtratione remouiſset, ad pacem intentum animum ad belli cogitationes iuſta indignatione tranſtulit.

Miſerat Venetias Franciſcus ſuperiore anno 1539. Claudium Annebaldum tribunum equitum, cum Vaſtio Cæſaris oratore, vt Senatum certiorem de certiſſima inter Cæſarem & Gallum amicitia communi legatione facerent, & in fœdere cum Cæſare contra Turcas inito, à quo alioqui quàm primùm diſceſsuri videbantur, confirma-

rent : etſi potius id Cæſar egiſſe à prudentioribus credebatur, vt Franciſcum à Solimani amicitia ſeiunctum, Anglo ſibi propter diuortium Catharinæ materteræ paulò ante mortuæ infeſtiſſimo redderet ſuſpectum, ipſumq. adeo Anglum ea occaſione in ſuas partes à Gallis alienatum pertraheret. Itaque vt Senatum Venetum melius de omni re edoceret, & cum Solimano amicitiam renouaret, Franciſcus Cæſari Fulgoſio Genuenſi & Antonio Rincono Hiſpano negotium dat, vt Venetias ſimul, atque inde Rinconus Cõſtantinopolin proficiſcatur, ſed in itinere diſpoſitis à Vaſtio inſidiis, dum per Padum ſecundo flumine nauigio ferrentur, tribus milliaribus paulò ſupra Ticini in Padum ſe exonerantis faucés trucidati ſunt. qua de iniuria poſt crebras apud principes Chriſtianos, præcipuè verò apud Pontificem & Germanos expoſtulationes, cùm regi à cæſare nõ ſatisfieret, poſtremò rurſus ad arma ventum eſt, vario euentu. Muniendis oppidis & arcibus in Italia & Belgio ſequens annus 1540. inſumptus eſt, & paulò poſt damnis maximis vtrinque illatis, & cladibus luctuoſis tum Cæſarem tum Galliæ regem ad ſaniorem mentem pertrahentibus, Franciſcus tandem cum Carolo honorificè tranſegit Crepiaci, ſub finem Septembris.

Mediolanum & Genuam profectus Cæſar anno 1541. expeditionem alteram Africanam, ſed infelicem, ſuſcepit, & XXIII. Octobris Algieram appulit, vbi cum expoſuiſſet exercitum 22000. peditibus & 1000. equitibus conſtantem, tertio die ſequenti, fœda tempeſtate coorta, ſęuiſſimis ventorum turbinibus naues aliquot ex colliſione fractę vel fluctibus abſorptæ ſunt. Dei ſeueritatem Cæſar animaduertens, ad eius miſericordiam ſupplex confugit, idem toti exercitui edicens. Cùm autem loco accliui & ſalebroſo cum Mauris Turcíſque aſperrimè manus cõſeruiſſet ſemel atque iterum, nec dum quieſcentibus ventorum procellis, exercitum ad naues progredi iuſſit, inquiens malle ſe chriſtianũ vnũ & alterum ſeruare, quàm mille Mauris, Turcis aut Pœnis inferre necem. Poſtquam igitur contra hoſtes, vẽtorum, maris, pluuiarúmque ſęuitiam fruſtra dimicauit, amiſſa potentis exercitus, machinarum, nauium, commeatúſq; maiore parte, in Hiſpaniam menſe Nouembri ęgrè reuerſus eſt. At renouato inter Cęſarem & Gallię regẽ diſſidio, à querelis & criminationibus iterum ad arma deuentũ eſt, anno 1542. Sequente verò Philippus II. Caroli V. filius à patre rex Hiſpaniæ diſignatus eſt XVII. Maij, & Carolus, ex Hiſpania in Germa-

Germaniam reuerſus bellũ Geldricum geſſit. Carolus Egmõdanus Geldriæ Dux, Cæſari inuiſus, nullis relictis liberis deceſſerat. Is quia Gallorũ partes tuebatur, crebris incurſionibus Cæſaris imperio ſubditas regiones infeſtauerat, nõ ſolũ vicinis, ſed etiã ſuis odioſus, qui eam ob cauſsam à Cæſariano milite, cõtrariis populationibus vexabantur: quo factum eſt, vt paulò minus totius ditionis poſseſſione exueretur, & Wilelmus Cliuenſium princeps Caroli affinis à populis aſciſceretur, ægrè id ferẽte Cęſare, qui ius in eo ſibi arrogabat. Frãciſcus cui iure ſuo Carolu s ceſserat, libenter id omne in Vilelmum trãſtulit, addito adfinitatis vinculis, & deſpõſata Iana Labretana Hẽrici Nauarrorũ regis & Margaritę ſororis filia, vt potẽtẽ principẽ ſecũ cõiungeret, & Belgici res quib. ille vicinus & immiſtus eſt, hac cõiũctione cõturbaret quod vt prohiberet Cæſar, quãquam Põtifex ad Buxetũ vſque in Æmilia progreſsus eũ à bello dehortaretur, magnis copii s in Menapios deſcẽdit, & tota ferè prouincia in poteſtatẽ redacta, eo adduxit Cliuenſem, quẽ vt imperialẽ clientem proſcripſerat, vt ſupplex à ſe veniã peteret, & Geldria Zutphaniẽſiq; comitatu adẽptis pro ſũmo beneficio duceret, quòd in antiquũ patrimoniũ & dignitatẽ, renũciata Gallo amicitia & affinitate, reſtitueretur. Id impetratũ Hermãni archiepiſcopi Coloniẽſis & Hẽrici Brũſuici interuẽtu, quib. & cõdonatũ, vt Martinus Roſſemius, qui ſuperiore anno in Atnaticos cum Longouallo excurrerat, & tam inopinato aduentu Antuerpiam penè oppreſſerat, quod bellica virtute excelleret, à Cæſare in gratiam reciperetur.

Sed prius quã bellũ Germanicũ aggrediar pauca quędã de nouo orbe deſcribẽda videntur. Ferdinãdi & Iſabellæ, quorũ nepos Carolus, auſpiciis, à Colũbo multiſq; aliis, nauigatio in Indiã Occidẽtalẽ, lucroſa ſanè, ſi aurũ, argẽtũ, gẽmas, aromata, & alia id genus ſpectes, dãnoſa verò, Indos trucidatos, luxũ in Europã ab eo tẽpore & conatũ ſparsũ ſi cogitas, inſtituta fuerat. Altero aũt poſtquã Carolus Cæſar creatus eſt anno quo, Ferdinãdus Magellanus Luſitanus, indignatione cõtra Manuelẽ regẽ concepta, Cęſari militauit, & verſus Occaſũ in inſulas Moluccas tẽdens, fretũ a ſe Magellanicũ dictũ pręteruectus eſt, qua in expeditione cũ periiſſet, vna ex ipſius nauib. cætera claſſe amiſſa, biẽnio poſt toto terrarũ orbe circũnauigato Hiſpalim appulit VI. Idus Septẽbris. Cũ verò ab iis qui Magellanũ comitati erãt, obſeruatũ fuiſset, in occasũ tẽdẽtib. crebras terras ſitas eſse, in quib. ignes accẽſi viſebãtur, inde factũ eſt, vt poſtea in omnib. chorographicis tabu-

lis ex aduerſo Peruuiæ, regionis longus terrarũ tractus deſcribatur, & terra ignea vulgo indigitetur. Eodem anno cœperunt Ferdinandi Corteſij victoriæ, quibus tot capta oppida totis xx. annis, tot luſtratæ prouinciæ, imprimíſque Mexicana, ſiue Themiſtitana vrbs in lacu ſita, Meteſcuma rege interfecto, in poteſtatem Hiſpanorum venit. Dum hæc in noua, quam vocant, Hiſpania geruntur, Peruuiæ regio partim à Guteriſio Varga epiſcopo Placentino, partim à Franciſco Pizarro ſubacta eſt, & in ea vrbs magni nominis Cuſco, Ingarum, hoc eſt, Principum, ſedes, qui circumiacenteis prouincias armis ſubiugauerant, eorum rex Atabalipa direptis theſauris contra fidem datam crudeliter à Pizarro occiſus, mox, Deo ita volente, vltores habuit. Nam cùm Ferdinandus Pizarri frater Almagrum captum ad mortem damnaſſet, Didacus Almagri filius coniuratione facta Pizarrum oppreſſit. Is poſtea Vaccæ Caſtrẽſis à Cæſare miſſi prudentia captus & ſecuri percuſſus eſt. Caſtrenſem mox Conſaluus Pizarrus Franciſci frater obtruncauit: cumque Blaſcus Nonius poſt Caſtrenſem à Cæſare miſſus eſſet, qui proregis titulo Indias moderaretur, is rurſus à Cõſaluo in prælio captus & ad mortem damnatus eſt.

Interea terrarum illarum incolæ, ſub ſæuis dominis, inſtar iumentorum, aut fodiendis metallis, aut oneribus portandis, aut piſcandis vnionibus, miſerè exanimabantur, quo factum eſt, vt miſſo in Indias Bartholomæo Caſa epiſcopo (qui peculiari libro Caſtellanorum horrendas lanienas & Indorum immaniſſimas interneciones deſcripſit) Cæſar quo certior de illarum ſtatu fieret, hortante & vrgente eodem Caſa, leges à gubernatoribus cauendas ſanxerit, quibus Hiſpanorum ſæuitiam coerceret & Indos melius de clementia ſua ſperare in poſterum iuberet. Sed miſeris verba data ſunt, & in eos poſtea crudelius ſæuitum eſt. Quum autem Conſaluus Pizarrus magno prouincialium detrimento rurſus rebellaſſet, miſſus eo fuit à Cæſare iuriſconſultus quidam Petrus Gaſca, humili tantùm præſidis titulo fultus, qui quod alij, ſuperbis proregum titulis freti, vi armata efficere nequiuerant, aſtu vulpino præſtitit, factáque ſingulis præfectis veniæ ſpe vniuerſos ad ſuas partes paulatim pertraxit: & cùm Conſaluus Franciſco Caruaiale, homine crudelitatibus infami, & Ioanne Acoſta, ducibus præliũ infelicibus auſpiciis ad Xaquixaquanam commiſiſſet, à milite deſertus, in præſidis manus cum ſuis ducibus, qui ſoli in exercitu, remanſerant, captiuus deuenit, à quo paulò

poſt

poſt & ipſe & cuncti illi, tanquã perduelles, extremo ſupplicio affecti ſunt. Inde Gaſca poſt publicatas nuper à Cæſare conditas leges, aliáq; ad leuamentum Indorum iuſtè cõſtituta, è prouincia diſceſſit, magnáq; auri vi in naueis impoſita in Hiſpaniã reuerſus eſt, haud multò priuatim ditior, aut maiore comitatu quàm venerat: quippe cùm idem pallium, quod Hiſpania extulerat, ſed vſu detritũ ex Indiis retuliſſet, tótque rebus tã breui tempore geſtis, tantóque æri pondere in ærariũ illato, nihil propterea de cultu corporis & priſtina moderatione mutaſſe magna cũ omniũ admiratione cõſpiceretur. Ita Hiſpanorũ ſanguine auri ſitis Hiſpanica reſtincta eſt. Infeliciſſimi verò hominũ mutuis lanienis viginti annorũ ſpatio ſe confecerunt, indigenis auaritiã & libidinẽ victoris luentib. Tãto auro & cruore religionis Hiſpanicę cognitio miſeris Indis cõſtitit! Sed verendũ eſt, ne ea rerũ mutatio, nõ ex præſcripto Dei, qui ſuos nõ ferro & rapinis graſſari, ſed piis admonitionib. & Charitatis officiis cum extraneis verſari voluit, apud Indos inſtituta, cùm non propter Chriſtum inceperit, neq; Chriſti gloriam pro fine reſpexerit, vt ſunt principia, luctuoſum exitum olim ſit habitura.

Cęſar, tũ à Pontifice, tum ab aliis impulſus, de reb. Germanicis noua conſilia capiens, manũ operi admouere decreuit, primũ arte multiplici, deinde Marte aperto. Anno 1544. poſt multas diſceptationes in Comitiis Spirenſib. conſtitutũ eſt, Cæſar daret operam, vt ex ſentẽtia piorum & doctorum virorũ ratio iniretur de emẽdando Eccleſiæ ſtatu, cuius emendationis formula perſcriberetur: ipſi viciſſim principes idem facerẽt, quo proximis Comitiis facta vtriuſq; collatione de cõmuni conſenſu ad Dei gloriã aliquid ſtatueretur, quod in poſterũ eo vſq; obſeruaretur, donec publicũ & liberũ Conciliũ in Germania peragẽdum, aut ſaltẽ nationis Germanicę conuentus celebrari poſſit: interea pacem inter ſe colerent omnes, nulliq; motus religionis ergo excitẽtur: eccleſiaſtici cœtus, vtram vtram religionẽ profiteantur, facultates vtrobiq; ſuas obtineant; ex iiſq; miniſtris, ſcholis, & egenis, quãtum ſat erit, erogetur. Jam de Camera Spirenſi ſæpius actum fuerat, Proteſtantibus odio religionis malè ab infeſtis & ſuſpectis iudicibus ſe haberi querentibus. Itaque decernitur, vt iudices tunc ordinati vſque ad præfinitum quidem tempus in ſuo loco remanerẽt: cùm verò id exiiſſet, tunc in eũ conſeſſum admitterẽtur omnes promiſcuè nullo religionis diſcrimine. Proteſtantes hoc à Cæſare impetrato decreto, cùm in bellum Gallicum & Turcicũ auxilia omnia quæ

petebantur libentiſſimè commodaſſent, voti vt ſibi videbãtur compotes, læti ac ſecuri degebant. Verum Cæſar pace mox cum Gallis confirmata, & belli Turcici metu ſolutus, quod interuentu Franciſci regis, qui ea de cauſſa Monlucium Conſtantinopolin miſerat, inducias facilè impetrare ſperaret, omnem curam in bellum Germanicum intendit, rebúſque in Belgio ordinatis, Vormatiæ Vangionum imperij ordines conuocat. Morbo præpeditus per Ferdinandum fratrem & alios delectos agit, Comitiorum Spirenſium decretum aboleri petit, Tridentini Concilij conſtitutiones nõdum conflatas in religionis negotio commendat, & pecuniam multam in bellum Turcicum numerari poſtulat.

Ad ea proteſtantes ſcripto reſponderunt mirari ſe, quomodo cum religionis cauſa conuenerint, vt iuxta Spirenſe decretum de ea ſtatuatur, totũ negotium ad Concilium Tridentinum Cæſar remitti velit, quod ipſi vt minimè legitimũ & liberum probare iam ſæpius profeſſi ſunt: prius ergo eſſe, antequam de bello Turcico agatur, vt concordiæ inter eos ſanciendæ ineatur ratio: fruſtra enim, diſſidentibus ob religionem animis, de bello cõmunibus ſumptibus ſuſcipiendo deliberari: quorſum enim hoc turbulento rerum ſtatu bellũ ſuſcipi, niſi vt Germaniæ & Italiæ vires atterantur nullo profectu? prius pacem domi ſtabiliendã eſſe, quàm ad bellũ externum proficiſcãtur Principes: nec dubitandũ, rebus domi pacatis, ac cõſcientiis inprimis, quin alacrius multo in Turcã ſint ituri, & alacritatem Deo proſperante felix fauſtúſque ſecuturus ſit exitus. Interea Spirenſi decreto ſtetur, nec cuiquam propter religionem creetur periculum: camera etiam Spirenſis ita ordinetur, vt cuique ius à minimè ſuſpectis iudicibus æquabile reddatur. Variis machinis Pontificij omnium ordinum hanc principum proteſtantium conſtantiam concutere conati ſunt: & quorũdam malis artibus Cæſaris beneuolus in Germaniam animus tandem euerſus eſt. Quum enim quidam ex principibus inſtaret, vt decreto Spirenſi ſtaretur, Granuellanus ingenuè cõfeſſus eſt, illud tẽpori fuiſſe accommodatum, quo facilius Cæſar auxilia à Germanis contra Gallum impetraret, & ne Gallus in Germania militem poſſet cõſcribere impediret. Vt paucis omnia. Proteſtantibus Spirenſe decretum, Norimbergæ primò ſancitum, & Ratisbonæ confirmatum, vrgentibus, Cæſare verò in ſententia permanente, vt Tridentino Concilio religionis negotium permitteretur, palam ad arma ventum eſt, paulò poſt Lutheri placida & pia morte ſublati obitum, anno 1546.

Quum

Quum autem Proteſtantes viderent perduellionis metu (nam id vnum vrgebat Cæſar) pleroſque etiam ex Proteſtantibus ſenſim ab ipſis alienari, & aut domi ſedere, aut, ſi non liceret, Cæſarem ſequi malle, ſcripto edito demonſtrant religionem & confeſſionis Auguſtanæ ſocios peti, falsò de rebellione querelas inſtitui, nec magis verè dici, hoc bello de Republica conſtituenda agi, quæ nulla omnino ſit, ſi, quod libertatis Germanicæ hoſtes moliantur, obtineant. Si enim, aiebant, ferro reſcinduntur, quæ communibus Comitiorum ſuffragiis ſecundum imperij leges decreta ſunt, ſi vnius voluntate tot principum, & liberarum ciuitatum ſententiæ euertuntur, ſi libidini paucorum publica ſalus committitur, quæ Reipublicæ conſtituendæ ratio, quę ſalus, quę tranquillitas ſperari poteſt? atqui hoc agitur impulſu Romani Pontificis, qui iam faſcinatis omnium Chriſtianorum Principum mentibus, ne quid ſit quod immoderato ſuo imperio reſiſtat, libertatem Germaniæ oppugnare conſtituit; & cum religionis cauſſa liberè & pacificè tractari debeat, vim & turbas adhibet, quo tam bonum opus ex ipſius arbitrio conficiatur, ſin minus, interrumpatur omnino. Nam, quòd ad concilium attinet, quo controuerſias de religione decidi oportuit, id ipſum non abnuere, quicquid in contrarium iactetur, modò liberum ſit, & vt liberum ſit in Germania habeatur: id ſemper præ ſe tuliſſe, teſtéſque eius rei literas eſſe & ſcripta ab ipſis euulgata; ſed hactenus libertatem in eo deſideratam fuiſſe, vt ex verbo Dei, citra metum & aſſentationem cauſſa diſceptaretur. ſcire omneis, quid Concilio Cōſtantienſi decretum ſit, de fide publica: Ioannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis exemplo multos meritò deterreri, ſed præcipuè recenti Ioannis Diazij parricidio: de quo cùm apud Cæſarem expoſtulatū eſſet in Comitiis, nihil obtineri potuerit, impunitóq. tanto ſcelere effici, vt omnia tuta Proteſtātes timeant, quippe cū ſciant Pontificiorum artibus factū eſſe vt inultum flagitiū magno reip. Germanicæ pudore & probro remanſerit: fruſtra ergo obtēdi Concilij repudiationē, vt iuſta cauſſa armis prætexatur: ipſam religionē peti, quam ex fœdere tueri teneantur: nam id ipſis per Spirenſe decretum licere. Alia multa ſubiiciebant Principes de priuatis diſſidiis & ſimultatibus, quæ vt leuiora omittimus.

Cæſar & Pontifex, quum per legatos de bello Proteſtantibus inferendo deliberaſſent, & vtrinq. parata omnia ad cōflictum viderētur, publico diplomate Cæſar Saxonē & Heſſum proſcribit XIII. Cal. Sextil. Huic cōtrario ſcripto reſpon-

dent proſcripti, eodem anno 1546. Poſt varia autem conſilia & quaſdam belli velitationes, Proteſtantium exercitus paulatim diſſipatus eſt, ob mutationes in Saxonia Mauricio duci conceſſa. Sequutę ſunt Principum quorundam & ciuitatum fœderatarum cum Cæſare reconciliationes, & in Italia turbæ Genuenſes ac Neapolitanæ, tandem pro Cæſaris voto compoſitæ: Anno 1547. bellum Germanicum, ſuperiori affectum, omnino confectum eſt. Quùm antea Palatinum Cæſar ad ſuas partes pertraxiſſet, Vlricum Wirtembergicum a fœderatis diſiunxit, & Sueuiæ ciuitates ſupplices recepit in gratiam. Harum legati antequam admitterentur, de religione ſibi caueri à Cæſare poſtulauerant: nam in ea adhuc diſſimulatione perſtabat Cæſar, eo bello religionis cauſſam non agi, ad hoc per Nauium, quo præcipuè miniſtro vtebatur Cæſar, reſponſum eſt, ſatis conſtare ipſis de Cæſaris voluntate: ſi inſtantius vrgerent, id diffidentię tributum iri, eóque irritari poſſe eius animum, cuius clementiam implorarent. Id eò factum eſt, ne ſi petentibus omnino denegaretur, aliud agi palam eſſet, quàm quod ſcripto ipſe promiſerat, ſi concederetur in Pontificis offenſionem incurreret, qui pro religione ſuſceptum bellum paſſim per miniſtros ſuos prædicabat. Quum autem menſe Februario & Martio, Saxo, Septemuir aduerſus Albertum Brandeburgicum, Mauricij partes armis tuentem, feliciter pugnaſſet, & captiuum ſub cuſtodia Gotham amandaſſet, Elector Brandeburgicus, pacis patriæ ſtudioſus, omnem mouerat lapidem, vt Heſſus, Mauricij ſocer, Cæſari & Ferdinando reconciliaretur. Sed cùm iniquiores conditiones proponerentur, quàm vt in eas princeps generoſus & ſummæ inter ſuos exiſtimationis conſentire poſſet, quamuis potius fortunam ſibi ſubeundam duxit, quàm vt quidquam indignum ſe & nomine Germanico admitteret. Itaq. datis ad amicos litteris, inimicorũ calumnias, quibus eum in Germania bellum alere & pacem detrectare criminabãtur, prolixè refellit. Saxonis vxor Sibylla, Vilelmi Cliuiæ ducis ſoror, fratrẽ per literas obſecrauerat, vt in Cæſaris caſtra veniret, & pro marito intercederet apud eum, nec ille detrectauit, multíſque precibus & rationibus contendit à Cæſare, vt præteritorum gratiam Saxoni faceret, nec vltra eum armis perſequeretur. Sed cùm à Cæſare reſponſum acerbius ſpe ſua tuliſſet, non prius de venia Saxoni impetranda deliberatum iri quã ipſe ſupplex ſe & ſua omnia Cęſaris arbitrio permiſiſſet: de voluntate Cęſaris ſorore certiore facta, domũ ſe cõtulit. Id rurſus

ſus c͂um ex vxore reſciuiſſet Saxo, nec vllam reconciliationis ſpē ſupereſſe cerneret, veritus ne Brandeburgici Septemuiri defectione, vel exemplo (nam ad Cæſaris partes tranſierat) in ſuæ ditionis terris trans Albim noui motus excitarentur, ſibi tranſeundum flumen quam primum exiſtimauit.

Cæſar, qui cerneret Saxonis exercitum copiis in dies augeri, ſuos autē in hoſtico minui, anni tempore valde aduerſo, qui a ferè conſumpta paſſim viatica erant; adhęc timeret, ne ſi diutius cunctaretur, à Neapolitanis & Florentinis exulibus noui motus per abſentiam ſuam in Italia excitarē-tur, præuertendum ſibi & quàm primum, ſi Saxonem adſequi poſſet, prælio decertandum ſtatuit, & paulò poſt belli ducibus Hiſpanis contrarium ſuadentibus, in propoſito manſit, ac fluminis inter exercitus pręterfluentis vado tranſmiſſo & per nauiculas Germanis ereptas ponte facto exercitum intrepidus in Saxonem ducit, qui Wittebergam lento paſſu petebat. Cæſar oratione planè militari ſuos hortatus Saxonem Mulberga progreſſum ad Lochanam ſiluam adſequitur. Pugnam Saxo minimè detrectans, nullum generoſi ſtrenuíque ducis officium prætermiſit. A media die ad Solis occaſum, 24. Aprilis A. 1547. pugnatum eſt. Saxo annos tunc natus 44. pulſo equitatu & peditatu, dum acriter & parua manu pro patria ſuáque ſalute dimicat, per ſiniſtram maxillam vulnere accepto, deſtitutus à ſuis & equo fatiſcente, captus non procul à Mulberga ad Cæſarem deductus eſt. Vndante verò per faciem ſanguine ex vulnere in pugna accepto, in conſpectum Cæſaris adductus chirothecam exuere, vt more gentis manum victoris contingeret, & ex equo deſcēdere voluit: quod cum renueret Cęſar, Quando illa res tulit (inquit Saxo) ecce me tibi, clementiſſime & potentiſſime Cæſar captiuum ſiſto. Dicturum plura interfatus Cæſar, Ergóne tibi nunc ego Cæſar, quem nuper in ſermonibus veſtris & publicis etiam ſcriptis modò Carolum Gandenſem, modò ſe pro Cæſare gerentem vocabatis? Cum ille pergeret, & vt ſe captiuum pro dignitate haberet conſtanti vultu rogaret, Cæſar nihil aliud reſpondit, quàm ſe pro merito illum accepturum, aſpernantíque ſimilis obuerſo tergo diſceſſit. v. die Maij Cęſar Vittebergam obſedit, quę Ioannis Friderici captiui volūtate & iuſſu Cæſari portas aperuit; Maij die 23. Ciues Mauricio duci cui Electoratus dignitas & ditio à Cæſare data fuerat, homagium iuramento confirmant. xix. Iunij Philippus Haſſiæ Landgrauius Cæſari ſupplex factus Halæ

Saxonum, in cuſtodia præter ſuam & amicorum opinionẽ artibus quorundam ſyllabas aucupantium in cuſtodia detinetur. Quæ res tandem Cæſari fuit exitio. Hermannus archiepiſcopus Colonienſis elector iuſsu Pontificis & Cæſaris loco mouetur. Mulctantur etiam variis modis Boiemi, ob fœdus cum Saxone captiuo ictum. Auguſtę autem Cęſar armata comitia celebrauit ſub finem Octobris: vt terrorem imperij Ordinibus incuteret. Præcipuum Cæſaris poſtulatum fuit, vt Principes omnes Concilio Tridentino ſeſe ſubiicerent. Menſe Ianuario Henricus VIII. Angliæ R. Martij vltima die Franciſcus I. Galliæ Rex obierant: ideo Cæſar in portu tunc nauigare exiſtimatus eſt, potentiæ ſuæ æmulis oppreſſis. Subacta enim Germania, nihil ſupereſse videbatur quod Cæſari faceſsere poſset negotium. Electoris Saxonici dignitas publico, & ſolenni ritu duci Saxoniæ Mauricio collata eſt à Cæſare 24. Februarij 1548. cum eo die Cęſar inchoaret annum ætatis 49. Mauricius verò menſe ſequenti annum 28.

Pontifex Germaniam ſedi Romanæ reſtitutam putans, per emiſsarios quoſdam librũ cudi curat, in quo de religione ad Concilij finem ſeruanda agitur. Monſtrum illud naſcitur in Comitiis Auguſtanis, & promulgatur 15. Maij, nempe liber *Interim*, ſeu formula Religionis, vſque ad Concilij finem ſeruanda. Eius ſententiam Theologi multi refutarunt. Inde bellum Adiaphoriſticum inter Eccleſiarum rectores, natum ex deliberationibus, an & quomodo liber Interimiſticus admittendus eſset vel repudiandus. Dum illi rixãtur, & nonnulli ſolum vertunt, Conſtantiam vrbem Heluetiæ vicinam Auſtriaca domus ſibi ſubiicit, & in Magdeburgenſes à Cæſare proſcriptos belli moles vertitur. Vrbis obſidio cœpta 4. die Octobris 1550. quæ XIII. mẽſ. durauit. Quoniam verò Cæſar de Germania ſub pontificis iugum reducenda, Principibus item & Ordinibus imperij ad ſeruitutem deducendis cogitare videbatur: nec de captiuis liberandis caperet conſilium, Mauricius, obſidionis Magdeburgenſis caput, occultè bellum contra Cęſarem coquere cœpit.

Res autem ita geſta eſt. Compoſitis rebus Saxonicis, de Socero ſuo liberando Mauricius Elector curam ſeriò ſuſcepit. Cum enim, Cæſarem ſæpius, tum per legatos & literas, tum coram, ea de cauſſâ fruſtra compellaſset, ac eundem in Germania non ſecus ac in prouincia aliqua bello occupata pro libitu ſuo agere omnia, nec promiſſis quibus ſibi & alijs Principibus receperat ſe religionem ipſis integram relictu-

rum

rũm ſtare videret, inſuper etiam à Ferdinando rege Romanorum ac Maximiliano filio peteretur, ne dignitatem & ius ſucceſſionis in Imperio, quod ad eum legitima Septemuirorum electione delatum eſſet, ſuo ſuffragio ad Philippũ Hiſpanum Cæſaris filium transferri pateretur, iam tum cõſilia belli aduerſus Cæſarem ſuſcipiendi, & vi Landgrauium eripiendi Mauricius conſtituit. Magis autem eum ſtimulabat cogitatio de tyrannidis Hiſpanicæ deteſtatione, quam Cæſar à Pontifice, Albano, nonnulliſque alijs in tranſuerſum raptus, in liberum Germaniæ Imperium, ac Principes orthodoxæ doctrinæ addictos exerceret, occaſio quoque acceſſit de nouo fœdere, cum Galliæ rege ineũdo. Itaque principib. ad ſe vocatis, cum illis de rebus agendi communicat. Ne quid autem præcipitanter fieret, Mauricius & Brandeburgicus denuo legatos ad Cæſarem pro liberatione Landgrauij, Auguſtam mittunt, cum literis Ferdinandi, Alberti Bauari, Daniæ regis, Friderici Palatini & aliorum, quas ſuis adiungunt. Legatis, qui per quadraginta dies Auguſtæ deſederant, ac Cæſarem diſcedentem Oenipontem vſque fuerant ſequuti, dubium reſponſum referentibus, Mauricius principes interceſſores & ſe tantummodo ludificari ſentiens, nec quicquam pacatis rationibus à Pontifice, & Hiſpanis Cęſarem poſſidentibus, impetrari poſſe, fidem bono publico datam liberare, & vi vim tantùm repellere decreuit. Dum hæc aguntur, Concilium Tridentinum decreta quædam de ſacramentis promulgat, brutis fulminibus Germaniam laceſſens. At Mauricius è conuentu Torgenſi in caſtra Gulielmi Haſſi profectus, cum eo Auguſtam celeriter contendit, quibus Ioannes Albertus Dux Megalopolitanus cum aliquot turmis equitum in itinere occurrens ſe adiungit. Cum Auguſtam occupaſſent, & ad priſtinum adminiſtrationis publicæ ſtatum reduxiſſent, circa Aprilis initium, Vlmenſium agrum diripiunt. In aditu denique Alpium Rheticarum ſuperatis & occupatis Erenbergi montis anguſtijs, tantùm Cęſari metum incutiunt, vt noctu accenſis funalibus, vna cum fratre Ferdinando Oeniponte oppido relicto, fugienti ſimilis, ſe Villacum, Carinthię oppidum reciperet. Circa finem Iulij in conuentu Paſſauienſi, cui omnium fere Germaniæ Principum legati interfuerunt, arbitrio regis Ferdinandi, & fide atq; authoritate Mauricij liberatus eſt Philippus Haſſię Landgrauius, & Otho Henricus Palatinus reſtitutus. Dimiſſus etiam è cuſtodia Ioannes Fridericus Saxonię Dux & Elector, captiuus.

Poſt confirmatam Paſſauij pacem Cęſar è Carinthia Oenipontem, inde Auguſtam reuerſus, & ſi Reipublicæ forma, ante quandriennium à ſe conſtitutam retineri maluiſſet, tamen religionis publicum exercitium ad Auguſtanæ confeſſionis præſcriptum Imperij ciuibus liberum, & Eccleſiarum miniſtros ex Imperij finib. proſcriptos reuocari permiſit. Ita veluti momēto procella illa Hiſpanica toti Germaniæ iminēs euanuit, & pax inuitis Satanæ ſquamis, etiamnū perdurante, Imperio Germanico reſtituta fuit, Cæſare alias curas induente. Interimiſticus liber exacto quadriennio exſpirauit. Dū autem Mauricius feliciter pugnat cōtra Turcas, Albertus Brandeburgicus infelicib. armis vexat Franconiam & Noriburgenſes. Circa anni finem Cæſar Metim, à Gallis occupatā obſidet irrito conatu, amiſſa meliori copiarum ſuarum parte. Hic terminus fuit expeditionum Cæſaris. Mauricius anno 1553. cùm Alberti exercitum cruento prælio deleuiſſet, tamen lethali vulnere percuſſus intra triduum exſpirauit, Auguſto fratri Electoratum Saxonię relinquens. Is cōuenit cum Alberto, qui circa initium anni 1557. exul & miſer mortuus eſt. Eduardo Angliæ rege, annos ſedecim nato, malis artib de vita ſublato, Mariæ ſororis, nouę reginę, nuptias ambiuit Philippus Cæſaris filius. Graues in Anglia pro religione perſecutiones, & paulò poſt Mariæ exceſſus, atq; Philippi dimiſſio. Reſignato tādē Septemuiris Imperio, omniūque regnorū & Belgicarum prouinciarū gubernatione Philippo filio tradita, Carolus reliquum vitæ ſpatium in exercitiis ſpiritualibus conſumere, & ſe ad mortis aduentū pręparare decreuit. Exeunte igitur anno 1556. cum Leonora & Maria ſororibus in Hiſpaniam nauigans, monaſterium Iuſti, in Bæticę, Caſtellæ & Luſitaniæ finibus, ſedem ſibi delegit reliquæ vitæ, quam placidè clauſit anno 1555.

In eo Principe fortuna cum virtute certauit, vt illius reb. geſtis humanæ felicitati faſtigiū aliquod imponeret. Neq; vllū perfecti magis & ad omnem virtutem expreſſi principis exēplar noſtra & retro ſeculorū memoria reperiri poſſe viri prudētes exiſtimāt, quod iis qui ad imperiū virtutis via graſſantur, ad imitādū proponi queat. Nihil ei (inquiūt) ad ſummā vtriuſq; laudem defuit, ſiue ſagacitatē ſpectes in cōſilijs, ſiue in aduerſis conſtantiam, moderationem in proſperis, in periculis animi præſentiam, temperantiā, iuſtitiam. A primis pueritiæ annis vita eius ferè ſeria fuit, maximis negotiis & variis expeditionib. exercitata, atque in ipſo, multū pietatis ſtudium fuiſſe, poſtquam ad imperium euectus eſt, illi affirmant:

mant: eóque omnia fermè quę Carolus bello & pace fecit, referri debere: nimirum, vt Concilium legitimũ celebraretur, & per illud concordia in Eccleſia ſarciretur: quod ſiue Pontificum in eo negotio non bona fide verſantium, ſed negotia ſua procurantium, ambitione, ſiue ob varia bella tot locis & temporibus euentu vario renouata, fuit impeditum, ſemper ab eo poſtea repetitum eſt: vt mirari nemo debeat, illius conſilia, dicta, facta, præſenti Numinis auxilio vſque illuſtrata fuiſſe, qui tam Sanctum propoſitum habuit. Quoties verò Pontificum poſtulatis aures prębuit, & paſſus eſt ſe à legitimi Concilij procuratione diſtrahi, conſilia bellica parum feliciter ei ceſſerunt. Tandem callidis & crudelibus perſuaſionibus euerſus, dum piorum hominum, religionis cauſſâ in Belgio, Germania ipſa, Inſubria & Anglia lanienam permittit, de throno illo gloriæ quod ſibi prudentia, clementia, fortitudine multiplici coram hominibus erexerat, ſenſim eſt deiectus. Improbatæ ſunt etiam illæ artes, quę in Galliæ tranſitu, cùm ad Gandegauenſium motus componendos properaret, & in belli contra Germaniæ libertatem initijs ac progreſſu, ſunt adhibitæ. Authores autem in placidæ mortis Caroli deſcriptione conſentiunt. Natus eſt Gandaui in Flandria, Februarij die 24. anno 1500. ex patre Philippo I. Auſtriæ archiduce & matre Ioanna Ferdinãdi Arragoniæ R. atq; Iſabellæ Caſtellæ R. filia. Ineũte anno 1526. Elizabetã Emanuelis Luſitaniæ regis filiã vxorẽ duxit, ex qua ſuſcepit Philippũ, Ferdinãdũ (qui puer mortuus eſt) Mariam (Maximiliani II. cõiugẽ) & Ioannã, quæ Ioãni Luſitanorum Principi nupſit, ex qua natus Sebaſtianus Poſthumus, qui auo in regnũ ſucceſſit. Ante matrimoniũ ex cõtubernio ſuſcepit Margaritã, quę Alexãdro Medici primũ, dein Octauio Farneſio Parmẽſiũ duci nupſit: & cùm vxorẽ anno 1539 amiſiſſet, poſtremo Ioannẽ quoq. Auſtriacũ ex muliere Ratiſponenſi quoq ſuſcepit, qua in re tanta verecundia vſus eſt, vt niſi à penitiſſimis matris Margaritæ nomen cognoſceretur: de Ioanne verò nunquam, niſi paucis ante mortem diebus loquutus eſt, cũ per amicos eũ Philippo filio cõmendauit.

Vitam Caroli v. priuatam alij prolixè, alij paucis cõplexi ſunt. Ex iis ſequentia lectu non iniucunda deſcripſimus. Naturæ vis in eo miranda fuit, vt ſagaciſſimo conſilio ſuperaret. Ingenium graue, circumſpectum, ideóq. cunctantius: & tamen vbi tuẽdæ dignitatis decus aut neceſſitas poſtulabat, expeditũ, acre & flagrans erat. Conſultationes de reb. grauiſſimis non ex alienis cogitationibus, ſed propriis, ſenili maturitate exquiſitas & elaboratas, præſentibus negotiis

& temporibus aptè accommodabat. Ac ſæpe mirati ſunt ſapientes Carolum cum vno & altero tam magnarum rerum conſilia & animo capere potuiſſe, & tantiſper occultaſſe, dũ rerum agendarum tempus adeſſet. Animi inuicti magnitudo & firmitas, cum amore iuſtitiæ, æquitatis & moderationis ſingulari coniuncta fuit. In periculis impauidus & mortis contemptor fuit, adeo vt in caſtris ſæpe, & in ipſo iuuentutis flore, recitatis Apoſtoli verbis oſtenderet, ſe alterius vitæ & conſuetudinis cum Chriſto beatæ cupidum eſse. Eandem in rebus ſecundis & aduerſis vultus conſtantiam & tranquillitatem retinuit, vt in eodem cubiculo quotidie cũ ipſo verſantes, nunquam læta vel triſtia ad Carolum allata ex eius vultu deprehendere pòſsent. Cùm de Mediolanenſi ducatu, deſertus à ſociis, & ab omnibus oppugnatus, certaret, nullis aduerſariorum conditionibus aut minis adduci potuit, in dubia ſpe rerum ſtatu verſante, vt ditione illa ſe Franciſco Sfortiæ ceſsurum polliceretur, ne quid auguſta ſua maieſtate indignũ, metu aut neceſſitate impulſus feciſſe videretur. Poſtea verò aduerſariis fortiter ſuperatis, & ingentibus partis victoriis, Sfortiam ſupplicem in gratiam recepit, eíque Mediolanenſem ducatum, quem totum, multis regnis opulentiorem, in ſua poteſtate Carolus habebat, attribuit: nec pecuniæ tributum amplius quàm ante poſtremum bellum petierat, impoſuit. In aggrediendis rebus, & bellis pręcipuè ſuſcipiendis, vbi celeritatem neceſsaria defenſio non flagitabat, admodum circunſpectus, cautus & cunctator; at ſemel inchoatis & ſuſceptis planè δραστήριος, induſtrius, laborioſus & efficax apparebat. In germanico aduerſus Proteſtantes principes & Imperij Ordines bello, ad quod Pontificum technis ab anno 1520. aſſiduè incitatus eſt, id oſtendit. Nam bellum illud 25. annos dilatum, tandem non religionem, ſed regionum ac redituum alienorum occupationes pręrexens, acriter & ſtrenuè proſecutus eſt. Natura grauis & ſeuerus, mixta tamen comitate & ſerenitate quadã vultus, ſed à riſu alienior fuit: nec quidquam ab eius ore niſi graue & inſigni ſobrietate definitum, ac ſapientiæ ſale conditum excidebat.

Per gallias in Belgium proficiſcens, Parienſi cuidam Oratori prolixa oratione exquiſitas omnium virtutum ſummi Imperatoris laudes ei tribuenti, ac Carolum ſupra cælos efferenti, breuiter reſpondit, gratam ſibi eſse regis affinis & Francorum erga ſe beneuolentiam, ſed laudes illas eò pertinere dicebat, vt commonefacerent, Qualis eſse deberet,

beret. Nonnullis belli ducibus Julij Cæſaris & Alexandri facta magni facientibus, nec vti Carolū tot victoriis ad potentiæ & magnitudinis ſuę incrementum, quantum poſſet, quærentibus reſpondit, Ethnicis illis Principibus in bellis gerendis vnum fuiſſe finem, honorem & gloriam: Chriſtianis autem duplicem eſſe propoſitum, gloriam Dei, & animarum ſalutem. Legatum Venetum quidam detulerat, quod Cæſaris tarditatem culparet. Ille verò nunquam mundum à bellis quieturum & reſpiraturum eſſe dixit, ſi ea celeritate quam res & cauſæ plærunque poſtulant, bella ſtatim moueret. Cùm de Principe quodam bellum moturo audiret, Ignorat adhuc, inquit, quid ad bellum requiratur. Ipſe in comparando exercitu ſe caput ſumere ab Italis, brachia & manus ab Hiſpanis, pectus à Germanis (quorum fidem & robur maximè probabat) ventrem & pedes ex reliqua gentium colluuie dicebat, neruos belli eſſe pecuniam, commeatus, milites: verùm ſi ex iis aliquo carendum eſſet, militem veteranum ſe electurum eſſe, cuius induſtria & fortitudine, reliqua duo ſe ex hoſte comparaturum conſideret. Oenipontem accedente cum exercitu Mauricio Saxone, cum quo Carolus eo loco & tempore manus conſerere nollet, Hiſpanus quidam militum tribunus nullum periculum fore oſtendit, quod Eremberga arx munitiſſima, fauces Alpium claudens, in eo itinere obiecta eſſet Mauricio. Quærit ab eo Cæſar, num circuitu quopiam ad montis illius, cui arx inſiſteret, verticem poſſet quis peruenire? Hiſpanus tantùm in Germanis ingenij & patientiæ eſſe negauit, vt tot pericula ſuperare poſſent. Ego verò ait Carolus, ſi aliquis ad arcem patet aditus, iam illam à Germanis occupatam eſſe arbitror. Coniecturæ veritatem captæ arcis nuncius comprobauit.

Multa etiam εἰρωνικώτερα & aculeatiora ipſius dicta fuerunt. Gallico legato poſt Franciſci Sfortiæ obitum, Mediolanenſem ditionem regis ſui nomine poſcenti, reſpondit, Bene res habet: mihi idem placet quod fratri meo; Caroli aſſenſum ſe habere putans legatus, paulò poſt, non ſine riſu, ſpe deiectus & dimiſſus eſt. In Anglia cùm nobiliſſimum iuuenem, ſententiâ Cardinalis Eboracenſis, qui iudiciis præerat, capite multatum eſſe audiret: Indignum eſt, inquit, à lanij cane pulchram illam damam deuorari. nam Cardinalis Eboracenſis, vir arrogantiſſimus, lanij filius erat. In Comitiis Ratiſponenſibus, cùm multi Germaniæ princi-

pes pro duce Juliacẽſi, Geldriam retinente, apud eum intercederent, dixit, ſe iam tot annis conuentus de ſummis Reipublicæ negotiis in Germania egiſſe, neq; vnquam tot principes ad vllam publicam deliberationem cogere potuiſſe: nũc cauſſam nacti aduerſum me magno numero conueniſtis. Hiſpanis quibuſdam aulicis aliquando petentibus, vt Germanos ſatellites dimitteret, ídque ſine modo vrgẽtibus, conuocari Germanos iubet, his vultu ad ſeueritatem compoſito indicat, Hiſpanicam petionem, & ſubiicit, venire, ſequimini me Germanum: aula excedamus, ne iſtis deinceps ſimus moleſti. Germani ſatellites exeuntem alacres comitantur. Hiſpanis autem ad eius pedes aduolutis, ac vt maneret, & ſtultis parceret, ſuppliciter petẽtibus, reſtitit atque ignouit. Cùm de imperio deponendo deliberantem, conſiliarij hortarentur, vt per alios adminiſtraret regni negotia, ipſe nomen retineret & auctoritatem. Ah, dixit, me pręſente ita res adminiſtratis, vt omnes de vobis conquerantur, quid fieret ſi conſiliis & rebus gerendis ipſe non intereſſem? Monitus aliquãdo in caſtris, vt leges Germanis militibus de vitanda ebrietate ferret, reſpondit, id perinde futurum, ac ſi Hiſpanos à furtis retrahere conaretur. In caſtris ad Witebergam, cùm de Hiſpanorũ crudelitate & libidinibus enormia quædam ipſi ſignificarentur: Profecto, inquit, ſi quod aliquando mihi accidet ingens infortunium, propter iſtorum nebulonum ſcelera accidet. In poſtremo ex Germania diſceſsu, Vliſſingæ ventos nauigationi idoneos expectans, & in multam noctem cum Seldio Ferdinandi fratris legato collocutus, quoniam ex familia, in atrio partim dilapſa, partim dormiente, dato nolâ ſigno, nullus appareret, Carolus ipſe lychnum Seldio quantumuis recuſanti præfert, eíque per gradus deducto, Hoc tibi monimentũ, ait, Cæſaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus & excubiis quondam ſtipati, quem nunc ſolum, & à familia etiam deſertum vides, & cui tu tot annos ſeruiiſti: Is nunc tibi etiam inſeruit & accẽſo lychno prælnxit. Seldio præterea dixit, ſe in hac mutatione ſuæ fortunæ agnoſcere Dei potentiam, cui nequaquam repugnare velit.

Toto vitæ curriculo delectatus eſt virtutum heroicarum imaginibus, à Sole, Luna & motibus ſiderum deſumptis. Vt Sol, inquiebat, in ſummo faſtigio vectus tardiſsimè mouetur, nec alius inopi quam locupleti ſplendet: ſic Auſtriacos principes, in ſummum Imperij faſtigium euectos, non pręcipitare conſilia, ſed circumſpectè & cunctanter agere, nec non

non iuſtitiæ ac clementiæ ſuæ radios ſummis ac infimis pariter cõmunicare decet. Sicuti deliquia ſolis futuras mutationes & calamitates publicas portendunt: ſic principũ leues errores, in rebus humanis graues perturbationes pariũt. Quemadmodum Luna, quia terris propior eſt, efficacius in hoc elementari orbe vim ſuam exerit & exercet: ita Principum præſentia atque vicinitas plurimum in motibus bellicis & togata Reipublicæ adminiſtratione momenti habet. Vt fulmen, cera & lana illæſa, æs & ferrum liquefacit: ſic regum potentia formidabilis ſupplicibus parcens, cædit ſternitque rebelles. Sicut Lunæ ſidus ſingulis menſibus creſcit & decreſcit, nec vèr aut æſtas eſt ſemper, ſic perpetua viciſſitudine rerum humanarum conſilia & actiones variantur, & certam præſens vix habet hora fidem. Has ſimilitudines à rebus cœleſtibus petitas, cùm alioquin præcipuam ex aſtrorum & motus ſiderum contemplatione voluptatem caperet, creberrimè vſurpabat, & colloquio frequenti cum Aſtronomiæ peritiſſimis & mathematum profeſſoribus machinarúmque variarum peritis architectis delectabatur. Hiſtorias autem, non Germanici tantùm Imperij & Hiſpanici regni, ſed etiam veterum monarchiarum atque Rerumpublicarum tractabat. Thucydidem gallica lingua conuerſum, & Philippum Cominæum inter recentiores verſauit diurna nocturnáque manu. De præceptis in vtroque propoſitis cum prudentibus viris qui ei à conſiliis erant ſæpius contulit. In togata adminiſtratione & aulico comitatu, ex ſingulis ipſius regnis & prouinciis inferioribus quatuor eximiæ virtutis & authoritatis delectos, duos familia equeſtri & totidẽ doctrina inſigni nobiles, plærumque hæſiſſe intelleximus. His negotia ex ſingulis prouinciis in aulam delata, primùm deliberanda exhibuit. Deinde, ſi rerum grauitas exigeret, totius aulici ſenatus de his conſultatio inſtituebatur, cui ipſe crebro præſens intererat, ſingulorum ſententias attentè audiẽs, & quæ in vtramque ſententiam dici poſſent expendens. Rarò præſentibus conſiliariis quid facto opus eſſet concludebat, ſed noctu plerumque ſententiam ſuam ſcripto conſignatam, Granuellano exequendam tradebat. In maximi momenti negotiis, literis iuſſu ſuo conſcriptis manu propria quaſdam lineas pingebat, & folium plicatum amanuenſibus obſignandum tradebat.

Interior etiam & domeſtica Caroli vita honeſtiſſimorum exemplorum, pietatis, temperantiæ, frugalitatis, con-

tinentiæ comitata fuit. Nunquam iurare auditus eſt, niſi cũ regnis inaugurauretur aut fœdera inita confirmaret. Mane priuſquam veſtiretur, longa talari, ſubuculæ iniecta, genibus incumbens orabat. Cubiculariis deinde admiſſis, preces legebat. Poſtea negotia tractabat publica: ſacris dein vacabat: inde rectà ad menſam, in qua ſemper ferè ſolus & tacitus ſedens conuiuia ſua ſine conuiua, moderata & frugalia, in publico ferè, vt omnibus ea ſpectare liceret, peragebat. Sublata menſa, cunctis omnium ordinum, infimæ etiam ſortis, hominibus, eum adire, alloqui, & ſupplices libellos exhibere licebat. Ab ebrietate, crapula, conuiuiorum & veſtium luxu, cæteríſque voluptatibus, non minus in adoleſcentia quàm virili & ſenili ætate, fuit ſemper alieniſſimus. Mediolanum anno 1541. cùm aduentaret, fœminis nobilibus & plebe curioſa variegatam auro trabeam, gemmis fulgentem in Cæſaris capite coronam exſpectantibus, ipſe atra in lanea veſte, viliq́ue pileolo, vultu graui, ſubtriſti, & ad ſeueritatem compoſito, vrbem illam quæ per tot annos ipſius arma victoriáſque experta & admirata fuerat, ingreſſus eſt. A tyrannico faſtu, contemptione & deſpicentia inferiorum adeò alienus fuit, vt captiuo etiam Principi Joanni Friderico, quoties eum præteriuit, honorem aperto capite deferret. Adulteria & libidinum turpitudines toto pectore eſt execratus: cúmque in bello Germanico Farneſium pontificiarum copiarum ducem ingenuas aliquot matresfamilias per vim ſtupraſſe intellexiſſet, ingenti zelo exardeſcens prehẽſo gladij capulo, Si (inquit) adeſſet impurus ille, manu mea eum confoderem. Nec vocem iracundiorem vnquam ex Carolo auditam ferunt, qui ſtatim Farneſium ex caſtris quę tum bello nondum confecto ad Brentam fluuium hærebãt, diſcedere & in Italiam redire iuſſit. Carolo per Galliam iter facienti, & vbique locorum iuſſu regis ſplendidè excepto, in arce quadam formoſiſſima virgo nobilis in cubiculum adducta fuit: quam gementem ac tremebundam circa veſperam inueniens interrogat quæ ſit, & qua occaſione illuc eſſet perducta, cùm verò ipſam inuitam ab inuitis parẽtibus auulſam eſſe cognoſceret, intactam remiſit, ac quadriennio poſt Galliam bello iterum aggreſſus arcem illam dirui curauit. Ipſe etiam fidem coniugalem, conſtante matrimonio cũ Elizabeta Luſitanica, religioſè ſeruauit, familiam ſuam omnem præcipuè charam habuit, paterna benignitate ac fide complexus eſt, improbis ac impuris aulicis ex illius contubernio excluſis. In largiendis eleemoſynis, ad redimendos

ab

ab hoſtibus captiuos, ad noſodochia, gerontotrophia, inopum puellarum matrimonia, ad exules bonis ſuis iniuſtè ſpoliatos clementer ſubleuandos liberaliſſimus ſine vlla oſtentatione apparuit. Præclaræ vitæ pius & placidus reſpondit exitus. In monaſterio Juſti habuit Carolus poſtremo vitæ ſuæ biennio familiarem, qui à confeſſionibus ipſi fuerat, doctorē Cōſtātinū, virū grauē, pium, eruditū, qui pro Chriſti nomine poſtea fortiter mortem oppetiit. Is inter quotidiana & aſſidua precum & laudum diuinarum à Carolo ſuſcepta exercitia, ad librorum diui Bernardi lectionem, citatis in conſolatione ſentētiis quibuſdam inſignibus, eum inuitarat. Cum enim ſubinde Carolus peccata ſua lamentās, miris modis torqueretur, Bernardi verba auro meliora ei recitauit, nempe hæc. Fateor, non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cælorum. Cæterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, hęreditate ſcilicet Patris, & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure mihi illud vendicās nō confundor. Item, Ante omnia fides quęrenda eſt, de qua legitur, fide mundans corda eorum. Crede ergo te Deo: nam ſibi quidem ipſi & ſuis meritis fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſt. Et concione tertia de Annūciatione; Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui: neque enim oleū miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Hæc verò hominis fiducia eſt, à ſe deficientis & innitentis Domino ſuo. In primis verò auream illam in annunciatione beatæ Mariæ concionem ipſi commendauit, in qua conſilium de redemptione, mirando iuſtitiæ & miſericordiæ tēperamento, in arcano diuinitatis cōſilio decretum exponit: ac inter cætera doctrinam de iuſtificatione peccatoris corā Deo tradit diſertis verbis. Neceſſe eſt, inquit, primùm omniū credere, quòd remiſſionem peccatorum habere non poſsis, niſi per Dei indulgentiam. Deinde, quòd nihil prorſus habere queas boni operis, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremò, quòd æternam vitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa. Quis enim poteſt facere mundū de immundo conceptū ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus? Ideóque, ſi credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc, vt & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet in corde noſtro Spiritus Sāctus, dicens, Dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus, Gratis iuſtificari hominem per fidem.

His diui Bernadi dictis ſe mirificè delectari & recreari Carolus oſtendit. Itaq; cũ ad lẽtã tabẽ acuta febris tãdẽ acceſſiſſet, ab omni meritorũ & operũ propiorũ fiducia ſe auocare mẽtẽ, in vnicũ redẽptorẽ & ſeruatorẽ noſtrũ Ieſũ Chriſtum dirigere, in eo vno & ſolo ſe omnẽ ſalutis ſuæ fiduciã collocare variis modis teſtatus eſt: & sũpto ſacro viatico, In me manes, inquit, dulciſſime Seruator, ego in te maneã. Inter has voces diſceſſit anno 1558. die 21. Septẽbris. Cum eo naſcente omnes bonæ artes etiam, litteræ ac linguæ eruditæ renaſci in Germania & florere in tota Europa cœperũt quarũ ope doctrina cæleſtis illuſtrata, ſinceræ Theologiæ, mathematũ, artis Medicæ, totiúſq. Philoſophiæ ſtudia reſtituta sũt. Floruit enim &(ſi vlla alia vnquam) abundauit Caroli ætas viris Heroico ingenio præditis, in eccleſia, ſcholis, republica, toga, bellis, nauigationibus ad nouas terras, cõſtituendíſq; nouis imperiis. Deniq; in omnib. non ſolùm quæ liberales vulgò vocantur artibus, ſed mechanicis etiam, pręſtantiſſimos artifices, nullis veterũ cedẽtes habuit: vt in gratiam renaſcentis veritatis cæleſtis omnia ſua dona Deus veluti ad ſummum perducta tribuiſſe Caroli ſeculo videatur. Etſi autem Principũ verè illuſtriũ proprię virtutes exprimi à priuatis non poſſint: attamẽ heroicarũ virtutũ in magnis exẽplis conſideratio virtutis amorẽ & admirationẽ in animis accẽdit, & ſtudiũ pietatis, aſſiduitatẽ & zelũ in precibus, iuſtitiæ cultũ, modeſtiã in rebus ſecũdis, ſobrietatẽ, continẽtiã & ſimiles virtutes, omnibus neceſſarias, ſinguli, iuuãte Deo, imitari poſſunt & debent. Ideo aũt Deus heroicos viros principes, excellẽti virtute multis gentibus ſalutari inſtruit & ornat, vt alij pręclaris exẽplis cõfirmati Deũ autorẽ & archetypũ virtutũ agnoſcãt, nec nõ exẽplis ad imitationẽ excitẽtur, & Dei ſapientiam, bonitatem, præſentiã in donis præſtantiũ Heroum, quę ſunt ſapientię virtutiſque cæleſtis radij, intuẽtes, Deum debita laude celebrare pergant.

FERDINANDVS I.

EX hiſtoricis nõnulla quæ ad Imperij Occidẽtalis dignitatẽ pertinẽt præfationis loco adpingere libet. Imperiũ ad Germanos olim tranſlatum eſt ab Othone primo, Henrici Aucupis filio, cuius in familia manſit vſq; ad Ottonẽ tertiũ, qui veritus ne imperiũ à patre & auo in Germania firmatum ad Italos, vel iterũ ad Græcos transferretur, lege ſanxit, licere ſolis Germanis Principib. eligere Cæſarẽ. Vt aũt ambitioni, factionib. & turbis obuiã iretur, ad Sexviros eligẽdi poteſtas

eadem

eadem lege contracta eſt. Ij fuerũt Mogũtinus, Colonienſis, Treuirenſis epiſcopi: Comes Palatinus Rheni, Dux Saxonię, & Marchio Brandeburgicus, quibus additus eſt Boemiæ, qui tunc dux, nunc rex appellatur. Huic locus eſt, ſi quando accidit, vt cæteri in ferenda ſententia paribus ſuffragiis inter ſe diſſideant. Id vt facilius Otho impetraret, cum papa Gregorio quinto Saxone, ſobrino ſuo quem poſt eiectum Româ Creſcentium, & Joannem Græcum expulſum, in ſedem reſtituerat, poſteris æquè damnoſa ac ignominioſa pactione tranſegit, vt qui rex Romanorum deinceps à Septemuiris crearetur, non prius Imperator & Auguſtus haberetur, quã eũ Romanus Pontifex inauguraſſet. Ita Pontifex ille ab Imperatoribus primùm creari aut conſtitui ſolitus, arbitrium ſummi inter Chriſtianos principatûs conſtituendi ad ſe paulatim pertraxit: quod circa Chriſti annum 997. accidiſſe fertur, poſtea Carolus IV. eandem legem renouauit ſub nomine bullæ aureæ, in Comitiis Norimbergenſibus v. Id. Jan. 1356. publicatæ, quæ & hodie inter Germanos magna religione ſeruatur. Is ſuo periculo, quamuis ſerò, ſenſit quorſum pertineret ius illud, quod ſibi in inaugurandi Imperatoribus R. Pontifex ſumpſit, nempe vt liceret ei, à quo accipere debuit, leges quas vellet pro inaugurationis pretio imponere. Si quidem Innocentius VI. nõ aliter coronam per legatos ipſi imponi paſſus eſt, quam ille iureiurando ſe obſtrinxiſſet, Romæ aut in Italia iniuſſu Pontificis non moraturum, vt non immeritò Franciſcus Petrarcha, qui tunc temporis floruit, indignabundo animo ſit miratus, quænam iſta ſuperbia eſſet, principem Romanum, publicæ libertatis auctorem, libertate priuare: vt cuius eſſe debent omnia, ipſe nõ ſit ſuus.

Imperium autem, quod vocant, in tria omnino membra diuiditur. Omnium caput & princeps eſt Imperator, qui tria ſub ſe membra reſpicit: Electores videlicet, Principes, & Ciuitates, Electores ſunt ſeptem, Archiepiſcopus Moguntinus Imperij Romani archicancellarius per Germaniam: Archiepiſcopus Treuirenſis eiuſd. imp. archicancell. per Galliam & regnum Arelatenſe: Archiepiſc. Colonienſis Imp. R. archicancell. per Italiam: Rex Boemiæ, Imp. R. archipincerna: Comes Palatinus Rheni, Imp. R. archidapifer: Dux Saxonię, Imp. R. archimarſcalus: Marchio Brandeburgenſis Imp. R. archicamerarius. Principes Eccleſiaſtici ſunt Archiepiſcopi quatuor, nempe Magdeburgenſis, Herbipolenſis, Veſontinus, Bremenſis: Epiſcopi plus quàm quadraginta. Principes ſeculares, nempe Duces, Marchiones, Landgrauij, numero vigintiquinque. Principes Eccleſiaſtici

Abbates,& Præpoſiti,Ordinum magiſtri,num.67. Abbatiſſæ circiter 16.Comites 94.Barones 11.Domini 36.Ciuitates liberæ 88. Præter hanc trium membrorum ordinationem, ad vitanda in imperio Schiſmata, ad mutuam Principum Germaniæ defenſionem pacémque communem ſeruandam, diſtinctæ ſunt imperij prouinciæ in ditiones vel partes aliquot, quas Circulos appellant,in quibus inſtituta fuêre particularia Imperij conſilia. Sex initio Auguſtæ anno 1500.tandem anno 1522.Norimbergæ decem Circuli inſtituti ſunt,Franconiæ videlicet, Bauariæ, Auſtriæ,Sueuiæ, Alſatiæ inferioris,Rheni, Germaniæ inferioris,Burgundiæ. In Franconiæ circulo ſunt tres Epiſcopi: in Bauarico Sex: totidem in Auſtriaco.Sueuicus habet tres epiſcopos & Virtembergenſem Ducatum,plurimáſque Ciuitates liberas. In Alſatiæ inferioris Circulo continentur vndecim epiſcopi, Duces item Sabaudiæ & Lotharingiæ. Alſatia ſuperior tota eſt ditionis Auſtriacæ. Palatinatus Rheni,tres Septemuiros Eccleſiaſticos habet, & Electorem ſecularem primarium.In Weſtphalico, ſunt octo Epiſcopi, Friſia Orientalis,dux Iuliaci & Cliuiæ,Comes Valdecius. Saxonia Superior amplectitur Miſniam,Luſatiam,ſeptem epiſcopatus,ducem Saxoniæ & Marchionem Brandeburgicum Septemuiros,Principem Anhaltinum, Pomeraniæ ducem, Gedanum ciuitatem,alias Inferior Saxonia obtinet archiepiſcopos Bremenſem & Magdeburgenſem,Sex epiſcopos.Daniæ regem propter poſſeſſiones, Holſatiam imprimis,quas in imperio obtinet,duces Brunſuicensẽ, Luneburgenſem, Megalopolitanum. Decimus circulus eſt Burgundia ſuperior, in qua Veſuntinus Archiepiſcopatus: ab Auſtriacis principibus Germanicis circulis additus, in quo & præcipui Belgici proceres comprehendi voluerunt. Eligit autem quiſque Circulus ſibi ex ſuo corpore Præfectum ſecularem, qui ſit Princeps, Comes,Baro,aut ex præcipua nobilitate,cui ex eodem corpore quatuor viri ſeculares, honeſti & prudentes adiũguntur.Pręter hæc circulorum conſilia, ad cauſas grauiores quæ per imperium accidunt iure decidendas, inſtituta eſt Spiræ Camera Imperialis, cui præeſt iudex princeps, aut ſaltem Comes vel Baro iſq; ſecularis, ſi ad hoc munus idoneus reperiri poſsit. Aſſeſſores huic & coniudices ab Imperatoria Maieſtate ſex dantur,nempe duo Comites vel Barones,duo Iuriſconſulti, duo ex equeſtri ordine nobiles. Ab electoribus ſingulis vnus, ab vnoquoque circulo duo ſuperadduntur,

tur,quorum alij Juriſconſulti, alij ex equeſtri ordine delecti ſunt. Quæ ad imperij maieſtatem,rempublicam,& ius vniuerſorum pertinent, vt cùm de pace,de bello,de tributis in communis belli ſumptus imponendis, de fœderibus, de ſociis, de legum latione, abrogatione aut interpretatione, & cæteris eiuſmodi rebus agitur,de iis in ordinum comitiis (diætas vocãt)quæ, quo loco & tempore commodum videtur,indicere Imperatori ius eſt,deliberatur. Iis Imperator, principes,aut principum & ciuitatum legati intereſſe, inſtare, ſupplicare, intercedere poſſunt, pro dignitatis gradu & ſuffragiorum prærogatiua,quam iuxta conſuetudines & leges in imperio promulgatas & receptas obtinent.

Huic reipublicæ Germanicæ ex tot Principibus, tam in Germania, in qua iuriſdictioni imperiali ſubſunt, quàm extra Germaniam ad Imperium pertinentibus tot ciuitatibus, adde etiam fœderatis populis compoſitæ, quid in omni antiquitate conferri poſſit non vident viri ſapientes. Amphictyonum & Achæorum concilia celebrãtur:ſed cum Germanico comparata, ſunt quaſi muſca ad elephantum. Nam facilè fuit, vt populi inter ſe contermini, exterorum iniuriis obnoxij,cùm altera alterius ope indigeret, vnà conuenirent & idem ſentirent,communis ſalutis tuendę cauſſa: quemadmodum & facilè ij conuentus aut externis opibus, aut domeſticis diſſenſionibus poſtea diſſoluti ſunt:quamuis eorum vmbra quędam ſub Romanis imperatoribus remanſerit. Mirum verò tot potentes populos, non vicinorum metu,vel vlla neceſſitate adductos, in hanc ſtatus ſummam conſenſiſſe; & ſemel arreptam per tot ſecula tam conſtanter retinuiſſe,vt nullum corpus robuſtius, licet ex debilibus plærumque membris conflatum, ſi ſingulos aut ſpectes,aut hodie,ſic olim fuiſſe homines meminerint. Et,quod magis mirari ſubit, cùm ex diuerſis adminiſtrationum generibus conſtet, ſumma concordia inter Germanos ab eo tempore viguit, niſi ſi quando ſemina diſſenſionum inter eos iacta ſunt,quibus id tandem effectũ eſt, vt excuſſo imperij iugo, Pontifices in Italia rerum potiti ſunt, & ad alias nationes atque adeò Germanos ipſos paulatim pontificij nominis terror peruaſit, ſalua tamen & incolumi in Germania, ad noſtra vſque tempora imperij Maieſtate. Sed ab anno 1517. ad ſequentes, diſtractis populorum & Principum animis, (peculiari quodam mancipiorum Pontificiorum artificio) quo ſibi ac religioni proſpicerent, diuerſas ſe in factiones ſcindentibus, Carolus V. variis ſucceſſibus elatus,arridentę

fortuna, occaſionem arripuit imperij, cuius ipſe pars erat, ſibi ſuiſque proprio iure aſſerendi. Id ſibi tot victorias ex Gallia, Italia, & Roma ipſa reportatas ſpondere, atque adeo ſibi deberi tum confidebat; tum verò & rem tentare commodiſſimum, honorificum, & quodammodo neceſſarium exiſtimauit. Anno igitur 1531. vt imperium in familia Auſtriaca firmaret, Ferdinandum fratrem regem Romanorum Coloniȩ renuntiauit. Id Septemuiri aliíque Germaniæ Principes, quòd contra Caroli IV. bullam auream ſeu conſtitutionis illius leges factum eſſe dicerent, magnopere improbabant, & ſine Septemuirorum conſenſu negabant potuiſse fieri. Inde arcana fœdera, cogitationes variæ, conatúſque nonnulli quibus bellum Proteſtantium, Septemuiri Saxonis & Landgrauij captiuitas, Paſſauienſis pacis articuli, nec non inſignes aliæ in imperio rerum conuerſiones ad tempus indixerunt ſilentium. Nunc ad Ferdinandum accedamus.

Is archiducis Auſtriæ Philippi & Ioannæ filiæ Ferdinandi & Iſabellæ filius, natus Modinæ in Caſtellæ regno Hiſpaniarum anno 1503. 10. Martij, hora pomeridiana decima, à pueritia literarum ſtudia coluit, Ludouico Viue Valentino & Eraſmo Roterodamo, quem magnifaciebat, præceptoribus vſus. Mathematum artibus mirè delectatus eſt, ita vt de difficillimis hypotheſibus cum artificibus præſtantiſſimis eruditè diſsereret, animúmque laboribus gubernationis defatigatum ex contemplatione mirandæ harmoniæ motuum in corporibus cæleſtibus recreabat. Maximiliano I. & Ferdinando auis mortuis, Carolo fratre natu maiore ad dignitatem imperij euecto, Auſtriam pro parte patrimonij ſui poſſidendam accepit: & quamuis fratris longè latius eſſet imperium, tamen illi volens ceſſit, & ſemper præſtitit obſequium. Anno 1521. vxorem duxit Annam Ladiſlai Vngariæ regis filiam, cuius heroinæ ea in Deum & homines fuit pietas, vt Sanctis matronis annumerari poſsit, quindecies puerpera, in partu filiæ anno 1547. Januarij die 27. extincta eſt, anno ætatis 44. Aliquando compellatus Ferdinandus à ſuis, qui minus rectè fieri putabant, quòd reginam coniugem & gynecæum ad imperij conuentus ſecum duceret, propter ſumptuum magnitudinem, piè & prudenter reſpondit Ferdinandus, Officium magni Principis eſſe in coniugio caſtè viuere, pluráque profundi in libidines vetitas, quàm in ſumptus honeſtæ vitæ coniugalis.

Ludo-

Ludouico ſororio extincto renuntiatus eſt primùm Bohemię rex, & Pragæ coronatus 24. Februarij anno 1527. circa Maij initium à Sileſiis exceptus cum magno applauſu, paulò poſt fuſo fugato Joanne Vaiuoda regni Vngarici coronam vnà cum vxore accepit. Iohannes malis conſiliis impulſus in fidem Solymani Turcæ ſe dedidit: vnde in Chriſtianum orbem malorum Ilias exorta eſt, Ferdinandus princeps pacificus, præliis minimè addictus, ſenſit ſæpius in illis bellorum fluctibus decumanis, atque in tanta armorum imparitate manifeſtũ Dei auxilium, quod Vngariam, Bohemiam, Sileſiam, Auſtriam, aliáſque prouincias aduerſus potentiam Turcicam clementer defendit. Et quamuis Vngariæ præcipui tractus amiſſi ſint, tamen mirifica Dei ope barbari repreſſi, ſępiúſque parua Chriſtianorum manu territi ſunt, ne vlterius progrederentur & vicinas regiones abſorberent. Quatuor variis expeditionibus formidabilibus Solymanus ipſe, tanquam horribile fulmen, Ferdinandum inuaſit, & quidem ſpe ſua totam deuorabat Germaniam: ſed à mœnibus Viennæ planè diuina dextera, ſicut Aſſyrius à Judæa, magna parte Turcici exercitus amiſſa, repulſus & hactenus ita repreſſus eſt, vt in vicinam Germaniam penetrare non potuerit.

Ferdinandi mores ante & poſt adeptum imperium multi norunt & deſcripſerunt. Similis ſibi ſemper fuit, nec vlla in re mutatus eſt vnquam: bonus bonis, fucatus minime, totus in ſeipſo teres atque rotundus, in ea quæ agenda erant intentus, & rumorum vulgi contemptor: pius, iuſtus, clemens, affabilis, temperans, diligens, in omnibus actionibus ordinis obſeruantiſſimus, religioſus. Pacem ciuilem & eccleſiaſticam dilexit: Eccleſiæ nomen maximè veneratus eſt, & cùm de multis doctrinæ articulis motæ eſſent controuerſiæ, reformatas Eccleſias ipſe non oppreſſit, ſed legitimã in Synodo Chriſtiana multarum gentium cognitionem fieri voluit, eáque quòd non coiret, aut inſidioſè turbaretur, acerbè tulit & indoluit. In variis morbis, præſertim in extremo, non deſiit laborare quomodo eccleſiis diſtractis pia poſſet afferri concordia. Pontificem Tridentinæ Synodi decreta cudentem ſępius admonuit, vt calicem ſacrum in mẽſa Domini Laicis reſtitueret, & de vulneribus Eccleſię ſanandis ſincera conſilia ſequeretur, fuit præterea legum cuſtos ſtudioſiſſimus: ius æquale dixit potenti & inopi, ſupplicibus pepercit, multiſque graues pœnas commeritis clemẽter ignouit. Ciuilium bellorum ſcintillas prudenter ex-

tinxit, ſimultatibus & offenſionibus fecit medicinam; tandem ſua authoritate fratrem Carolum flexit, & pacem ſalutarem reddidit Germaniæ, quæ tamen ſemel motis armis inteſtinis non videbatur, etiam prudentioribus, niſi euerſo imperio, conquietura.

Neceſſarias diei operas diſtribuebat in certas horas accuratè obſeruatas, & in varia corporis imbecillitate ſuſtinebat labores qui etiam robuſtiſsimis intolerabiles videbantur. Sed vires mentis & corporis temperantia fouebat: nec vnquam viſus eſt vino ſuperatus. Sæpe ſolus prandebat ſine longa ferculorum pompa, vt cognitioni cauſarum deliberationibúſque iuſtum tempus tribuere poſſet. Peracto prandio promiſcuè ſe exponebat omnibus, etiam infimorũ expoſtulationes & petitiones audiens, ſingulíſque commodè reſpondebat. Narratur obiurgatum fuiſse cubicularium ab ipſo acriter, qui humilioris conditionis mulierem repulerat ne audiretur, addens Ferdinandus, Si nos excludimus inopes à conſpectu noſtro, quid nobis ipſis ad Dei tribunal eueniet? In menſa familiariter audiebat eruditorum virorũ diſceptationes de natura rerum, vel alia parte doctrinæ, cognitu digniſſimas. Ipſe non modò multa prudenter ſciſcitabatur, verùm etiam eruditè ſuam ſententiam depromebat, apophthegmata colloquiis admiſcens ingenioſè cogitata, quibus delectabatur. Cæſaris Caroli fratris per multos annos vices ſapienter geſſit in Comitiis, alienus à turbis, præſertim ciuilibus, pacis publicæ tenaciſſimus: magnóque cum dolore Hiſpanica conſilia contra Imperij ordines luctantia vidit & pertulit.

Quum Septemuiri Francofurtum ad Mœnum conueniſſent anno 1558. eodem quoque Caroli V. in Belgio commorantis legati, 24. Februarij venerunt, cum Caroli mandatis eius nomine imperatoriam dignitatem eiuraturi, & in Ferdinãdum ante multos annos Romanorum regem ius ſuum tranſlaturi. Poſt deliberationem, quum Septemuiri certis cõditionibus Caroli poſtulatis & votis annuiſsent, & ceremoniis inaugurationis nouæ peractis, nouus Cæſar ad Carolũ fratrem ſcribit ac gratias agit: mox ad Spirenſis Cameræ iudices dat literas, atque vt iudiciali munere vice & auctoritate ſua fungantur, edicit. Dimiſso conuentu Cæſar ſecundo Danubio menſe Nouembri Viennam venit, vbi maxima omnium ordinũ gratulatione exceptus eſt. Inde Martinum Guſmãnum archicamerarium ad Paulum quartum Pontificem R. miſit, qui eum de Caroli fratris abdicatione,

& ſua

& ſua inauguratione in Cæſarem plenius edoceret. Pontifex, non audito Guſmanno, purpuratis ſuis hæc diſcutiēda propoſuit, An non Guſmannus docere teneretur, quid Carolus in Imperij abdicatione cum fratre egiſset, quid Ferdinandus viciſſim eſſet pollicitus; quibus item conditionibus dignitatem imperialem acceptaſſet? num etiam Ferdinandi inauguratio facta ſine Pontificis & Romanæ ſedis cōſenſu ritè ac legitimè facta cenſeri deberet? Delecti Cardinales ad Pontificis nutum pronunciare ſoliti, nec non amplificādæ potentiæ pontificiæ ſupra modum ſtudioſi, poſt præfationem, qua cauſæ variis difficultatibus implicatæ magnitudinem multis verbis extollunt, neceſſe eſſe reſpondent, vt publicis documentis demonſtretur, quomodo per eierationem ſiue ceſſionem Caroli dignitas imperialis vacauerit: rurſus quo iure Ferdinandus in eam ſucceſserit, interea non debere admitti ipſius Oratorem, priuſquàm conſtet num Carolus qui ceſſerit, dignitate ſua legitimè ſit ſolutus, vt ſucceſsor eius legitimè ſucceſſiſſe dici poſsit. Addunt acta Francofurtenſia nullius eſse momenti, cùm in iis haud interuenerit Romanæ ſedis auctoritas, atque Pontificis, Chriſti vicarij, cui cæleſtis ac terreni imperij claues creditę ſint, ſine quibus nec Carolus legitimè imperio ſolutus, nec Ferdinandus rectè in imperium ſucceſsiſse dici queat. Nam quamuis Ferdinandus olim rex Romanorum Coloniæ creatus fuerit, rémque Clemens VII. ratam habuerit; tamen vt ſuccedat neceſse eſse vt vacet imperium, quod nō niſi morte, abdicatione, aut priuatione fieri poſsit: quæ duo poſtrema ad ſolum Pontificem & Romanam ſedem pertineant. Eſse & aliud in cauſsa, cur omnia Francofurti acta reſcindi debeant, quòd ab hominibus prauitate hęretica infectis geſta ſint, qui poteſtatem & gratiam amiſerint, quam habebāt cùm nondum defeciſsent ab Eccleſia Romana. Propterea, nec non vt ad purgandum factum illud ſe iudicio ſiſtat, Ferdinando opus eſse pœnitentia: nec verò dubitare eum debere, quin veniam à miti patre facilè conſequatur. Itaque mittendum eſse ab illo procuratorē cū plenis mandatis, quibus declaret ſe actis Francorfurtenſibus, vt actis nullius momenti renunciare, rémque omnem Pontificis arbitrio permittere, qui inaugurationem quamuis non rectè factam plena poteſtate confirmet: mandatum inſuper Caroli, quo imperium eiurat, coram Pontifice produci debere, quod licet ad Septemuiros tantùm dirigatur, tamen defectum hunc abundè ab eo qui plenam poteſtatem in huiuſmodi rebus

habeat, ſuppleri, & ad Pontificem ipſum [illegible] debere.

Pontifex inſtanti Guſmanno vt admitteretur, ſecundùm hæc reſpondit, quoniã Carolus apud nullum alium, niſi ſe, Cęſareã dignitatẽ eierare, nec Ferdinandus eam citra Pontificis conſenſum accipere potuerit, ipſum intra tres mẽſes iis quæ à Cardinalib. propoſita ſunt, ſatisfacere debere: nec interea Guſmannum admitti poſſe. Eodem tempore Philippus Hiſpaniarum rex, vt Ferdinando patruo aduocationem in eo negotio ſpecioſam atq; officioſam præberet, Frãciſco Vargæ apud Senatum Venetum Oratori ſuo mandauerat, vt Romã profectus rem ſuo nomine precib. enixis commendaret. Huius preces Pontifex nihil moratus eſt, quin & Joannem Figueroam a Philippo Romã miſſum, cum vrbis portas attingeret, iniurioſè aditu Pontifex prohibuit: cauſſatus Figueroam, Mediolani antea præfectum, coniecto in carcerem tabellario Pontificio, in grauiſſimas ſacræ cenſuræ pœnas incurriſſe, quanquam id Vargæ potius aſtu factum nonnulli ſcribunt, qui Figueroa reiecto in ipſius locum ſe ſuffectum iri ſperaret, idque Cardinalium quorundam, atque adeò Carafarum interuentu, ad quorum nutum Varga res heri ſui ſe adminiſtraturum receperat. Vbi verò de Pontificis voluntate Ferdinandus ex litteris Guſmanni cognouit, ſine mora reſcribit, mandátque vt niſi poſt triduum a mandato accepto admittatur à Pontifice, ipſe rebus compoſitis Romá diſcedat: denuntiatione ante facta, ſe quando à Cæſare ad Pontificem ſit legatus, vt more maiorum filialem honorem ei exhiberet, nec tam longo tempore, non abſque Cæſareæ maieſtatis imminutione, ad mandata exequẽda admitti potuerit, Româ diſcederet, vt Cæſarem de iis quæ acciderant faceret certiorem, qui re cum Septemuiris expenſa, quod imperiali dignitati conueniet, mox exequatur. Inſtante igitur Guſmanno, Pontifex tandem ſpe ſua fruſtratus, nec tamen pacatior redditus, III. Id. Quintileis, coram VII. Cardinalibus, tum ob cauſſæ grauitatem prolixè ſe excuſat, quod non prius petitioni Guſmannicæ ſatisfecerit: cùm verò ſatis temporis non fuerit ſibi, vt capita à Cardinalibus propoſita potuerit expendere, neque ipſi Guſmanno vacet, vt diutius Romæ commoretur, licere ipſi cùm volet abire: ſe verò quamprimum ad Cæſaream maieſtatem (ita Carolum de monachatu, non de imperio cogitantem, appellabat) legatum miſſurum, quibus dictis cùm Guſmannus quid de proteſtatione facienda in mandatis haberet indicaſſet, Pontifex reſpondit id ſibi probari,

& tum

& tum ſibi tum Cæſareæ maieſtatis bono ceſſurum. Itaque proteſtatione, ſicut iuſſus erat, facta, ac ſalute amicis dicta, Guſmannus ab vrbe diſceſsit. Mortuo dein Paulo IV. qui extinctus eſt 18. Auguſti 1559. Pius IV. imperatoriam dignitatem à Carolo in fratrem Ferdinandum tranſlatam, ratam habuit, & eius tanquam legitimi imperatoris legatos honorificè excepit.

Porro quid in Comitiis Auguſtanis eodem anno tranſactum ſit circa religionis negotium, ita ſe habet. Caroli V. magnâ pompâ celebratis exequiis, colloquij Vormatienſis de religione acta coram Imperij ordinibus publicè recitata ſunt: ex quibus cùm nulla ſpes conciliationis affulgeret, Ferdinandus Cæſar œcumenicæ Synodi inſtaurationem ſe procuraturum promittit, ac vt eius decretis parituros ſe recipiant omnes, moderata oratione depoſcit. Verùm contradicentibus Saxonis ac coniunctorum principum legatis, &, quando per concilium Pontificium nulla concordiæ ineũdæ ſpes eſſet, Paſſauienſem conuentum, & Auguſtanum de pace decretum vrgentibus, Cæſar cùm in propoſito perſeueraret, illi ſe quoque liberum & vniuerſale in Germania concilium non impedituros oſtendunt, modò legitimè celebretur, nec à Romano Pontifice, ſed ab Imperatore dicatur indictum; dum Pontifex in eo non tanquam pręſes & iudex, ſed partis loco ſedeat, ſe concilio ſummittat, præſulibúſque ac theologis, iuſiurandum, quo ipſi deuincti ſunt remittat, vt liberè citra metum dicere poſſint ſententias: dum pro norma iudicij ſit ſacra Scriptura ac ſolùm Dei verbum, eiectis traditionibus humanis, conſuetudinibus cum verbo Dei pugnantibus, & Romanæ Eccleſiæ conſenſu exploſo: dum Theologi qui Auguſtanam confeſſionem amplectuntur, non ſolùm audiantur, ſed in controuerſiis decidendis ſententias dicant, eíſq; idoneè caueatur, vt nõ tãtùm ſecurè eò accedere poſſint, ſed libertas illis decreto Auguſtano conceſsa citra fraudem ſalua maneat: capita controuerſa non ſecundùm ſuffragiorum numerum, vt in ciuilibus controuerſiis fieri conſueuit, decidantur, ſed iuxta diuini verbi præſcriptum ac regulam ſanciantur. Ante omnia, Tridentinæ Synodi, vt vitio coactæ, acta cuncta ac decreta reſcindantur, & denuo retractentur. His conditionibus in Concilium conſentire ſe paratos demonſtrant Proteſtantes. Quòd ſi à Pontifice obtineri nequeat, vt religionis pax & Paſſauienſis conuentus decreta ſeruentur, ſubſidium petũt à Cęſare, qui de concordia nouis iſtis legibus ſarcienda

deſperans pacem religionis confirmat, aliáque negotia ad publicam quietem pertinentia componit.

Paſſauienſis conuentus decreta, pacificationiſque à Carolo V. & Ferdinando tunc Romanorum rege cum Imperij principibus confirmatæ & obſignatæ ſummam Lectori exhibere neceſſarium duximus. Formula & articuli hi fuerunt. Nos Ferdinandus, &c. fatemur cùm bellicos motus iſtos in Germania, ex Philippi Landgrauij Haſſiæ cuſtodia, præcipuam originem & cauſam habuiſſe intelligeremus, adducti amore & cura ſalutis, & pacis Imperij publicæ, fratrem noſtrum Carolum V. Imp. amanter rogauimus, vt de liberatione Landgrauij, & cohærentibus negotiis, quæ cauſsam bello præbuiſsent, amicam tranſactionem inſtituere nobis liceret. Quod cùm à Cæſare impetraſsemus, Nos & filius Maximilianus rex Bohemiæ, cum Mauricio Saxoniæ & Alberto Bauariæ duce, præteritis Paſchæ diebus, Lyncij conuenimus, & poſt varias deliberationes vtile ac neceſſarium iudicamus, alterum conuentum XXVI. Maij in hac vrbe Paſsauio inſtituere, & Electores ac Principes imperij adſcriptos velut interceſsores ſimul adhibere. Itaque nos & dictus Elector Saxoniæ & reliquorum quinque legati; nomine Moguntini Daniel Brendel, Colonienſis Henricus Saltzburg, Treuerici Philippus à Winnēberg, Palatini Friderici Ludouicus Comes in Konigſtein, Joachimi Brandeburgici Adamus Trode: deinde Erneſtus archiepiſcopus Saltzburgenſis, Mauricius Dryopolitanus, Wolfgangus Paſsauienſis, & Albertus Bauariæ dux, in propria perſona: Nomine verò Johannis Brandeburgici Bertholdus Mandeſlo & Andreas Zoch, Guilielmi Juliacenſis, Gulielmus Keteler, Philippi Pomerani Jacobus Zitzevvitz, Chriſtophori Wirtembergenſis Theodericus à Plenningen, comparuerūt, cum quibus cauſam tractare cępimus. Ac primùm Electoris Saxoniæ & confœderatorum Principū poſtulata & grauamina, duobus ſcriptis expoſita accepimus & expendimus, & re accuratè deliberata, ſequentes articulos & media pacis propoſuimus.

1. Elector Saxoniæ & fœderati Principes, ante XII. Auguſti ab armis diſcedent, & Cæſareæ Maieſtati ac Imperio obedientes erunt, copias ſine vllius detrimento dimittent, vel regi Ferdinando militare ſinent, vrbes Imperij & alios ſtatus, quos armis ſibi adiunxerunt, patentibus literis ab obligatione liberent.

2. Philippus Landgrauius Haſſiæ, conditiones in Salinis Saxo-

Saxonicis ipſi præſcriptas, denuò ratas habebit & perficiet, nec cuſtodiam ſuam vlciſci conabitur, ſed vt obedientem Principem decet, deinceps ſe erga Cæſaream maieſtatē, nos & Imperium geret. Ambo etiam Electores, Saxo & Brandeburgicus, & Palatinus Wolfgangus, obligationem antea datam renouabunt; & reginæ Mariæ, vel ipſius præſidenti Machlinienſi ad VI. Auguſti diem tradi curabunt. His factis Landgrauius cuſtodiâ liberabitur, & ad II. vel 12. Auguſti in arce ſua Rinfels ſiſtetur. Cæſar etiam militum copias aduerſus Saxonem, Haſſum & ſocios, iam conductas, aduerſus eos qui pacificationem hanc accipient non conuertet, nec in eorum ditiones collocabit. Permittit etiam Cæſarea maieſtas vt Landgrauius inchoatam vrbis Caſſellanæ munitionem perficiat.

3 Executionem quoque ſententiarum in controuerſia Naſſauienſi planè inhibebit, donec liberato Landgrauio amica compoſitio inter partes inſtitui poſſit, vel per vtrinque delectos Electores & Principes arbitros, cauſſa recognoſcatur, & intra biennium decidatur. Adminiſtrator ordinis Teutonici & Henricus Brunſuicenſis, actiones occaſione præteriti belli Smalcaldici aduerſus Landgrauium inſtitutas, vel inſtituendas, inhibebunt, donec grauamina, ad publicam imperij Rempublicam pertinentia, per Mauricium & Heſſum in hoc conuentu propoſita tollantur.

4 Quòd ad relligionem, pacem, & iuſtitiæ adminiſtrationem in Imperio attinet, pax relligioni vſque ad proxima comitia dabitur, in quibus de ratione hoc diſſidium amicè componendi, vel per concilium generale, aut nationale, vel colloquium, vel communem imperij conuentum delibetabitur. Hunc de Religione articulum rex Ferdinandus & Electorum ac Principum legati, in eodem conuentu Paſſauienſi ſcripto peculiari ita declararunt, vt conſtans & perpetua pax in cauſſa religionis, ſiue componatur amicis rationibus, ſiue non componatur, inter Cæſaream & regiam maieſtatem, electores, principes, & ſtatus imperij ſeruetur, & ex conſeſſu iudicij Cameræ coniuncti Auguſtanæ confeſſioni deinceps non excludantur.

5 Articuli ad libertatem Germanici imperij pertinentes à Mauricio exhibiti in comitiis expedientur. Ad conſilium verò Cæſaris aulicum, quod imperij negotia tractabit, conſiliarios Germanicos Cæſar adhibebit, & Germanica negotia non niſi per Germanos tractari ſinet: libertatem

verò Germaniæ patriæ ſuæ non imminuet, ſed omnibus viribus augere ſtudebit. Ac ne Mauricius & fœderati hos articulos neglectum iri metuāt, Ferdinandus & Maximilianus ſpondent, ſe vnà cum Principibus & Electoribus primo loco in Comitiis hæc negotia Cæſari propoſituros, ac vt ad exitum deducantur, adiuturos eſſe.

6 Ad Galliæ regem quod attinet, ex legati illius oratione apparere quędam ad communem Imperij pacem, quædā ad ipſum priuatim ſpectantia ab eo poſtulari. Cùm autem publicæ pacis in Germanico Imperio cura ad Cæſaream maieſtatem, Electores & Principes pertineat, de priuatis ſuis negotiis per electorem Saxoniæ ad nos referre poterit, vt Cæſari poſtulata ipſius à nobis exhibeantur.

7 Qui ob Smalcaldicū bellū à Cæſarea maieſtate bonis exuti vel proſcripti ſunt, Palatinus Otho Henricus, Wolfgangus princeps in Anhald, Albertus comes Mansfeldicus, cum filiis Joanne, Wolrado, & Carolo, Philippus comes ad Rhenum, Chriſtophorus comes Aldeburgicus, Joannes Baro in Heidec, Fridericus à Reiffenberg, Georgius à Reckenroth, Sebaſtianus Scherthle, & cæteri in gratiam Cæſareæ maieſtatis recipientur, & in poſſeſſiones ac bona ſua reſtituentur: modò deinceps Cęſari & Imperio ſint obedientes, & qui in Gallia militant, intra ſextam hebdomadam ſe declarent, & poſt trimeſte in Germaniam redeant.

8 Quibus damnum hoc bello datum eſt, nullam eo nomine litem mouebunt fœderatis. Omnibus qui hoc bello aduerſus ſe militarunt, Cęſar ignoſcet, etiam Alberto Brandeburgico, ſi ab armis diſcedet, & copias ante diem dictum dimittet.

9 Inter Henricum ducem Brunſuicenſem & nobiles bonis ac domibus ſuis ab eo exutos, Saxo & Brandeburgicus Electores, & Joannes Brandeburgicus, & Philippus Pomeranus, velut commiſſarij Cæſaris, intra trimeſtre amicè trāſigēt, & Nobiles ſaluis actionibus cæteris reſtituent. Iidem Commiſſarij controuerſias ducis Henrici Brunſuicenſis cum vrbibus Brunſuiga & Goſlaria diriment. Sed cum Goſlarienſibus à ſe obſeſſis dux Henricus paulò ante pro ſuo arbitrio tranſegerat.

Hæc Cęſar pro ſe & ſucceſſoribus, & cōfœderati Principes, Mauricius Elector Saxoniæ, Otho Henricus Palatinus, Joannes Albertus dux Megalopolitanus, & Gulielmus Lādgrauius Haſſię pro ſe & hęredibus, & omnibus qui hoc bello ipſis militarūt, & Ferdinādus ac Maximilianus, Reges, Electores,

lectores, Principes, Eccleſiaſtici & Politici, pro ſe & ſuis, rata habent, & perpetuò fideliter obſeruaturos & defenſuros promittunt. Exempla verò huius receſſus tria, Regis Ferdinandi & Electorum Moguntini ac Palatini, Archiepiſcopi Saltzburgenſis, Alberti Ducis Bauariæ, & Mauricij Saxonis ac Guilielmi Heſſi, propria manu ſubſcripta, & appenſis ſigillis confirmata ſunt: quorum vnum Cæſareæ Maieſtati, alterum Ordinibus Imperij, tertium Electori Saxoniæ & ſociis tradita ſunt. Actum Paſſauij II. Auguſti anno Chriſti MDLII. regnorum noſtrorum, Romani XXII. Cæterorũ XXVI.

Hæc ideo deſcripta ſunt in Ferdinando, vt Caroli & Ferdinandi moderationem in publicæ pacis procuratione & ſincera conſeruatione lector intuens, alaſtores deteſtetur. qui Germaniam bellis ciuilibus laceratam videre percupiũt. Nunc ad Ferdinandum Cęſarem reuertor, & alia quædam attingo, quæ politicum Imperij ſtatum reſpiciũt. Primis imperij auſpiciis Ferdinandus memorabile ac plenum æquitatis iudicium tulit. nam cùm ex ſuperiorum bellorum occaſione, quibus Albertus Brandeburgenſis immani licentia bacchatus Franconiam & finitimas prouincias magnis cladibus afflixerat, magna controuerſia exorta eſſet inter Alberti iam mortui agnatos, quibus propter antiquum fœdus Saxonię & Haſſię principes ſe adiunxerant, & Franconiæ epiſcopos ac Senatum Noribergenſem, quod illi occupata agnati bona ſibi reſtitui, deſtructarũmque arcium damna ſarciri debere contenderent: ſi quando nihil à pacis conſtitutionibus & imperij decretis alienum feciſſent, contra vt ſumptus in exequenda imperij ſententia aduerſus Albertum proſcriptum lata facti refunderentur, poſtulabant. Hic Cæſar, qui controuerſiam eam non priuati iuris eſſe, ſed ad publicam tranquillitatem ſpectare videret, quamuis contra Albertum facta à fœderatis, rectè facta eſſent, tamẽ cùm morte eius crimen exſtinctum & odium quadantenus expiatum videretur, vt concordiam inter primarios imperij proceres, epiſcopos ac ciuitates ſeruaret, damnorum à Brãdeburgica familia exceptorum rationem haberi voluit: & cùm anno MDLVII. menſe Martio fœderati vniuerſam à ſe occupatam regionem Georgio Friderico Alberti agnato & hæredi reſtituiſſent, inſuper Cæſar cenſuit, vt pro arcib. dirutis CLXXV. millia aureorum Brandeburgico depẽderẽt. cui ſentẽtiæ poſtremò, vt damnoſam belli aleam effugerẽt, priuatis rationib. publicæ quieti poſthabitis, illi aſſenſerunt.

Eodem hoc anno, XVII. Cal. Maias, Melchior Zobelus epi-

ſcopus Virtzburgenſis, Franconiæ dux, Herbipoli in ciuitate ſua à quindecim ſicariis cõfoditur, inaudito à multis ſeculis in Germania facinore. Vilelmi Grombachij equitis Franci iuſſu id factum paulò poſt compertum eſt: vnde natum bellum, de quo prolixè in Maximiliano II. agitur. Cæterùm Germania ſub pacifico principe & Cæſare Ferdinando quieuit vſque ad anni 1561. initium. Tunc enim Pius IV. pontifex miſſis legatis ad Cæſarem pacem publicam turbare molitus eſt. Iis oratores à Cæſare adiuncti Principes proteſtantes Naoburgi ad Salam in Saxonia congregatos conuenerunt, & hortati ſunt, vt ad Synodum Tridenti indictam & legitimè celebrandam accederent, vt lamentabili relligionis diſcidio & ſecutis inde Germaniæ calamitatibus ſalutaris tandem finis imponeretur. Iis re deliberata à Principibus reſponſum, ſe inuictiſſimo Cæſari propria ſollicitudine & amore erga rempublicam ac ipſos reuerenter admodum gratias agere. Ad Concilium quod attinet, non recuſare liberum, Chriſtianum, & vniuerſale, in quo non pontifex Romanus, ſed verbum Dei, pro iudice ſedeat, iureiurando Epiſcopis remiſſo, & Auguſtanæ confeſſionis ordinibus facultate decernendi permiſsa. Multa alia Principes repetierunt præcedentibus comitiis, vbi de Relligione actum fuerat, propoſita: Ferdinandum etiam ad pacis publicæ conſeruationem ſuppliciter hortati ſunt, & legatis reſponderunt, nullam ſe Pontificis iuriſdictionem agnoſcere, neque verò opus eſse, vt Pontifici quid ſuæ voluntatis ſit in concilij negotio, cuius indicendi aut habendi poteſtatem ipſe non habeat, aperiant: abundè id ſæpius feciſſe, & Cæſari ſuam mentem reuerenter expoſuiſſe. Ita dimiſſi legati. Maximilianus, Ferdinandi maior natu filius, Romanorum rex renunciatur Francofurti 24. die Nouembris 1562. & paulò poſt coronatur. Pridie huius electionis Hibraymus Baſſa Solimani ad Ferdinandum legatus, cùm per Germaniam Francofurtum perueniſſet, quatriduo poſt ad Cæſarem admiſſus, lingua Sclauonica, admodum magnifica oratione, ſalutauit, felicem adminiſtrationem & vitam ei à Solimano precatus, amicitiam Turcicam detulit, petiitque, vt quemadmodum captiuos Chriſtianos in eius gratiam dimiſerat, viciſſim Turcæ captiui à Ferdinando liberarentur, fœdere in octo annos inuiolabili percuſſo: tum porrectis Solimani literis, munera etiã pretij ingentis obtulit. Sũma literarũ erat, miſsũ Hibraymũ cũ Augerio Griſlenio

Buſ-

Busbequio Cæſaris ad Solimanum Legato, vt fœdus in octo annos percuteretur, quibus ſingulis xxx cIↄ. Hungaricorum pro tributo dependerentur: tum de limitibus appoſitæ ſunt conditiones, quos neutri citra pœnas fœdere comprehenſas cum maleficio egredi liceret. quibus conuentis pace confirmata, Cæſar Baſſam ampliſſimis donis auctum ad Solimanum remiſit.

In eo conuentu Septemuiri Proteſtantes, alij Principes & ordines, Auguſtanæ confeſſionis ſocij, ſuam de Concilio in conuentu Naoburgenſi promiſſam ſententiam ſcripto comprehenſam exhibuerunt: in qua cauſſas exponebant, cur ad impium (ſic loquebantur) Concilium à Pio IV. indictum non accedant, addita conditionum commemoratione, quibus in Comitiis imperialibus aliiſque conuentibus ad Concilium generale, pium, liberum, legitimum, in Germania celebrandum antea prouocauerant, & tunc quoque prouocabant. Tandem ſub exitum Septembris, ſolutis Comitiis Cæſar Francofurto diſcedit. Ab eo tempore ad Ferdinandi obitum, turbis ciuilibus agitata Gallia à Germanis Principibus Pontificiæ & Auguſtanæ confeſſionis obtinuit auxilium. At ſub placida Ferdinandi adminiſtratione, fœdere octenni cum Turcis ſancito, Imperium multa quiete gaudens viguit.

Quum autem Ferdinandi Cæſaris præcipuâ curâ, controuerſiæ cruentæ incer Daniæ & Sueciæ reges compoſitæ fuiſſent anno 1564. Galliáque & alia regna pace fruerentur, tandem Deo placuit ipſi Cæſari concedere pacem, cui antea tranquillam ſenectam, florentem autoritate, gratia & laude apud omnes, quam multi alij potentiſſimi bellatores quos ad extremum fortuna deſtituit & euertit, non adepti ſunt. In ipſo autem vere apparuit exemplum huius diuinæ promiſſionis, Beati mites, nam poſſidebunt terram. Pietas & clementia Ferdinando fructuoſæ fuerunt, & amplum atque felix ipſi pepererunt imperium. Exitus etiam illius planè congruit ad dictum, Plantati in domo Domini etiam in ſenecta florebunt. In morbo quem ex aſſiduitate laborum & curarum contraxerat, vera fide conuerſus ad filium Dei inſignia teſtimonia pietatis ſuæ in Deum, ſpei & patientiæ edidit, & in vera inuocatione filij Dei placidiſſimè diſceſſit xxv. die Iulij, anno cIↄIↄ LXIV. longa tabe conſumptus. Vixit annos LXI. menſes IV. dies XIV. horas XX. Ex vnica vxore Anna ſuſcepit quatuor filios, Maximilianum natum anno

CIↃ IↃXXVII. Ferdinandum CIↃ IↃ CXXIX. Johannem CIↃ IↃ XXXVIII. Carolum CIↃ IↃ XL. & vndecim filias Elizabetam, Annam, Mariam, Magdalenem, Catharinam, Leonoram, Margaretam, Barbaram, Vrſulam, Helenam & Johannam. Ex tot liberis duodecim ſuperſtites reliquit. Elizabeta ac deinde Catharina Sigiſmundo Auguſto Poloniæ regi locatæ ſunt: cæteræ ſingulis ferè Germaniæ & Italiæ Principibus nupſerunt. Sed nulla re felicior fuiſſe videtur Ferdinandus, quàm ſucceſſore Maximiliano, qui paternis veſtigiis inſiſtens cum raræ prudentiæ & ęquitatis laude imperium poſt patris exceſſum adminiſtrauit. Imperium ſolus VII. annos Ferdinandus rexit, princeps antea ſuis coloribus ad viuum depictus, cuius præcipuum ſtudium fuit pacis in Imperio & in Eccleſia procuratio. Quemadmodum in impetu Turcarum, cui impar viribus erat, ſuſtinendo atque frangendo mora & arte vti optimum factu experientia didicerat, ſic & in religionis negotio non igne & ferro graſſari, ad quod ipſum & Galliæ regem plærique hortabantur, ſed colloquiis, diſputationibus, amicis collationibus, conciliis denique ſiue nationalibus, ſiue Oecumenicis, rem gerere tutius iudicabat. Itaque cùm videret, concilio Tridentino iam ad exitum perducto, quantum ad Germaniam & ſuæ ditionis populos parum profectum, ſerióque animaduerteret ſibi à Legato Pontificio Cardinali Morono data verba, quò à poſtulatis ſuis & communibus cum rege Galliæ initis conſiliis diſcederet, quod ab aliena ope tantis malis ſubſidium fruſtra expectauerat, à propriis ſibi ſumendum exiſtimauit: & Maximiliani filij, optimi iuxta ac prudentiſſimi Principis, conſilio vſus, de controuerſis Auguſtanæ confeſſionis articulis amicè conciliandis ſeriò cogitare cœpit. Sed dum mediis quærẽdis vacat, nec idoneam conciliationis viam inuenit, mors accedit atra, quæ cogitationibus, in genere quidem, præſertim ſi zelum ſpectes, tanto heroe digniſſimis, indixit ſilentium. At Ferdinando ſua laus maneat perennis: nam & in magnis multum voluiſſe ſat eſt.

MAXI-

MAXIMILIANVS II.

PRÆLIVM atrox inter Daniæ & Sueciæ reges commiſſum fuerat, multis militum millibus vtrinque deſideratis, paulò ante Ferdinandi Cæſaris obitum. In Vngaria Turcæ magna manu graſſabantur. Germania inteſtinis morbis laborabat. Imperio protectorem excitauit Deus Maximilianum II. principem ſapientiſſimum à Septemuiris electum, qui de rebus Vngaricis ante omnia ſollicitus, quamprimùm curauit, vt hoſtium progreſſus reprimerentur. Ideò Lazarus Suendius, nobilis Sueuus, conſilio, vigilantia, fortitudine, celebritate, & diſciplina militari inclytus, ſub Maximiliani initiis multas arces & dominia Vngariæ ampliſſima Turcis feliciter eripuit, atque Maximiliano ſubiecit: vnde facillimi aditus & progreſſus in Tranſſyluaniam patuerunt. Cùm autem Auguſtus Saxoniæ Elector belli Vngarici difficultatem non ignoraret, Cæſareano exercitui mille equites ſelectiſſimos ſuis impenſis ad quinque menſes ſubſidio miſit, quibus alij CCCL. Volones acceſſere, magna parte nobiles, quorum obedientiæ ac fortitudo militaris in eo bello maximè enituit. Comes Salmenſis conſilio inito cum Albæ regalis Iudice quodam, vrbem fatali ſtratagemate occupaſſet: ſed à Cæſare tempeſtiuè monitus pedem re infecta retulit. Cauſa fuit, adlocutio quædam de pace, quam per legatum inchoatam Cæſar abſolutam cupiebat. Princeps enim, ſi quiſquam alius ſuo ſeculo, fuit quietis, præſertim in laceræ Vngariæ gratiam amantiſsimus.

Eodem anno CIↃ IↃLXIV. Pontifex miſſo in Germaniam Vintimilienſi epiſcopo egerat, vt concilium Tridentinum promulgaretur, & Ferdinandus Cæſar quàm ſe paratum ad obſequium oſtendebat, tam inſtanter vrgebat, à Carolo archiduce & Alberto Bauaro admonitus, ſuorúmque periculo incitatus, vt gratia calicis etiam laicis (vt vocant) à Pontifice fieret, eámque in rem Viennâ ad eum literas dederat XVI. Calend. Mart. cùm Non. Febr. Bauarus itidem ad Pontificem ſcripſiſſet, quibus & calicis vſum petentibus concedi poſtulabat, idq; ambo illi Morono & Lotharingo Cardinalibus & Archiepiſcopis imperij Septemuiris probari aiebant, tum etiam petebant, vt ratio iniretur,

qua non ſolùm ſacerdotes, quia aſſertis ſuis cõiugiis ſeipſos ab Eccleſia ſeparaſſent, retentis vtcunque in contubernio aſſertis illis vxoribus, eidem Eccleſiæ reconciliari poſſent: ſed etiam benignè indulgeretur, vt ad exiguas Catholicæ religionis reliquias conſeruandas iis locis, in quibus presbyteri eo numero, qui ſufficiat, haberi non poſſunt, ab epiſcopis viri laici iuſtæ ætatis ac doctrinæ, vitæ inculpatæ ac bonæ famæ, ad miniſterium altaris & alia ſacerdotalia munia ordinari & admitti queant, & alterum quidem conceſſit Pontifex, alterum omnino negauit. Quapropter Maximilianus Cæſar aliquot menſibus poſt Ferdinandi Patris obitum, per Proſperum Arcuenſem Comitem, datis ad Pontificem literis menſe Nouembri, cum eo egerat, vt quo ad ſacerdotum coniugia, aliquid de ſeueritate remitteret, & Noricis, Boiis, Quadis, Marcomannis & Pannoniis ea in re gratificaretur. Nam calicis conceſſionem eum fructum, quem optet, minimè adferre poſſe, niſi & ea in parte penuria ſacerdotum laborantibus prouinciis ſubueniatur: nec rem diutius differri debere: alioqui timendum eſſe ne breui eò deueniatur, vt ne hoc quidem remedium ſero adhibitum huic lethali Eccleſiæ vulneri ſanando ſufficiat, & beneficij ſperati procraſtinatione fiat, vt ſemper difficilior eius curatio ſit.

Addita literis erat ſuccincta argumentorum pro Sacerdotum matrimonio contra cœlibatum enarratio, cum mandato, vt breuis ille commentarius Cardinalibus communicaretur: cuius ſumma hæc erat, Negari non poſſe vtriuſque teſtamenti teſtimoniis vxores ſacerdotibus permitti: & conſtare, Apoſtolos ipſos, paucis exceptis, coniuges habuiſſe: quòd autem Chriſtus mandauerit, vt poſt eorum vocationem ſe ab vxoribus ſepararent, nullo loco reperiri. Liquere item in prima Orientali & Occidentali Eccleſia, vſque ad tempus prohibitionis à Calixto factæ ſacerdotum coniugia libera ac licita fuiſſe. proinde cùm natura noſtra fragilis ſit, & omnium ætas in adoleſcentia ad malum prona, cùm caro ſit ſtimulus peccati, & arctiſſima ſit continentiæ via, paucique reperiantur qui carnis ſtimulum non ſentiant, & in igne poſiti non ardeant. ſitque talis ignis concupiſcentię ad perniciem deuorans, Dionyſium Corinthi epiſcopum prudentiſſimè Pinytum ſuffraganeum monuiſſe, ne cœlibatus onus tanquam neceſſarium fratribus imponeret, ſed infirmitatis plurium haberet rationem. Sic Paphnutium in Nicęna ſynodo honorabileis confeſſum nuptias, & concu-

bitum

bitum cum propria vxore caſtitatem eſſe aſſerentem, ſuaſiſſe Patribus ne cœlibatus legem dicerent: grauem quippe eſſe cauſam, quæ aut ipſis ſacerdotibus aut eorum coniugibus ſcortationis cauſam præberet. Id ſi olim ſanctè ac ſapienter dictum, & vt inde honeſtati, hinc infirmitati hominum ſubueniretur, neceſſarium exiſtimatum eſt, nunc profectò hoc infelici ſeculo verum eſſe, quo vix inter multos vnus reperiatur, qui caſtum præſtet cœlibatum. nam omneis ferè publicos eſſe ſcortatores, cum maximo animarum diſcrimine & populi offenſione. Præterea, eam Sacerdotum eſſe penuriam, ob vetitum matrimonium, vt ſcholæ theologorum apud catholicos vacuæ ſint, & ſpretis epiſcopis omnes ad ſectariorum ſcholas profugiant, ibique qualiquali manuum impoſitione accepta ſe paſſim ingerant, ſintque Eccleſiæ Catholicæ, ſupra quàm credi poſſit, dedecori: qui tamen libertate coniugij permiſſa, omnes in Eccleſia nobiſcum manerent.

Proinde, ex Eccleſię bono videri, vt ipſa contra regulę ſeueritatem ea in re aliquid indulgeat, & liceat viris ſacram vitam profeſſis, vel in cœlibatu permanere, vel matrimoniũ contrahere. Dein, vt honeſti mariti, qui docti & Eccleſiaſticarum rerum periti ſint, ad ſacros maiores ordines admittantur. Poſtremò, vt cum Sacerdotibus, qui iam antea contra conſtitutiones ſacras matrimonium contraxerint, in tanta miniſtrorum paucitate diſpenſetur, & ij per Eccleſiam gratiosè tolerentur, ac denique vt miniſtrare poſſint ipſorum conſcientiis relinquatur. Valde enim abſurdum eſſe, ſacerdotes coniugatos remouere, ſcortatores verò, qui contra legem diuinam & humanam ſimul peccant, delinquentes pati. quod ſi ij caſtitatis voto adſtringendi videantur, certè ad ſacerdotium promoueri non debere, niſi qui prouecta iam ętate ſint, & de quibus ſpes certa concipi poſſit, vt cœlibatum piè & inuiolatè colant. Nec verò ſatis firmum eorum argumentum videri, qui propter conſeruanda bona Eccleſiaſtica cœlibatum mordicus retinendum cenſent: quippe iis reputandum eſſe, an deceat Eccleſiam tot animarum periclitatione conſeruandis bonis inuigilare, cùm eorum indemnitati per ſolemneis deſcriptiones, pérque alias eiuſcemodi legitimas cautiones abundè proſpici poſſit. His tamen rationibus & argumentis, quantumuis inſtante Cęſare, & re ipſa vrgente, nihil à Pontifice, iam poſt Concilium ſemel dimiſſum ſecuro, impetrari potuit.

Nec à propoſito tamen Cęſar deſtitit, ſed primis impe-

rij auſpiciis, vt ditionum ſuarum populos partim captata quibus poterat iuſtis rationibus ipſorũ beneuolentia, partim impendentis periculi oſtentatione, ob cruentum in Vngaria contra Turcas bellum, ad conſtantiam hortabatur, & pecuniam, milites, arma, cæteráque ad tantum bellum neceſſaria parabat, cúmque videret, in Bohemia præcipuè & Pannonia ſuperiore paſſim fremere homines, quòd de calicis in Cœna vſu & ſacerdotum coniugio à Tridentinis patribus poſtulato non eſſet ſatisfactum, vt eos placatiores & paratiores ad omnia haberet, & ipſe apud Pontificem vrgebat, vt promiſſa quorum ſpem Ferdinando & ſibi à Pontifice per Cardinalem Moronum, dum Concilium vrgeret, factam meminerat, tam neceſsario tempore repręſentaretur. Nec abnuebat omnino Pontifex, cuius poteſtati hoc negotium à Concilio indeciſum permiſſum fuerat, à Morono perſuaſus, & ab ea re antea non ita alienus, ſed Cardinalis Paceci inſtigatu, Philippus Hiſpaniarum rex exemplum in Belgio veritus Petrum Auilam eodem tempore, quo Cæſarem legatos miſſurum intellexerat, Romam mittit, qui Pontificem ab eo conſilio dehortaretur, tanquam Eccleſię ſummè pernicioſo, his maximè rationibus: quòd minimè exſpectandum eſſet, vt ea re ſectarij placati ad officium redirent, ſed potius verendum, ne hoc illis ad maiora audenda animos faceret, nam ita ingenium eorum eſſe, vt non iniquum petant, vt æquum ferant, ſed potius ab iis, quæ æquitatis ſpeciem in ſe habere videntur, ducto initio, per ea ad iniqua poſtulata impetranda ſibi gradum faciant. Itaque potius eſſe, vt illis ſpes omnis præcidatur, & moneantur, ad vnionem Eccleſię pertinere, ne plus iis quàm aliis concedatur: vt cùm vnius & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ membra ſint, eadem ſacra, ritus, ceremonias cum cæteris colant. Itaque Pontifex, inſtante Cardinalium collegio, re dilata, & renouata in poſterum ſpe, in præſentiarum Cæſaris petitionem eluſit.

Solimanus Turca, qui bellum aduerſus Melitenſes equites meditabatur, vt vafro commento Cæſarem partim ſumptu graui exhauriret, partim ne vlterius in Vngaria progrederetur inhiberet, epiſcopum Cibiniẽſem ablegat, qui eum ad pacem cum Joanne Vaiuoda Turcarum fœderato colẽdam hortaretur, venit & Viennam ad Cæſarem, cum Johannis mandatis, Stephanus Bathorius, Sigiſmundi Auguſti Poloniæ regis, qui Ioannis auunculus erat, orator, verùm hæc aſtutè gerebantur à Turcis, vt à curſu victoriæ Maximilianus, cui omnibus rebus impar erat Johannes, auocaretur, & Soli-

Solimanus interim vireis ſuas aliò poſſet conuertere. Dum hæc geruntur, Principes ac ciuitates ad littus maris Balthici, cõmercio intercluſo propter bellum in mari Boræo feruens, non ceſſabant per legatos Daniæ ac Sueciæ reges vrgere, vt inclinarẽt ad pacem. Maximilianus autẽ ſtatim poſt Roſtochienſem conuentum ſuperiore anno pacis cauſâ inſtitutũ, ſed recuſatũ, per Dani & Saxonis legatos ſollicitatus fuerat, vt imperiali mandato omnẽ ex Germania armorum commeatũ ac merciũ importationẽ in Sueciam prohiberet. Cęſar prius ꝓmulgari mãdatũ noluit, quã interpellato rurſus de Cõcordiæ rationib. ineũdis Sueco, miſsóq; ad eũ nuncio, vt cõtrouerſias cũ Polono, Dano, ac Lubecẽſib. ſibi permitteret, & inducias interea coleret. Cũ is diutius detineretur, mãdatũ tãdẽ Decẽbri mẽſe, cũ Viẽnæ eſſet promulgauit.

Diuerſa parte cùm Roſtochij tumultuaretur, inter Senatũ ac plebem orta diſſenſione, ex eo quòd Senatus publicarũ rationum ius ad ſe traheret, plebs contra auctoritatem ſuã intercedere debere contenderet, Megalopolenſes Duces, Iohannes Albertus, & Vlricus, qui ius ſibi in ea ciuitate à multis annis vindicabãt, iuris viam primũ erant ſequuti, & tãdẽ eò res deuenerat, vt Jo. Albertus intra vrbẽ admiſſus gubernationis publicæ ſtatum immutaret. Poſt biduum, ad finem Octobris exercitum introducit, grandem pecuniæ vim in belli ſuſcepti ſumptus numerari ſibi iubet; poſtremò, arma ciuibus adimit: vt non iam de controuerſiis inter ſe componendis, ſed de placando Alberto & intolerabili iugo à ceruicibus liberis repellendo conſultarent. Dum in eo ſunt, & ſumma diſſimulatione Albertus nihil præter ciuitatis tranquillitatem cupere ſe dicit & rebus conſtitutis exercitum ſine noxa dimiſſurum ſemper confirmaret, interuenit aliud quod res compoſitas planè diſturbauit. Nam Vlricus Alberti frater, cùm ſe inſcio expeditionem ſuſceptam, & à Roſtochienſibus fratrem admiſſum indignaretur, exercitum colligit. Cæſar cum mandatis ſuis aliter vſum Albertum atque voluiſſet doleret, literis Viennâ Cal. Decemb. datis valdè diſplicere ſibi hanc Alberti expeditionem teſtatus eſt, & ſtatim militẽ dimitti mãdat. Verũ Alberto ipſius Cęſaris imperium cauſſante, quódq; modũ executioni pręſcriptum egreſſus eſſet, excuſante, nec cuiquã alij moleſtiã aut periculũ ſuo limite creaturum ſpondẽte, rurſus Cęſar mãdatũ prius repetit, & cautionẽ Roſtochienſibus datã de priuilegiis eorum non violãdis, ſeruari, ac fũdos & prædia in prima obſidione occupata reſtitui iubet, cũmq; rẽ omnẽ ad Megalopolẽſiũ fra-

trum certamen redire cerneret, per legatos inter fratres ius dicit, & copias dimitti curat: eò magis de hoc diſcidio componendo ſollicitus, quod alterum ex fratribus Dano, cuius affinis erat, alterum Sueco fauere intelligeret: & vereretur ne ex ea occaſione bellum externum in Germaniam attraheretur, & ita auxilia ad bellum Turcicum neceſſaria retardarentur. Tandem, poſt varias turbas legatorum prudentia pacatas decretum eſt vt arx Roſtochiana in Cęſaris tanquam ſequeſtri poteſtatem permitteretur, & aliquanto rurſus tempore elapſo controuerſia omnis ſub anni 1566 initium eſt compoſita, Megalopolenſes vrbe egreſſi abeunt, Vlricus domum, Albertus in Boruſſiam ad ſocerum ſuum contendit, vt ex rerum inibi turbatarum occaſione aliquod emolumentum caperet.

Inter hæc Cæſar etſi de induciis cum Solimano non deſperaret, tamen per indicia & captiuorum confeſſiones certior factus ad arma Vngariæ inferenda Turcos ſe comparare, & Iuliam ac Sigethum oppugnare decreuiſſe, ſe quoque ad bellum parat, & comitia Auguſtam Vindelicorum indicit, vbi in commune ad propulſandos communis hoſtis impetus conſultaretur, & in eam rem vires ac ſumptus ſuppeditarentur. eo ipſe ante alios Principes venit. Actum de pace firmanda inter Danum ac Suecum, inter nonnullos Germaniæ Principes, de ſubſidio contra Turcas, de pace publica, de cameræ Imperialis emendatione, nonnulliſque aliis ad Imperij dignitatem pertinentibus. Sed vrgente belli Turcici mole, omnes controuerſiæ, & de religione expoſtulationes in aliud tempus dilatæ ſunt. Comitiis interfuit Franciſcus Commendonus Cardinalis, Pij V. pontificis nomine, cum mandatis, vt ſi religionis negotium in Comitiis agitaretur, ipſe ſuo nomine publice proteſtaretur, & Pontificem in cunctos qui aderant tam ſeculareis, quos vocant, quàm eccleſiaſticos principes ſuæ cenſuræ gladium diſtricturum interminaretur, contra Cæſarem imprimis, quem imperio, regnis ac ditionibus, ſucceſſionibus & iuribus, quę in Hiſpaniæ regno ei competebant, priuaturus eſſet. Quum res alio loco tunc eſſent, ſcripſit Commendonus ad Pontificem, & proteſtatione ea nihil opus fuiſſe monuit. Verùm homo imperioſus, & qui nullas rationes voluntati ſuæ contrarias admitteret, alteris mandatis enixè magis quàm prius iniunxit, vt ſi mentio vlla de religionis negotio in Comitiis fieret, publicè proteſtaretur, & Cæſarem atque alios principes Pontificis nomine à communione Chriſtiana excluderet.

ſtet. Sed neque ſecundis mandatis Cardinalis, Pontifice prudentior, paruit: & commodùm accidit, vt cùm ſecunda mãdata venerunt, iam illud caput in aliud tempus dilatum eſſet. Non ceſſabat tamen Pontifex Cæſarem imperiosè per Commendonum monere, ne quid tale in deliberationem in Comitiis deduci in poſterum pateretur, in eo perniciosè peccaſſe Carolum V. qui dum ſe negotiis ſacris immiſceet, confeſſionem Auguſtanam à Philippo Melanchthone conſcriptam in comitiis proponi paſſus eſſet, & alio poſtea remedio auctoritate Cæſarea intempeſtiuè vſus, dū ita religioni conſultum putat religionem in diſcrimen reuocauerit. id rerum confuſioni & turbis quæ poſtea in Germania incrementum ſumpſerint cauſam dediſse; facturúmque melius maximum alioqui Imperatorem fuiſse, ſi venienti malo, cuius principia ſemper infirma ſunt, maturè ac validis remediis occurriſſet, nunc libertate peſſima in imperio permiſſa Spiritum vertiginis inter Germanos regnare, & quot homines à Romana religione diſſident, tot ſectas eſſe, fluctuantibus in incerto opinionum ſalo ingeniis, & cum locorum mutatione pariter mutantibus, eam opportunam occaſionem à Deo oblatam videri, vt malo tēpeſtiuum remedium adhibeatur, diſſidētibus partibus, quæ bene cōuenientes difficilius ad officium reduci poſſent. Inprimis procurandum eſſe, vt concilium nuper Tridenti celebratum vbique in Germania publicetur: &, ſi per vniuerſam Germaniam nō poſsit, ſaltem in ciuitatibus quæ maiorum religionem retinent, promulgetur, & quoniam epiſcopi quominus diœceſanas Synodos celebrare poſſint, eo impediuntur, quòd Metropolitani, à quibus initium fieri debuit, nondum ſuas celebrauerint, agendum cum Moguntino ac cæteris archiepiſcopis, vti concilium Tridentinum in Synodis ſuis recipiant, vt eorum exemplo ſuffraganei in diœceſi quiſque ſua illud publicandum curent, monendum verò Colonienſem, vt confeſſioni iuxta Concilium Tridentinum promulgatæ, & in cuius verba tot aliarum Gentium epiſcopi, etiam in Germania plęríque iurauerunt, & ipſe ſubſcribat: ſi facere detrectet, cenſurę eccleſiaſticę ſubiiciatur, & Septemuirali dignitate abdicetur. Hæc prius ille Pontifex.

Is præterea prouidendum eſſe Cæſari volebat, quandocunque contigerit Magdeburgicum præſulem nuper electum fatis concedere, ne Septemuir Saxo in eam matricem totius Germaniæ Eccleſiam, vti iam in tres vicinos epiſcopatus fecerit, manus iniiciat, eandem de Argentinenſi epi-

ſcopatu ſollicitudinem eſſe debere: libros ſectariorum (eo nomine deſignans pontificiæ ſedis aduerſarios) & improbatæ lectionis quantum fieri poteſt prohibendos eſſe: pios vbique (nempe à Pontificiis ſcriptos) & publicandos cũ cura & diſſeminandos: præmia viris doctis à præſulibus opulentis proponenda, & ſeminaria vbique in ciuitatibus, iuxta cõcilij Tridentini præceptum, inſtituenda. Poſtremò, agendũ cum Cæſare ac reliquis Imperij principibus, vt quã primũ Palatini Septemuiri audacia, qui aliam à confeſſione Auguſtana in comitiis recepta amplectatur, & præſules vicinos tum in ditione ſua, tum alibi diuerſis vexationib. oppugnet, auctoritate imperiali coerceatur. Quod de Palatino addidit, non fruſtra fuit: nam Commendonus captata occaſione cũ videret Chriſtophorum Virtembergicũ & Volfgangũ Bauarum Bipontinũ infeſtis animis in Palatinũ ferri, qui pręter Romanẽſem & Auguſtanã cõfeſſionem, nullas alias in Imperio admittẽdas cõtẽdebãt, ita enim in Comitiis decretũ eſſe, Cæſarem adit, & vt tam commodã occaſionem Palatinum ex imperio expellendi minimè prætermitteret, admonuit. Cæſar habito ſuper ea re principũ cõſilio Palatino denũtiauit vt Septẽuiratu cederet, aut miniſtros verbi & orthodoxos Theologos ditione ſua excluderet. Ille verò heroica animi præſentia, prolatis in mediũ ſacris ſcripturis, & ſe Religionis veræ patronum digniſſimum, & nobiliſſimum Imperij membrum ita Cæſari, principib. & proceribus Auguſtæ cõgregatis, approbauit, vt quam aduerſarij multi ſperarant, ipſe præclaram retulerit victoriam, ditiones iuſtè à nõnullis vſurpatoribus vi repetitas cũ Religione verè Chriſtiana retinẽs. Præterea communis hoſtis, nempe Põtificis, aſtu fieri demonſtrauit, vt commiſſis inter ſe Imperij principibus, publica Germanię pax turbaretur. Auguſtus etiam Saxo Septemuir iam totus in bellum Grombachianum intentus, & qui vereretur ne turbata imperij quiete, hoſtes maiores animos ſimul ac vireis ſumerent, interceſſit, & cũ aliis principibus, qui Palatinum oppugnabant, manus coniungere recuſauit: itaque Pontificis, Commendoni, pontificiorum, & aliorum coniuratorum conatus, irritus euaſit.

Venerat ad comitia Cal. Maiis ad Cæſarem Bernardinus Bocatellus Redonum epiſcopus de nuptiis Caroli Francorum regis cum Elizabeta Auſtria Cæſaris filia acturus, à quo quinque poſt diebus (Hiſpanorum & Thomæ Perrenoti Chantoneti in primis, qui res Philippi Hiſpaniarum regis apud eũ procurabat, cõſiliis & violentia circumuento, reſpon-

reſponſum indignum iuxta & inſolētiæ plenum ſcriptis mādatū tulit. Poſtulabat.n. vt his cōditionibus matrimoniū expetitum contraheretur. Ante omnia nempe rex Metenſem, Tullenſem, ac Virodunenſem epiſcopatus, inſignia ſacri imperij Romani membra, in priſtinam libertatem ac eū ſtatū reſtituat, in quo ſteterant priuſquā ab Henrico regis parente occupati ac diſtracti fuiſſent, vt rex confeſtim, bona fide, ac ſine vlla diſſimulatione expreſsè renuntiet paci & amicitiæ principis Turcici, ſéq; Cęſari contra illū coniungat: atq; vt vniuerſo terrarū orbi de iſtiuſmodi coniunctione ac cōfœderatione certò conſtet, mox valida auxilia, in regnū Vngariæ deſtinet, eáq; in limite ſuis ſumptib. alat. Si contigerit vt inter Galliæ & Hiſpaniæ reges bellū oriatur, liberum ſit Cęſari cū Hiſpano iurium domus Auſtriacæ & Burgundiæ defenſionem ſuſcipere. Huic ſcripto viua voce Redonenſis paulò poſt reſpondit, conditiones quæ proponerentur, non matrimonij, ſed pacis leges videri, quæ victo à victore præſcriberentur; nec verò res Regis eò redactas eſse, quicquid Hiſpani iactitent, vt quiduis pati & facere cogatur, qui quidem extra matrimonij cauſam, cùm ſe belli Turcis inferendi occaſio obtulerit, vt primarium inter Chriſtianos reges regem decet, in ſumptum & periculi partem vltro venturus ſit: ſed nolle vt potius vxori ſuæ quàm ſibi Orbis Chriſtianus ob id obſtrictus ſit, nā alioqui æqualia omnia eſse, & dignum regem tali coniuge, eáque verborum modeſtia hactenus negotium tractatum, vt expetendum fuerit alia ratione ab eo diſcedi. Aliis poſtulatis quum abundè ſatisfeciſset Redonenſis, qui Hiſpanicas artes ſapienter detexit, dimiſsus eſt a Cæſare, qui poſtea Redonenſis animum ſimul & prudentiam laudauit, cùm ſe à Perrenoto & Hiſpanis deceptum intelligeret, nihil aliud molientibus, quàm vt rebus Gallicis, vel cum Cæſaris iactura, incommodarent, quod & Cæſar per Philippum Rheni Comitem, Gallis valdè addictum, qui aderat, Redonenſi non obſcuris verbis ſignificandum curauit, ita negotium illud omnino tunc intermiſsum, quadriennio poſt retractatum, ac tandem, omiſſis iſtis conditionibus, confectum eſt.

In iiſdem Comitiis Grombachius cum ſociis, qui Herbipolenſē epiſcopū interfecerant, vrbē ipſam poſtea intercepetant collecto exercitu, atq; hoſtiliter expilauerant, pacem publicā in Franconia turbantes, noua proſcriptione, omniū Imperij ordinū conſenſu aggrauati ſunt. Eo miſerat Joānes Frideric⁹ dux Saxonię, Grōbachij patronus legatos ſuos, inter hos præcipuū Henricum Huſanum Iuriſconſultum, virū

facundiſſimum, qui proſcriptorum negotium apud ordines ageret, & prioris proſcriptionis vrgeret abolitionem. Sed is, partim amicis diſſuadentibus, partim negotij pondere deterritus, Joanni Friderico, vt proſcriptos dimitteret, literis conſuluit, eúmque ſalutares monitiones ſpernentem deſerens ad alios tranſiit, quorum conſiliis imprudentem principem à concepta pertinacia abduci poſſe arbitratus eſt. Solutis Comitiis Cæſar in inſula Danubij nauibus conſcenſis Ratisbonam pergit, ac ciuibus in fidem receptis contendit Viennam. Cùm appuliſſet, die v. Junij, biduo poſt in Vngaria bellum furenter exarſit. Palotam Turcæ obſident, ſed pedem intra octiduum referre coguntur, copiis Cæſareanis ad auxilium obſeſſorum alacriter accedentibus, atque pridie Calendas Iulias Veſprinium oppidum cum arce partim aſtu, partim vi expugnant Maximiliani milites, trucidatis omnibus præſidiariis Turcis, qui paulò ante captiuorum ingentem numerum crudeliter necauerant. Baſſa Pertauus Juliam ciuitatem cum arce tandem obtinuit, Ladiſlai Keretſchinij perfidiâ, cuius ipſum paulò poſt puduit & pœnituit, ſerò nimis præſidiariorum reſpectu, qui à Turcis mactati ſunt. Paulò ante, nempe Auguſti xii. collecto potentiſſimo exercitu, Cæſar cum ſuis Viennâ mouit, Altenburgum, vicum duobus miliaribus Jauarino diſtantem, vbi copiis vniuerſis conuentus fuerat indictus. Iis præerat Ferdinandus Cæſaris frater, & dux totius exercitus. Suendius paulò poſt Tartaros 10000. fudit, Begorum Turcicorum altero interfecto, altero lethali plaga vulnerato, dein arces quaſdam expugnauit. Sequentibus diebus multis cladibus Turcæ attriti ſunt, nec tamen ab incepta Sigethi obſidione deſtiterunt, ſed tandem arcem, fortiter à Nicolao Comite Serinio, laude immortali digniſſimo heroe, multis Turcarum millibus in variis oppugnationibus tormentorum & gladiorum vi cæſis, defenſam, expugnarunt, Chriſtianis ferè omnibus & Comite ipſo interfectis: Solimano ante expugnationem in caſtris morte ſublato.

Tartari & Turcæ tunc victores, menſe Octobris & Nouembris tum Vngariam, tam Tranſſyluaniam miſerrimè depopulati ſunt. Nam etſi Selymus Solymani ſucceſſor Vngariâ diſceſſiſſet, Conſtantinopolin verſus, vt ſuis rebus maturè conſuleret; tamen Joannes Tranſſyluaniæ regulus, ad cuius auxilium Pertauus Baſſa cum innumero Tartarorum equitatu relictus erat, non quieſcebat. Tokaium anno ſuperiore ſibi ereptum obſedit, Jacobo Ramingero arcē fortiter propu-

propugnante. Dum in incœpto pergit, nūcius adeſt, Trāſſyluaniam igne ferróque à decem Tartarorum millibus deuaſtari. Obſidione relicta, Tartaros primùm monet, vt abeant quieti. Illi in incœpto pergentes, Joannem ad noua conſilia ſequenda cogunt: nam iuſta indignatione motus, eos adoritur ex improuiſo, atque circiter ſex millia latronum iſtorum trucidat. Superſtites auxilio Turcarum implorato, cladem hanc vlturi Vaiuodam Varadini obſident: quo loco, conſiliis hoſtium eluſis, clam egreditur, & ſatis valido exercitu contracto rurſus eos adoritur, atque ingenti ſtrage edita, 20000. nempe cæſis, innumeríſque captiuis miſerabili ſeruitute ereptis, Tranſſyluaniam pacauit. Reliqui Tartari cum Turcis & Valachis, primum in Ruſsiam, inde in Podoliam, excurrentes, omníque immanitatis genere ſæuientes, cùm Ruſſsiæ Palatinum in arce obſidere molirentur, ab ipſo cum validis copiis erumpente, ad vnum omnes occiſi ſunt. Tandem verò pax octēnalis inter Maximilianū Cęſarem & Selimum Turcarum Sultanum atq; Tranſsyluanum cōſtituta eſt ſub finem anni 1568. Ad Saxonicum bellum reuertamur.

Ad Januarij 1567. exitum, elector Auguſtus, bello Grombachiano præfectus, copiis ex militū & auxiliariorum concurſu auctis, Gotham, in qua Joannes Fridericus Saxo, Grōbachius & alij incluſi manebant, acceſsit, adiūctis Cæſareanis legatis, qui Maximiliani nomine nobiles, omnes ciues, ruſticos in vrbe & arce Gothana militantes, à fide & obediētia Joannis Friderici auocarent, eóſque à iureiurando mandati Cæſarei atque officij ſibi commiſsi vigore ſoluerēt. Auguſtus ſeriò illis iniunxit, vt ſtatim relicto Joanne Friderico, arcem Cæſareæ Maieſtati atq; imperio traderent, ea excederent, proſcriptos traderent, facultatum, honorum, vitæ priuationem non obedientibus denuntiās: Cęſarem, Imperij ordines, & ſe vt conſtitutum imperialis exercitus præfectum, rationes excogitaturos, quibus arcem ac ciuitatē Dei auxilio reducerent ad obſequium. Quo facto ipſos vt perduelles ac proſcriptos, paciſque publicæ violatores, quorum honos, vita, vitæ pręſidia in commiſsum inciderint, ferri flāmarúmq; ſæuitiam, omni gratiæ & miſericordię ſpe pręciſa ſenſuros. At obſeſsis reuocationes illas, & ducis Joānis Guilielmi Johanni Friderico ſubſtituti, petitiones ſpernētibus, Elector foſsis aggeribúſque cauatis, & caſtellis excitatis tā ꝓpe ad muros vrbis copias admouit, vt ab obſeſsis obſidētium voces exaudirentur. Quarto autem Aprilis die præſidiarij Gothani, finito trimeſtri iuramento, quo fidem ſuam

Joanni Friderico obſtrinxerant, denuò id efflagitatum præſtare noluerunt, vel quod cauſæ bonitati ac aduẽtui auxiliorum diffiderent, vel rerum omnium adminiſtrationem iniquiſſimam improbarent: vnde inter ſeſe cum oppidanis coniuncti Grombachium & alios proſcriptos comprehenſos ex area cum cancellario Chriſtiano Bruckio abreptos, in curiam ciuitatis deducũt: ac mox quid in vrbe factum ſit, Electori, qui tũc tẽporis aberat, ſignificant, Auguſto igitur aduẽtante, res eo deducta eſt, vt XIII. die Aprilis hora ſexta veſpertina, Johannes Fridericus in arce Gothana cuſtodię traditus, poſtridie Cæſari ſe dederet, petens à legatis ne abduceretur in Auſtriam, ſed vt apud Saxoniæ electorem relinqueretur. Eadem die & hora, nempe XIII. Aprilis circa ſextã pomeridianam ante XX. annos à Carolo V. Cæſare, pater Johannes Fridericus ſenior, proditus à ſuis, vt vulgò perhibetur, ad Mulbergum acie victus & captus eſt, & qua etiã ante octenniũ Melchior Zobelus Epiſcopus Herbipolenſis fraude Grombachij peremptus interiit. De proſcriptis ſumpta ſũt ſupplicia, Johannes Fridericus abductus, arx Gothana ſolo æquata, & exercitus dimiſſus eſt.

Hoc bello confecto Cæſar ne quid deinceps imperium detrimenti caperet vigilantiſſimè cauit, & dum Gallia & Belgium turbis ciuilibus vexantur, comitia Ratisbonæ indicit, in quib. de ſubſidiis belli Turcici & impenſis Grõbachianis agitur, menſe Maio. Sequente Auguſto impenſarum illarum rationem Erphordienſis cõuentus ad exactum calculum reuocat. Cęſar etiam veritus ne nouas turbas excitaret Johãnis Friderici captiuitas in Saxonia, eum longius à natali ſolo abſtrahendum eſſe, neceſſarium cenſuit. Ductus eſt igitur Viennam, paulò poſt euerſam Gotham, & ignominioſa põpa per vrbem traductus, effuſa, quamuis copioſiſſimo imbre ſuperueniente ad nouum ſpectaculum plebe. Præcedebant quinquaginta equites Norici, quos totidem Saxones ſequebantur: deinde octo qui ſigna verſa in terram deferebant. Quingenti circiter pedites currum apertum in quo vehebatur, ſtramineum pileum in capite geſtans, comitabantur. Ita variis anfractibus per celebriores vrbis plateas, vt plebis oculos paſceret, circumuectus eſt: inde Neapolin tranſlatus in quinquaginta armatorum cuſtodia, domeſticóq; comitatu admodum exiguo: additum tamen poſtea eſt Cæſaris indulgentiá nouum famulitium. Dein pro eo miſſis oratoribus, Moguntinus, Treuirenſis, Brãdeburgenſis Septemuiri, vniuerſa Bauarorum Palatinorum familia, Virtembergicus dux,

Land-

Landgrauius Vilhelmus, Cliuenſis dux, Badenſis Marchio & Hennebergenſis comes deprecati ſunt apud Cæſarem, vt clementiæ ac lenitatis memor ſupplici captiuo ignoſceret, proprio quidem errore, ſed aliena potius culpa, quam ſua, lapſo: hoc daret decori familiæ, & Principum gratiæ qui pro eo intercederent. Ad has preces ſcripto comprehenſas ſcripto reſpondit Cæſar, & excuſauit ſe, quòd petitionibus eorũ in præſentiarum ſatisfacere non poſſet: nam in hac cauſa non ſuam, ſed publicam imperij cauſam verti, & cùm quotidie de nouis machinationibus afferatur, reipublicæ intereſſe, vt eos in poteſtate habeat, qui de illis ſuſpecti ſunt, tãtiſper dum motibus animorum ſedatis metus omnis armorũ ac ſuſpicio euaneſcat. Ita dimiſsi oratores, à quibus impetratum, vt captiuus laxiori cuſtodia teneretur.

Eodem ferè tempore, Cæſar, princeps ſapientiſsimus, conſcientiis iugum imponere detrectans, poſt multa Auſtriacorum Euangelij doctrinam expetentium, vota & poſtulata, duobus ordinibus, dynaſtis nimirum & nobilibus Archiducatus Auſtriæ liberam doctrinæ in confeſsione Auguſtana expoſitæ prædicationem, in eorum arcibus, oppidis & pagis permittit: hac tamen conditione, ſi de ordine rituum ſeu agendorum in templis, cùm vetuſtiſſimarum Auguſtanæ confeſsioni adiunctarum Eccleſiarum exemplo congruente antea conueniant. Octobris XVI. regis Galliæ legato conquerenti de turbis in potentiſsimo regno exortis ob religionis variam profeſsionem, Cæſar prolixè reſpondit, ſe conſultiſsimum cenſere, vt inirentur rationes, quibus Chriſtiano ſanguini parceretur, & inter regem eiúſque ſubditos mutua concordia firmáque pax ſanciretur, adeóque illi regno ante florentiſsimo reſtitueretur priſtina tranquillitas: Satis ſupérque infidelium armis, continuis incurſionibus atque immenſa potentiâ Chriſtianorum vires attritas, nec opus eſse domeſticis motibus eas amplius affligere. Princeps ſapientiſsimus parentis ſui Ferdinandi mentem induerat, nempe à religionis negotio ſecures & flammas remouẽdas eſſe, regémque Galliæ ad mãſuetudinem erga ſubditos frequenter hortatus eſt, eóſque probabat maximè, qui piis votis, colloquiis placidis, diſputationibus amicis, conciliis denique nationalibus, vel œcumenicis, remoto factionum ſtudio & partium odio, rem gerendam arbitrabantur, quod conſilium etiam patri inſtillauerat, vt in Ferdinando diximus: nec reticuit, quinimo grauiter aperuit Henrico

III. ex Polonia redeunti anno 1574. vt regnum Galliæ, mortuo Carolo fratre, capeſſeret.

Sub anni 1568. initium Fuldenſis conuentus multis Germanorum millibus in exteram militiam proficiſcentibus, ac finitimis regnis tumultuantibus, de rationibus conſilia habuit, quibus pax publica, regionis & politiæ reſpectu, in Germania confirmaretur. Fridericus III. Palatinus Elector, menſe Februario ingentem pecuniæ vim à nonnullis mercatoribus Italis ſecũdo Rheno Manheimij importatã, vigore decreti Cæſariani retinuit. Inde Albani ducis & Hiſpanorum ex Belgio querelæ, literæ, minæ, quas Elector publico iure fretus magno animo neglexit, nec Cæſar facti ęquitatem agnoſcens amplius ſcrutatus eſt. Circa Maij initium, copiis quas Joannes Caſimirus Palatinus, & Joãnes Gulielmus Saxo in Galliam duxiſſent, patriam repetentibus, fecialis atq; legati Cæſaris & Electorum, priuſquam Germaniæ fines contingerẽt, obuiam mittuntur, iis edicentes, vt ſignis conuolutis turmatim non gregatim Germaniam ingrederentur. Bellum & hoc anno habuit Germania, ſed quod in ortu ſuo mox extinctum eſt. huius origo fuit quod archiepiſcopi Treuirenſes ciuitatem ſibi nullo medio ſubiectã eſſe cõtenderẽt, & proinde in ea obſequij abſoluti iuramentum, vectigalium impoſitionem, ſenatus conſtitutionem, cuſtodiam clauium, executionem ſententiarum, & cauſarum criminaliũ diiudicationẽ ſibi arrogarent, quæ omnia oppidani conſuetudine vel præſcriptione per poſſeſſionem quaſi temporis ſibi competere cauſſabãtur. Tunc Jacobus Elſius Treuirorum præſul erat, qui iniuriam deceſſori ſuo ea in re factam vlturus, clã machinas bellicas maiores ex arce ſua Ermebreſtenia in cellam Palatinam per Moſellam tranſuehi curat, ope equitum Germanorum quos Philippus Rheni comes regis nomine conſcripſerat, duce Antonio Elſio patruele. Tunc, nempe Junij x. die in oppidanorum nihil tale metuentium greges & armenta impetum facit, iiſque abactis, Auguſtam Treuirorum intercluſo omni commeatu corona cinxit: & quantumuis interim mandatum de ea ſoluenda obſidione ab imperiali Camera Treuirenſes impetraſſent, per duos menſes obſidio cõtinuata fuit, nempe à IIII. Id. Junij vſq; ad v. Id. Sextiles, quo die hora octaua pomeridiana poſt ſolis occaſum, ſed cælo ſereno, Cyprianus Leouitius clariſsimus aſtrologus tres lunas vidit, & per tres horas quadrãtes notauit, quarum media vera luna fuit, vero & natiuo, hoc eſt mutuato à Sole lumine, fulgens, cæteræ in gyrum ductæ

ductæ nonnihil rubicundæ quaſi ſanguine ſuffuſæ, partim albeſcente circulo, partim cæruleo & interiore cruento apparebant. Cùm verò Cæſar & Rhenani Septemuiri ex prodigio illo vbique diuulgato, tum ex bello Treuirenſi excitato magnam imperio malorum molem impendere præſagirent, maturè per legatos, inter quos Hermanni Eppingeni Palatini Septemuiri oratoris præcipua induſtria & diligentia emicuit, cum præſule & oppidanis egerunt, & principum interuentu poſt multas hinc inde altercationes tandē inter eos tranſactum fuit, his conditionibus, vt præſul cautione data, nihil moleſtiæ aut damni oppidanis inde creatū iri, cum armatis, qui legato Cæſareo fidem obſtringerent, in vrbem admitteretur & ciues ita ſe erga eum gererent, vt ei diutius apud ipſos immorari neceſſe non eſſet, de iuribus inter partes controuerſis lis ordine & ſecundum iuris receptam in imperio formulam terminaretur. Ita honorificè, quod ad Treuirenſem, nec ſine oppidanorum grauamine, pernicioſi belli initiis, tam vicino Belgio, quod pariter cum Gallia luctuoſis flammis ardebat, Cæſaris ac cæterorum principum prudentiâ finis eſt impoſitus.

Dum in Belgio & Gallia Hiſpani, & alij inſaniunt, Germania ſub Cæſaris vmbra deliteſcens pace læta fruitur, & de Cæſare ſuo ſecundum Deum cuncti canunt plenis buccis, Heros maximus nobis hæc otia facit. Ille verò, quum paulò ante mēſem Junium anni 1570. Spiræ comitia indixiſset, eò cum Auguſta coniuge, tribus filiis & duabus filiabus quarū altera Hiſpaniæ, altera Franciæ regi deſponſata, venit. Multa in his comitiis conſtituta ſunt, ad pacis publicę conſeruationem. Cæſar in Galliam miſſa Elizabeta filia, Mariam per Rhenum in Belgium cum Alberto & Wenceſlao dimittit, inde in Hiſpanias ad Philippum deducendam. Comitiis ſolutis ſub anni finem bellum decennale inter Daniæ & Sueciæ reges Stetini Pomeraniæ conditionibus æquis fuit cōpoſitum. Tunc temporis igitur Cæſar gloriá circumcinctus domi & foris, placidè imperium adminiſtrabat. Annis autem 1571. & 1572. funera multa in Anglia, Italia, Gallia, Belgio, vidit, fidis nuntiis & relationibus edoctus generóſque ſuos reges ad molliora cōſilia deducere, ſed fruſtra, conatus eſt. Quæ ad Principum Germanorū & aliorum honorem pertinebant, procurauit ſedulo. Rodolphus eius primogenitus rex Vngariæ coronatus eſt, xxv. Septembris CIƆ IƆ LXXII. & paulò poſt viſa eſt noua ſtella in ſidere Caſsiopeę, de qua multi multa ſcripſerunt. Hæc cùm immota

diutius anno conſtitiſset, ſub initiū anni CIↃIↃ LXXIV prorſus euanuit. Idem Rudolphus coronatur rex Bohemiæ anni ſequentis menſe Septembri, & Principum conſentientibus votis Romanorum rex electus eſt atque coronatus Ratiſbonæ, menſe Nouembri, annum agens vitæ XXIV. Hic vberrimæ narrationes occurrūt in hiſtoriis vario idiomate ſcriptis, quæ vt ſummas Europę extra Germaniā miſerias depingunt, ita feliciſsimum imperij ſtatum ſub Maximiliano tūc XLVIII. annos nato demonſtrant, non ſine ſpeciali quadam ac planè extraordinaria Numinis erga clementiſsimum principem benignitate. Dum enim Turcæ in Cypro, Hiſpani in Belgio, Galli aduerſus ſuos conciues armati lanienis horrendis coram Deo & hominibus indelebilem immanitatis notam ſibi inurunt, Cæſar vt bonus paterfamilias ſuorum quieti proſpexiſſe cenſetur.

Legationem Moſcouiticam audiuit menſe Julio CIↃIↃ LXXVI. Ratisbonæ poſtremum ſuum in terris conuentum tunc celebrauit, & piè obiit, XII. Octobris, circa horam decimam antemeridianam, anno ætatis XLIX. menſe II. die XII. cum præſente filio Rudolpho decreta conuentus in palatio ſenatorio publicarentur, atque nomina Principum, qui ſubſcripſerant recitarentur. Reliquit maximus ille Maximilianus ſuæ ſapientiæ, pietatis & virtutis memoriam honeſtā & optimo imperatore digniſsimam. Patriarchæ Abrahami, grauiſsima tentatione oppugnati, Symbolum, DOMINVS PROVIDEBIT, vt plurimum in ore habuit, eos grauiter increpans, qui fortunam conſtituebant deam, cæloque locabant. Præſertim verò damnabat Principes qui fidei ſubditorum dominantur: nec peccatum grauius eſſe aſſerebat, quàm conſcientiis iugum imponere velle. Nam qui (inquiebat) animas torquere conantur, dum cælum ambiunt, amittunt terram. Piis diſceptationibus de articulis qui beatam & æternam vitam ſpectant, maximè gaudebat: & quum vir nobilis ei gratularetur quòd annum XLIX. climactericum ſuperaſset, mihi (reſpondit) anni omnes ſunt Climacterici. Religionis controuerſias ardentibus votis, conſultationibus & priuatis colloquiis cupiebat extinctas, atque ſapientes viros arceſsebat, vt eorum ſententias de tanto negotio colligeret. Innumera extant manſuetudinis eius erga hoſtes ſuos exempla, fideles ſeruos ſingulari quadam charitate cōplectebatur, proceres & principes viros multa reuerentia proſequutus heroico ingenio animique robore inuicto prędituſ ſemper apparuit, intēperantiæ inimicus, philoſophiæ

natu ralis

naturalis ſtudioſus, linguarum multarum notitia, exquiſito iudicio, tenaci memoria ornatus, eloquens, grauis in dicendo numeroſúſque, æquitatis & liberalitatis cultor, auaritiæ cenſor acerrimus, agriculturæ præſertim hortenſis amans. De ſacris Scripturis, de animarum immortalitate, de vita æterna, de mortuorum reſurrectione frequenter diſſeruit, & peculiares de his Capitibus Chriſtianæ doctrinæ libellos ſæpiſſimè legit. Cum Auguſta Maria, Caroli V. filia, patrueleſua, vixit XXIX. annos, quam & vnicè atque perſeueranter dilexit. XVI. liberos ex eadem ſuſcepit, nouem aut decem ſuperſtitibus relictis, nempe Rudolpho, Erneſto, Carolo, Alberto, Wenceſlao, Maximiliano, Matthia Maria, & Elizabetha. Cum annis XII. bono omnium Auguſtus imperaſſet, animam beatus beatorum Deo reddidit XII. Octobris. XXVI. die menſis eiuſdem Fridericus III. Rheni Palatinus, Septemuir, imperij archidapifer, princeps pius, pacificus, ſapiens, inter pias meditationes, adlocutiones & preces migrauit ad Chriſtum. Tunc flere non potuit, oculis ſuis orbata Germania.

RVDOLPHVS II.

MAXIMILIANI II. Rudolphus II. filius & ſucceſſor, diuturnæ pacis bellorúmque in Vngaria & adiacentibus prouinciis contra Turcas geſtorum tempore, res Germanię & ſubditorum per legatos in magnam tranquillitatem perduxit. Viennæ natus 18. Julij 1552. Imperium inchoauit circa finem Octobris 1576. reliquit moriens 10. Januarij 1612. Pragæ.

Anno 1577. & ſequentibus inferior Germania præſertim, grauiſſimo bello concutitur: ſuperior quieſcit ad annum 1583. circa cuius initium Gebhardus Truchſeſius, Colonienſis archiepiſcopus & elector, ducta vxore Agnete Johannis Georgij comitis Mansfeldenſis filia excommunicátur à Gregorio XIII. R. P. In eius locum ſuffectus eſt Erneſtus, Alberti Bauariæ Ducis filius, qui armata magnáque manu archiepiſcopatum & electoratum Colonienſem, fugato Gebhardo, occupauit.

Induciarum prorogatio inter Rudolphum Cæſarem & Amuratem III. Turcicum Sultanum à Cal. Jan. anni 1584. ad ſequens decennium abſolutum, eſt inſtituta. Sed anno 1588. Chriſtianorum exercitus contra Turcas in Vngaria ſuperiore prope Sixum oppidum, die 8. Octobris feliciter dimicauit. Germani enim & Vngari milites, quorum numerus 1072. homines non exceſſit, congreſſi ſunt cum decem millibus Turcarum, ex quibus cæſi ſunt 2000. totidem ferè capti, alij in nemoribus ac ſyluis latentes à ruſticis ſunt interfecti. Ex Chriſtianis deſiderati 370. præcipuè Germani, quorum maior pars Sileſij fuére, fortiſsimi bellatores.

Menſe Januario anni 1589. ineuntis pacis fœdus initum eſt inter Cæſarem & Polonum, vnde ſequuta eſt Maximiliani Auſtri, Rudolphi fratris liberatio circa Julij finem. Pace autem inter Turcas & Perſas conſtituta, bellum Vngaricum annis ſequentibus inſtauratur, Cæſare vt antea, poſt etiam in arce Pragenſi deliteſcente, & adminiſtrationis rerum curam primariis relinquente. Fuit enim princeps placidus, pacis & otij amans, qui gemmarum & huiuſmodi deliciarum contemplatione, collectione, & artificioſa diſpoſitione, mirificè delectatus eſt, Martis artibus valere iuſſis, per legatos tamen & belli duces, Vngariam, Bohemiam, Auſtriam, & alias prouincias multos annos fortiſſimè protexit.

Argentinenſis belli initia menſe Maio, ann. 1592. Turcæ autem paulò poſt ex Boſna magnis copiis progreſsi, Wihitzium elegantiſsimum Croatiæ oppidum, vnà cum arce munitiſsima, ex inſperato aliquandiu obſeſſum & oppugnatū, die 19. Junij deditione occupant, nondum finitis anni 1584. induciis. Inde noua cladium facies, Croatia vaſtata menſe Auguſto, Septembri autem Boſnenſis baſſa, iuſto exercitu inſtructus, Siſſecki arcem & monaſterium ad Saui & Colapis confluentem arctiſsima preſsit obſidione, ſéxque dierum ſpatio ingenti tormentorum bellicorum fulmine indeſinenter conquaſſatam oppugnauit. Verùm heroica Nicolai Miccacij Abbatis eiúſque præſidiariorum virtute repulſus, compluribúſque Turcis deſideratis, non ſine dedecore canere receptui coactus eſt.

Anno autem 1593. die 22. Junij memorabili prælio, collatis ſignis, manus conſeruerunt ad Siſſeckium in Croatia Turcæ & Chriſtiani. Exercitus Cæſareanus vix 4500. Vngaris & Germanis conſtans militibus, è præſidiis vicinis collectus,

lectus, viginti Turcarum millia profligauit victoriámque è cœlis delapſam obtinuit; Hazane Baſſa Boſnenſi, Giafero bego Zernikenſi, Sinane bego Cliſſenſi, nonnulliſque aliis præcipuis begis ſeu prouinciarum præfectis & belli ducibus, ſelectiſſimorum item militum Turcicorum octodecim millibus ferro globuliſque ſcloperorum ad internecionem cæſis, aliis Odecæ & Colapis rapidiſſimorum fluminum vorticibus in fuga abſorptis, Cæſareanorum vix quinquaginta deſiderati ſunt. Parta hac victoria Siſſeckium liberatum, menſe Auguſto ſequentis anni, nempe 1594. Turcæ denuò occupant. Sinan baſſa, ducto ex Thracia milite, ſub finem Septembris Vngariam ferro & igne vaſtare cœpit, Veſprinio expugnato, Palotta deditione capta. Albam Regiam Cæſareani fruſtra tentant. Hazanes autem baſſa Budenſis, obſeſſos Abbæ regiæ incolas liberaturus, cum fortiſsimis viginti millium prætorianorum militum cohortibus approperat. Sed à Cæſareanis, octo millibus exceptus, die 3. Nouembris profligatus eſt, in acie cæſis præſidiariorum & aliorum militum Turcarum millibus multis, dein alii, qui fuga ſibi conſulere cupientes, in locis paluſtribus ſuffocati, vel lethalibus vulneribus percuſsi perierunt. Cæſareani ducenti læſi, & fortiter pugnantes, deſiderati ſunt.

Chriſtophorus Teuffembachius, ſuperiorum regni Vngariæ partium pro Cæſare Capitaneus generalis, & Caſſouienſis Præfectus, adductis ſecum circiter viginti mille militibus, in vicinam Turcarum regionem impreſſionem faciens, die decimoſexto Nouembris Zabatikam arcem aggeribus & foſſa profunda egregiè firmatam, præſidiariis omnibus interfectis expugnauit, die verò 27. eiuſdem menſis, (cùm biduo ante Beglerbegi Græciæ, Baſſæ Budenſis, & Temeſvuarienſis auxiliares copias, caſtra Germanorum & Vngarorum hoſtiliter inuaſuras, ad internecionem deleuiſſet) Fileckum arcem, tum loci natura, tum opere humano inſigniter munitam, incolis & præſidiariis Turcicis dimiſſis, occupauit: & paulò poſt vndecim alias arces diuerſis annorum ſuperiorum interuallis Turcarum imperio ſubiectas, & vltra 30. annos ab iiſdem propugnatas, trium hebdomadarum ſpatio vna hac expeditione recuperauit, multa Chriſtianorum millia ex ſeruitutis triſtiſsimæ & tyrannidis immaniſsimæ iugo, quamplurimis Turcis interfectis, & octingentis pagis tributariis ſubactis liberauit, atque præda opima potitus eſt.

Nouigradum in Vngaria ſuperiori à Matthia Archiduce Auſtriæ decimo die menſis Martij anno 584. expugnatum. Eodem menſe Breſenza, Suzinum, & Segeſtum arces Vngariæ inferioris non procul Caniſia diſtantes a Comite Serinio & Nadaſtio expugnatæ & euerſæ ſunt. Fruſtra autem Cæſareanus exercitus duorū menſiū ſpatiū obſedit & oppugnauit Hatvvanum munitiſſimum Turcarum propugnaculum in Vngaria. Mahumeres Græciæ Beglerbegus, Baſſæ item Budenſis & Temeſvvarienſis, Hatvvani obſidionem ſoluturi, copiarum ſuarum armis, multitudine & viribus confiſi, Cal. Maij in campo Turano cum Germanorum & Vngarorum turmis congrediuntur, & poſt acerrimum conflictum profligantur, exercitúſque ipſorum, aliquot Turcarum millibus cæſis, diſſipatur. Matthias collecto magno & florenti exercitu, ſub idem tempus Strigonium obſidione cingere & oppugnare cœpit. Verùm poſt multos conatus, non ſine graui Cæſareanorum damno, obſidio illa metu Sinanis Baſſæ, valido exercitu ex Aſia miſſo, aduentantis, rurſum ſoluta eſt ſub finem menſis Iunij.

Sinan Baſſa Tattam arcem duobus Comarâ milliaribus diſtantem, die 21. Iulij, & triduo exacto caſtellum Montis S. Martini oppugnauit atque deditione occupauit. Iautinum, vulgo Raab, præcipuum non tantùm Vngariæ, ſed vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ aduerſus Turcas propugnaculum, duorum menſium interuallo à Turcis obſeſſum & oppugnatum, ſub finem Septembris à Ferdinando Comite Hardeccio, arcis præfecto, permiſſa ſibi ſuíſque vitæ incolumitate, vnà cum omni apparatu bellico Sinani baſſæ traditur. Iaurino dedito, Pappa quoque à præſidiariis Vngaricis incenſa & deſerta, in manus Turcarum Calend. Octobris peruenit. Sed Comara, arx ad Danubium munitiſſima, Eraſmi Braun præfecti ſui virtute, præſidiariorum item militum armis fortiſsimè defenſa contra Sinanem, Turcæ ad ſoluendam obſidionem compulſi ſunt circa diem 13. Octobris.

Anno 1595. Cæſar cum Sigiſmundo Bathoreo Tranſſyluaniæ & Walachiæ Principe, Aarone Moldauiæ & Michaële Walachiæ Tranſalpinæ Regulis, fœdus aduerſus Turcas certis conditionibus iniit menſe Februario. Sub eiuſdem menſis finem Tartari ex Vngaria reditum per Moldauiam in patriam ſpoliis ampliſsimis onuſti parantes, in Moldauia prope oppidum Oriſſog ad Neſtrum fluuium ſupra Tehypiam, à Tranſſyluanis & Walachis cæſi, liberatis 4000. Chriſtianis captiuis, prædâ ſuâ ſunt exuti, ipſum deinde oppidum

pidum vaſtatum, & Hazanes Baſſa Tartaris ſuppetias laturus, poſt acerrimum conflictum, non ſine mediocri Tranſſyluanorum clade, fuſus & profligatus eſt.

Albertus Kyralius, exercitus principis Tranſyluaniæ in Walachia Tranſalpina præfectus, traiecto Danubio die 16. Martij, in tria millia Turcarum incidit: quibus maxima ex parte cæſis & profligatis, plurimiſque vnà cum vexillis captis, Dertzor oppidum Bulgariæ igne iniecto incendit & deſtruxit: ac die ſequenti Danubium remeans Brailouiam arcē ad huius fluminis ripam, manu armata occupauit.

Smyla oppidum in finibus Moldauiæ magnum & opulentum, ad Neſtrum fluuium, non procul à Ponto Euxino ſitum, ab Andrea Bargay, copiarum Tranſſyluanarum Præfecto die 22. Martij, vnà cum arce validiſsima expugnatum, 2000. Turcis cæſis, tormentis grandioribus plurimis captis occupatum, & præſidio 2000. Walachorum munitum eſt.

Carolus Mansfeldius Pragæ à Rudolpho Cæſare conſuetis ceremoniis equitis Aurati dignitate, titulo principis Imperij Romani, die 28. Aprilis inſignitus, & Vicarius Matthię Archiducis (qui ſupremus Cæſarei exercitus contra Turcas Imperator conſtitutus erat) creatus eſt. Aaron Moldauię Vaiuoda, ob proditionis ſuſpicionem captus, eique Stephanus Roſvvanus Tranſyluanus in Moldauiæ dominatu ſubſtitutus eſt.

Circa Iunij initium Tartari in Vualachiam & Tranſyluaniam irruentes à limitaneis præſidiis cæſi ſunt. Paulò poſt Ferhates Baſſa propè Nicopolim cum ſuis copiis prælio deuictus, & ipſa vrbs vaſtata eſt. Ferdinandus autem Comes Hardeccius, Iaurinēſis arcis præfectus, perfidiæ erga Cæſarē conuictus, manu dextra ferro priùs amputata, capite truncatur Viennæ Auſtriæ, vnà cum Nicolao Berlinio Lotharingo, vigilum Laurinenſium præfecto, 15. die Iunij. Mansfeldius Calend. Iulij Strigonium obſidet. Barbotzca Sigetho 5. milliaribus diſtans à Cæſarianis militibus capta eſt 30. Iulij.

Mahumetes Græciæ Beglerbegus, Sinanis Baſſæ filius, ſelectiſsimo 15000. Turcarum exercitu obſeſsis Strigonienſibus laturus opem, die 4. Auguſti à Carolo Mansfeldio propè Strigonium fortiter profligatus & in fugam compulſus eſt: ita vt Turcarum (inter quos Oſmanes Baſſa Iaurinenſis cum ſex begis fuit repertus) 5000. cæſis, ſignis militaribus 27. vnà cum duobus begis captis, Turcica caſtra cum opimis ſpoliis Cæſareanis ducibus & militib. remanſerint. Ex horum numero vix quinquaginta cæſi perierunt.

Achmetes,baſſa Temeſvuariſenſis,cum 8000.militibus à Tranſſyluanis die 13. Auguſti prælio ſuperatus,& amiſſis aliquot millibus ſuorum,begíſqueduobus captis,aufugit,arce Fachiat à victoribus occupata. Die 23. eiuſdem menſis in Walachia Tranſalpina commiſſum eſt prælium inter Sinanem(qui ponte nauali ſtructo Danubium traiecerat, atque illam prouinciam ſub iugum Turcicum reducere conabatur) & coniunctas Walachorum ac Tranſſyluanorum copias,Turcicis longè inferiores. In quo,cum tribus conflictibus,dubio Marte, quaſi de ſumma rerum,acerrimè dimicatum fuiſſet, Tranſſyluani tandem facti ſuperiores Sinanem, millibus aliquot Turcarum, nec non Mahumete baſſa cæſis, tormentis & ſignis pluribus captis, cum reliqua fuga exercitus in fugam coniicerunt.

Strigonium certis cõditionibus Matthiȩ Archiduci deditum,1. die Sept. Eodem die Albertus Kyralius,cuius antea mentio,Lippam arcem validiſsimam Turcis vi ad deditionem coactis occupauit.Cæſaris copiæ Vizzegradum arcem in altiſsima rupe ſitam,ſupraBudam,probéque munitam die 21.Septembris expugnarunt:Petriniam quoque Croatiæ caſtellum ad Colapin & Craſtouiziam die 24.menſis eiuſdem occuparunt. Tartarorum 70000.exercitum,mandato Amuratis in Moldauiam ingreſsum, Johannes Zamoiſcius, regni Poloniæ Cancellarius,exercitu 10000.militum comitatus feliciter repreſsit, die 18.Octobris,ita vt aliquot Tartarorum millibus cæſis, reliquorum dux inducias petere,pacẽ perpetuam regno Poloniæ,ſub iuramento promittere,& cõceſſo Jeremiæ Mogilæ Moldauiȩ dominatu intra 25. diem eiuſdem menſis regione illa excedere fuerit coactus.

Maximilianus Archidux Auſtriæ quinque arces intra Solnokum verſus Gyulam ſitas occupauit eodem menſe. Tranſſyluanorum & Varadienſium copiæ, die 23.Geneam ſuperioris Vngariæ propugnaculum, non procul à Gyula, deinde vndecim alias arces deditione paulò poſt facta occuparunt. Sigiſmundus autem Bathoreus Tergouiſciam Walachiȩ Tranſalpinȩ Metropolim & Vaiuodȩ ſedem, ex qua biduo ante Sinan & Hazanes baſsȩ Buckareſtum profugerant,die 18. Octobris, ſub veſperam expugnauit,& cȩſis vltra 600 præſidiariis, horum prȩfectos & quoſdam Turcicos proceres captiuos fecit.Biduo poſt arcẽ a Sinane baſsa defectam & incẽſam,nempe Buckareſtum, abſque vllo ſuorum ſanguine recuperauit; & 30. Octobris aliam arcem nomine Zorgam, ad inſulam Danubij munitiſsimam, tridui obſi-

obſidione, quinque millibus Turcarum partim cęſis, partim in Danubio ſubmerſis, magna captiuorum Walachorum multitudine liberata, expugnatam ſibi ſubegit: Sinanem cum ſuperſtite exercitus parte Walachiâ eiecit, prędámque ampliſsimam adeptus eſt.

Stephanus Roſtuanus, Moldauię Vaiuoda, dum regionis illius dominatum, quo non multò ante à Polonis pulſus fuerat, recuperare conatur, à Jeremia Mogila Moldauorũ Principe & Coſaccis, menſe Decembri, multitudine ſuperatus, exercitu ſuo partim cęſo, partim in fugam acto, ipſe captus & palo viuus adfixus eſt.

Anno 1596. ſub finem menſis Januarij Achmetes baſsa Temeſvuarienſis, cum ſuo comitatu à Tranſſyluanis cęſus occubuit. Cliſſa arx Dalmatię, ſitu & opere munitiſsima, à Zenganis & Croatinis militibus ſtratagemate militari Turcis erepta eſt, die 7. Aprilis, quam poſtea die 31. Maij, cęſis Zenganorum & Croatorum copiis, cuiuſdam Dalmatæ proditione recuperarũt. Lippa menſe Maio à Turcis & Tartaris oppugnata, ſed irrito conatu, oppugnantibus fortiſsimè repulſis & propè Temeſuuanum profligatis. Zambocum verò Caſtellum à Strigonienſibus militibus ferro & igne, die vigeſimooctacto Maij expugnatum, & Turcis trucidatis deſtructum eſt.

Vaciam arcem infra Nouigradum, non procul à ripis Danubij, copiæ Cæſareanæ, Turcis expulſis, vnà cum arce, die 22. Julij occupant. Temeſuuarum vrbem & arcem Vngariæ pręcipuam, Tranſſyluanus adducto exercitu caſtriſque admotis menſe Junio aliquot dierum ſpatio obſedit, muróſq; vi tormentorum grauiter conquaſſauit. Verùm multis Tartarorum millibus præter ſpem & opinionem occurrentibus, & caſtra ipſius à tergo inuadentibus, à cœpta vrbis oppugnatione deſiſtere, Tartaríſq; obuiam ire coactus eſt. Quos etiam feliciter à caſtris pulſos, diſsipauit, & in fugam coniecit: ſed re infecta diſceſſit ab obſidione.

Hatvuanum arcem in Vngaria ſuperiori ſatis amplam, ſitúque & opere probè munitam Maximilianus Archidux, die tertio Septembris vi expugnat, atque in primo feruore 2000. Turcas trucidat, multaque prædâ potitur. Verùm commeatu deficiente, & ruinis longum temporis ſpacium ad inſtaurationem petentibus, Vngari milites Hatvuani defenſionem ſuſcipere recuſarunt. Vnde factum, vt altero poſt Maximiliani diſceſsum die, arx illa à militib. deſerta, 9. Sept.

ipſius Archiducis mandato, ſolo æquata fuerit. Petrinia Croatiæ arx, coniunctis Chriſtianorum copiis, ab obſidione Turcarum, 20. Septembris liberata, exercitu obſidentium fuſo fugato.

Agria arx & propugnaculum Vngariæ ſuperioris munitiſſimum, & epiſcopali ſede nobilitatum, cùm à Mahomete III. Turcarum Imperatore, trium hebdomadarum interuallo, exercitu 150000. militum obſeſſum, indeſinenter oppugnatum, & tormentis maioribus concuſſum, propugnacula etiam aliquot ſuffoſſa, pyrióque puluere ſubdito diſiecta fuiſſent: tandem poſt frequentiſſimas impreſſiones in quibus 20000. Turcæ ſunt interfecti, à militibus præſidiariis, inuitis prorſus & reclamantibus, imò deprecantibus præfectis Turcarum Sultano, promiſſa iiſdem vitæ incolumitate, die 12. Octobris deditum eſt. Verùm præſidiarij à Turcis contra fidem datam plærique cum liberis & vxoribus ſuis crudeliſſimè trucidati, præfecti autem capti, poſtea miris modis liberati ſunt.

Archidux Maximilianus Cæſareani exercitus Imperator, adiunctis ſibi Tranſſyluanorum & Vngarorum copiis, cum Mahomete III. Turc. Sultano, prælio ad rudera pagi Kereſteſch non procul ab Agria, die 26. Octobris, dimicauit. In quo etſi victores primo congreſſu extiterunt Chriſtiani, qui multis Turcarum millibus trucidatis, reliquos ſecundo conflictu vnà cum ſuo duce primario in fugam cōpulerunt, & vſque ad caſtra Mahometis penetrarunt: attamen cùm plerique militum contra ſeueriſſimum Archiducis Maximiliani edictum, ruptis ordinibus, rapinis incumberent, & in caſtris Turcicis prædas agerent; Panico quodam terrore perculſi, in fugam ſubitaneam (ex qua nonnulli, ſed pauci, præfectorum eos nec minis nec precibus reuocare vel retrahere potuerunt) ſeſe effuderunt, exigua admodum Turcarum & Tartarorum manu eos inſequente. Vnde factum, vt plures equorum vngulis in fuga proculcati, quàm ab hoſtibus ipſis trucidati perierint: atque ita nō minima victoriæ conſequutæ pars amiſsa fuerit. In primo & altero prælio Chriſtianorum quinque vel ſex millia vitam amiſere, Erneſtus & Auguſtus fratres, Holſatiæ duces, plurimíque tam peditum quàm equitum præfecti fortiter pugnantes cæſi occubuerunt: Turcæ verò ad duodecim millia interfecti fuerunt. Cruentæ aliquot velitationes die 22. 24. & 25. Octobris inter Cæſareanos & Turcas habita prælium præceſſerunt, ad locum quendam paluſtrem è regione pa-

gi Kereſteſch, quem Turcę quidem occuparunt: ſed tam potenter a Cæſareanis repulſi ſunt, vt duobus Baſſis cum magna militum multitudine cæſis, ſigna quadam militaria, & quadraginta tria tormenta bellica amiſerint. Circa Nouembris initium Turcæ & Tartari ex illa pugna ſuperſtites, in Bulgaria circa Neapolin à Michaële Walachiæ Tranſalpinæ Vaiuoda cæſi, profligati; ac præda, quam auferebant, ampliſſima exuti ſunt.

Anno 1597. die 22. Maij Tattam Vngariæ arcem Nicolaus Palfius, Baro, Franciſcus comes Nadaſtius, & Johannes à Berſtain Baro Bohemus, Cæſareanarum copiarum duces, porta noctu tormento bellico rupta, ſine vlla ſuorum clade expugnarunt, & præſidiariis promiſcuè trucidatis. Pappa propugnaculum Vngariæ inferioris à Maximiliano Archiduce, poſt ſex dierum obſidionem, die 20. Augusti deditione captum eſt. Idem Archidux Jaurinum die 9. Septembris oppugnare cœpit: ſed hoſtem cum valido exercitu ad auxilium aduentare audiens, obſidione ſoluta Vaciam verſus diſceſſit; Vbi pugnandi copia à Mahumete Baſſa ipſi facta eſt. Quum verò Cæſareani numero longè inferiores, intra caſtrorum munimenta ſeſe continerent, Mahumetes die 6. Nouembris, eorum oppugnationem auſus aggredi, adeò fœdè repulſus eſt, vt amiſsis ſeptingentis Genitſaris, Baſſa Ezeckamo & magno ſelectiſſimorum equitum numero, die ſequenti ſimulatæ pacis tractationem per legatos ſuos obtulit, & iſta larua tectus, cum exercitu ſe ſubducens, Budam reuerſus eſt. Poſt Turcarum diſceſſum, Archidux Vaciâ incendio deformatâ inſtaurata & munita, dimiſit exercitū. Sigiſmundus Tranſſyluaniæ princeps, occupatis die 9. & 12. Octobris Filecko & Chianado Caſtellis ad flumen Marizium ſitis, Temeſvvarum obſedit, ſed re infecta menſe Decembri ab incepto deſtitit.

Anno 1598. die 29. Martij, Jaurinum fortiſsimum orbis Chriſtiani propugnaculum, Adolphus Baro Schuuartzenborgius, Viennæ præfectus exercitu 4500. equitum & peditum Germanorum, Gallorum, Bulgarorum, Vngarorum comitatus, ſtratagemate militari (portâ nimirum præcipuâ vi machinæ bellicæ clanculum admotæ & ſuccenſæ a Vabacurtio nobili Lotharingo, rupta, diſiecta & aperta, militibus immiſſis, pręcipuis pluteis, vallis & propugnaculis occupatis) poſt acerrimam quatuor horarum dimicationem feliciter expugnauit. Ex Turcis cęſi 1600. capti 400. equi 700. & 185. tormenta bellica reperta. Ex Cęſareanis 500. vulne-

rati, circiter 700. trucidati ſunt. Inter multos magni nominis Turcas occiſos, præcipuus fuit Mahumetes Baſſa, qui duobus ſclopeti globulis ictus, fortiter pugnans, tandem à Vabacurtio lancea transfoſſus, propè portam occubuit; cuius caput à ceruice reſectum, & haſtæ ſuffixum, publicum omnibus ſpectaculum præbuit. Cæſar Vabacurtium Equitis aurati iure donatum, precioſis aliis muneribus & honoribus ornatum dimiſit.

Sigiſmundus Tranſſyluaniæ Princeps, mutato vitæ inſtituto, regionem ſuam Rudolpho Cæſari poſſidendam, & contra Turcas tuendam, Albæ Iuliæ in conuentu Ordinum, præſentibus Imper. Legatis, die 4. Aprilis tradidit: proceres, Nobiles & ſubditos omnes eidem iuramento fidelitatis & obedientiæ obſtrinxit, Cancellariúmque ſuum in vincula coniici iuſſit, proditionis crimine grauatum, menſe Auguſto capite truncatum. Maximilianus Cæſaris frater, Tranſſyluaniæ Gubernator deſignatus, & vnanimi Ordinum conſenſu receptus eſt. Michael Walachiæ Tranſalpinæ Vaiuoda, Sigiſmundi exemplum ſecutus, vnà cum ſuis ſubditis menſe Iunio legatis Rudolphi ſimiliter homagium præſtitit. Eodem menſe Sigiſmundus duos Sileſiæ ducatus, Oppolienſem & Ratiborienſem ſibi ad tempus vitæ duntaxat à Cæſare (addita annua 50000. dallerorum penſione) conceſſos occupauit, atque ibidem rerum ac fortunarum ſuarum ſedem collocauit. Verùm duos vix menſes in Sileſia commoratus, præter omnem expectationem ſtatione deſerta per Poloniam ac Cepuſiam celerrimis itineribus in Tranſſyluaniam contendens, die 21. Auguſti, Claudiopolim rediit.

Circa Auguſti initium octidui ſpatio, Schvvartzenbergius Baro Tattam à Turcis antea iterum occupatam vi & armis expugnauit, deinde Geſten, Tſchakam, Vallam, Vitainum, Palotam & Veſprinium arces Vngariæ inferioris partim deſertas, partim deditas à Turcis occupauit. Sigetum arx Vngariæ munitiſſima, die 6. Auguſti, circa meridiem incendio diuerſis in locis repente exorto, vnà cum tribus oppidis tota ferè conflagrauit.

Michael Walachus cum exercitu 5000. militum traiecto ſub finem Septembris ſupra Nicopolim Danubio, in Bulgariam irrumpens, cum 15000. Turcis aperto marte dimicans, multis cæſis, reliquos in fugam vertit: deinde victoriam vrgens, ipſam Nicopolim aggreſſus eſt, quam ferme totam exuſſit, omnibus incolis Turcis vnà cum Baſſa vrbis præfe-

cto

ſto trucidatis. Similem fortunam quinque alia oppida Turcica experta ſunt, cum multis pagis: ita tamen vt Turcis tantummodo cæſis, Chriſtianorum & Bulgarorum vtriuſque ſexus circiter ſedecim millia, vnà cum facultatibus ipſorum ex Turcicæ ſeruitutis iugo liberati, & Danubio tranſmiſſo in Walachiam deducti fuerint.

Buda regni Vngariæ Metropolis, à Matthia, exercitus Vngariæ ſuperioris Imperatore ab Octobris initio vſque ad finem ſelectiſſimo 30000. equitum & peditum exercitu circumobſeſſa & oppugnata eſt. Ac quamuis Turcæ Præſidiarij illam pro viribus propugnarent, & continuæ pluriæ, vnde ſequuta Danubij eluuio, præclaris Matthiæ conatibus, cuniculos nimirum inundando, & ſuſceptas impreſſiones impediendo, remoram iniicerent: attamen ſuburbio verſus Danubium, poſtea ciuitate ſatis ampla, caſtello denique in monte D. Gerardi à Cæſareanis ſumma vi expugnatis, Turcæ vltra duo militum ſuorum millia, ac duos baſſas, magnam commeatus variæque ſupellectilis copiam, tormenta item 80. ænea amiſerunt. Cùm autem Matthias vltra progredi non poſſet, arce ipſa tormentorum fulmine concuſſa, oppido & ſuburbio euerſis, molis vltra centum exuſtis, villis in duabus Danubij inſulis ſolo æquatis, earúmque colonis numero 7000. abactis iumentis & pecoribus in veteres Cæſaris fundos reductis, obſidionem die 2. Nouembris ſoluit, exercitúmque dimiſit.

Varadinum, propugnaculum in finibus Vngariæ ſuperioris vltra Tibiſcum validiſſimum & ampliſſimum, nec non Epiſcopatu celebre, Mahumetes Baſſa, Hatalmas Chamus Tartaricus, & Iſmael Baſſa Temeſuuarienſis, exercitu 150000. Turcarum & Tartarorum inſtructi, caſtris vndiquaque poſitis, die vigeſimo nono Septembris oppugnarunt. Cum totis triginta ſex diebus muros tormentis æneis feriendo, munimenta & propugnacula arcis, cuniculis actis, rumpendo, extrema omnia tentaſſent, & continuis fermè impreſſionibus, acerrimè quidem, ſed fruſtra oppugnaſſent: tandem Melchioris à Reden bellatoris ſtrenui, & Maximiliani in Vngaria ſuperiore Mareſcalli, virtute, diligentiâ, vigilantiâ, militúmque Sileſiorum & Vngarorum fortitudine fracti, conatuſque omnes ita retuſi fuerunt, vt obſidionem ſoluerint, & multis ſuorum amiſſis, tertio die Nouembris ſummo cum dedecore diſceſſerint. Ex præſidiariis militibus, quorum obſidionis initio vix duo millia fuere, tanquam & tam ſtupendam obſidentium rabiem animoſe repreſſa-

ſunt, mille & trecenti poſt obſidionem deſiderati ſunt, ſeptingentis ſuperſtitibus.

Bellum in Vngaria contra Turcas & Tartaros ferro & igne certantes, ancipiti marte continuatur. Sigiſmundus Tranſſyluaniam Cæſari commiſſam iterum inuadit. Cæſariani qui Cimiſium tuebantur 400. Turcas Sigethanos ad internecionem delent, Tartaris incendiariis etiam alio loco à ruſticorum intrepida manu ad vnum trucidatis. Schuuartzembergius ſuburbio Budenſi direpto, & ſtipendiis Agrienſium vi captis, atque 400. Turcis cæſis, Comorram cum ſuis ſe recipit, atque Iunio menſe arcem Bicenſem occupat. Paulo poſt Cæſareani Turcas commeatum Budanis præſidiariis deducentes ad 5000. numerum interficiunt, & commeatu intercepto ad ſua propugnacula læti reuertuntur. Magnus Moſcouiæ Dux per Legatos ingentis pretij munera dat Cæſari, & fœdus aduerſus Turcas iniri petit.

Baſſa Budenſis in manus Schuuartzembergij incidit. Varadini Præfectus Zarcadam oppidum occupat. 700. Turcas Palfius delet. Quum verò Perſarum incurſionibus Turcę vexarentur, Legatus Mahumetis Conſtantinopolim repetiit: & Matthias Archidux Cæſaris dimiſit copias ad annum ſequentem.

Quoniam verò Andreas Bathoreus Cardinalis Tranſſyluanus, fœdere cum Turcis inito, tum Sigiſmundo Patrueli, tum Michaeli Walachiæ Tranſalpinæ bellum indixerat, bellum inter ipſos accenſum eſt. Tandem Michael deleto Cardinalis exercitu, Tranſſyluaniam Cæſari ſubiecit. Inde Cardinalis ab omnibus derelicti fuga, in qua interceptus capite truncatus eſt, ambitionis nimię pręmium reportans. Turcis verò pacem detrectantibus Cæſaris præfecti variis modis, eos arcibus ſuis eiecerunt, & multâ prædâ ſunt potiti.

Anno 1603. ſub Martij finem Georgius Baſta Tranſſyluaniam cum exercitu ingreſſus Albam Iuliam deditione recipit. Ex Comitiorum Ratisbonenſium (quibus Matthias Archidux Cæſaris nomine præfuit) decreto accepta pecunia & copiis auctis cum Walachiæ Principe Moſem Iecelorium prælio ſuperat, 12. ſignis militaribus, 15. tormentis, & multis captiuis relictis à Moſe, quem dum Georgius perſequi ſtatuit, pedem referre cogitur, vt Turcis occurreret Budam commeatu munientibus. Menſe Decembri Mahumetes III. Turcarum Sultanus Conſtantinopoli peſte extinctus eſt. Paulo ante obitum, nobilem quendam Vngarum captiuum Pragam ad Rudolphum cum literis ablegauerat, pacis conditio-

ditiones proponentibus. Conſilium Mahumetis fuit hoc prætextu vires reparare,& ciuitates quibus multum metuebat nouo commeatu munire.

Sed mortuo Mahumete , atque Imperio Turcico ad Achmetem I. eius filium nouennem puerum deuoluta , anno 1604.Sultana eius mater,& Baſſa penes quos vaſti illius Imperij adminiſtratio eſſe dicitur , pacis colloquium conditionibus iniquiſſimis munitum propoſuerunt: atque dum Cæſareanis illudunt,Pappam corruptis pecunia præſidiariis occupare nitebantur,poſitiſque ad Caniſium caſtris , dixerunt ſe velle ſuo Sultano tractum illum vendicare , quibus peractis de pace colloquium inſtitueretur.Transſyluaniæ autem hoc anno grauiſſima fame afflictæ.Ordines in Comitiis Deuanis pro viribus prouiderunt.In Vngaria Temeſuuarius Baſſa Lippam magna manu inuadens , cum ingenti ſuorum clade repulſus eſt.Cariſium verò incendio deformatum. Et præſidiarij Budenſes ad pabulum egreſſi , nec non à Peſtenſibus partim cæſi,partim fugati,bellum inſtaurant. Proditiones & latronum excurſiones eodem anno Transſyluaniam infeſtabant,non ſolutis militum ſtipendiis. Porrò, dum Budenſis Baſſa literis arte compoſitis Strigonienſi præfecto imponere ſtudet, Simninium arcem Turcæ occupatam incendio vaſtant,Limpacum vicum incendunt , ſed non impunè,à Serinij Comitis milite fuſi,& partim abducti. Vngari autem equites,LippaBelgradum verſus ad prædam excurrentes Keouiam arcem munitiſſimam conſcendunt,ab 800. Turcis cuſtoditam , quos exceptis 40. fuga elapſis , & 80. captis, trucidarunt.

Hoc anno Peſtam Iagenceuterus Præfectus & Præſidiarij Cæſariani panico terrore percuſſi Turcis relinquunt , quam Budenſis baſsa ſine puluere & ſanguine occupat , ſuauiter Chriſtianorum ignauiam perſtringens.Septembris 18. Turcę Strigonium obſederunt , ſed poſt varias oppugnationes fortiter repulſi ſunt , & tandem obſidionem ſoluere coacti, ſuorum multis millibus interfectis. Georgij Baſtæ Legatus in Transſyluania,dum omnia tuta ſomniat,cum copiis ſuis auxilium Strigonienſibus laturus accedit.Sed repentino ſtatim motu Transſyluania excitata eſt à Stephano Botſcaio Iſtvanio , vnde prœlia,clades & ſtrages varię , tandem verò maximeq; auctus heiduccorum ſeu equitum Botſcaio militantium numerus , quorum vmbra ſacrificulis & Loyolitis ſectariis pauorem incredibilem creabat, vnde trepidationes & fugæ continuę. Aduolans interim Georgius Baſta cum

heiduccis manus conſerit, & cęſis 400. Pręfectum eorum comprehenſum à pedibus ſuſpendi curat, & tandem iugulari iubet. Progreſſus poſtmodo Baſta in mille heiduccos incidit, cum quibus 25.26. & 27. Nouembris ita pugnatum eſt, vt victoria ad heiduccos inclinaret, Baſta fugam meditante. Sed 28. die reſumptis animis, heiduccos diſſipat, multis eorum in prælio cæſis.

Botſcaius autem collectis nouis copiis, atque Tranſſyluaniæ Principis nomen ſibi tribuens, Baſtę multum negotium faceſſebat. Nec poterat Baſta cum ſuis in acie diutiùs, ob frigus intenſum, cibariorumque & commeatus penuriam perdurare: itaque copias ſuas Epperiam verſus reduxit, quæ ciuitas cùm heiduccis iuramentum præſtitiſſet, vndique clauſa, ſe non poſſe Baſtam cum ſuis admittere, niſi de exercitio Religionis iuxta Auguſtanæ confeſſionis præſcriptum retinendo, & præſtando ſibi aduerſus Botſcaium patrocinio certa redderetur, apertè ſignificauit.

Sub Decembris initium, Baſta Zatvuariam arcem obſidet, deinde Caſſouiam, ſed irrito conatu. Paulo poſt commodis rationibus agens, & ſanctè promittens ſe conditiones præſcriptas obſeruaturum, Epperiam, Geutſam, Zobenam, & Neuntorſium, Cæſaris nomine, admittit. Heiducci contrà pecuniam ſtipendiariam, cuius ſumma 130000 florenorum fuiſſe dicebatur Cæſareanis ereptam ad Botſcaium peruenerunt, qui eam inter ſuos milites geometrica proportione ſeruata diſtribuit. Inde bellum exarſit crudelius quàm antea, & heiducci ſub Decembris finem in caſtra Baſtæ noctu irruentes, magna ſtrage Cæſareanos affecerant: ſed Caroli Collonitſij mira fortitudine repulſi in ſyluam proximam ſeſe receperunt. Attamen in propoſito perſeuerantes, ſuperioris Vngarię ciuitates quaſdam metallicas ad partes ſuas pertraxerunt.

Octobris 3. noua ſtella apparuerat, miræ magnitudinis, quæ vſque ad menſes multos anni 1605. perdurauit. Botſcaius monitus, de pace articulos proponit, nempe vt Tranſſyluaniæ gubernatio penes eum maneret, aliquis Vngarus natione generalis præfectus eligeretur, militibus Vngaris Vngarus præeſſet, Galli & Belgæ milites Vngaria dimitterentur, Vngaris ſtipendia bona fide ſoluerentur, liberum & publicum admitteretur Religionis exercitium, turbarum autores heiduccis puniendi traderentur, Cæſarea maieſtas in Comitiis Poſonianis præſentem ſe exhiberet, Germani milites à rapinis & excurſionibus iniuſtis prorſus abſtinerent.

Baſta

Baſta his conditionibus minimè acquieuit. Motus tunc in Tranſſyluania augentur, vniuerſis propemodum Baſtæ mandata ſpernentibus. Is autem 16. Ianuarij Vngaris ſuperioribus gratiam offert, ſed parum promouet: immo heiducci Cocceram, oppoſitum Strigonio oppidum, & aliquot pagos diripiunt, & quum aliquo damno à Collonitſio eſſent affecti, viciſſim eius arcem primariam expugnant, incendunt, & oppidulum propinquum vaſtant.

Dum iſtis turbis inuoluũtur Cæſareani, Vaccium Turcæ Vngarorum quorundam perfidia deditione recipiunt, & Vicegradum ſub initium Martij occupatunt, Vngariâ intus & foris miſerè dilaceratâ. Toto reliquo anno variis ſucceſſibus bellum geſtum eſt, Turcis ignem ſollicitè fodientibus, vt ea ratione tum Cæſareanos & tandem heiduccos, Baſtam denique & Botſcaium opprimerent, totáque Tranſſyluania & Vngaria Cæſaris nomem eiicerent.

Die 18. Martij, *1606*. Turcæ, denſa nebularum caligine tecti, Iaurinum fruſtra tentant, Epperia autem ab heiduccis circumobſeſſa Cæſaris poſcit auxilium. Botſcaius Toccaium fame oppreſſum capit. Tartarorum aliquot millia 17. Aprilis à Cæſareanis deleta, & Turcæ ab heiduccis magno numero cæſi ſunt.

Ingens tunc temporis inter Ducem Brunſuicenſem & Brunſuigæ ciues diſſidium exortum eſt, quod in bellum apertum erupit, tandem menſe majo 1606. mandato Cæſaris vtrunque repreſſum. Eodem menſe bellum Pontificium in Italia exarſit aduerſus Venetos, quod ſequente anno Regis Gallię cura compoſitum eſt. Tandem, pacis Vngaricæ Articuli conſcribuntur, & obſignantur. Inter cętera, hęc continebantur: Botſcaius pro ſe & heredibus ſuis maſculis Tranſſyluaniam retineat, Hungariæ tamen Regno ſubiectus ſit, non Principem ſeſe poſthac, ſed partium Regni Hungarię Dominum appellitet. Damnorum omnium obliuio indicta.

Paulò poſt, Botſcaius in morbum inciderat lento veneno procuratum, artibus Cataj cancellarij ſui, quem maleficij conuictum capite truncauit, tandem extinctus eſt circa finem Decembris. Annus 1607. turbis agitatus eſt in Vngaria ſuperiori, Turcarum & aliorum technis. Botſcaio ſublato ſenſerunt Tranſſyluani quantam in eo iacturam feciſſent, atque ex illo fluere ac retro ſublapſa referri Res Cęſaris. Vngari regem expetierant qui ſua pręſentia motos fluctus componere poſſet. In eum finem Matthias Cęſaris frater & pri-

marius Legatus regni Comitia Presburgi indixit ad xv. diem Iulij, quo tempore totóque Auguſto cùm abfuiſſet, Ordines circa ſequentis anni initium aſſignati ſunt, vt de ſumma rerum ageretur. Interea, Heiduccorum à Turcis pecunia multa machiniſque bellicis adiutorum opera Vngari variis in locis, dubio marte, grauiter afflicti ſunt.

Anno 1608. dum imperij Ordines Ratiſponę à Ferdinando Archiduce Gretzenſi, pro Cęſare congregati, toto quadrimeſtri de rebus belli & pacis ſtatuque publico rixantur, nēpe à 15. die Ianuarij ad Maij menſis initium, Matthias, Cęſaris frater, Ordinibus Vngaricis pręeſt Presburgi, vbi de pacanda Vngaria ciuili bello afflicta actum eſt, eóque res perductę ſunt, vt Heiducci qui poſt Botſcaij obitum Vngariam ſuperiorem miſeris modis diripuerant, tranſirent ad partes Matthię, qui Viennam, reuerſus copias ſuas militares in Morauiam deduci curat.

Inde ſimultates inter Rudolphum & Matthiam, quę tandem eruperunt in neruum. Nam 2. Maij Matthię archiducis exercitus Znaymo Morauię oppido ad Tibiſcum amnem, vbi 20000. veteranorum peditum & equitum exercitus, cum 28. bombardis grandioribus, numeratus eſt, Pragam verſus iter arripuit, Bohemię ordines Matthias ſui conſilij certos reddit ad eos dato diplomate, poſtulans vt ciuitatum legati ad ſe mittantur, 4. Maij, quibus rationes & petitiones ſuas exponat. Cęſar contra molli brachio conatus iſtos eludens, Pragam & Bohemiam totam ſibi conſeruat ad modicum tempus. Matthias enim armata manu in propoſito pergit, & 19. Maij propius accedens, tandem, nempe 17 Iunij, pacis inter fratres ſancitę articuli 18 conſcripti ſunt: quorum ſumma fuit: Matthias declaratus rex Vngarię, Bohemię verò deſignatur, & marchionatus Morauię adminiſtratio illi poſteriſque ſuis conceſſa: Archidux etiam Auſtrię nominatur & paulo poſt Viennę ſolenni pompa ab Archiducatus Ordinibus receptus eſt. Intra finem illius anni 1608. Vngarię regno, Archiducatu Auſtrię, Morauię marchionatu, Matthias pacificè potitus eſt.

Turbas Pragæ exortas religionis cauſa, Cęſar ſedauit, anno 1609. confeſſionis Auguſtanę ſociis templo ad exercitia ſacra conceſſo. Bellum Iuliacenſe componere per legatos, ſed fruſtra, ſtuduit. Leopoldus Ferdinandi Gretzenſis, filius, Argentinenſus Epiſcopus, cum exercitu Pragam ingreditur, & Cęſaris vicarius appellatur: circa initium anni 1611. Inde paulo

paulò poſt eiectus, Matthias Pragam ingreſſus rex Bohemię coronatur menſe Septembri, & initio anni 1612. Rudolphus Cæſar in arce Pragenſi morbo oppreſſus moritur. Huic ſucceſſit Matthias eodem anno.

FINIS.

INDEX RERVM, ET VERBORVM MEMORABILIVM, OMNIVM Chronicorum, Philippi, & Peuceri partium.

Prior numerus paginam, ſecundus lineam denotat.

ABdon, & Abeſan iudices populi Iſrael 45.14
Abia filius Robaam, rex Iuda 50.26
Abidiramus rex Saracenicus 371.29
Abimelech, rex Gedeone tyran- 42.28
Abraham qua ſerie natus ex Sem 39 *eius aduentus in Palæſtinam* 27.34.34 42 *ſepultus in Hebron* 21.24.
Abſaga dux, Sultani conſilio veneno tollitur 716.11
Academia Francofordiana, ad Viadrum 9.6 27
Academiæ Louanienſis fundator 812.38
Academia Pragenſis inſtituta à Carolo Quarto 808.11 *velut colonia deducta, ex Pariſiēſi* 818.10 *diſſipatur* 819.35
Academia Tubingenſis 912.35
Academia VVittebergenſis inſtituta 914.22
Accia 193.11
Accius Balbus ib 13
Accurſius quo tempore vixerit 578.34
Accius Nouatianorum Epiſcopus 266.7
Achaicum bellum 167.5
Achas rex Iuda 53.41
Achilles, eiúſque interitus 61.21
Acomathes baſſa, expugnat Hydruntum 860.33 *laqueo ſuſpenſus* ibid.35
Acomathes Baiazetis filius, ſtrangulatur 881.18
Adam, & Eua vbi conditi 19
Adami templum tabula lapidea 17.16
Adaulphus rex Gotticus 298.18
Adaldagus Epiſcopus Hamburgenſis 495.27
Aldelheida vxor Theodorici Veronenſis 324.23
Adelgiſus filius Deſiderij 348.41
Admetus Themiſtoclem recipit 83.34
Adoaldus V. rex Longobardorum 345.14
Adolphus comes Schaumburgius 582.41
Adolphus Naſſaënſis Cæſar 734.39 *geſta* 735.14 *ab Alberto Auſtriaco confoditur* 738.35
Adrianopolis Thraciæ caput 866.14 *Olim Odriſſa* 258.29
Adria oppidum Picenum 218.5

Adrianus Imperator ibi. Eius ingenium & eruditio 219. 33 *geſta* 218.13 *mors* 220.4
Adrianus Epiſcopus Romanus 348.30
Adulteria ab ethnicis punita 77.33
Ægyptij reges, ante Alexandrum 40.20. *Poſt eundem* 139.49
Ægyptij regni tranſlatio à Caægyhis, ad Sultanos 584.35
Ægyptius ſeditioſus 208.22
Ægyptus luit pœnas blaſphemiæ 589.32 *punitur ob idola* 43.22. *In formam prouinciæ redigitur* 122.15.590.40 *quandiu illam tenuerint Maluchi* 587.15
Ælius Verus 220.36
Ælia ædificata ex ruinis Ieroſolymæ, conceſſu Ælij Adriani 219.17
Ætius 300.42 *eius interitus* 302.7
Ætius Eunuchus Irenes 577.10
Agamemnonis interitus 62.26
Agar, vnde Agar vrbs 359.42
Ageſilaus vincit Tiſſaphernem 100.3. *Eius modeſtia* 101.21 104.4
Agilolphus, rex Longobardorũ 320.37
Abumar, tertius rex Saracenicus 360.34
Aiax ſibi ipſi mortem conſciſcit 62.24
Aiax Baſſa præfectus prætorij Turcici tyranni 867.13
Aladinus Acomathis filius 881.9
Aladolus rex 876.23 *quibus gentibus imperarit* ibi 25 *capite truncatur* 883.26
Aladelitæ 883.18
Alani propagati, à Maſſagetis 404.16
Alanos, & Alemanos eſſe eoſdem 251.20.406.41
Alaricus rex Gotticus 293.36. 397.37. *capit Romam* 298.4
Albani populus Mediæ 404.37
Albertus pater Rodolphi Imperatoris 732.12
Albertus comes prouincialis Thuringiæ 735.39 *Adolphũ Naſſainſem Imper. trahit ad belli ſocietatem* 741.37 *moritur* ibid.24
Albertus marchio Brandeburgenſis 737.31 *dictus Achilles Germanicus* 901.16
Albertus Friderici frater, coniungit ſe cum Ciliano 890.25
Albertus Auſtriacus adit Imp. 743.5 *geſta ib.* 22. & *inſeq. interficitur* 745.19 *ſoboles* 746.11
Alberti ducis Saxoniæ, aui Electoris, Auguſti, virtus, & geſta 898.5 *dextra manus Imperij nominatus* ibid.14 *moritur* ibi.15
Albertus, comes Bambergenſis 454.29
Albertus Vrſus, comes Aſcaniæ 15.27.565.10 *adoptatus à Bribiſlao* 583.15 *ab eo tres in Germania ampliſſimæ familiæ* 584.39
Albertus Moguntinus Epiſcopus, fax ſeditionis, aduerſu Imp. s

Imper. Henricum quintum 560.26
Albertus, Archiep. conditor vrbis Rigenſis, in Liuonia 630.17
Albinus præſes Iudeæ 207.23
Albis flu. ortus 19..8.196.39
Alboinus primus rex Longobardorum 542.42
Albion Saxoniæ princeps, poſt VVidechindum 428.34
Alcairum, quondam Memphis 587.3
Alcibiades ſuaſor belli Siciliæ 91.22 *reuocatur Athenas.* 94.24 *vincit Lacedæmonios ibid.* 37 *rediit Athen. ibi* 95.15 *Thraciam populatur ibid* 33 *interitus* 96.2
Alcimi ſummi ſacerdotis perfidia 144.3
Alcoranum 361.
Alcoinus præceptor Caroli Magni 425.22
Aldeburgenſes comites nunc Habsburgenſes 500.2
Alemanni, & Franci, à Valerio Probo cæſi 407.30
Alemanni 251.18
Alexander Phereus, tyrannus 104.30 *trucidatur ibi* 41
Alexandri Magni origo paterna 111.30 *materna* 117.42 *Initium regni* 117.26 *geſta* 119.3 *& inſeq. interitus* 125.40
Alexander Seuerus 233.37 *genealogia* 232.35 *mors* 235.8
Alexander Epiſcopus Ieroſolymitanus 238.3
Alexander Imperator 476.29
Alexander Pontifex concitat Italiam in Barbaroſſam, excommunicatum 621.40 *fugit Venetias* 622.17 *Autor ritus, quo Veneti mare ſibi quotanis deſpondent, ibi.* 26. *pede collo ſupplicis Imperatoris imponit* 613.9
Alexander V. 798.35
Alexius Comnenus Imperator 534.17
Alexius Comnenus II. 602.25 *res geſta* 534.15 *mors* 535.6 *eius perfidia* 599.36 *à tutore ſtrangulatur* 600.40
Alexius Angelus Imperator ignauus 605.5
Alexius iunior, Iſaaci filius, recuperat Imperium 606.13 *exutus Imperio ſtrangulatur* ibid.30
Alexius Ducas, Murzuphilus occupat Imperium ibid 32
Alexius Cæſar Strategoplutus 710.20
Almarus quid ſignificet 19.24
Almarus primus marchio Montisferrati 499.15
Almericus rex Ieroſolymorum Calypham Ægyptium laceſſit bello 585.29
Alpes, ſunt Europæ montium parens 389.14
Alphonſi regis Hiſpanici ſymbolum 372.29
Alphonſus Petri Cantabrici ducis filius, primus cõditor ſtirpis regum Cantabriæ, Caſtellæ, & Legionis 704.5
Alphonſus ſapiens Caſtellæ rex depoſcitur ad Imperium 513.24 *Imperium cum vita amittit* 694.1
Alphonſus Arragonius, teſta-

mento ducatum Mediolanẽſem ſibi vendicat 706 25
Neapoli decedit 910.12
Alphonſus Ferrarienſis perſiſtit in amicitia Gallorum 926.7
Aluantes Iacuppi filius 877.33 ab Iſmaele vincitur ibid 14
Alybes, pop. 23 18
Alybe, nomen vrbis 23.24
Amadeus Sabaudiæ dux ſurrogatus in locum Eugenij, nominat ſe Felicem V. 843.7
Amaloſuntha filia Theodorici Veronenſis 324.39
Amantius Eunuthus 333 42
Amaſias rex Iuda 51.40
Amaſis ſtrangulat Orphea regem Ægypti 42 10
Ambragatius dux Maximi 284.40
Ambrones 170 13
Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis 284 18. 288 3. 290. 31. 292 31
Americus Luſignanus rex Cypri 577.32
Amelberga 324.26
Amelfreda ſoror Theodorici Veronenſis ibid 26
Amiſia flu. 196.40
Ἀμνηστία Romæ ſancita 181 19
Amon rex Iudę 55.18
Amorrhæus rex Saracenicus 372 8
Amphiſſa Locrorum 116.8
Amphictyonum iudicium 113.39
Amraphaël rex Sennaar 31 11
Amurathes primus 778.29 res geſtæ 778 35. & ſeq. à ſeruo transfoditur 780.2 filij eius ibid.6
Amurathes Achomatis filius ad Hiſpanelem Sophum confugit 881.20 inſtructus Perſicis auxiliis in Cappadociam irrumpit ibid. 32. repreſſus à Chendemo Baſſa ibid.36
Amurathes ſecundus 853 30 res geſtæ ibid.23. mors 861.45 filij 863 40
Amiras II. rex Saracenicus 360.31
Ananias ſummus ſacerdos 207 17. 210.3
Ananias ſummus ſacerdos ibidem 37
Anaſtaſius Dicorus Imperator 333 36 interitus 333.24
Anaſtaſius II. qui & Artemius 370 9
Anatolius patriarcha Conſtãtinop. 320.4
Anaxarchus phyſicus Epicureus 125.21
Anaxilaus 89 20
Andechſia gens 698.5
Andreas Vngariæ rex 548.3
Andreas Gritti capitur à Baiazete 884.5
Andronicus Palæologus 709.41. 758.32 res geſtę 759.35 filij 761.17
Andronicus iunior 762.37 geſta ibi. 38 mors 763.35
Andronicus Comnenus Imperator 602.40 geſta 603.5
Andronicus filius Cantacuzeni, confugit in Rhodum 764.25
Andronicus filius Ioannis Palæologi, patrem cum fratre Ema-

Emanuele in carcerem includit 765.7
Angelorũ principatus in Theſſalia finit 761 1
Angli 395.31 *Britãniam occupant* 397.36
Angriuarij 195.30 *eorum ſedes ad Albim* 395.6 *ducatũ illorum Colonienſis rapit* 624 27
Anhaltinorum principũ ſtirps 625 2
Anna regis Francorum filia nupta Andronico 602.14
Annibal delet Saguntum 156. 15 *eius victoria contra Romanos* 257.4 *victus à Marcello* 157 25 *à Scipione* 158. 26 *interitus* 159.6
Annianus Epiſcopus Aurelianenſis 311.30
Annibalianus Dalmatij pater 257 30
Annorum mundi ſeries 10.20
Antenor dux Henetorũ 62 20
Antemius tutor Theodoſij II. 299.19
Antemiꝰ gener Martiani 321.3
Antigonus rex 130. 20 *bella & virtus* 130.25 *interitus* 131.25
Antigonus II. εὐεργέτης 135.16
Antiochus Soter rex Syriæ 131. 40
Antiochus Theos 133 3
Antiochus Hierax 133.26 *interitus* 134.35
Antiochus Magnus, V. rex Syriæ 135. 11 *victus à Romanis ibid.* 20 *interitus ibid.* 26
Antiochi Epiphanis petulantia 136.13 *crudelitas in Iudæos* 137 32 *interitus* 139 1
Antiochus Eupator 138.42
Antiochus Sedetes 139.16
Antiochus Gryphus *ibid.*25
Antiachus Cyzicenus *ibi.*
Antiochia difficulter recuperata 592.18 *Reblata in ſacris literis dicta* 593 6
Antipater victus ab Athenienſibus 127.30 *eorundem victor ib* 35 *necat Demoſthenem* 128 13
Antonij, Lepidi, & Octauij cõiunctio 181.43 *interitus* 188.15
Antonia filia Antonij, vxor Druſi 204.8
Antoninus pius Imp. 220.10
Antoninus Baſſianus 250.30
Antonius Leua, & Piſcarius Franciſcum Sfortiam tota ditione ſpoliant 907.35
Anyſis rex Ægyptius 41.40
Ἀπόδασμος *quid ſignificet* 111.2
Apronianus Roman præfectus 262.9
Aprutina regio 920.43
Apryos rex Ægypti Ieremiam interficit 42 9
Aquila vrbs, caput Aprutinæ regionis 921 2
Arabes Turcis magnas inferũt clades 885.43
Aram, quo Syrij orti ſunt 19. 38
Aratus Sicyonius 154.36 *veneno necatur* 155 29
Arbaces Medus 31.41
Arbela euerſa à Salmanaſſare 32.14
Arbogaſtus 285.286 17
Arcades inquieti, & rapaces 106.1.18

Arcadius Imperator 273.29
genealogia 295.26
Archelaus dux Mithridatis 168.9
Archelaus rex, eiúſque interitus 111.33
Archelaus rex Iudææ 194.20
Archidamus vincit Arcades 106.20
Ardaburius dux Theodoſii Imperatoris 30[illegible].8.[illegible]0.16
Ardericus rex Gepidarum 312.2
Arduennæ ducatus 417.24
Arduinus ab Henrico ſancto ſuperatur 522.14
Argoneus transfert regnum in fratrem Regatum 716.23
Argonautica expeditio 61.28
Argo figura nauis ibid 27
Argonautarum noſtrorum expeditio 59.21
Aribertus IX. rex Longobardorum 345.27
Ariualdus VI. rex Longobardorum ibid 20
Ariobindas dux Theodoſii 300.9
Ariouiſtus dux Gallorum 153.17
Ariſtagoras, eiúſque interitus 81.40
Ariſtides 88.42
Ariſtio tyrannus 167.43
Ariſtobul. rex Iudaicus 148.26
Ariſtocratia ſtatus optimus in rebus publicis 175.17
Ariſtocratia in populo Iſrael 44.10
Ariſtona, ſeu Eſther coniunx Darij 83.10
Arius, & eius dogma 264.11
reuocatur ab exilio 268.1
interitus ibi 18
Armenia minor ſola retinet poſſeſſionem Chriſtianæ religionis 733.24
Armenij noſtris Argonautis opem ferunt in Aſia 61[illegible].12
Arelatenſis regni titulum Germani Imperatores vſurpant 543.34
Argelia Ptolemæi 398.13
Argentina capta à Philippo Imperatore 633.7
Arnoldi Moguntini bellum, cum Hermanno Palatino 61[illegible].39
Arnoldus comes Egmondanus Geldriam inuadit 742.22
Arnolph. Imperator 450.24
res geſtę ib.42. & ſeq. Veneno perit 452.22
Arphacſad, à quo Chaldæi 19.33
Arragonij, pro Ioanne Galeacio arma parant 906.7
Arſaces Parthorum rex 133.17
Arſames rex Perſicus 115.25
Artabazanis moleſtia 84.4
Artabanus patruus Xerxis 83.43. 84.19
Artabaſtus 370.12
Artaxerxes Longimanus 89.13
Artaxerxes Mnemon 92.20
Artemas hæret. 264.8
Artemius Imperat. 370.7
Artificiũ typographicum quãdo inuentum 914.4
Ἀρτολατρείας *initium* 484.32
Aſa rex Iuda pius, & felix 50.28
Aſarhaddon rex Aſſyriæ 32.38
Asbadus vir Gepida, Totilam interficit 330.11
Aſcalõ capta à Balduino, Fulconis

conis filio 596 16
Aſcanes, quid ſignificet 281.15
Aſcania terra 24.31
Aſcanię comitum ſtirps 618 6
Aſcra patria Heſiodi 64 17
Aſdrudal frater Annibalis interficitur 15.357 *dux Carthaginenſium* 164 8
Aſpaſalem tertius Turcorum princeps 532 35 *ducit cõtra Diogenem* ibid.37
Aſpaſia concubina Cyri 93.8
Aſpere: dux Theodoſii 300.9 301
Aſphaltites lacus 36.8
Aſpoandus XV. rex Longobardorum 346.16
Aſſimbęi 772.30
Aſſuerus maritus Eſther 83.1
Aſſur, à quo Aſſyrij orti 19.26
Aſſyriorum Monarchiæ finis 32.40
Aſſyriorum, & Chaldæorum regum catalogus 31.14
Aſtulphus XIX rex Longobardorum 347 40
Atalaricus rex ex Amaloſuntha 324.39
Ateſtini, ſeu Eſtenſes 730 16
Athalia mulier tyrannica 52.10
Athanaſius agitur in exilium, 268 38.271.27 *venit in odium* 267.29 *curriculum* 272 40
Athenę combuſtæ à Mardonio 84.39 *captæ à Lyſandro* 96.25 *à Sylla* 168.2
Athenienſes bis victi à Lyſandro 95.35
Athenio philoſophus 167.33
Atheſis fluuius 172.17
Athirius rex Saracenicus 372.1
Atoſſa regina, quę & Vaſti dicta eſt 83.12
Atlas montium in Aphrica parens 389.14
Atlas & eius doctrina 63.25
Attalus rex Bithyniæ 135.1
Attila rex Hunnorum 301 16 *vincitur ad Toloſam* ibid. 26
Auares adiuncti Hunnis 313.17
Auguſtus Imperator, cur Cæſar dictus 193 14 *initiũ Imperij eius* 192.35 *felicitas & ſucceſſus* 193 7 *genealogia* ibid 20
Auguſta Rhetorum 269.36 *occupatur à Guelpho* 563 31
Auguſtinus 307 33 *mors* 301.33
Auguſtulus Imperator Italicus 321 28
Auinio à Saracenis capta 372.2
Auiones Boruſſorum 399.24
Auitus Imperator Italiæ 320.38
Aureus Veſpaſiani 209 25
Aurelianenſis ciuitas diuinitus defenſa, contra Attilam 311 30
Aurelianus Imperator 243 22 *res geſtæ* 244 10 *interficitur* ibid 23
Auſonia vnde dicta 109.2
Auſtria ex marchia facta ducatus 545 31
Auſtriacorum principum ſtirps ibid.25
Autharus III. *rex Longobardorum* 344.9

Azo doctor iuris, diſcipulus Irnerij 578 28
Azotus capta à Pſammiticho 4-.3
B*Abylæ ſupplicium* 238 3
Babylon, & Niniue diuerſæ vrbes, condita à Semiramide 31.17 *capta à Cyro* 70.28
Dario 80.34 *Alexandro* 124.37
Babylonica turris 29.34
Bagoas Ochum eiúſque filium interficit 115.21 *extinguitur ibid.* 23
Baiazetes primus 851.9 *occupat regnum ibid* 20 *ipſius imperij ſedes Adrianopolis ibid* 20
*res geſtæ ibi.*23 *eius filij* 853.21 *mors ibid* 2
Baiazetes II. 811.71.35 *à militibus prætorianis Imperator appellatus* 872.19 *res geſtæ ibid* 22. *& ſequentibus, veneno tollitur ibid.* 42. *filij eius, atque nepotes* 879.40
Balduinus frater Godefridi Bilionei 593 26 *ſuccedit fratri in regno Ieroſolymitano ibid* 40
Balduinus Fulconis filius, Aſcalonem capit 596.2
Balduinus de Burgo Balduini regis conſobrinus 593.26
Balduinus Marchionis Montisferrati filius, rex Ieroſolymitanus 596.28
Balduinus Flandriæ comes, ducit cum aliis principibus in Aſiam 605.34 *inuaditur ab Alexio Duca* 606.30 *fit Imperator Orientis* 607.22.706.5
Balduinus II. 709 17
Baldus Iuriſconſultus 578 35
Balſaar blaſphemus 34 10
Bambergenſis comitatus 521 2
Barbariæ ſitus, & amplitudo in quatuor regna olim diuiſa 556.24
Parchinus Batti filius 716.23
Bardas Sclerus dux Iohannis Cimiſcæ Imperatoris 526.5
Barnabas cum filiis in carcere necatus 822.23
Baſilides hæret. 214 10
Baſilici ſeditio 322.25
Baſſianus Imperator 230 30 *mors* 212.15
Baſilea 270.25. *à terrore Gallorum liberata* 842 32
Baſilica regio 921.19
Baſilius Moſchorum rex 718.24
Baſilius Macedo, Imperator 475.4
Baſilius Porphyrogenitus Imperator 526.20 *eius crudelitas ibid.*33
Baſtarnę, quaſi VVeſtarnen 390,22
Battus filius Hocotij Gouiatæ Turcorum regi regnum adimit 713.19 *interitus ibid.* 43
Bauarorum appellatio vnde 432 12
Bauariam aliquandiu tenuit Caroli Magni poſteritas ibi. 15
Baudeles cognomento Alzagal, frater Bulahazis 9 0 41
Belchiarochus Turcorum ſultanus 592.22
Beda 554.34

Beda

Beda Vngariæ regina 560.6
Belgicum ad Galliam aliquando pertinuit 401.34
Belgæ pacem à Maximiliano petunt 936.43
Belgradum regni propugnaculum à Turcis expugnatum 93: 23
Bemæ pop. ſub Lung ſylua 401.40
Bellizarius 262.40.326.31 *res geſtæ* 330.40 *virtus* 326.40 *Fortuna* 331 6
Bellerophon 179.17
Bellum ſacrum 107.39.209.30
Bēcochab, dux Iudæorum 218.38.151.16
Bencozba hoſtis Chriſtianorū ibid 18.218.27 *profligatus Chriſtianis recuperat Antiochiam* 501.23
Bendocader Sultanus Ægyptius 715.43
Benedictus abbas 328.10
Benedictus Pontifex, Hamburgi moritur exul 497.43
Benedictus XIII. 820.32
Benedictus Piſaurus recipit Cephalenium 875 40 *expugnat Leucadem Noricúmque* 876.1
Ben Merodach 32.42
Berengarius I. ſolus potitur Italia 483.24
Berengarius II. accipit Imperium ibid 35
Berenice interfecta à priuigno 133 6
Berna, & Friburgum coloniæ deductæ à Bertholdo vltimo Zaringiæ duce 802.3
Bernardus Anhaltinus Saxonici ducatus dignitatem accipit 516.3 617.41.624.18 *ab eo prognati duces Saxoniæ qui VVitebergam tenuerunt* ibid 40
S. Bernardus 575.5 *proficiſcitur Romam cum Lothario Imperatore* 576.36
Bernhardini Monachi 637 13
Bertarius XI. rex Longobardorum 345.38
Bertholdus Zaringiæ dux 558.3 *cedit Philippo Imperium* 632.22 *moritur* 702.42
Bertiſlai filij Imperat. Friderico Barbaroſſa aſciti in ordinem principum Imperij 723.10
Bertrandus Vaſco, fulmine pōtificio, aggreditur Matthæū Vicecomitem 754.8
Beritus oppugnatur 317.28 *inſtauratur à noſtris* 629.21
Beſſus diſcerpitur iuſſu Alexādri Magni, duabus inflexis arboribus 123 1.243.31
Bethoron triennio obſeſſum 218 34
Betica occupatur à Vandalis 409.15
Bibliotheca inſtructa à Traiano 216 10
Bibliotheca Antiochena, conflagrat 281 4
Bibliotheca Medicæorum Florentiæ 871.20
Bichlingenſium comitum origo 565.1
Berra fluuius 372.11
Bithynia adempta Seleuco 134.43
Byzantium occupatum ab Alcibiade 94.39 *obſeſſum*

triennium à Seuero 227.16 *direptum, & incenſum* 607.14

Bochoris rex Ægypti 40.32

oëmia 195.1 *tributaria Imperio* 488.4 *Sudetis montibus cingitur* 186.15 *irritata iniuſto ſupplicio Huſſi* 828.9 *redigitur ſub Lucelburgenſes* 750.27

Boëmi inuitantur, & admittuntur ad Synodum Baſiliēſem 821 30

Boëmici proceres amplectuntur Ladiſlaum Polonum 895 1

Boëmundus Syriam, ex Antiochia adminiſtrat 593.5

Boëtius, eiúſque ſcripta 323.36 321.11

Boij 317 11 *Zechi, patria lingua appellati* 186.17 *extruxerunt Bononiam* 392.10 *auſtralem Germaniæ partem Boiemiam tenebant* 419 23

Boiebracius Vngariæ, & Boiemiæ regnum arripuit 850 15 *reddit Vngaris Matthiam Hunniadis filium* ibid. 18

Boleſlaus Polonus populabundus ad Miſniam penetrat 488 34

Boleſlaus Boëmiæ dux arma expedit in Ottonem primum 401.42

Boleſlaus ſalutatur rex Poloniæ, ab Ottone III. 519.8 *ab eo orti duces Sileſiæ* ibid. 10

Boleſlaus Chriuouſtus rex Poloniæ 720.25

Bolga, vel Rha fluuius 368.11

Bombardæ quando inuentæ 817.1

Bonifacius Africæ præſes 299.1. 300.40

Bonifacius, à Friſiis occiſus 301.1

Bonifacij III. contentio cum patriarcha Conſtantinopolitano de titulo οἰκουμενικοῦ 553 23

Bonifacius Marchio Mōtisferrati, & alij principes reſtituunt Alexium Iſaaci filium 605 31

Bonifacius, aliique principes ducunt in Aſiam cōtra Turcos 607.19 *conſtituitur rex Theſſaliæ* ibid 19

Bonifacius VIII. regnum Philippo regi abrogat 667.5 *eius epitaphium* ibi. 22

Bonifacius IX. 820 30 *annatas eccleſiaſticis imponit* 820.43

Bonoſus Imperator 253.7

Boos auus Dauidis 45.2

Boruſſorum regio 413.14

Boruſſia habet colonos VValachorum 604 38 *à Marianæ familię militibus, ad Polonos deficiunt* 912.10 *in fidem Polenorum recipiuntur* ibid. 16

Boſnenſium regnum, à Boſſino conditum 469 23

Boſſini debellati à Conſtantino monomacho Imper. 530.1 *bellum inferunt Alexio Cōmeno* 534.38

Boſtanges Purpuratus 867.11

Brabantiæ nomen factū à prouincia per deprauationem 417 20 *à quibus olim ſit habitata* 418.17 *duces prognati Godefrido comite Louanij*

nanij 581.9 *ſtatus* 812. 15 *reducta ſub Burgundos* 812 1

Brandeburgum Henetorũ arx expugnata ab Henrico Aucupe 487.1

Brenni duo diuerſis temporibus 13 3.42.1 6 3 37

Brenni exercitus incendit templum Delphicum 280 15

Bretæ vrbs 39 3 28

Bribiſlai progenies, duces Megalburgenſes 496 8

Britannorum veterum poſteri 661.22

Bructeri pop. 195.13 395.8

Bruniconis, & filij ſepulchrum 487 22

Bruno pontifex 492.

Brunſuicenſium duces vnde orti 543.11

Brunduſinorum deditio 176 30

Bruti, & Caſſii cõſpiratio 181. 5 *interitus* 182.8

Brutij pop. 921.10

Budas frater Attilæ 311.20

Buda idem cum Germanico Baden, ob vicinas thermas 433.26

Bugutarum ſedes 398.42

Bulahazes 910.40

Bulgari irrumpũt in Imperiũ Orientis 368 8 *fiunt Chriſtiani* 474.4 *bellum Balduino comiti inferunt* 707 35 *Conſtantinopolin obſident, & Adrianopolin diripiunt* 477.7

Bulgaria 368 17

Bulgarus doctor iuris 578 28

Bura, & Helice abſorptæ terræmotu 100 25

Burdegala, capta à Saracenis 371 28

Burggrauij Noribergenſes 700 33

Burggrauiorum origo 608 40

Burgundi 1 5.36 *pulſi quęrunt nouas ſedes* 418.25 *ſuccedunt Heduis, & Sequanis* 418 42

Burgundia diſcerpta in tres partes 543 41

Burgundiæ ſtatus 812.15 *poſtremi principes coniugio principatum adipiſcuntur* 584.5

Buſiridis crudelitas 40.33

Cabades rex Perſarum 332. 34

Cadmæa Thebarum arx 103.3

Cadmus 61.6

Calenęus mons 879.21

Cęſar Borgia 919 28 *mors* 921.25

Caganus rex Hunnorum 345. 34

Caianus dux Gottorum 293. 43

Cain, eiuſq́ pœna, & poſteritas 15.17

Cainas hoſtis Theodoſii II. 308 15

Caitbeius Ægypti Sultanus 589.5 *vnde oriundus* 873.25 *res geſtę* 873.41

Caij Iul. Cæſ interitus 181.7

Caius Caligula 204.7

Caius Fuſcus trucidatus 212. 14

Calames 772.14

Calabri pop. 921.7

Calbæ oppoſitus 398.15

Calepinus filius Amuratis ſtrangulatur à Mahomete 864.12

Caliphà ſummus princeps Saracenorum 479.15
Calipha Ægyptius noſtrorum Argonautarum amicitiam petit 592.15
Calixtum pontificē creat Fridericus Barbaroſſa 622.16
Callias tyrannus 115.35
Callimachus 140.9
Callinicus exarchus 344.36
Callinicus patriarcha 369.15
Callipolis 779.28
Calliſthenes philoſophus in cauea circunductus 125.5
Calogeri monachi ſectatores Baſilij 637.39
Caloiannes Imperator orientis, & eius geſta 599.5
Calucones pop. 398.12
Calybes pop. 23.15
Cambyſes rex Perſarum 67.30 *prohibet Iudæorum reditum ex captiuitate* 71.27 *crudelitas* 78.37 *Iuſtum factum* 79.3 *Ægyptum addit regno Perſico* 78.19 *interitus ibi.* 36
Campania prouincia prima, regni Neapolitani 920.38
Candelori 772.2
Canis Scaliger 787.16
Canonis Græci verba agitantur diſputationibus 611.43
Canonum veterum, legúmque pontificiarum diſſimilitudo 613.26
Cantacuzenus 753.12 *res geſtæ* ibid.
Capha antiquitus Theodoſia, regni Boſphorani caput 598.31
Capitanata regio 921.16
Capnionis epitome epiſt. 915.15
Carbona vallis 372.10
Carbo conſul Romanus interficitur 173.42
Carbugadi apoſtaſia 716.42
Caramannus Aliſmeius 772.8
Caragius Bellerbeius baſſa, Aſiatici equitatus magiſter à Terbelle palo affixus 878.38
Cardinalium Senatus inſtitutus 518.31
Carinus Imper. 253.24
Carolata filia Ioannis regis Cypri 913.31
Carolus Martellus dux Brabantinorum 371.1 *res geſtæ ibi. ſepultura & epitaphium* 373.41
Carolus Magnus, rex Fräcicus 348.30 *Imperator declaratur* 423.7 *iuſtè conſecutus Imperium ibi.* 15. *eius genus, inſtitutio, literarumſcientia, academiæ, & collegia ab eo fundata* 424.3 *geſta bellica* 348.31. 435.20 *& deinceps. vxores & filij* 435.20 *mors* 437.34
Carolus Caluus Imp. 446.2
Carolus Craſſus Imp. 448.20
Carolus IV. Francorum rex 852.1
Carolus Octauus, Francorum rex 918.16 *geſta ibid.* 22
Carolus Marchio Morauiæ, coronatur contra Ludouicum 793.13
Carolus IV. Imper. 803.20 *res geſtæ* 804.23 *& ſequent.*
Carolus V. Imperator, & eius res geſtæ 907.22 *eius origo materna* 420.21
Carolus Eburouix, rex Nauarræ ſucceſſione Burgundiæ excidit

cidit 896.28
Carolus Mainus inſtituit hæredem Ludouicum vndecimum Galliæ regem 909.43
Carolus Ludouici Dyrrachiani filius, & eius geſta 798.11
Carolus Martellus, Stephani regis filius, ab Vngaris ad regnum accerſitus 797.16
Carolus Burgundus, filius Philippi 897.7 *res geſtæ* 898.5. *& inde ab Heluetiis trucidatur* 898.42
Caroli Andegauenſis res geſtæ 689 5.25.30 690.22
Carmaniam Turci inuadunt 478.30
Carmelitas manachos Aſia euomuit in Europam 637.34
Carpocrates, hæretic. 214.3
Carræ expugnatæ 593.19
Carthago deleta à Saracenis 319.20 *à Scipione* 536.10 *capta à Genſerico* 318.11 *inſtaurata ab Auguſto* 536.19
Caſanij pop. 718.35
Caſanus Argoni filius 716.34
Caſpiæ portæ 376.9 *Caſpium mare* 368.14
Caſſandrea, opp. 243.11
Caſſãder, eiuſq; tyrãnis 129.30 *Phthiriaſi moritur* 130.6
Caſſella, Cattenelembogen 212.28
Caſſius Malchum interficit in gratiam Herodis 184.10 *eius interitus* 182.7
Caſſius dux L. Veri 221.35
Caſſubiorum nomen, & regio 413.40
Caſtellæ regũ propagatio 704.11
Caſtellanorum regio 409.18
Catalani pop. 760.13
Cathari hæret. 239.30
Catonis conſilium, de delenda Carthagine 163.14 *interitus* 180.15
Catti, nunc Heſſi 394.9
Cattuarij pars Heſſorum 395.13
Caucaſus mons 38?.13
Cauci, vel Cayci 195.22
Cauci maiores, & minores 395.24
Celebinus, Baiazetis filius 855.35
Celtæ pop 168.20 *quo nomine nominati Galli, & Germani* 392.5 *inuadunt Italiã* 133.34
Cepio victus necatur 171.43
Cepheus, ſeu Cheops rex Ægypti 41.31
Cebhrim rex Ægypti ib.34
Circaſſia regio 587.20
Cercaſſi pop ibi. 28 *regnum Ægypti adipiſcuntur* 43.2
Cerinthus 213.42 *refutatus à Ioanne* 214.43 *eius blaſphemia* 4.35
Cetes rex Ægypti 41.24
Cethim à quo Macedones 22.34
Chalchis à Mahomete expugnata 867.36
Chaldæi 30.12 *eorum, & Aſſyriorũ regum catalogus* 31.35
Chalybes pop. 23.15
Chamaui pop. Oſnaburgenſes & Monaſterienſes 395.11
Cham poſteritas 19.41
Changius Canis I. Imperator gentis Tartaricæ 711.43
Chanaan 243.22
Charitini pop. 196.3
Charræ, opp 35.6
Chendemus Baſſa 881.3

Cherſeagles Baſſa 875.36
Cherſonneſus Cymbrica 169. 21. *eius habitatores* 395 26
Cheruſci, Herciniæ pop. 194. 40
Chœnix 200.40
Chriſtus Ieſus, verus Deus, & verus homo, naſcitur ex virgine 150.15.193.35. *baptizatur* 198.12. *patitur* 199 36
Chriſtiani reliquias regni Ieroſolymitani amittunt 753. 10
Chriſtianorum perſecutio I. ſub Nerone 209.15.
II. ſub Domitiano 212.32
III. ſub Traiano 216.41
IIII. ſub Diocletiano 254.36
Chriſtianus II. rex Daniæ 734. 30
Chryſoſtomus eiicitur in exilium 303 24. *eius eloquentia* 303.27 *de ſcriptis eius cenſura* 304.20. *obitus* 304.5
Chus pater Æthiopum 19.41
Ciceronis interitus 182.3
Ciliani mors 892.7
Cimmerij pop. 169.25
Cimon 88.16
Cinnæ crudelitas 173.19 *interitus* ibid.42
Ciouia caput Ruſſiæ 71[illegible] 15
Circaſſus obtruncatur 8[illegible]4 26
Circumciſio quando inſtituta 34[illegible].35
Ciricius epiſc Rom. 292.40
Ciſca dux Huſſitarum 833 20 *vlciſcitur necem Huſſi* 843. 42
Cyclades 527.23
Cyprus, à Guidone Luſignano poſſeſſa 596 32 *in Venetorum poteſtatem quando venerit* 597.26
Claudij cum ſocio conſule coniunctio, contra Aſdrubalem 157.40
Claudius Imper. 243.24 *necatur veneno* 2[illegible]6.36
Clearchus interficitur 95.10
Clemens Epiſcopus Romanus 213 15
Clemens Epiſcopus Alexandrinus ibid.15
Clemens II. Pontifex, veneno extinguitur 514.14
Clemens Epiſcopus Rauennas Pontifex 563.10
Clemens V. 664.32 *trāsfert ſedem pontificiā, ex Italia, in Galliam* 740.29 *init pontificatum Lugduni* ibid.30
Clemens VI. Moguntino interdicit 792 24
Clemens VII. truculentus [illegible]20. 22
Cleombroti regis, eiuſq; exercitus interitus 103.13
Clepſes II. rex Longobardorum 343.26
Cliti interitus 125.3
Cliuiæ comitatus peruenit ad comites de Marca [illegible]11.8
Clodius Albinus 226.26
Cobelus 715.27
Cœlibes eſſe iubentur Siculi diaconi, à Gregor. Magno 552.15
Cœlibatus mandatur Sacerdotibus 568.14
Colchis vtitur lingua Germanica 405.2
Collegia eccleſiarum ad quem vſum ſint fundata 575 28
Colonia Agrippina 112.30 242.31 *deditione capitur, à Phi-*

Philippo 633.13
Colonienſis episc. Rupertum diademate regio cingit 824.40
Coloſſus Solis in Rhodo 367.27
Comani regnum Ægyptium occupant 556.25
Cometa diuerſi, diuerſis temporibus viſi 90 40. 162.4. 28: 3. 293. 40. 532. 5. 564. 5. 569. 17. 829. 3. 853. 35. 900. 35
Commodus Imperator 224 7
Comnen Trapezuntinum Imperium condiderunt 756.24
Conon Athenienſis 101.34 *interitus* 102.30
Conradus Salicus Imperator 539 35 *res geſta* 541 17 *& ſeq. mors* 544.20
Conradus patruelis Salici ambit Imperium 541.22
Conradus marchio Miſnenſis 565 21. *Potitur Bohemia* 583.3
Conradus Marchio Montisferrati 597.10.42
Conradus III. Imperator 613.40 *geſta* 614.10
Conſaluus Magnus 910 35
Conſtans filius Conſtantini M. Imperator 369.15
Conſtans filius Conſtantini iunioris Imperator 269.11
Conſtantini vrbs 260.32
Conſtantinopolis, à Conſtantino M. reſtituta 771 5 *à Frãcis capta* 707.31 *à Balduinis II amiſſa redit ad Græcos* 709.16 *capitur à Mahomete II.* 770.5 *eius ambitus* 771.24
Conſtãtinus Magnus Imperator 257 25 *quæ geſſerit ante Imperium* 25 .30 *poſt adeptum Imperium* 254 40. *& inde mors* 268.:0
Conſtantinus II. filius Conſtãtini Magni 2 .19
Conſtantinus minor filius Heraclij 367.2
Conſtãtinus Leonis filius Imp. 476 36
Conſtãtinus Imper. frater Porphyrogeniti 527.11
Conſtãtinus Monomachus Imper. 529.15
Conſtantinus Ducas Imp. 531.33
Conſtantinus Palæologus vltimus 768.22 *in porta trucidatus* 770.10
Conſtantinus Barbatus, ſeu pogonatus 367.35
Conſtantinus Diogenes 523 20
Conſtantinus, filius Conſtantini M. Imper. 269.20
Conſtantinus χλωρὸς 262 32
Conſtantius Cæſar, collega Honorij 298.41
Coponius, Iudææ rector 194.15
Corchutus Baiazetis filius 871.43
Corinthus deleta à Mumio 164.27
Corneliæ leges 174.2;8
Coruorum nidus, locus in finibus Ciliciæ 600.25
Coſroes rex Perſarum 354 5
Cothus Sultanus Ægyptius 588.17
Craſſus violat templum Ieroſolymitanum 183.30 *interficitur* 134.41
Crateri obitus 130.31

Cremij 71.26
Cremona deleta ab Exarcho 350.34
Crenidę, quę & Philippi poſt dictę fuerunt 113.9
Criſpus, filius Conſtantini Magni 268.30
Critias tyrannus interficit Theramenem 99.17 *trucidatur* ibid 29
Croatę in Liburnia conſident 533.32
Crœſo in rogum impoſito, parcit Cyrus 70.20
Cunegunda 521.11
Combertus XII. Rex Longobardorum 345.43
Conradinus filius Conradi 588.3
Conradinus vincitur à Carolo Andegauenſi 689.25
Conradus ſufficitur in locum fratris Henrici 68 .3 *geſta ibid* 17. *& ſeq. veneno perit* 68 .9
Conradus Caputus 688.25
Conradus Peutinger 916 6
Cuſpinianus ibid.5
Cymbri 22.5 *eorum author* 291.7
Cymbricum bellum 168.25
Cyprianus vbi ſit interfectus 239.15
Cyrene, vrbs fontis 21.5
Cyrenaica regio 21.9
Cyriacus Patriarcha 356 8
Cyrillus Epiſcopus Alexandr. 307 6
Cyrſilus vna cum vxore lapidatus ab Athenienſibus 85.43
Cyrus, Primus Rex Perſarum 67.30. 68.16. 199.16 *Res geſtę* 69.14. *& inſequent. Mors* 71.36
Cyzicum occupatur à Saracenis 367.40
D*acia regio* 212.2
Dacia pop. 212.22 402.39 *ab Adriano, & Antonino Pio repreſſi* 406 25
Dagobertus rex Francorum 345.30
Dagriſſa ſecundus Princeps Turcicus 481.33
Dai, pop. nunc Dani 169.30
Δάτος *opp. nunc Philippi* 113.15
Δάοι *pop.* 26.33
Dalmatius 258 1
Dalmatę iugum Imperij Græci excutiunt 885.26
Damaſcus Syriæ metropolis 19.39
Damaſcus Epiſcopus Romanus 292.8
Dani ab Henrico Aucupe cæſi 391 27
Dania accipit religionẽ Chriſtianam 495.27 *eius mutatio* 734.13
Danicorum regum diſcordiam ſedat Barbaroſſa 619.11
Daniel Propheta præſes in Suſis 69.23 *ſeruatur inter leones* 73.27 *concio & prophetia de Meſſia venturo* 74.30 *vaticiniũ de monarchiis, vaticinium de regno Saracenico* 361.20
Dantiſcum, oppid. 401.2
Dantes Florẽtinus Poëta 741.
Danubij fontes 396.28
Darius III. Rex Perſarum 79.20 *res geſtæ* 80.15. *& ſeq.*
Darius filius Hiſtaſpis maritus

tus Eſther 68.9
Darius Nothus 91.30
Darius vltimus victus ab Alexandro 118.10 *interfectus à Beſſo* 126.2
Dauid 48.21
Daſius menſis 125.32
Debora & Barac 44.23
Decebalus, eiúſque virtus 212.2 *interitus* 216.27
Decemuiri Romæ creantur 91.30
Decius Imperator 237.39 *interitus* 238.39
Decretorum liber attemperatus Pontificiæ tyrannidi 579.15
Demetrius Chalcondiles 867.21
Demades orator 117.1 *eius dictum, de exercitu Alexandri Magni* 126.13 *interitus* 129.5
Demetrius cum Antigono patre rex nominatur 131.4 *interitus* 132.30
Demetrius II. 132.1
Democratia 175.2
Demophilus Arianus 290.30
Demoſthenes à Senatu Areopagetico condemnatur 128.28 *abſoluitur* 118.41 *eius conſilium de defendenda patria* 3 13 *interitus* 128.22
Deſiderius XX. Longobardorum rex 348.32 *concitat Epiſcopos & principes in Imperatorem* 559.6
Deuches pr fectus claſſis 875.8 *capit Neupactum ibid.* 15
Deudſch ſuburbanum Colonienſe 170.30
Diadumenes filius Macrini 231.40
Didius Iulianus 226 12
Didymus Alexandrinus 279.28
Diæi ducis interitus 167.22
Diluuium vniuerſale 18.5
Dincio filius Attilæ 313.41
Diocletianus Imperator 253 40 *crudelitas in Chriſtianos* 154 31 *Mors* 255.30
Diomedis ſocij conuerſi in aues 62.28
Dionyſius Siculus 106.10
Dionyſius Areopageticus 201.9
Dionyſius Alexandrinus 239.16
Dionyſius Albæ Epiſcopus 275.19
Dionyſia opp. 318.25
Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus 308.30
Ditericus marchio Myſorum 740 23 *pater marchionum Miſniæ* 290.6
Ditbertus dux Bauaricus 346.20
Ditmarſi, pop. 195.27
Domitius Nero, pater Neronis 208 40
Domitianus Imperator 211.40 *eius crudelitas in Chriſtianos* 212.42
Doriſmūdus rex Gotticus 301.30
Dothaim 83.23
Dotrula Sueuus vnus ex triginta ducibus 350 14
Draconis leges 75.25
Dracula VValachorum princeps 866.41
Dromon Achillis 718.11
Druſus, Germanici pater 204.

8 mors ibid.
Druſianæ reſtituitur vita 216. 3
Druidæ 235.12
Eber, à quo Ebræi 19.34
Ebræi quandiu fuerint in Ægypto 39.7
Eberhardus dux Franconię 491.34
Eberhardus Anhaldinus 738.5
Eberhardus comes VVirtebergenſis, inſtituit academiam Tubingenſem 914.20
Ebion lacerat doctrinam, de filio Dei 4.35.213.42.264.7
Eccleſia alligata ad euangelium 665.3 diſcernenda ab Ethnicis 7.11.64.30 in quibuſdam errare poteſt 612.10 à Turcica vaſtatione defenſa 535.22 ſemper manſura ibid 30 mutata in regnū politicum 550.23 iudicia eius politicis diſſimilia 287.20 illam quęrentes, quid intueri debeant 669.35
Eccleſia Græca purior, quàm Romana ibid.36
Eccleſiæ Chriſti, & Romanæ diſcrimen 610 25 vtriuſque fundamenta 663.16
Eccleſiaſtica poteſtas 461.22
Echardus marchio Saxoniæ 557.23
Edeſſa vrbs 593.1
Eduardus III. Anglorum rex, Caletum capit 661.7.791.1 recuſat dignitatem Imperatoriam 803.42
Eduardus VValliæ Princeps 791.1
Egmondanus eripit Gerardo Geldriam 811.6
Egilolphus Longobardorū rex 344 21
Ehud dux populi Iſrael 44.20
Elam ſtirps Perſarum, vnde Elamitæ 19.20
Electores quando primùm inſtituti, & quibus de cauſſis 517.8 & ſeq. & 513.16 ceu παραστάται adſunt Imperatoribus 659.8 eorum munus in abſentia Imperatoris 554.2 αὐτοπόθητα ſunt illorum iudicia 700.10
Eleutherius Exarchus VII.351.10
Eli ſummus ſacerdos 45.7
Elias tempore Ioſaphat 50 41 vbi natus 51.7 dictum eius de duratione mundi 7.5 viuus tranſlatus in cœlum 17.30 gubernatio 51.18
Eliſæi patria 51.8 gubernatio 51.20
d. Eliſabeth 660 37
Eliſii pop. nunc Sileſii 196 35
Ellac filius Attilæ 311.15.20
Elpidius Medicus 324 4
Elpis Suldanus 588.32
Emanuel Palæologus 765.20 Iſthmū muro Hexameli cingit 856.30 eius filij 766.1
Emanuel Chryſoloras 807.17. Primus Græcarum literarū ſtudia in Italia excitat 869.42
Encius filius nothus Friderici Imperatoris 681.16 captus ab hoſt. in vinculis moritur 682.45
Engelbertus, & Adolphus fratres 812.6
Engern 195.20

Ennicus Gottus conditor ſtirpis Arragoniæ 704.21
Epaminondas 106.15 *liberat Pelopidam* 104.30 *ducit exercitum in Laconicam* 105.15 *exitus* 107.22
Epaphi certamen cum Phaethonte 21.2
Epacta dies 77.30
Ephialtes, & Othus capiunt Martem 1[?]93
Ephori 87.30
Epiroticum bellum 859.30
Epiphanius Patriarcha 345.25
Epiſcopis politica poteſtas, voce diuina, denegata 511.13
Erechtheus Athenienſis 61.3 *eius filiæ fiunt victimæ pro patria* 12.10
Eremitæ, in Gallia, nati authore VVilhelmo, Aquitaniæ duce 627.35
Erneſtus Sueuiæ dux 521.43. *Vitrico rebellis interficitur* 541.42
Eſaias 53.13 *& inde*
Eſdras mittitur Ieroſolymam 89.27
Eſſei [?]6.41
Eſther coniunx Darij, filij Hiſtaſpis 83.5
Eſthones in Liuonia 401.30. 630.14
Ethnicorum doctrina qualis fuerit 64.22
Euagoras Rex Cypri 110.20
Eucherius, cum patre Stilicone, interfectus 297.30
Eudo VVeſtgottus 371.27
Eugenius, Valentiniani ſcriba 285.2. 286.38
Eugenius IV. præcipit Synodum Baſilienſem transferri Bononiam 842.8 *citatur Baſileam ib.* 9 *mortuo Sigiſmundo, armis Synodum Baſilienſem diſſipat ibid.* 35
Euilmerodach liberat Ieconiã 33.42
Eunomius, hæret. 292.5
Euphemius Patriarcha 332.15
Eurichus vltimus Exarchorũ 352.30
Europæum regnum, in plures partes diſcerptum 757.1
Eurotas fluuius 105.16
Euſebius Nicomedienſis 271.242
Eutaricus gener Theodorici Veronenſis 324.38
Eutropius 257.20
Eutropius Eunuchus 294.23
Eutyches, hæret. 315.40
Eutychius Patriarcha 353.7
Exarchatus in Italia 341.35
Exarchorum Catalogus 350.7
Ezechias rex Iuda 54.9

F*Abianus Epiſcopus Romanus* 237.13
Fabius contando reprimit Hãnibalem 157.35
Fauſta coniunx Conſtantini Magni 257.35
Ferdinandus pater Alphonſi X. 659.27
Ferdinandus V. 705.9
Ferdinandus Piſcarius 907.23
Ferdinandus Alphonſi nothus filius, hæres regni Neapolitani 909.36 *moritur* 910.16
Ferdinandus filius Ioannis Aragonij 910.26 *geſta* 909.36. *& inde*
Feſa ſedes regni Mauritanici 536.34

Feroaldus vnus ex triginta Tyrannis Longobardicis 342.42
Finni à quibus Finnonia, & Finlandia 402.14
Flaminius vincit Philippum 160.1
Flandria nomen habet à Vandalis 4 4.10 *qui populi eam tenuerint* 418.24
Fauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus 308.30
Flauius Claudius Cæſar 243.25
Florentini tribus prælіis à Piſanis victi 53.32 *emunt Piſas, à Gabriele Galeacij filio notho* 825.28
Florus Iudææ rector 909.34
Florus Poëta 219.37
Fœlix V. ſua ſponte cedit Pontificatu 843 10
Fons Solis in Cyrenaica 21.6
Francofordia ad Menũ 196.12
Francia ibid.29
Francorum prima mentio 241.7.707.5 *eorum virtus* 254.29.270.33. *Treuiros occupant* 295 18 *Imperium omnium primi tenuerunt Occidentale* 387.17 *in Italiam attracti* 288.30 *ad Tornacum florem militiæ amittunt* 744 19
Francici regni in Gallia initium 408.34 *eius tranſlatio à ſtirpe Carolina* 451.28 *Francici reges à VVitechindo* 427.25
Franciſcus Petrarcha 806.33
Franciſcus Gonzaga à Sigiſmundo Imperat. fit marchio 834.27
Franciſcus Sfortia 904.35 *geſta* 905.7
Franciſcus rex Francorum, & eius geſta 928.16.28.929 17
Friberga obſeſſa, proditione capitur 738.14
Fridegernus dux Gotticus 283.12
Fridericus in Hohenſtauffen dux Sueuiæ 515.35
Fridericus Elector Saxoniæ ornat ſepulchrum Ottonis III. 519.40
Friderico de Vadimont prognati duces Lotharingiæ 584.7
Fridericus Conradi III. filius perit peſte 617.12
Fridericus Barbaroſſa Imperator 618 20 *geſta ibid.* 24 *& inde moritur cùm lauiſſet in flumine* 626.40 *ſepultus Tyri* 627.43 *eius virtutes ibid.* 3 *vxores & liberi* 628.11
Fridericus II. vocatus ex Sicilia ad Imperiũ 672.25.673.39 *res geſtæ* 674.15 *& inſeq. ex propinato veneno moritur* 683.34 *vxores, & liberi* 685 17
Fridericus III. 889.5 *res geſtæ* 890.25 *& ſequent. mors* 915.3
Fridericus Auſtriæ dux 689.20
Fridericus Auſtriacus Bonnæ coronatur 781.25 *res geſtæ* 781 3 . *& ſequent. philtro extinctus* 784. 6
Fridericus marchio Miſniæ ſpernit Imperium 80 .1
Fridericus dux Brunſuicenſis inſidiis ...

Inſidioſè interimitur 823 7
Fridericus Arragonius 910. 20 *res geſta* *ibid.* 21
Friderici Victorioſi Palatini geſta 895 12 *pater comitum in Louenſtein* 896.2
Fridericus cum admorſa gena 738.7 *à patre capitur, & carceri includitur* 737.15 *res geſta* 738.6 *& deinceps.*
Friſii pop 195.27 *vendicant ſe in libertatem* 217.12
Fulco comes Andegauenſis rex Hieroſolymitanus 596.2
Fumi venditor 234.12
Gabaa 21.31
Gabreta ſylua 222.2 40 .27
Gabrinus Fundulius 826 40
Galaad Iturea Trachonitis 44.38
Γαλάτης καὶ ἴλλυριος *Polyphemi filij fabuloſi* 108.33
Galatię, & Celtę iidem VVallen, VVelſche 133.30.390 12
Galata 314.8
Galeacius pręmatura morte abripitur 905.41 *bibliothecam condit* 807.6
Gallorum nomen vnde 26.24 *per vniuerſam Siciliam obtruncantur* 691.8
Gallus frater Iuliani 257 30
Gallienus Imperator 240.31
Gallicia regnum à Sueuis conditum 409.13
Gallia quandiu prębuerit ſedē Romanæ curię 748.20
Gampſon Gaurius Sultanus Ægypti 884.0 *geſta ibid.*35 *interit* 885.10
Gambaleſchia regia ſedes Tartarorum 711.40
Ganges Indię fluuius 21.38
Gangra oppidum 275.1.291. 36
Gangrenſis Synodus 291.35
Garibardus rex Bauaricus 344.15
Gazelles Magni Caithbei alũnus 885.27 *à Sinambaſſa vincitur* *ibi.*32
Gedanum arx belli principum Pomeraniæ 723.24
Gedeon iudex populi Iſrael 44. 24 *eius poſteritas deleta* 644. 30
Gehenna locus Palæſtinæ 55.4
Gelaſius pontificatu amotus, per Henricum Quintum 570 23
Gedrenſes, Mentenſes, & pars Friſiorum, olim Sicambri 4'8.7
Gemes filius Mahometis 871. 41 *geſta* 870.38 *veneno necatur* 872.4
Genſericus rex Vandalorum in Aphrica 295.35 301.2 *Arianus* 301.10 *capit vrbem Romam & diripit* 309.20
Gentium, & linguarum diuiſio 29.25
Genuenſium potentia 598.17 *Venetis Imperio maris exutis* *ibid.*
Georgius Epiſc. Alex. 273.11
Georgius dominus interioris Iberiæ 526 34
Georgius Maniaces cupit eſſe Imperator 529.10 *recuperat præcipuas Siciliæ ciuitates* 537.33
Georgius Ioan. Caſtrioti filius 860.30 *ab Amurathe Scãderbeius nominatus* 861.10

geſta ibid 12. *& inſeq.*
Georgius Seruiæ Deſpota 861.7
res geſtæ 861.34
Georgius Boiebracius, & filij 904.1
Georgius Fronſpergius 907.24
Georgius Sechelius ſeditioſus viuus cum fratre capitur 932.3
Georgius Trapezuntinus, & Theodorus Gaza æmuli 870.7
Germani Γερμανοὶ 36.33.170.34
quaſi Heermener 391 11
Germaniæ veteris limites 194.42.388.40 *& populi* 389.15.391.2 *limites imperante Carolo M.* 416.20
Germania bello inuicta 653 20 *floruit quandiu valuit Senatu Septem virum* 654.3 *inteſtinis bellis à Pontificibus excitatis ſe confecit* 559.8
Gormanicus patricius 354.12
Germanicus 204.12
Germanus Patriarcha 374.8
Gepidæ pop nunc Sepuſii 313.13
Gerardus VVilhelmi Bergenſis filius 818 18
Gero comes Stadenſis, marchio Luſatiæ 488.10
Gerſon Cācellarius Pariſienſis 840.6
Geth, & Gethę 26.14 *Teutonica locuti lingua* ibid 25
Getæ qui & Guthones 195.39
Geta filius Seueri Imperatoris à fratre Baſſiano in ſinu matris confoditur 228.1.250.35
Gibellinorum origo, diſſidium cum Vuelphis, migratio in Italiam, ſtudium erga Imperatores 542.2
Gibellina ſtirpis Imper. 542.14
Gibellina factio 786.18
Glycerius Imperator Italicus 321.18
Godeberius Longobardus 345.27
Godefridus Bilioneus 612 2 *dux Argonautārum noſtrorum in Aſiam* 91.1 *res geſtæ* 562.34.548.22.583.33.590.15. *& inde mors* 592.39
Gog, & Magog 22.20
Gomeri, à quo orti Cimmerij 22.5
Gomorrha deleta 36.14
Gordianus I. pater & II. filius oppreſſi à Capelliano duce 235.40
Gordianus III. Imper. 236.14
Gothia 526.13
Gottorum origo, & potentia 296.35
Gottij, Pellucij à Sarmatis nominati 713.5
Gotthini, pop. 195.43 *vincūtur à Claudio* 243.37 *capta Roma diſcedunt in Galliā, & inde in Hiſpaniā* 409.10 *à Saracenis compulſi in anguſtias Pyrenæorum* ibi.38
Granata vrbs vnde nomē ſortita 910 37 *duo reges inter ſe diſſentientes ibi regnant* ibi.37
Granatenſe regnum, à Saracenis conſtitutum 536.22
Gratianus Imper. 283.26 *occiditur* 284.35
Gratianus dux Theodoſii 300.8

Grçci orti à Iapetho, & Ione 22.25.60 35

Græca Mrnarchia initium 123.22 Græcorum vaſtato Imperio libri in Italiam tranſportati 524.38

Græca lingua Lutetiam reducta 71.2

Grapalatus Damaſci Syriæq; præſes à Tomumbeio trucidatus 884.26

Gregorius Neocæſarienſis 248.43

Gregorius Nazianzenus 274.20

Gregorius primus, Epiſcopus Romanus 344.16 auxit ſuperſtitionem 552.21

Gregorius III. Romanus Epiſcopus 352.20.374.10

Gregorium Phocas οἰκουμενικὸν appellat 553.8

Gregorius VII. vetat Epiſcopos ab Imperatore petere Epiſcopatus 561.13

Gregorius IX. contra Fridericũ ad arma proclamat 665.36 exercitum comparat de cruce ſignatis 681.2

Gregorius X. 666.22 extorquet Imperatori Rodolpho Exarchatum Rauennatenſem ibid 35

Gregorius Tyfernas 87.43

Grimmannus Venetus 875.12

Grimoaldus X. Longobard. rex 345.36

Guido Luſignanus ingerit ſe in regnum Hieroſolymitanum 596.32 tenet Cyprum 597.23

Guido Turrianus Guelphorum princeps 751.9 tumultum excitat aduerſus Henricum ibid 20

Gulielmus Monfortius 787.28

Gundamundus III. rex Vandalorum 318.38

Guntherus Ligur poeta 627.26

Guntherus comes Schvvartzburgenſis ad Imperium euehitur 804.36 veneno tollitur ibid. 39.

Guthones, pop. 195.39

HÆreſis, & ſchiſma in quo differunt 727.25

Hadrianus Pontifex denunciat Friderico Barbaroſſæ, ſuum eſſe tribuere Imperium 620.32 eius mors non vulgaris 621 17

Hagerus 698.26

Halis Mahometi interpres 772.42

Halibaſſa purpuratus 864 24

Halibaſſa 879.6 Techellem ad Olygam montem aſſequitur ibid. 25 cæditur ibid 31

Haman 83.3

Hamburgo, & nomen eſt Gambriuuium 291.39

Hammonis templum, in Cyrenaica 21.18

Hannonia pars Galliæ Belgicæ 418 33

Haram quæ & Charræ 35.6

Harduelles pater Hiſmaelis Sophi 876.26 à Iacuppo Vſumcaſſanis filio interfectus ibid. 27

Harmãnus dux Cheruſcorum 194.37.196.39 eius potentia ibid. 43 mors 197.20

Harpagus, & Cyrus vaſtant

Ioniam 70.7
Harpalus Gazophilax, Alexãdri Magni, fugit Athenas 128.6
Haſſia auulſa à Francia 515.25 *eius Landgrauij propagati à Godefrido Louanij comite* 584.9
Hatto Moguntinus Epiſc. 454.11
Hatto Armenius, hiſtoricus 719.19
Hazor regia Cananæorum 44.24
Hebdomades annorum Danielis 8.25 198.24 *LXX. quot annos faciant* 75.7
Hebron opp. locus ſepulturæ Abrahami 21.28
Helena Britannica, coniunx Conſtan. M. 557.25
Helias Epiſcop. Armeniæ 332.25
Helice, & Bura abſorptæ terræmotu 100.25
Heliogabalus Imperator 233.17
Hellas ab Hello 60.34
Hellus 22.39
Heluetij 196.25 *Gallos tota Germania pellunt* 891.25
Heluetiarum ciuitatum fœdus, contra principes, & comites 815.41 *earum conditio ante fœdus* ibid. 32
Heluetica pugna ad Baſileam 85.17
Heneti 171.9. 196.30. 288.14
Henetæ linguæ vſus in aula Turcica 486.5
Henoc viuus in cœlum tranſlatus 17.30
Henricus Saxo 8.23
Henricus Bambergenſis 10.2
Henricus Auceps 313.29 *accipit Imperium* 485.25 *Boiemiam tributariam facit Imperio* 488.2 *filij & filiæ* 490.27 *eius poſteritas concidit* 565.8
Henricus Hazelo pro Imperatore ſe gerit 501.29
Henricus Anhaltinorum principum progenitor 624.40
Henricus Leo Henrici Superbi filius 515.40 *geſta* 614.42. 617.18. 622.5
Henricus Rixoſus ſupplex fratri Ottoni 493.21
Henricus Sanctus Imperator 520.11 *geſta ibi.* 15. *& inſeq. Virtutes* 523.7 *mors* 548.40
Henricus Niger Imperator 545.31 *geſta* 546.3 *& deinceps. mors* 548.35 *Vxores & liberi* 549.12
Henricus IV. cognominatus Senior, adiit Imperium puer ſeptennis 549.20 *Puer fraude abripitur in Saxoniam* 557.1. *Res geſtæ* 558.10. *Excommunicatur* 562.7 *moritur Leodij, ſpoliatus Imperio à filio* 564.20
Henricus V. filius Henrici IV. 568.5 *geſta ibid.* 20 *moritur Traiecti* 572.19 *ſoboles ibid.* 25
Henricus VI. Imperator 628.25. *Res geſtę ibid.* 40. *Extinctus veneno in Sicilia* 629.17
Henricus Superbus Henrici filius 583.17 *ambiens Imperium, patitur repulſam* 614.11 *proſcriptus à Conrado, moritur*

moritur mœſtitia ibid.23
Henrico Henrici Luneburgenſis filio prognati reges Portugalliæ 533.33.36
Henricus Campaniæ comes 597.17
Henricus Barbaroſſæ filius 539.8 *proclamatur rex Siciliæ, & Neapolis* ibid.15
Henricum march. Auſtriæ reprimit Henricus Sanctus 520.23
Henricus VII. Imperator 749.10. *Res geſtæ* 750.10 *& deinceps moritur veneno per infectum panem ſacrum, Soboles* 754.20
Henricus Landgrauius Thuringiæ, ad Vlmam telo confoſſus occumbit 682.5
Hẽricus primogenitus Friderici decernitur rex Romanorũ 686.22 *paternos amicos hoſtiliter oppugnat* ibid 30. *In carcere moritur* ibi.35
Henricus marchio Miſniæ 696.26
Henricus Iohannis Brabantiæ ducis filius ibid.26
Henricus Dapifer VValpurgenſis 697.35
Henricus poſt mortem fratris Balduini Imperium ſuſcipit 707.40 *decedit* 708.15
Henricus frater Friderici Auſtriaci captus in prælio 783.42
Henricus de Virnbergo nec fulmini Pontificio, nec deſignato ſucceſſori cedit 791.24
Henricus Boëmici regis filius 794.42
Heraclius Imp. 358.25
Heraclianus pater Heraclij Africæ præſes ibid.3
Heraclius frater Apſimari 369.31
Heraclionas Heraclij filius 366.27
Hercinia ſylua 392.4
Hercules interficit Linum præceptorem 63 37 *furens interficit filios* 124.31
Hermannus dux Sueuiæ 492.40
Hermãn⁹ dux Saxoniæ 499.10
Hermãnus Lotharingiæ Princeps, Imperator factus à Saxonibus contra Henricum IV. 563 34
Hermannus Lãdgrauius Thuringiæ 633.10
Hermannus Knusfloch comes Lucelburgenſis 516.27
Hermannus Rudolphi Imp. filius perit in Rheno 732.35
Hermiones pop. 390.38
Hermunduri, nunc Miſnenſes 195 5.222.27
Herodes rex Iudææ 194.1.31 *poſteritas* 149.14
Herodes Agrippa phthiriaſi moritur 200.20
Herodias 303.23
Heroici viri qui 68.40
Heſiodus 64.15 *interficitur ab hoſpitibus* 64.34
Heſſi pop. olim Catti 196.5
Heth condidit Hebron 21.28
Hetruſcæ & Longobardicæ vrbes redimunt iura Imperij à Rodolpho 749.40
Heuila pronepos Sem 22.2
Heuila quæ India 21.4
Hielon frater Magni Canis

715.16.851.6
Hierarchia Pontificum 662.38
Hieronymus 292.21
Hieronymus Pragenſis crematur 841.15
Hieronymus Nouellus 868.6
Hieronymus Spartiata 870.6
Hieroſolymam noſtri Argonautæ recipunt 592.12
Hieroſolymitana expeditio duce Bilioneo 590.15
Hieroſolymit. regnum deſtructum à Saladino 697.3
Hilarius Doctor 290.20
Hildericus V. Vandalorum rex 295.40.319.1
Hildebrandus XVII. Longobardorum rex 347.26
Hildebrandus Pontifex tentat amplificare pontificatum, & opprimere Imperium 55.43
Hiltenius Iſenacenſis refutat errores pontificios 612.8
Hipparchus tyrannus Athenis interficitur 82.4
Hippias Piſiſtrati filius 82.5
Hippocrates peſtem à Theſſalia quomodo depulerit 91.5
Hippona ſedes regni in Africa 537.7
Hircanus ſummus ſacerdos 149.9
Hiſmael Sophus 876.23. *Res geſtæ* 176.7 & *inſeq.*
Hiſpania in plura regna diuulſa 130.15 *eius vires vniuerſæ tranſeunt ad Philippum Auſtriacum* 205.22 *Vandali & aliæ gentes ipſam inuadunt* 387.42
Hiſpanici reges 703.35
Hiſtoria mundi continua 4.7 *Moſaica longè vetuſtior Græca* 60.43
Hiſtoriarum Ethnicarum, & Eccleſiæ collatio 6.6 *longè vetuſtior Græca* 60.42
Hocotius Can, ſucceſſor Changij Canis 712.9
Hogernius comes Mansfeldenſis cadit in prælio 570.5
Hollandia 418.14
Holſatiæ ducum ſtirps 582.41
Homarus 773.1
Homerus 76.27 *eius poëmata collecta à Solone* 77.39
Homo qualis conditus 13.22
Homicidæ ſemper ſunt in metu 118.32
Honorius Imperator 296.8 *origo* 287.26.295.20 *mors* 298.40
Honorius II. Vandalorum rex 38.18
Honoratus Epiſcopus Mediolanenſis 343.2
Honorius Huartus 664.28
Honorius ſucceſſor Innocentij 675.18
Horda Zagatiorum, & Zauollienſium 719.11
Hoſius Epiſcopus Cordubenſis 275.5
Hugo Capetus magnus comes Pariſiorum, regnum Franciæ obtinet 504.34
Hunnorum dux, ab Henrico Sancto rex creatur 434.18
Hunniadis res geſtæ 844.25 *fulmineus Turcorum terror nominatus* 848.2 *mors ibid.* 24
Hyperides orator interficitur 128.13

Iabo-

Iabolenus Iuriſcõſultus 220. 16
Iacob Patriarcha 36.32 deſcendit in Ægyptum ibi.40 moritur ibid
Iacobus interficitur ab Herode Agrippa 205.21
Iacobus filius Alphęi 207.15
Iacobus filius nothus Iohannis Cypri regis 913.30 geſta ibi. 4 mors ibid.40
Iacobus Manlius hiſtoricus 916.6
Iaddus ſummus ſacerdos 121.4
Iagellones 913.21
Iair iudex pop. Iſrael 44.36
Iamblicus Philoſoph. 277.29
Ianizeri inſtituti 863.12 eorum Galea ibid 35
Ianus bifrons 23.2
Ianua Hircanus 143.30
Iaphet 22.2
Iaſon Phereus interficitur 104. 28
Iaſon ſummus ſacerd. 136.36
Iaxartes amnis 717.25
Iazygæ Tranſſyluani 216.29
Iberi pop. Aſię 405.2
Iconomachia cauſa auulſionis Occidentalis Imperij ab Orientali 438.18
Idolorum cultus cauſſæ maximarum calamitatum 96. 30 116.5 119.39
Idololatria plurimum creuerunt ſub Henrico quarto 554.40
Idololatriam aliáque peccata cauſſam eſſe mutationis Imperiorum 556.40
Iebuſęus 21.31
Ieconias rex Iuda liberatur ex carcere 34.6.142.33
Iephthe mactat filiam 44.42
Ieremias 55.25 ab Aprye interficitur ibid 28
Ieroſolyma capta à Nabogdonoſore 56.10 à Ptolemæo Lagi 142 8. Occupata à Pompeio in Sabbato 149.5 ab Herode 185.7
Ieſus Chriſtus naſcitur ex Maria virgine 150 15
Ieſus minor Baiazetis filius 854.40
Ieſus ſummus Sacerdos in reditu populi Iſrael 73.37
Ieſus Syrach 141.8
Ignatius 213.13 beſtiis obiectus 217.7
Ignis ſacer 27.35
Ignis arte ſub aqua factus ad comburendas naues 352.30. 367 43
Ildoaldus rex Gottorũ 327.40
Ἰλλυριὸς ἑταῖρα ἀρετῆς 103.35
Ilingarum ſedes 398.7
Imperator à Pontifice renuntiandus non eligendus 507.2 à ſolis Germanis creatur ſine Pontificum ſuffragio 512. 18 vnus cum electoribus decreta facit 652.40
Imperatores Pontificum ſatellites 526.15 mancipia 571.40 eorum authoritas quomodo imminuta apud exteros reges 656.24 Impediti per Pontifices à bellis Turcicis 609 33 ſunt cuſtodes legis, & religionum 654 7
Imperatores Orientis 756.4 Occidentis 725.12
Imperatores Græci plerique monſtra impuriſſima 466. 31
Imperium pontificum technis

penè euerſum 559.2
Imperium Orientis diuulſum in duo regna 756.4. *dilaceratum* 705.43. *à Saracenis afflictum* 396.24. *tranſlatum ad Francos* 409.6. *ſeruatum inter tot hoſtes, & iam malos principes* 524.22
Imperium Occidentis à Conſtantino M. vſque ad Carolum M. ſine certa Monarchia 466.41. *quomodo diuulſum* 656.12. *à Saxonibus deuolutum ad Francos* 523.11
Imperiorum tranſlatio pœna idololatriæ aliorúmque peccatorum 484.17
Indulgentiæ à Pontificibus introductæ 835.28
Ingeuones quaſi Invvoner 389.26
Ino 61.30
Innocentius Epiſc Rom. 305.22
Innocentius ſecundus à Lothario reſtitutus 576.26
Innocentij tertij epiſtola de Imperatore deſignando 243.10
Innocentius quartus cogit Synodum Lugduni contra Fridericum II. 666.10
Inſubres vincunt Romani 153.10
Ioas rex Iuda interficit Zachariam 52.28
Ioacas rex Iuda abducitur in Ægyptum 55.14
Ioachim rex Iuda interficitur à Nabuchodonozore ib.17
Iodocus & Procòpius Morauiæ marchiones 796.15
Iodocus Barbatus marchio Brandeburgenſis, & Morauiæ 821.21
Iohannis Baptiſtæ interitus 150.25
Iohannes Ieiunator Patriarcha 353.34
Iohannes Platina XII. Exarchus 352.10
Iohannes dux Iuſtiniani 331.10
Iohannes Epiſc. Rom. 323.33
Iohannes Antiochen. 307.37
Iohannes Chryſoſtomus 294.22. 303.8 *Obitus* 304.5
Iohannes Euangeliſta relegatur in Patmon tempore Domitiani 212.37 *refutat Cerinthum & Ebionem* 214.43. *redit ex Patmo* 216.1
Iohannes XII ab Ottone eiectus reſtituitur à Romanis 496.30
Iohannes Cimiſces Nicephori Imp dux 525.22. *trucidat Imperatorem ibid.* 35. *fit Imperator ibid.* 40. *veneno tabeſcit* 526.15
Iohannes Patriarcha Conſtantinop. vult appellari οἰκουμενικός 553.2
Iohannes Scotus enarrat librũ Dionyſii de Hierarchia 354.35
Iohannes de Bregna, dominus Tyri oppugnat Damiatam Ægypti 597.36. *rex Hieroſolymitanus* 776.24. *adiungitur Balduino* II. 708.43
Iohannes Huſſ. 612.7
Iohanna regina Neapolitana, 797.26
Iohannes Prochyta 690.33
Iohannes Duca 700.26
Iohannes filius Henrici Imperatoris

ratoris 755.10
Iohannes Laſus 756.29 *filiam Deſpinam Aſſimbeio Vſumcaſſani dat in vxorem ib.*38
Iohannes Cantacuzenus 763.35
Iohannes Palæologus ibid 35 *geſta ibid.*40
Iohannes Palæologus filius Emanuelis 768.15
Iohannes Iuſtinianus Genuenſis 769.10 *vulneratus deſerit ſtationem* 769.43 *in Chio inſula extinctus* 770.9
Iohannes Boëmiæ rex cadit ad Creſſiacum 790.35
Iohannes Renati filius, cum exercitu regnum inuadẽs, ad Troiam victus recedit 799.22
Iohannes Hus Bohemus oppugnat indulgentias 810.15 *detrahit ſedi Romanæ titulum Eccleſiæ* 819.2 *cum Hioronymo Pragenſi ſiſtit ſe in Synodo Conſtantienſi* 841.10 *geſtans mitram chartaceam ad locum ſupplicij educitur* 840.35 *eius vaticinium* 841.3 *comburitur* 840.42
*Iohannis VVicleffi dogma condemnatum in Synodo Conſtantienſi ibid.*12
Iohannes Galeacius vir ambitionis inexpletæ, & ſæuus 822.20 *totius Italiæ regnũ ſolus affectat ibid* 26 *res geſtæ* 828.23 *mors* 824.20 *filij ibid.*39
Iohannis Mariæ filij Galeacij crudelitas 826.16
Iohannis Philippi audacis filij geſta 830.2
Iohãnes comes Niuern. in Pãnoniam mittitur 852.2 *à Baiazete Peruſia deducitur ibid.*10
Iohannes Caſtriotus, pacem ab Amurat impetrat 859.32
Iohãnes Hunniades, quæ prælia commiſerit, cum Amurathe Turca 859.15
Iohannes Argyropilus 870.30
*Iohannes Capnio ibid.*25
Iohannes Laſcares 871.17
Iohannes Burgundus 896.17
Iohannes rex Franciæ inuadit Burgundiam 896.25
Iohan. Regiomontanus 903.37
Iohannes Renati filius febre extinguitur 909 35
Iohannes Arragonius tradit Ferdinando filio regnum Siculum 911.23
Iohannes rex Cypri 913.29
Iohannes Saxoniæ dux 917 35
Iolanta mater Renati ducis Lotharingiæ 897.28
Ionathas frater Iudæ interficitur 145 14
Iones à Iauan 22.25.76.32 *deficiunt à Dario* 81.8
Ioppen eripiunt noſtri Saracenis 629.21
Ioram rex Iuda 52.4
Ioſaphat rex Iuda 50 32
Ioſeph filius Iacob 36.37
Ioſeph Arſes rex Iudæorum.
Ioſia rex Iuda 53.21 *mors ibid.*40
Ioſua ſuccedit Moyſi 43.40
Ioſua filius Baiazetis à fratre Mulſumane victus 851.40
Iouinianus Imperator 258.6

280 29 mors 281.5
Irenæus auditor Polycarpi 223. 18 refragatur Pōtifici ferenti nouas leges Eccleſiis 550 9
Irene regina 376. 43 excæcat filium Conſtantinum 377. 10 eiicitur ex Imperio ibi.
Irnerus 249. 4 Ius Romanum conſtituit autoritate Lotharij 578.6
Iſaacius Comnenus Imp. 532.19
Iſaacius Angelus Imperator 619.4 geſta ibid. 13
Iſaacius Exarchus octauus 751.14
Iſmaël Synopæ princeps 855.7
Iſter eiúſque ortus 338.39
Iſteuones pop. quaſi Vveſt vvones 389.42
Iſtiæus cruci affigitur 821.1
Italiam Vandali, & aliæ gentes inuadunt 388.6 auellere ſe conatur à Germanico Imperio 505 2. in duas diſtracta factiones 657.37
Itali, accelerant interitum toti Græciæ 759.19
Ituræa 44.39
Iuda tribus exulat in Chaldæa, 55.6
Iudæorum duces poſt reditum ex capt. Babyl. 142.16
Iudæa dilacerata ſectis 145.36
Iudas Hircanus Primus 143.1
Iudas Maccabæus 145. 17 interitus 145.14
Iudices populi Iiſrael 43. 36
Iudæa in formam prouinciæ redacta 194.25
Iudæorum ſeditiones 217. 13 victi ab Adriano 218.35
Iudith interfectrix Holofernis 83.13
Iugerum quid 155.7
Iuliacenſes 418 5
Iuliacenſium principum ortus 583.32
Iulia ſoror Iulij 193 20
Iulius vincit Pompeium 177. 30 ordinat annum 180.42 interficitur à Caſſio, & Bruto 181.5
Iulius Vindex 208.1
Iulius Seuerus 218.20
Iulianus apoſtata Imp. 277. 17 origo 258. 5 interitus 278. 25
Iulius Nepos 321. 20
Iulius Pontifex concedit Venetis pacem 926.30
Iunus Baſſa Techellen tota minore Aſia expellit 879. 8
Iuriſconſulti 337 37
Iuſtinus Imperator 333 32
Iuſtinus II. 341.24
Iuſtinianus Imperator 334.32 pacis opera 337.13
Iuſtinianus III. mperat. 368 37
KArath quid ſignificet 199.11
Κεραυνοβόλος legionis Romanæ nomen 222.17
Kiſleu menſis 138.23
Kittim pop. 111.12
LAabim 20.36
Ladiſlai filius Boleſlai Polonorum regis 721.4
Ladiſlaus Caroli Dyrrachiani filius rex Neapolitanus Romam opprimit 827. 25 iterum capit ibid 27 veneno necatur 798.40
Ladiſlaus Poloniæ rex 844.26

geſta ibid. 36 confoditur 846.40
Ladiſlaus Alberti Auſtriaci Poſthumus 848. 41 geſta ibid 43
Lamia vrbs Theſſaliæ 127.30
Lætus Præfectus prętorio 226.8
Lamiacum bellum 127.30
Landſredus dux Alemanorum 2[illegible].10
Landgrauiorum Haſſię propagatio 697.15
Latomi Louanienſis mors 5.21
Lazarus Seruię Deſpota captus vitam in carcere finiyt 779.37
Lebuſiorum ſedes 419.19
Leges Draconis 77.29
Lex Agraria 164.40
Legati Perſici confoſſi ab Amyntha 81.10
Legatorum violatorum exempla 158.4
Legum collectio 337.14
Leo Imperator 320.1
Leo II Zenonis filius 322.15
Leo Tertius Iſaurus 370.26 εἰκονόμαχος appellatus 374.8
Leo IV. Copronymi fil. 376.26
Leo Armenius Imperat. 472.30
Leo Philoſophus Imper. 476.36
Leo Tornitius 329.33
Leo IX. in Synodo cedit Moguntino 547.33
Leodienſes populi olim Eburones, & Tungri 417.29
Leontius Iuſtiniani II. dux 369.16
Leopoldus fulmen Vngaricæ gentis 546.20
Leopoldus Auſtriacus 786.12
Leonides pater Origenis 228.38
Leontius Præfectus Rom. 26.6
Leſcus Albus, Poloniæ rex obtruncatur 660.31
Lex Salica 544.39
Libanius Rhetor 277.25
Libri ſacri, & alij per exules Græcos in Italiam tranſlati 524.36
Ligyes ex Tarſo venerunt in Galliam 109.7
Licinius Cæſar 256.28. interitus 258.28
Lippia fluuius 196.40
Lituaniam habere colonos Vvalachorum 604.39
Lituania Moſchis Boryſthene diſtincti 415.25
Liuonia, & quando conuerſa ad Chriſtianiſmum 630.1 eius ſitus, & natura ibid 24. à vicinis regibus diſcerpi impune 597.7
Liuonienſes à Lemoniis eſſe 401.20
Liuianus Venetorum dux 925.33
Lygiorum regio 400.39
λόγος Filius Dei 38.16
Lollianus dux Rom interficitur 242.30
Longimanus Darius 490.28
Longinus Exarchus 350.8
Longobardorum ſedes 195.13. 342 7. 398.40 progreſſiones 342.1
Longobardorum regum ſeries in Italia 142.41
Longobardicæ vrbes conferunt ſe in fidem Henrici Impe-

ratoris 751 5
Longobardos imperio ſubdit Barbaroſſa 620.28
Longobardi à Narſe in Italiam acçerſiti contra Gottos 411. 6
Lot 35.38
Lotharius Imperator 440.42 *geſta* 441.1
Lotharius Saxo Imperator 572.38
Lotharia Cæſarea 581.38
Lotharingiæ nomen 417.10 *eius ad Arduennam tractum vendit Godefridus* 583. 23 *poſt Godefridum accipit Hẽricus Limburgenſis ibid* 32
Lotharingia traditur Comitibus Louanij 5?3.43 *ducum genus à Friderico comite de Vadimont* 584.8
Lubecam occupatam à Danis recuperat Barbaroſſa 619. 18
Lucatius frater Georgij Seckelij 923.7 *eius copiæ ad Peſtum fuſæ* 930 35
Luca oppidum Luſatiæ inferioris à Marchione Brandeb obſidetur 738.1
Lucius Verus 220.32
Lucius Præſes Rom. 296.15
Lucullus adimit Syriam Tigrani 39.33
Lucumon rapit coniugem tutoris 19.38
Lucidas lapidibus obrutus ab Athen. 86 9
Lucelburgenſes Comites vnde orti 443.41
Lydi ab Ægyptiis orti 109,35
Luderus dux Gotticus 335.19
Ludi ſeculares 237.5
Ludouici Andegauenſis res geſtę 798.33 837.38 909.8
Ludouicus Pius 438.40 *Sæuus in fratris filium* 439 14. *Inuiſus Epiſcopis* 440.8 *in monaſterium à filiis detruſus moritur Moguntiæ* 441. 6
Ludouicus II. Imp. 444.30 *feliciter confligit cum Saracenis* 445.1 *ab Adelgiſio circumuenitur ibi.*7 *moritur ibid.* 7 *virtutes ib* 30
Ludouicus Balbus Imperator 427 40
Ludouicus IV. Imperator 454. 10 *geſta ibid.*40 *mors* 455. 16
Ludouicus affinis Conradi Salici 545 16
Ludouicus Barbatus fit Landgrauius Thuringiæ 583.7
Ludolphus Marchio Saxoniæ 558.5
Ludolphus Ottonis I. filius bellum infert patri 494.35 *cohercito Berengario moritur* 496.15
Ludouicus Galliæ rex 586.30 *fert opẽ Balduino regi Hieroſolymitano* 556.10 *capitur in Ægypto* 586.30 *interiit peſte* 659.24
Ludouicus Landgrauius Thuringiæ pręcipuus dux belli ſacri 676.42
Ludouicus Bauarus Imperator 780.20 *res geſtę* 773 15 *& deinceps. Veneno extinguitur* 793.25 *coniuges, & liberi* 794.3
Ludouicus Romanus renouat bella Pomeranica 795.25

Ludouicus rex Vngariæ, Ludouicum Tarentinum regno Neapolitano expulit 797.41 *decedit* 829 17
Ludouicus Bauarus, cognomento Diues 897.7
Ludouicus rex Galliç XI. 900.33
Ludouicus XII. Galliæ rex, Inſubrum principatum adipiſcitur 906.40 *vincit Venetos* 915.35. *Nouariam occupat & Ludouicum Morum ducatu expellit* 906.24 *Piſis indicit Concilium* 926.30 *moritur* 928.15
Ludouici Mori res geſtæ 905.32
Ludouicus Sabaudienſis, maritus Carolete filiæ Ioan. regis Cypri 913.30 *à ſubditis ad regnum euocatur* ibid. 33
Ludouicus Sfortia, & eius geſta 918.5
Luſatij pop. 196.15
Luſatia ſuperior, Bohemis ſe tradit 755.14
Luſitaniç regum propagatio 7.47
Lutbertus hæres regni Longobardorum capitur 346.18
Lutbrandus decimus ſextus Longobardorum rex ibidem 25
Lutherus excitatus diuinitus 934.29 *oppugnat forum indulgentiarum* 935.12
Luticiorum ſedes 414.36
Lyſander conſtituit ὀλιγαρχίαν 1.29 *vincit Athenienſes* 95.24.95.36 *capit Athenas ib.* 41 *in pugna interficitur* 101.14
Lyſimachus interit in prælio 132.18

MAccabæi, & eorum geſta 144.10 *& inde*
Macedones orti à Cetim 111.10
Macedoniæ origo 312.18
Macedonicorum regum paterna origo 111.16
Macedonica bella 159.15
Macedonius hæreticus 292.5
Macedonius Patriarcha 332.10
Macrinus Imperator 231.36
Madai filius Iaphet 21.22
Magdalum 33.16
Magdeburgenſium Burggrauiorum ſeries 699.16
Mageddo 33.9
Magiſter ſententiarum 664.35
Magni Saxoniæ ducis filiæ, quibus nuptæ 573.38
Magnus Canis totius gentis Tartaricæ Princeps 711.38
Magnus Canis tertius Tartarorum Imperator, Chriſtianus 714.34. *& inde.*
Magog 22.13
Mahometus Arabs fit rex in vicinia Damaſci 359.55 *eius dogma ortum ex blaſphemia Ariana* 589.30
Mahometica ſecta, & regnum 359.26
Mahometica potentia irruens in Orientale Imperium 299.13
Mahometes primus 855.12 *geſta* 853.35.856.26 *mors* 857.13
Mahometes II. 864.30 *res geſta ibid.* 41. *& ſeq. moritur apud Nicomediam* 868.36

Mahometes Baſſa 866.17 *ſummæ rerum à Mahomete II. præficitur* ibid.20
Mahometes Caithbeÿ filius inter epulas à Circaſſo obtrūcatur 884.20
Maioricus 318.25
Maioranus Imperator Italicus 320.41
Malchus occiditur ab Herode 149.37
Malea promontorium 368.2
Maluchi, qui, & nominis ratio 587.42 *quanto tēpore Ægyptium regnum tenuerint* 589.15 *è quorum ordine eligantur* 674.33 *à Selymo fuſi* 884 31
Mammæa 232.28 233.38
Manaimus Iudæorum dux 209.36
Manaſſes ab[illegible]itur in Babylonem 55.7 *agens pœnitentiam remittitur in ſuum regnum* 55.14
Manes 244.39 *interficitur à rege Perſico ob necatum filium ipſius* 5.10.246.16
Manichæorum deliria 223.22. 245.20
Manfredus filius Friderici nothus, patrem puluino ſtrangulat 686.37 *geſta* 688 25
Mansfeldenſium Comitum origo 699.35
Mantinæa vrbs Arcadiæ 105 3
Manuel dux Nicephori Imp. 525 25
Manuel Comnenus Imp. 600. 39 *res geſtæ* 601.3. *& in ſeq.*
Manuel deſpota à cuſtodibus vrbis lethaliter ſauciatus, interit 762.4
Maozim 138.14
Maozim, id eſt, adoratio panis quando cœperit 555.6
Marcellus interficit Viridomarum 153.26
Marchiones 700.36
Marchia 195.19
Marcellus Iuriſc. 220.15
Marcomanni 221.40
Marcus Epiſcopus Ælianus 219.19
Marcus Antoninus Philoſophus 220.30
Marcus Euangeliſta, Alexandriæ primum docuit 589.20
Marcus Epiſcopus Epheſinus 669.33
Marcus Craiouicius Deſpota Myſiæ inferioris 779.9
Marcus Muſurus Cretenſis 871. 15
Mardaces filius Coſrois 359. 10
Mardonius comburit Athenas 84.35 *victus interficitur* 86. 21
Margaretha Philippi Audacis filia nupta Vvilhelmo Hollandiæ Hannoniæq́; Comiti 812.18
Marianorum militum origo 594.28
Marianus dux Athanaſii 332. 30
Mariæ virginis obitus 205.20
Marius vincit Cymbros 172. 22 *ambitione ſtulta mouet ciuile bellum* 172.26 *moritur* 174.1
Marcoum, metropolis regni in Mauritania Tingitana 536. 29

Marſi

Marſi vocabulum Germanicum quid ſignificet 391.16
Marſius amnis 879.21
Marſilius à ſancta Sophia Medicus 807.17
Martianus 310.1
Marcion 214.10
Martinus Epiſcopus Turonenſis 292.37
Martinus Lutherus diuinitus excitatus in inſtaurationem doctrinæ 934.29
Martinus Pontifex, totam in Boëmos concitat Germaniã 833.28 *diſſoluit ſynodum Papienſem* 842.7
Maſgades, dux Saracenicus 371.28
Maſſiniſſa 158.25
Maſſagetæ 71.21 *vincunt Cyrum* ibid. 18
Maſſylia conditur 710.20 *Ionum colonia* 109. 1 *capta à Iulio* 176 41
Matthias filius Hunniadis, iuſtitia ac prudentia Boiebracij, ad regnum ſeruatur 849. 26 *res geſtæ ibid.*28 902.12. *& ſequen. comparat Bibliothecam* 902. 28. *Viennæ apoplexia extinctus ibidem* 40
Matthias Coruinus Vngariæ regno potitur 894.38 *geſta ibid.*43
Matthaci populi qui ſint 394. 2
Mathildis Anglorum regis filia, nubit Henrico V. 569. 40
Mauritania finis terræ 21.1
Mauricius Chartularius, Præfectus vrbis Romæ 351.26
Mauricius Imperator 352.32 *interitus familię eiuſdem* 356 15
Maxentius 255.19 *interficitur ibid.*31
Maximilianus Imperator 914. 30 *eius vita priuata ibid.* 40 *res geſtæ* 916.3 *& inſeq. mors* 93 .26. *Vxores & liberi* ibid.32
Maximianus Auguſtus 254.4
Maximinus Imperator 235 20 *eius cum filio interitus* 236. 10
Maximinus Cæſar 254.9 *Phthiriaſi periit* 256.34
Maximinus Treuirorum Epiſcopus 271.35
Maximus Præfectus vrbis 301. 40
Maximus Byzantinus 277 29
Maximus Præſes Galliæ 282 35.284.30
Maza & Maozim 138.14
Mazabes Præfectus Ægypti 122 2
Mecellus Conſul 260.2
Medi vnde orti 21.22
Medius Theſſalus vocat ad conuiuium Alexandrum 125 30
Mediomatricum ſedes 393.9
Mediolanum à quibus conditum 110.5 *captum à Marcello* 153.43 *à Conrado Salico* 543.37 *deletur à Gottis* 327. 21 *direptum, funditùs excinditur* 621.30
Mediolanenſes 620.25
Melchiſedech rex Salem 35.34
Melechmanes Ægypti Sultanus 716.7
Melechſala Sultan. 566.16

Melechſait Sultanus 588.10
Melechſeraph Sultanus 588. 38
Meleclas I V. Princeps Turcicus 481.41
Meliſſetius appellatur Cæſar 534 22
Melite inſula 222.9
Memphis, hodie Alcairum 122. 27
Meni fluuij, nomen exprimit numerum dierum anni 394. 21
Merania ducatus 659.37
Merodach Monarcha Chaldæus 32.41
Meroueus rex Francicus 301. 19
Meſithes 869.11
Methodius Epiſcopus Lyciæ 303.30
Methonæorum cędes 875.33
Michael Curopalates Imperator 47⌞ 21
Michael Theophili filius Imperator 473.37
Michael Balbus Amorrhæus Imperator 472 40
Michael Paphlago Imperator 528.18
Michael Calaphates Imperator, oculis priuatur 528.35
Micael Stratioticus Imperator 530.42
Micael Parapinacius Imperator 532.20 *fit Monachus* 533.42
Micael Taronites πανυπερσέβαστος 534.21
Micael Angelus, Theſſaliæ Princeps 706.31
Micael Angelus nothus 707.2
Micael Palæologus 256.20 *geſta ibid.* 27. *& inſeq. mors* 759.7
Micael Zilagius 892.43
Micael Bulgarorum Deſpota 762.18
Michalogli pop. Scytharum 776.6
Micipſæ oratio apud Saluſtium 228.8
Meletius Hæretic. 240.14
Miltiadis conſilio, vincuntur Perſæ 82.13
Miluius pons 256.19
Minerua cõiunx Conſtant. M. 257.35
Miris rex Ægypt. 41.6
Miramolinus rex Maurorum 911.15
Miſnenſes 195 6
Mizraim 20.26
Miſnię marchiones ex Diterico orti 490.7
Miſſa 484.43
Miſſa theatrica recepta in Græcas Eccleſias 601.40
Mithridaticum bellum 167.32
Myſia inferior olim, nũc Bulgaria 604.20
Myſia ſuperior, nunc Boſna, & Seruia ibid.21
Myſi, & Getę eadem lingua vſi 408.3
Mnaſeas dux Phocenſium 114. 22
Mneſtheus beſtiis obiect. 244. 29
Moiſes moritur 43.39
Moiſes Cretenſis 309.7
Monachatus quãdo, & quib. de cauſſis inſtitutus 551.28
Monachi Pontificum ſatellites conſciẽtiarũ carnifices 639. 25 *alũt ſuperſtitionem* 618. 33

33 *inuexerũt errores in Eccleſiam* 611.38 *eorum noua aliquot* γλύφρα *naſcuntur* 637.13
Monachorum mendicantium impoſturę 578.5
Monarchæ vocati ad agnitionem Dei 8.18
Monarchia quid 8.2 *ad quem finem ſint cõſtitutę* 30.25 *earum enumeratio* 8.26 *illarũ ſeries cur prædicta* 7.41
Monaſteria arces regni pontificij 572.11 *eorum opes quomodo creuerint* 555.21
Monotheletę 368 23
Moratchamus Iacuppi filius 876.15
Moraui, populi olim Marcomanni 221.41
Moſci à Polonis deuicti 932. 22
Moſella Obrinca Ptolemæo 393.38
Moſes Baſſa 864.1
Moſoch, Moſchouia, &c. 23 39
Muhauias IV. rex Saracenicus 360.37
Muleaſſem Carolus V. reſtituit in regnum 536.43
Mulſumanes, Baiazetis filius, necatur 814.38
Muſtapha filius Baiazetis 855. 38 *perimitur ibid.* 19
Muſtapha, Amurathis frater 858.5 *capit Niceam* 85[illegible] 11 *proditione ſui cu[illegible]toris oppreſſus interficitur ibid.* 12
Muſtapha, filius Mahometis, decedit 871.37
Muſtapha Purpuratus 867.10
Mutius Scęuola 165.35
Muza, dux Miramolini regis 703.41
Myzerinus, rex Ægyptius 41. 36
NAbogdonoſor primus 33.5 Magnus deleta Ieroſolyma abducit Iudęos in Baloniam 33.17 conuertitur 57.4
Nabonaſſar 32.6
Naharualli, quaſi Nortualen 401 24
Nariſci Voitlandi ſunt 222. 27
Narſes dux, quæ bella geſſerit in Italia 329.34
Naſtor Præfectus Parapinacij Imperatoris 533.36
Nathan filius Dauidis 52.15
Natolia, regio Aſię minoris 776.16
Natura humana in Chriſto teſtimonia 316.9
Nauclerus Hiſtoriographus 916.6
Nauium artificioſa incenſio 332.33
Nazianzenus 274.39
Nebo, quid ſignificet 32.2[illegible]
Necos vincit Ioſiam reg[illegible] Iuda in Maged[illegible] 37.7 [illegible].4
Necos vincitur à N[illegible]bogdonoſor 42.6
Nehemi[illegible]
N[illegible]etes ſunt Spirenſes 196.21. 393.18
Nephthali, tribus Iſraël, abducitur 32.6
Nero Imperator 207.8 *eius genealogia* 208.42 *interitus* 209.5
Nerua Cocceius Imperator 215. 30

Neſtorius, eiúſque dogma 306. 22.315.23 *mors* 317.15
Nicea capitur à noſtris Argonautis 5 2 6 *expugnatur ab Orchane Turco* 768.15
Nicephorus Imperator 471. 29
Nicephorus Phocas Imperator 525.10
Nicephorus Potoniates 533.39 *detruditur in monaſterium* 533.4
Nicephorus Briennius adducit Turcos in Europam 533. 240
Nicetas Græcus ſcriptor celebrat Barbaroſſam 627.30
Nicolaus II. transfert à populo Romano, omne ius eligendi Pontificem 662.31
Nicolaus Cataluſius Lesbi Princeps, à Mahomete trucidatus 866.39
Nicolaus Salma 907.24
Nicomedia expugnata ab Orchane 778.21
Nicopolis conditur 216.24
Nimrod primus, Imperia conſtituit 20.5 *venator coram Domino* ibid.21
Ninus condidit Niniuen 30. 11
Niniue, & Babylon diuerſę vrbes 191.32
Ninias, filius Nini, & Semiramidis 31.5
Noë quandiu in arca 18.6
Nogai Tartari 718.37
Nomades 25.40.171.16
Noriberga ab Henrico V. funditus euerſa 568.35 *inſtaurata à Conrado Sueuo* 572. 16
Noricum 170.34
Norici, olim extra Germaniam 402.26
Normanniæ nomen, à noua gente inuectum 419.10.503. 19
Normanni ab Henrico S. collocati in Apulia & Calabria 522.30
Normannorum origo 662.13 *Græcis Apuliam, & Calabriam eripiunt* 540.16 *vincunt Alexium Comnenum* 534.35
Nouatus Hæret. 239.28
Nouellus Carrarius cum filiis duobus à Venetis ſtrangulatur 825.35
Nuitones, iidem qui Githones 399.19
Numa rex Romanorum 66. 34
Numantiæ vrbis excidium 164.19
Numitor rex Albanus 65. 11
Numerianus 252.38
O
Occam 304.8
Ochoſias rex Iudæ 52.9
Ochus capit Sidonem 110.9 *recuperat Ægyptum* 114.6 *interficit Euagaram regem* 110.20 *interficitur à Bagoa* 115.18 *eius ſæuitia in Eccleſiam* 110.27
Octauius Auguſtus vincit Antonium in Epeiro 182.18. *eius origo & genealogia* 193.18
Odillo, dux Bauaricus 373. 21
Odoacer Rugianus 321.25 *Romam capit* 321. 26 *interfectus à Theodorico* 322 4
Oedipus abſorbetur terræ hiatu

tu 61.34
Olympias vna quot annos comprehendat 53.30
Olympias mater Alexandri Magni 129.33
Olympius Exarchus 351.38
Onomarchus, dux Phocenſium cruci affixus 114.15
Onias ſummus Sacerdos 36.35
Optares, Theodatum interficit 326.31
Orchanes 777. 20 *patri nulla in re inferior* 778 4 *quouſq; limites noui regni prolataue-rit* *ibid.* 8
Oreſtes dux Conſtantini Imp. 527.27
Oreſtes magiſter militum interfectus 321.21
Origenes 228.28 ἑξαπλον 229.4 *doctrina* *ibi.*19
Orimaſda Perſarum 668.3 *ignis ſacer* 27.37
Orimaſda rex Perſicus 353.41 *Vincitur à Saracenis* 360.38
Orion auditor Atlantis 63.27
Orpha ciuitas, olim Rages dicta 593.2
Orpheus auditor Lini 64.1
Orus rex Ægyptius 40.28
Oſiris rex Ægyptius 40.26
*Oſtgotti pop.*320. 22 *à Zenone in Italiam miſſi* 429.35
Othoniel dux Iſrael 44.19
Ottonis, Vitellij, & Galbæ bella ciuilia 209.22
Otto Magnus Imperator 491.13 *res geſtæ ibid.*23 *& in ſequent. eius poſteritas* 483.19
Otto II. Imperator 501.12 *geſta ibi.*20 *mors* 503.33 *liberi ibi.*42
Otto III. cognomento Puer 501.4 *geſta* 504.31 *& inde* 519.27 *eius vxor adultera viua crematur* 520.3
Otto IV Imperator 635.17 *geſta ibid.* 21 *moritur dyſenteria* 636.38
Otto Bauarus, dux cõſpirationis in Henricum Quartum 560.32
Otto Alberti Vrſi filius 617.41
Otto, Barbaroſſæ filius, captus à Venetis 622.21
Otto Bambergenſis Epiſcopus, Pomeranos docet Chriſtianiſmum 572.26
Ottonis, Comitis Aſcaniæ, virtus 569.33
Otto de Schvveinfurt, dux Sueuiæ 547.28
Otto dux terrarum ad Viſurgin, & Bauariæ 557.24
Ottonis Witelsbachij propago, Palatini & ducis Bauariæ 549.11 *accipit Bauariam, & Palatinatum* 516. 1 *dolo interficit Imp. Philippum* 634.25
Otto frater Gertrudis, ob ſtuprum trucidatur 660.17
Otto Bauariæ dux, Epiſcoporũ contradicit poſtulatis 664 24
Otto Brunſuicenſis 673. 39 *ab Innocentio III. telo anathematis tota profligatur Italia* 674.10
Otto comes ex gente Naſſaenſe 742.9
Otto Bauarorum dux, ab Vngaris capitur 743.23

Otto Columnius 839.34
Ottocarus, armata manu, Auſtriam inuadit 686.40.695.16 *à Rodolpho Imperatore eiicitur, ibid.* 20 *occumbit in bello* *ibid.*25
Ottomanni, ſeu Ottomannidæ ſoli dominationem obtinent 773 15
Ottomanus 775.25 *primus regiam dignitatem in Ogutiarum familiam adducit ib.*32 *vnde dictus* 776.15 *regni ipſius ſedes ibi.*17 *quas regiones deuicerit ibidem* 40 *mors* 777 7 *filij* – *ibid.*13
Otus & Ephialtes capiunt Martem 109.3
Ouo expellit Petrum, Vngariæ regem, regno 545 34
Ozias, qui & Azarias rex Iuda 53.7
PAcatianus conſul 260.2
Pacis conſtantiæ leges à Friderico Barbaroſſa latæ 625.35
Palamedes ab Vlyſſe opprimitur 62.25
Palatini nominis ratio 393.10
Palatini Comites 700.41
Palatinus Bauariæ adiectus 624 33
Pandectarum libri 357.34
Pannoniæ regnum 226.23 *à Gottis, & Hunnis inuaditur* 388.6
Pannonia ſuperior 432.41 *inferior* 433.5
Pantænus 224.33
Paphlagones 25.19
Paphlagonia 314.8
Paphnutius 266.25
Papinianus Iuriſconſultus 231 7
Paradiſus 15.38
Parlamentum in Gallia 376.2
Parmenio interficitur ab Alexandro Magno 125.11
Parthi repreſſi 221.37
Paſchalis incitat Epiſcopos, & Principes in Imperatorem 559.7
Paſchatis celebratio inſtituta 266 13
Patauium exuſtum 344.40
Paulus docet Philippos 113.13 *eius conuerſio, & peregrinatio* 200.8 *anni* 2[illegible] 1.32 *interfectus à Nerone ibid.*31. 203.32 *ſcripta* 201.40
Paulus Samoſatenus 244.40. 247.22
Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus 272.7
Paulinus Epiſcopus Treuirenſis 275.19
Paulus Exarchus 352.25
Paulus II. ob ſpurciſſimam libidinem infamis 805.30 *à diabolo in concubitu ſtrangulatus* *ibid.*34
Pauſanias Byzantij, virginem raptam, & ſtupratam interficit 87.18 *interitus ibid.*30
Pedes ferrei, & lutei in Danielis prophetia 9.1
Pelagius Monachus 305.20
Peloponneſiacum bellum 90.10.97.23
Pericles 90 32.91.21.
Perſæ potiuntur monarchia 34.25
Perſeus occidit Gorgonas 61.5

Perſeus rex Macedoniæ 161.21
Romæ moritur 162.11
Perſitorum regum Catalogus 67 28
Perſarum Monarchia tranſlata ad Græcos 113 20
Perſicum Regnum, à Saracenis oppreſſum, redit ad Parthos 481.10
Pertinax Imperator 225.43
Peſcennius Niger 226.25
mors 227.16
Petri, & Pauli congreſſus 200.16
Petrus Vngariæ rex expulſus reſtituitur 545.34 *excæcatur* 645.22
Petrus de Vineis 581.9 *oculis captus à Friderico, coniicitur in carcerem* 584.41
Petrus nepos Alphonſi, coniungit Arragonico regnum Siciliæ 704.40
Petrus de Aliaco, Cardinalis 839.42
Peucinorum ſedes 390.16
Phallæcus dux Phocenſiū fulminis ictu perit 114.34
Phaillus dux Phocenſium 115.17
Pharao nomen commune regū Ægyptiacorum 41.22
Pharaſmundus idem, qui & VVaramundus 404.12
Pharodeni qui, & Suardones 397.17
Philippicus Bardanes Imperator 369.40
Philippicus dux Mauricij 353.40
Philippus Macedo 112.12 *facit finem belli ſacri* 114.30 *nominatur rex Græcorum cōtra Perſas* 117.3 *exitus ibid.* 12
Philipp. vltimus moritur 162.13
Philippus Arabs Imperat. 236.35
Philippus Imperator 631.10 *excommunicatur* 632.28. *Argentinam capit* 633.7 *dolo interſicitur* 634.15 *virtutes* 635.8 *filiæ* ibid.
Philippus Maximiliani *filius, in Hiſpaniam nauigat* 92.10 *ſaua correptus febre decedit* ibid. 14
Philippus Melanchthon πραστάτης, καὶ συνεργὸς Lutheri 937.35
Philippus Audax primus è regia ſtirpe Burgundiæ hæreditatem adit 812 32 *filij ibidem.*
Philippus rex Franciæ, Anagniæ in carcere necat Bonifacium VIII. 664.5
Philippus Rauenſtenius 917.1
Philippus Naſſaenſis Bernæ capitur 738.42 *manu Friderici trucidatur* 739.35
Philippus Valeſius 897.25 *geſta* 790.4. & *inde*
Philippus Palatinus cum filio Ruperto 922.35
Philomelus dux Phocenſium 113.33
Phlegiæ pop. 280.15
Philonis tabula, continens ſeriem annorum mundi 10.20
Phocas Imp. 357.10 *à Gregorio laudatur* 358.7 *interitus ibid. Romanum pontificem*

decernit ·ἰσονομευκὸν 552.2
Phocea vrbs 70.12
Phocas Barda victus à Porphyrogenito 526.28
Phœnix conſpecta 203 37
Photinus Presbyter Smyrnenſis, Haret. 273.41
Phul Belochus 32.2.52.42
Phul Aſſar 32.4
Phut, & Phututh 20.38
Picardia quos populos complectatur 441.4
Pipinus Caroli Martelli pater 261. 26 *repellit Aſtulphum Longobardorum regem* 343. 14
Pipinus fit Francorum rex 375. 2
Piratæ reſponſio ad Alexandrum Magnum 123.37
Pirnigerius Teuza , & Rogerius interimuntur 760.18
Pyramethus Caramannus debellatur à Mahomete 866. 35
Piſander interficitur 101.40
Piſani potentes facti , ſpoliis belli noſtrorum , in Syria opprimuntur à Venetis 598. 33
Pius ſecundus noua ſemina belli in Germania ſpargit 893.11
Plautianus aulicus 218.21
Plutarchus 216.22
Podolorum regio 604.15
Polycarpus 213 23 *Romę refutat Marcionem* 223.13 *ſupplicio afficitur* 223.38
Polonia , quando cœperit eſſe regnum 720.34 *adaucta acceſſione Lituaniæ* 722.7
Poloni 486.13
Pomerani vnde nomen ſortiti 413 40 *olim Sueui* 195 37 *eorum Apoſtolus* 572.30
Pomerania 722 14 *aſſerit ſe in libertatem* 660.36
Pompeius occupat Ieroſolymã in Sabbatho 148.32 *ingreditur in Sanctum Sanctorum* 179.15 *interficitur* 178.31 *eius filij interfecti diuerſis in locis* 179.28
Pontifex noua bella accendit 901 13 *contendit ſe iudicem eſſe controuerſię , inter Ludouic. & Frider. Auſtriacum* 782.20 *denegat Friderico renuntiationem electionis ante facta* 675.11 *electum Imperatorem renuntiet non eligat* 507.30
Põtifices ſibi Imperatores ſubiiciunt 310.1 *nõ contenti Imperio Italiæ* 666 43 *affectãt encomium* ἄρχοντος τοῦ κόσμου 670.19 *cõſtituunt ſeſe Iudices* ἀνυπευθύνους *omnium cõtrouerſiarum* 650 23 *vſurpatam in Imperatorem rabiem , in ſemetipſos conuertunt* 820.5
Pontificum potentia vnde creuerit 462.33.540.28.552.39 *illorum non eſt occupare, vel dare Imperia* 425 13 *eorum impulſu moliti aliquid, ſemper fuerunt infelices* 632. 35 *ambitio illorum patefacta doctrina Huſſi* 839. 36
Pontificatum tres ſimul ambiunt 547 2
Pontificius iubilæus 817.43
Pontificiæ Monarchię initia 553.

553.10
Popilius legatus Rom. 137 15
Popilius Macrinus 231.35
Porus rex Indorum 123 39
Poſthumus Galliæ Præſes 241. 8
Portugaliæ regum origo 583. 42
Præcopitæ pop. 718.3
Φρυγιοχώριον locus ad Belgradum 600.10
Primiſlaus fit Poloniæ dux 723. 24
Principes ſalutares tribuuntur diuinitus 654.18
Procopius occiditur 283 7
Procopius marchio 821 30
Prophetia Henoch 16.37
Pruſia, Bithyniæ caput 879. 4
Pſammeticus rex Ægypti 42. 24
Pſamnis rex Ægypti 43 15
Pſelli Arithmetica 533 26
Ptolemæus Philadelphus curat verti Biblia 140.13 *Bibliothecam inſtruxit* 139.8
Ptolemæus Euergetes 140. 41
Ptolemeus κέραυνος interficitur à Galatis 132.24
Ptolemais arx Chriſtianorum 712.10 *à Sultano Melech Sapherate funditus deleta* 733.17
Ptolemæus Lagi filius 139. 41
Punicum bellum I. 152.11.*II.* 156.11 *III.* 162.42
Pyrrhus bellum infert Romanis 151.40
Pythagoræ doctrina obſcura 73.43
Pythagorici deleti 85 31
Quadi pop. 222 4.282. *partem Sileſiæ, Poloniæq́ olim tenuerũt* 400. 38
Quartæ Monarchiæ initium 192 5
Quinquagenarij milites 254. 25
Quintilius Varus 194.17
Rachiſius XVIII. Longobard rex 342 11
Rachiſius dux Foro-Iulienſis 347.3
Radagiſus dux Gotticus 298. 7
Radoaldus VIII.Longobard. rex 345.25
Ratisbona expugnata 494.26
Rauenna obſeſſa 222.2
Rauraci 270.23 *ſunt Baſilienſes* 393.7
Reges quare Pontificum decretis, & edictis tam libenter aſſenſerint 650.35 *ludunt fœderibus, vt pueri aſtragalis* 792.10 *commiſſi cum Imperatoribus Pontificum machinationibus* 600.17
Reginbertus XIII.Longobardorum rex 346.7
RegnaChriſtianorum quæ ſint, 650.36
Regulus crudeli ſupplicio necatus 153.23
Reinerus 766.37
Reinaldus Geldriæ Comes, dux creatus 789.30
Religio Romana abominatio deſolationis 670.43
Renatus Lotharingiæ dux.
Rhea ſyluia 65.11
Rheti pop. 170.42

Rhetij pop. 196 19
Rhetia regio, Das Rieſſ. 193.31
Rhodij ſunt coloni Dorienſium 22 40
Richardus Cornubiæ Comes 693.13 *telo traiectus obit ib.* 20
Rigenſis vrbs in Liuonia 401. 22
Rinoldus Comes Bambergenſis 521.2
Riphat 25.8
Riphæi montes *ibid.*18
Roboam filius Salomonis 50. 8
Robertus Guiſcardus Normannorum dux 538.20
Robertus frater Ludouici regis Galliæ 586.33
Robertus Comes Flandriæ 591. 18
Robertus Apuliæ dux 752. 14
Robertus rex Caroli filius 797. 25
Rodericus Gottorum rex 703. 40
Rodolphus Burgundiæ rex 483. 33
Rodolpho mittitur corona à Pontifice 562. 8 *geſta ibid.* 15
Rodolphus Imp. nominatur cõtra Henricum IV. *ib.*7
Rodolphus Varila 686 40
Rodolphus Imp tradit Auſtriã filio Alberto 605.25
Rodolphus Comes Reinfeldenſis 703.11
Rodolphus Habsburgenſis electus, vocatur ad Imperium 723. 41 *res geſtæ* 725. 12 & *inde exitus* 731.26
coniunx, & liberi 732. 20
Rodolphus, primogenitus Alberti filius, occiſus in cubili 746.16
Rodolphus nepos Alberti ibi. 30
Rodolphus dux Saxoniæ 781. 15
Rogerius Lauria 760.11. *trucidatur* *ibi.*22
Rogerius Normannorum dux potitus Sicilia, Apulia, & Calabria, nomem regium vſurpat 538.28 *geſta ib* & 576. 40 601.12
Rolandus ſiti extinguitur, in prælio contra Saracenos 430. 29
Rollo Normanniæ dux 538. 8
Romanus iunior Imper. 477. 35
Romanus Argyrus Imp. 527. 38
Romanus Diogenes Imp. 532.25 *excæcatur* 533.15
Roma condita 65.10 *gubernata à regibus ibi.*20 *capta ab Almerico* 302.27 *à Genſerico ibi* 30 *ab Odoacro* 321. 37 *obſeſſa à Vitige* 327.18 *deſtructa à Totila* 328.18 *à Totila rurſus capta* 329.32
Roma noua Conſtantinopolis 260.30
Romana Monarchia 192.5 *dilaceranda* 8.43
Romanorum regum nomina 66.24
Romani Pontificis potentia 5. 32
Romani Imperij reliquiæ diuinitũs

nitus conſeruatę 650.18
Romani cęſi in Germania 197.5
Romanus III. Exarchus 350.32
Romulus 66.33
Rothęris VII. rex Longobardorum 740.22
Roſſi, Roxani, & Roxolani, propago Henetorum 413.6
Roxolani victi à Barda Sclero 526.5 vincuntur à Conſtantino Monomacho 329.15
Ruffinus Arcadij Imper. tutor 293.30
Rugia inſula 401.11
Rupertus progenitor Gallicorum regum 489.39
Rupertus Bauariæ dux Comes Palatinus Imperat. 822 19 geſta 823.40 & inde mors 828.15 vxores, & liberi ibid. 18
Ruſſi irruunt in Imperium Græcum 474.40 conuertuntur ad fidem Chriſtianam 475.27
Rutiolij, qui & Reudigeni 397.19
SAba, Sabæi 20.3
Sabaudiæ Duces ab Immũdo propagati 490.24
Sabaudiæ nomen nouum 730.36
Sacæ, & Saxones 170.31.281.40
Sacerdotibus prohibetur coniugium 567.40 eorum tyrannis pernicioſa, & Eccleſiæ, & Reip. 607.40
Saga, & Segen vnde 27.1
Sali, Salingi 242.1
Salica lex 544.40
Salicus cognomen Imper. Conradi ibid.36
Salman 32.13
Salmanaſſar, obſidet Samariam 32.9
Salomon rex Iuda 49.15
Salomon Vngarici regis filius 549.13
Samariæ regni duratio 59.27 deſtructio 145.30
Samandria propugnaculum Myſiæ, Thraciæq; 883.32
Samarcanda metropolis Zagataicorum Tartarorum 719.2
Samoſatenus 245.4.248.9
Samſon dux populi Iſrael 45.5
Samogethorum appellatio, vnde 413.21
Samuel Propheta 45.15
Sancius rex Arragoniæ 704.21
Sanctorum veneratio quando, & quomodo orta 551.10
Sangarius fluuius 776.41
Sanhedrin, quid fuerit in politia Iudęorum 185.26
Sapha 838.2
Sapores Perſarum rex 853.43
Sarracho, eiecto Calipha, Ægyptum obtinet 585.37
Sardanapalus 31.17
Sarmatæ, Sauromatę 25.11
Saul eligitur in regẽ 45.15 crudelis, & tyrannus 46.4
Saxones 282.40.403.43
Saraceni vnde dicti 359.37 eorum potentia & regna 479.32.467.3.535 24
Saracenici regni forma 360.

30 leges 361.33
Saxoniæ ducum ſtirps, defecit in Magno 537 35
Scanderbeius, filius Caſtriotæ, 860.2 *res geſtæ ibid* 5. *& inde*
Scedaſę filiæ, ſtupratæ, & interfectæ à Spartanis nobilibus 103 19
Scholarum facultates tranſlatæ ad luxum ſacrificulorum 575.34
Scipionis res geſtæ 158.12 *mors* 158.30
Scipio Aſiaticus, vincit Antiochum Magnum 160.41
Scipio Naſica ſuadet, non deleri Carthaginem 163.15
Scipio Æmilianus, delet Numantiam 164.24 *interitus* 166.25
Scodra vrbs 868.12
Scopas dux Ægyptius 131.39
Scyra antiquitus Cyropolis dicta 881.10
Scythę in Sarmatarũ, & Henetorum loca ſuccedunt 406.10.711.10
Scythici ſanguinis familiæ nobiliores 775.26
Scythicæ gentis tuguria 22.16
Sclaui 412.29 *ferè extirpati* 717 18
Sebaſtia, hodie Suias 853.20
Seleucus rex Syriæ interficitur 132.28
Seleucus Gallinicus, interficit Berenicen nouercam 133 4 *equo lapſus perit* 134.35
Selymus, Baiazetis filius 867.40 *geſta* 881.15. *& inſequ. vlcere canceroſo correptus, crudelem efflat animam* 887 6
Sem poſteritas. 19.13 *ſpectator diluuij, & incendij Sodomorum* 36.17
Semiramis condit mœnia Babylonis 31.3
Senenſes in libertatem ſeſe vẽdicant 825.30
Sennaar, id eſt, Babylon 31.10
Sennacherib. 32.27
Septimius interficit Pompeiũ 77.20
Septuaginta interpretes 140.20
Senones 397 36.
Serbonides lacus Aſphaltites, 134 20
Sergius Monachus 351.35
Sergius Patriarcha 358.30
Sergius Galba 208.22
Seruia regio 26.4
Seruius Tullus, rex Romanorum 66.42
Seruilius Cæpio, victus à Cymbris 171.43
Seſax rex Ægyptius 41.41
Seſoſtris, rex Ægypti 41.10.354.40
Sethon, rex Ægypti 41.43
Seuerus Imperator 226.34 *mors* 228.4 *eius ſæuitia in Chriſtianos* 220.37
Seuerianus 303.14
Seuerinus Epiſcopus Romanus 351.17
Sicambri, pop. 22.12
Siculum bellum 760.5
Sidon, conditor Sydonis 21.25
Sigebertus rex Francicus 344.4.

Sigiſ-

Sigiſmundus Caroli IV. filius, Imperator 829.12 *quæ geſſerit ante Imperium* 796.15. *& inde, poſt adeptum Imperium* 831.15 *& deinceps vſque ad* 835. *moritur apud Znoimam Morauiæ* 834.39 *eius virtutes* 835.41 *ingenium* 836.5 *munificentia* 837.4 *coniuges ibid.*25 *filia vnica Elizabetha ibid.* 29
Sigiſmundi Exarchi res geſtę 893.35. *& inſeq.*
Sileſii pop. 196.35
Sileſia 721.34 *Principes vnde orti* 721.6
Siloh 38.29
Simeon, filius Cleopæ 213.10 *mors* 217.1
Simon Maccabæus 145.16 *interficitur ibid.*23
Simon Magus 206.16
Siroes Coſroæ filius, rex Perſarum 359.11
Siſamnes Prɇſes, ob iudicium iniuſtum punitur 79.5
Smaragdus Exarchus V. 350.12
Sociale bellum 172.25
Sodomæ, & Gomorrhæ pœna 36.5
Solon 77.10
Solymannus, Selymi filius 887.26 *Conſtantinop. capit.* 771.35
Solymanus Baſſa 868.15
Sophia, vrbs Myſiæ 879.1
Sorabi pop. 26.5.488.20 *quę loca incoluerint* 414.37
Sorben, & Zorbek ad Salam 26.5
Soſigenes Mathematicus 180.43
Sparta ſine mœnibus 105.21
Spirenſes 196.21
Spira, vnde dicta 393.18
Spoletum capitur à Luthrando 346.42
Stephanus Pontifex Romanus 352.34
Stephanus Sacellarius ſycophãta 369.3
Stephanus primus, Chriſtianus, Vngarię rex 521.25
Stephanus ſextus, Ludouici filius 797.8
Stillico dux 287.4.293.30 *cum filio interficitur* 297.39
Stiriæ marchia 434.9
Suantopultus 723.18
Suantiborus Princeps Pomeraniæ 722.42
Sudeti montes 221.43.400.10
Sueuia 395.39
Sueui 195.37.343.31.396.9 *eorum migratio* 396.32
Sueuus fluuius, hodie Sprea 395.32
Suiones, nunc Suedi, & Sueci, 401.43
Sueciæ regnum, quid comprehendat 662.8
Suitenſes, ſeu Suiceri 801.11
Sultania, Perſarum regia 853.17
Sulpitianus Præfectus vrbis 226.16
Supplicandi ritus ſingularis [illegible].35
Sulpitius Gallus 161.42 *vincit Archelaum* 168.10
Sylla dictator 174.14 *mors* 175.20
Syllanus Conſul interficitur 169.15
Syllanum bellum 168.2

Syluerius, Pontifex Romanus 327.11
Synodi veteres, quales fuerunt 550.34.
ab Epiſcopis celebratæ, non conſultis Pontificibus 534.8
earum conuocatio penes Imperatores 551 13
Syphax, à Scipione victus 158.13
Syriacorum regum catalogus 135.10
Syrmium 119.13
Syrmius rex Getarum ib.
TAcianus damnauit coniugium 4.40
Tacitus Imperator 250.34
Tamerlanes Tartarus, ſiue Scytha, & eius exercitus 719.5.14 Temyris, à Græcis nominatus 853.5 res geſtæ 853.6 & inde. moritur 854.23
Tanogadorus Can, Tartarorum rex 717 39
Tarentinum bellum 151.35
Tarquinius Priſcus 66.21
Tarquinius Superbus 67.3
Tartaria magna 711.11.717.20
Tartari 711 10.599.42
in hordas diuiſi 717.30 eorum regnum in Aſia, cum religione Chriſtiana conci-[illegible]it 717.7
Ta[illegible]ca, vrbs ad Antitauri radices 878 34
Taſſilo rex Bauariæ 375.36
bellum infert Carolo M. 431.29
Taulerus reprehendit errores [illegible] Pontificios 612.6
Taxiles, rex Indorum 123.25
Tecellius circumfert venales indulgentias 921.30
Techelles diſcipulus Harduellis 877.11 res geſtæ ibid.15
Teias, rex Gotticus 330.29
Tencteri 395.1
Templariorum ordo, in Palæſtina inſtitutus 594.[illegible] ſub Alberto funditus deletur 747.3
Teudſch, oppidum ad Coloniam 242.5
Teutones 169.36. ibid. 17
Teutoburgum in Vveſtphalia 170.1
Teutonicorum ordo, cœpit in Palæſtina 594.5
Teutonoari circa Roſtochium, & Vviſmariam 398 20
Teutones, vbi nunc epiſcopatus Hauelburgenſis ibid. 22
Teutonici equites, ad ſubiugãdos Boruſſos educti 606.40
Thaboritę, vel Huſſitę 843.41
Thales Mileſius 76.40
Tarſum, patria Pauli 22.32
Thebæ deletæ ab Alexandro M. 119.21. inſtaurantur ibid.
Telephus Boëmus ſeditioſus 901.40
Themiſtocles fit ſupplex Admeto 85.34.
Theobaldus Bruſſatus 751.42
Theocritus ſcriptor Eidylliorum 140.41
Theocritianus 333.43
Theodatus, rex Gotticus 326.14
Theodoretus 292 31
Theodoricus Veronenſis 323.3
Theodorus Calliopa Exarchus 551.23

351.32
Theodorus marchio Miſniæ 606.39
Theodorus, docet Liuonienſes Chriſtianiſmum 630.13
Theodora regina 530.30
Theodorus Laſcares 706.14
Theodorus frater Michaëlis Angeli 706.33
Theodorus Laſcares iunior 709.22
Theodorus frater Emanuelis Palæologi 765.40
Theodorus Gaza 870.10
Theodoſia olim, hodie Capha 868.17
Theodomir, pater Theodorici Veronenſis 323.17
Theodoſius Imperator 285.15 *eius pœnitentia* 287.34
Theodoſius II. Imperator 299.15 *obitus* 300.15
Theodoſius filius Mauricij 356.21
Theodoſius, frater Conſtantis 367.10
Theodoſius ſycophanta, Monachus 368.43
Theodoſius Adramitenus 370.15
Theodotus preceptor Ptolemæi regis ſuſpenſus à Bruto 179.8
Theophilus, Balbi filius, Imperator 473.15
Theramenes à collega tollitur 98.12
Theſſalonica expugnatur 859.19
Thola, iudex populi Iſrael 44.37
Thraſibulus vincit xxx. tyrannos 96.25 *interfectus* 102.20
Thraces orti à Tiras 24.21
Thubal 23.14
Thymo, marchio Miſnenſis 488.20. 515.36
Thurinus Verconius 234.10
Tiberius Gracchus interficitur 165.40
Tiberius Imperator 193.26. 198.4
Tiberius Abſimarus 369.16
Tiberius Conſtantinus 353.4
Tiberiadem Tancredus obtinet 593.3
Ticemannus 739.26
Ticinenſis academia, fundata 807.13
Tiglatphilaſſar 32.5
Tigranes, rex Armenię 139.31
Tigurum, Solodurum, Baſilea, Schaffuſium, municipia Imperij 801.40
Timoclea, matrona Theban. ducem Alexandri Ma. dat præcipitem in puteum 119.40
Tiras, filius Iaphet 4.11
Tiras fluuius, quem & Niſtrũ vocant ibid.16
Tiribazus interficitur 93.18
Tiſſaphernis exitus 100.33
Titus, diſcipulus Pauli 213.19
Titus Veſpaſian. Imperator 211.15 φιλανθρωπία, *& virtus* ibid.20
Toloſanum aurum 172.7
Tomumbeius ſultanus ſuſpenditur ad portam Memphiticam 886.9
Totila rex Gothicus 326.19 *res geſtæ* 328.7
Toletum expugnatur à Saracen. 536.23

Τραχωνῖτις quæ & Galaad, & Ituræa dicitur 44.40.150.25
Traianus Imperator 216.11 *res geſtæ ibid.*15 *exitus* 217.38
Tranſſyluani, olim Iazygę 216.30
Tranſſyluania, veterum Dacorum ſedes 845.5
Tremeſinum, metropolis regni in Mauritania Cæſarienſi 526.28
Treuiri pop. 196.19
Tribonianus Iuriſconſul. 338.2
Triboci pop 393.17
Triumuiratus Antonij, Octauij Auguſti, & Lepidi 182.6
Troianum bellum 61.43
Troia vrbs Apuliæ 522.34
Tuiſcon, pater Germanorum 391.4
Tuiſcones pop. 24.24
Tullus Hoſtilius, Rex Romanorum 66.35
Tubanti pop. qui & Tencteri 19.16
Tuiſco, conditor Tuiſconũ, ſeu Germanorum 391.5.10
Tunetanum regnum 536.40
Turcorum nomẽ, quid ſignificet 774.20 *eorum origo* 478.8 *potentia* 2.20.479.33 *remorata a Tartaris* 480.33 *ab Vſumcaſſane* 865.38 *à Caithbeio ſultano* 584.11 *crudelitas in vrbe Conſtantinopolitana* 790.13 *Principes illorum* 48.20
Turcomanniæ regnum 533 30
Turquemenius Sultanus 588.13
Turingia 583.12 *Turingiæ Lãdgrauij vnde oriundi ibid* 12
Turriani Principes 751.9 *pelluntur ex vrbe* *ibid.*28
Turris Babylonica 29.25
Turonum opp. 37.32
Typographicum artificium 914.4
Tyrigetæ, hodie Turingi 405.41
Tyrus capitur ab Alexandro M. 120.37 *oppugnatur à Balduino* 595.30 *arx belli noſtrorum poſt amiſſam Ieroſolymam* 628.1
Tyrrheni, vnde Tyrrhenum mare 103 34
V*Agoſas Pręſes Perſicus* 110.38
Valentinianus I. Imperator 281.13 *res geſtæ ibid.*25 *mors* 282.25
Valens, collega Valentiniani Imper. 281.23 *Arianus* 283.4 *exitus miſerabilis ibid.*30
Valentinianus II. Imperator 283 29 *res geſtæ* 284.17 *interitus* 285 5
Valentinianus III Imperator 300.34 *interficitur* 302.17
Valerianus Imperator 238.35 *Chriſtianos perſequitur* 239.1 *à Perſico rege capitur & viuus excoriatur ibidem* 6
Vallia, rex Gotticus, tenet Hiſpaniam 298.30 301.4
Vallamir, rex Gottorum 323.4 313.40
Vandali vincunt Romanos 301.5 *eorum ſæuitia, & crudelitas* 317.23

Vanda-

Vandalici reges 318.1
Vandali pop. 390.30.409.7
Vanziones, *hodie Vvormacienſes* 196.19 39[illegible]4
Varamundus, *qui & Pharaſmundus*, *rex Francicus* 296 22
Vvarfeſtus,*dux Getarum* 397.10
Varius Marcellus 232.34
Vbij pop. 196.19
Vdericus 288.1
Vdo, *Comes Soltuuedelenſis*, *marchio Brandeburgenſis* 487.30
Venedicus ſinus in Boruſſia 25.34.402.15
Venedi pop. *ibid.* 15
Veneti Cyprus inſula traditur, 597 22 *eorum animi*, *& vires*, *aucti ſpoliis belli noſtrorũ* 59 .13 *certamẽ cum Genuenſibus ibi.*36 *bello laceſſiti à Manuele* 600.40 *eis Creta attribuitur* 6?7.18 *ab Alexandro Pontifice incitati contra Barbaroſſam* 621.17 *pacẽ à Baiazete impetrant* 872 25 *à Iulio Põtifice ſupplices petunt* 926.9
Veneta vrbs, *quando & quibus occaſionibus primum condita* 314.15
Venetiæ, *vnde dictę* 315.5
Verona, *à quibus condita* 110.5
Veronenſes 619.28
Veſtgotti 310.22.371 43
Veſpaſianus 205.13 *reſtituit formam Reipublicæ*, *ſub prioribus monſtris*, *collapſæ ibid.*20 *inſigne ibid* 30 *mittitur in Iudæam* *ibid.* 35
Victorinus Præſes 242.31
Victor Pontifex, *nouas leges fert Eccleſiis Orientalibus* 552.39
Victorinus, *filius Georgij Boiebracij* 904.6
Vincentia in fidem Venetorum ſe confert 826.2
Videmir Gottus 323.13
Videricus rex Hiſpanicus 324.37
Vigilius Epiſc. Rom. 327.14.339.11
Vinno, *primus Magiſter militum in Liuonia* 630 13
Vindelici 402.37
Vita pop. 397.33
Vituli aurei in Dan, *& Bethel* 59.30
Vitalianus ſeditioſus 332.27
Vitiges IIII. rex Longobardorum 327. 18 *res geſtæ ib.* 20 *& inde*
Vlpius Iuriſconſultus 2[illegible].15
Vlpianus Iuriſconſultus 234.6
Vlpia Bibliotheca, *à* [illegible]*raiano Imperatore inſtru*[illegible] 216.20
Vlricus, *Ciliæ Co*[illegible]*s* 848 25 *interficitur à* [illegible]*diſlao*, *Hũniadis filio* 893.3
Vlyſſes, *domum* [illegible]*uerſus*, *interficitur* 62.27
Vngari 313 2 *vnde dicti ibid.* *Hunnor*[illegible]*n*, *& Auarũ progenies* [illegible].1 *in Germaniam irrum*[illegible]*nt* 494.35 *fidem Chri*[illegible]*anam amplectuntur* 521.8 *pacem redimunt ab He*[illegible]*rico N*[illegible]*gro* 548.5
Vngria, *regni titulum vſur*[illegible]*at* 519.12

Voti qui 8.. 31 *eorum munus ibid.*33
Vr, Chaldæorum ignis ſacer, ſeu numen, & Deus Perſicus 27.35
Vrbanus Pontifex Romanus, inſtigat Epiſcopos, & reges, vt aduerſentur Imperatori 559.6
Vrbanus II. incitat filium in patrem Imperatorem 564.5
Vrbanus VI. quinque Cardinales, Nuceriæ captos, inſui in culeos, & demergi in mare iuſſit 820.11
Vratiſlauia, vrbs Sileſiæ 415.37
Vrſus, interfector Maximi 302.21
V ſipij pop. 196.26
... gens, Scythica, Græciam depopulantur 531.43
V ſ tes pop 394.9
Vſu caſſanes, rex Perſarum ex ... ſymbeis natus 772.32
res ... tę 866.14

V*V... n, quid ſignificet* 108.3 133.33.
Vvalach... p. 604.35
Vvalbertu ... epos Vvidechindi 730 32
Vvalpodius primus magiſter Marianoru militum 194.35
Vvelici pop. 414.31
Vvelphus, Germanica lingua, quid ſignificet 542.34
*Vvelphorum ortus ibid.*40 *eorum diſſidium cum Gibellinis* 542.2 *migratio in Italiam, & ſtudium erga Pontifices ibid.*35 *poſteri* 542.25
Vvelphus, ducum Brunſuicenſium pater 543.11. *Auguſtam occupat* 563.31
Vvenceſlaus, Boemiæ rex 695.13
Vvenceſlaus, Caroli Quarti filius 813.15 *obtinet Imperiũ ibid* 33 *curam regni negligit* 814.11 *geſta ibid.*15 *ei abrogatur Imperiũ* 617.24 *correptus apoplexia interit ibid.*25 *ſpecies eius, Therſiti ſimilior, quàm Principi* 813.37
Vvenceſlaus VII. Boemorum rex obtruncatur 733.40
Vveſtgotti, Hiſpaniam tenuerunt 410.1
Vveſteruualdia 394.23
Vveſterichium, quaſi Occidentale regnum ad Lotharingiam 410.22
Vviſſelus Gronigenſis, reprehendit errores pontificios 612.5
Vvetzflaria, oppidum in Cattis 728.17
Vviclefus Anglus 819.28
Vvidechindus potens apud Saxones 428.20 *quas ex ſe genuerit familias Principum* 428.33
Vvidechindi ex ſtirpe Imper. 482.25
Vvilhelmus Ferrabachius, dux Normanorum 537.30
Vvilhelmus Siciliæ rex 603.9
Vvilhelmus, Hollandię Comes, Imp. haſta confoditur 691.30
Vvilhelmus, & Reinaldus Gerardi nepotes 811.26
Vvilhelmus, Iuliaci Comes, marchio Imperij creatus 789.30 *trahit ad ſe Geldriã dotalitio nomine* 810.33
Vvilhelmus, Hollandiæ Comes 691.

691.30

Vvindi qui, & Veneti accolę ſinus Venedici 388.10

Vvipertus, Comes Croicenſis 565.29

Vvirceburgenſis Epiſcop. occupat partem Franciæ 515.32

Vvitteberga primùm oritur lux repurgatæ doctrinæ 921.37

Vvittebergenſis tractus, Hollandis, Frandriſque colonis, traditus 617.35

Vvittebergenſis academiæ fundatio à Saxoniæ Electore 916.35

Vvoldemarus vltimus marchionum è ſtirpe Alberti Vrſi 794.33

Vvoldemarus falsò creditus ibid. 27

Vvoldemarus rex Daniæ, pellit in exilium Vvoldemarū falsò dictum 795.34

Vvolga fluuius, à veteribus Rha dictus 469.7

XErxes IV. rex Perſ. 83.27 *interficit fratrem ibid. eius exercitus* 84.15 *interitus ibid.* 40

Yβρεως inſigne exemplum in duobus Præfectis 802.40 ὑπόνοια ἀδύνατον κακόν 684.39

ZAchariæ filij Ioiadæ interitus 52.33

Zachariam conſolatur Deus 74.10

Zacharias pater Io. Baptiſtæ interficitur à ſacerdotibus 183.18

Zacharias Patriarcha Ieroſolymitanus 359.15

Zacharias Rom Epiſcop. 375.6

Zadducęi, Iuſtitiarij 146.19

Zadocus, primus Turcicorum Principum 480.30

Zagarolla, arx Italiæ 702.3.10

Zagatij Tartari 853.8

Zaringiæ ducum propago 558.12 *finis ſtirpis* 702.40

Zedecias, rex Iuda 56.32

Zedechiæ, retracto ex fuga, effodiuntur oculi 57.10

Zechi pop. hodie Boemi, die Bœmen 416.4

Zeinaldus, filius Vſumcaſſanis, globo traiectus occumbit 866.25

Zenobia regina, inuadit Romanas prouincias 244.14 *viua Romam ducta, in triū pho ſplendidiſſimè ornat antecedit currū Aurelia cum filiis, & filiab. ibi*

Zenobia, mulier Arabica … moſateni dogma ampl… ur 248.25

Zeno à filio ſuo factus I… era- tor 322.10 *exitus … id* 35

Znoima, vrbs Mora… 834.40

Zoe, filia Conſt… nt… 527.38 *adultera* 528.20 *imperat cu… ſore* 329.2

Zopyrus fam… ia… s Darij, præſcindit ſib… s, & nares, atque ho… n… do Babylonem, dolis ca… t 80.27

Zorbek, op… idum ad Salam 26.6

Zorob… el. dux populi Iſrael in… ditu ex captiuitate 73.35

FINIS.